






SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE



Italy
~~Catholic~~ Chur

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. IV.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCXCII.

IUS PONTIFICIUM

DE PROPAGANDA FIDE

SS. D. N. LEONIS XIII. P. M.

IUSSU RECOGNITUM



IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE
PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. IV.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCXCI.

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE
PARS PRIMA

CLEMENS XIII.

An. C. 1758

CONSTITUTIO I.

Chirographum Hispaniarum regis confirmat de erectione hospitii S. Rosae de Ocopa *in Indiis occidentalibus in collegium missionum pro infidelibus Indis Peruanis ad fidem adducendis* (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, religiosorum virorum altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum, uberesque in Ecclesia Dei fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre iugiter satagentium commodis et felicibus in via mandatorum Domini progressibus libenter consulimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum, et animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Preces porrectae, et caussa huius Brevis. § 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Torrubia frater expresse professus, ac in Romana Curia pro ultramontana familia Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum commissarius generalis, quod cum carissimus in Christo filius noster Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus sua prosequens fervida vota erga conversionem gentium in immensis ac dissitis Peruanis regionibus existentium, sui regii aerarii expensis ad illas partes frequentes copiosasque missiones professorum Hispanicorum dicti Ordinis mittere pergat; ad facilius vero adsequendum tam pium finem, nuper per suum chirographum concessit, permisitque, ut hospitium Sanctae Rosae de Ocopa nuncupatum dicti Ordinis, situm in ipsis finibus terrarum, quas incolunt infideles illarum partium, erigeretur in collegium sive seminarium apostolicum, in quo missionariorum ipsius Ordinis communitas degat, qui ibidem Indorum idiomata ediscere, ad eis evangelizandum praesto esse, et proximum habere possint locum aptum commodumque, quo pro tempore secedant ad suas curandas aegritudines, et ab exantlatis laboribus sese recreandos, prout habetur in regio chirographo tenoris sequentis, videlicet « — REX — Cum inter nonnullas variasque expositas praetensiones a fratre Iosepho de Sancto Antonio Ordinis Minorum S. Francisci, et commissario missionis Cerri de la Sel, Jauxa, Guanuco et Caxamarquilla eius Ordini commendatae, supplicasset quoque, ut in collegium missionariorum apostolicum de Propaganda Fide confirmaretur hospitium Sanctae Rosae de Ocopa, ex eo quia dubitari non posset de illius necessitate et utilitate, cum in eo stet potissimum illius finis assequutio, ad quem destinantur missionarii, qui ex Europa mittuntur; hi namque statim ac in collegio sint constituti, facile Indorum sermonem aliaque scitu necessaria ad huiusmodi ministerium exercendum ediscere possunt; et quia collegium non longe distat a locis, in quibus missiones peraguntur, ipsi missionarii sibi invicem manus adiutrices praebere, ex collegio necessarios assumere, ad illud impeditos et infirmos remittere, ac sine mora alios subrogare ita valent, ut numquam spirituale pabulum Indis sit defecturum, imo quod acquisitum est con-

An. C. 1758

Refertur regium chirographum Ferdinandi regis Hispaniarum.

(1) Alia Ministri Generalis decreta vide in Const. Innoc. XI. *Exponi nobis*, vol. II. h. op., pag. 61; *Ecclesiae catholicae*, ibid. pag. 74; *Ecclesiae catholicae*, ibid. pag. 86.

servabitur, ac incessanter procedetur ad detegendos novos populos, eosque ad Christi fidem convertendos, neque etiam minor futura foret utilitas inde eruenda; tali namque pacto in collegio collocatis missionariis, occasio tollitur se ad alia divertendi, quae si non opposita, saltem incompatibilia sunt cum eorum exercitio, velut Ordinis officia, ad quae contra dispositiones alias factas deputari solent. Hac igitur visa supplicatione congruum duxi ad consultationem mei Indiarum consilii rem pro informatione et voto deferre ad commissarium generalem Indiarum in dicto Ordine, qui exposuit, fundationem collegii missionariorum apostolicorum in regno Peruano iamdudum consideratam ordinatamque fuisse, tamquam indispensabiliter necessariam ad fidei propagationem, in comitiis generalibus Ordinis, totiesque ordinationem istam confirmatam fuisse a Summo Pontifice Innocentio XI. In primis enim quia in hisce collegiis in modum recollectionis vivitur, stricta observantia ac fervens viget solitudo, quae sane multum conferunt ad inducendum spiritus fervorem in illos, qui tantum ministerium evangelizandi gentibus suscipiunt. Hi enim parati esse debent, aut ad profundendum pro Christo sanguinem, quod frequenter accidit, aut civiliter eos mori necesse est, ingredientes et procedentes per asperrima locorum, manducantes non raro cibos, quos avia profert tellus, et recumbentes nox atra ubi eos occupat; quae quidem onera sine magno spirituali fervore pro animarum salute perferri nequeunt. Rursus etiam quia si erigi contingat collegium cum sui guardiani, discretorum, officinarumque institutione, melius procurari valent victualia, caeteraque Neophytorum subsidia, populisque potior praestari adsistentia. Adde demum, quia existente prope missionem collegio cum suo valetudinario, aliisque commoditatibus, consolatione afficiuntur maiori conversores; sciunt quippe promptum sibi adesse receptaculum in suis aegritudinibus, locumque quietis pro defatigatis in laboribus: et vero si eis desit refugii locus, et dispersi vagari debeant per loca, in eorum vocatione frigescunt, in proposito tepidi evadunt, tristesque vivunt. Quibus addebatur circumstantiis alia peculiaris pro confirmatione collegii de Ocopa, quod nimirum ibi sepultus est ven. eiusdem fundator frater Franciscus de Sancto Iosepho, a quo etiam originem acceperunt omnes Peruanae missiones; illiusque situatio in loco. ex quo dividuntur viae, tendentes ad missiones ab ipso collegio administratas, et ad alias, quarum curam gerit Limana provincia ex conventu Huarensi. Itaque concludebatur, valde opportunum fore ad tam pium finem assequendum, si ego dignarer regium concedere beneplacitum pro dicti collegii erectione. Quibus omnibus visis in meo Indiarum consilio, iuncta etiam allegatione fiscali, desuperque consultus pro approbatione huiusmodi instantiae die XVII. martii anni MDCCLI. placuit mihi eidem annuere, concedendo meam regiam licentiam, ad hoc, ut ex tunc in apostolicum missionariorum collegium erigeretur praefatum hospitium Sanctae Rosae de Ocopa. Quamquam vero istiusmodi mea regia resolutione promulgata, et de ea certior factus fuerit commissarius generalis Indiarum, qui suas patentales litteras die XXXI. maii eiusdem anni MDCCLI., pro eo, quod ad ipsum spectabat, expedivit, ut apparet ex eisdem patentalibus litteris nuper a memorato fratre Iosepho de Sancto Antonio praesentatis; regium tamen chirographum desuper tunc expeditum non fuit, quemadmodum pro captae resolutionis exequutione necesse erat. Re igitur modo, instante dicto fratre Iosepho de Sancto Antonio, iterum in praefato meo consilio proposita cum nova allegatione fiscali, placet mihi, ut super illa regium expediatur chirographum. Propterea iubeo meo pro-regi in Peruanis regionibus, meae regiae audientiae in civitate Limana constitutis et omnibus tribunalibus, singulisque eiusdem regni ministris, et iniungo admodum reverendo Archiepiscopo Limano, ceterisque praelatis iudicibusque ecclesiasticis illarum partium, ad quos quomodolibet spectabit, quod unusquisque eorum pro sua faciat virili, ut haec mea regia voluntas debitum consequatur effectum. Datum apud bonum secessum die secunda octobris MDCCLVII. — EGO REX — » Iussu D. Nostri Regis — Ioseph Ignatius de Goyoneche — Tribus rubricis erat rubricatum — Vestra Maiestas suum concedit regium permissum, ut in collegium apostolicum missionariorum erigatur hospitium Sanctae Rosae de Ocupa, quod est Ordinis Minorum Sancti Francisci in regionibus Peruanis — Concordat cum regio chirographo ad hunc effectum mihi exhibito a rev. patre fratre Iosepho de Sancto Antonio commissario missionum in regno Peruano Ordinis Sancti Francisci, cui,

Stricta observantia et solitudo conferunt ad inducendum spiritus fervorem in evangelizantibus.

facta hac copia, illud restitui, de quo fidem facio, originali me referens, utque de eo constet ad eiusdem requisitionem, ego Alphonsus Carralon domini nostri regis Scriba, et in eius curia et provincia residens praesentem facio, signo ac subscribo. Matriti die XV. iulii MDCCLVIII. — In testimonium veritatis Alphonsus Carralon — Nos infra signati, et subscripti Scribae domini nostri regis in eius curia et provincia residentes fidem facimus, Alphonsum Carralon, a quo reperitur signata copia praecedens, talem esse Scribam regium, qualem se facit atque denominat, fidelem, legalem, totiusque fiduciae, omnibusque eius scripturis et documentis per ipsum publicatis, et quae publicantur, semper adhiberi fidem, tam in iudicio, quam extra: utque de eo constet, ad eius requisitionem praesentem facimus, Matriti die XV. iulii MDCCLVIII. — In testimonium veritatis Emmanuel de Obregon et Orugua — In testimonium veritatis Petrus Garcia de Ovalle — In testimonium veritatis Franciscus Fernandez Rosa. —

Preces ad SSmum porrectae.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Iosephus commissarius generalis nobis subinde exponi fecit, ipse praeinsertum chirographum, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, nos ipsum Iosephum commissarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum chirographum ab ipso Ferdinando rege super facultate erigendi dictum hospitium Sanctae Rosae in collegium sive seminarium apostolicum missionariorum dicti Ordinis, ut praefertur, concessum cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Absolutio a censuris.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. augusti MDCCLVIII., pontificatus nostri anno I.

II.

Episcopos monet per epistolam encyclicam de unitate inter fratres servanda, de morum sanctitate, de perniciosa in eis libidine dominandi, de invidentia, de inanis gloriae cupiditate, et de adulatione ab iis praecavenda, de misericordia in pauperes, de fide, animi demissione, perseverantia in precibus fundendis, de efficacia Sacrosancti Missae Sacrificii, de doctrinis, quibus maxime fideles imbuendi sunt, de prudenti sacrorum ministrorum electione, de opera sacris studiis navanda, de concionandi munere, de ratione qua sese gerere debent si forte desit facultas dicendi, de continua praesentia in dioecesi, de verbo et exemplo ad gregis utilitatem, de meritis ad episcopatum requisitis.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa scribendae huius epistolae.

§ 1. A quo die nobis praeter opinionem nostram incredibile illud accidit, ut ad Sa-

cram B. Petri Sedem, omnium Ecclesiarum verticem, nostra divinitus tolleretur humilitas, in acerrima illa cogitatione perpetuaque cura versati, nimio plus oneris quam quantum ferre possimus, esse nobis impositum, tristitiae et lacrymis non plane tradidissemus, nisi quiddam simile, quod sanctissimo Prophetae Israelisque impigro duci contigit, a nimio nos moerore deterruisset. Inclamans enim Moyses Dominum: (1) Cur, inquit, afflixisti servum tuum? Et cur imposuisti pondus universi populi huius super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. Quem, ne deficeret animo, quodque susceperat onus, bene ut perferret, congregare sibi iussit Deus septuaginta viros de senibus Israel, quibus Moysis spiritum indidit, ut populi essent magistri, et sustentarent cum illo onus, nec solus Moyses gravaretur. Nunc igitur illa consolatio nos una sustentat, venerabiles fratres, quod vos multo antea Deus ipse a reliqua fidelium multitudine ad regendarum curam animarum asciverit, socios nobis et adiutores dederit, ac suo ipsius spiritu, cum episcopalibus mysteriis initiati estis, abunde repleverit, ut nos iam Dei ope primum virtuteque confisi, singulari deinde, quo flagratis vestri muneris obeundi studio, vestraque freti sapientia, plurimum de nostra tristitia et sollicitudine ademptum esse arbitremur. Itaque tum ut consolemur in vobis (2) per eam, quae invicem est, fidem vestram atque nostram; tum ut vestram (3) excitemus in commonitione sinceram mentem, has literas ad vos scribimus; tum vero maxime, ut, quos adversus teterrimum humani generis hostem veluti instructa acie ardentes novimus et erectos, tamen quo alacriores erectioresque ascendatis ex adverso, stantesque (4) in praelio pro domo Israel dimicetis, ad rem bene gerendam vos adhortemur.

Unitas inter fratres servanda.

§ 2. Quo quidem in bello tam multiplici, tamque periculoso, spes victoriae eo melior erit et exploratior, quo (5) arctiore vinculo pacis unitatem servabimus. Eo igitur, venerabiles fratres, viribus omnibus incumbat charitas vestra, ut funditus e fidelium animis vel ipsa tollantur cuiusquemodi certaminum semina. Vestrum est id sedulo praestare, ut omnes (6) inquirant pacem (7), omnes sectentur quae pacis sunt. Ipse enim Dominus Iesus, paulo antequam passioni se dederet (8), pacem relinquo vobis, ait Apostolis, pacem meam do vobis; nec Apostolis tantum, sed et nobis relinquit pacis haereditatem: (9) non pro eis, inquit, tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. Hanc tantam haereditatem, tamque praeclaram a Christo Domino nobis traditam, videte quaeso, venerabiles fratres, ut animorum dissensionibus extinguendis constanter et perpetuo retineamus. Huius autem haereditatis pignus, ait Apostolus, esse Spiritum Sanctum. Cum autem in ipsius conspectu ipsi nos ponimus, eumque obsecramus, ut ad sanctificandum Ecclesiae sacrificium Spiritum Sanctum de coelo demittat, nihil aliud nobis postulare videmus, nisi ut per gratiam spiritualem in Ecclesia charitatis unitas indisrupta servetur. Illud vero nos omnes commeminisse oportet, quod quaerente Domino, quem dicerent homines esse filium hominis, et quem ipsum discipuli crederent, cum alias de eo respondissent aliorum esse opiniones; B. Petrus (10), ex omnium mente, filium Dei vivi non carne et sanguine, sed Patre revelante confessus est.

Discrimen inter filios lucis et saeculi.

§ 3. Quo quidem omnibus facile apparuit, inter filios lucis filiosque saeculi illud iam tum fuisse discrimen, ut hi variis inter se diversisque opinionibus discreparent, illi unitatis initiati mysterio, per omnium caput, unam omnium per os unius confessionem profiterentur. Omnes igitur curas vestras, vener. fratres, in fidelium coagmentanda pace defigite. Turbae (11), contentiones, aemulationes, animositates, dissentiones consilescant, ut qui catholici nominis sunt, omnes in (12) eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, idem unanimes dicant (13), idem sapiant, illudque intelligant probe, atque animo imbibant, se, qui Christi membra esse velint, non

(1) Num. XI. 11, 14.
(2) Rom. I. 12.
(3) II. Petri III. 11.
(4) Ezech. XIII. 5.
(5) Ephes. IV. 3.
(6) I. Petri III. 11.
(7) Rom. XIV. 19.
(8) Ioan. XIV. 27.
(9) Ioan. XVII. 20, 21.
(10) Matth. XVI. 14 et seq.
(11) II. Cor. XII. 20.
(12) I. Cor. I. 10.
(13) II. Cor. XIII. 11.

posse concordiam habere cum capite, si discordes voluerint esse cum membris, nec fratres a summo Patre in filiis numerari, qui in fratrum charitate non fuerint.

Charitatis notae, et indicia.

§ 4. Insignes vero notas, certissimaque charitatis indicia, ne quis erraret in ea re qua salus humani generis continetur, ostendit nobis Apostolus. Charitas, inquit, patiens est, benigna est (1). Charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur. Ex quo illud intelligi debet, unde charitas absit, illam ibi maxime vigere malignitatem, quam homines ab ipsa origine nostra contraximus. Inde, tamquam animorum faces, exardescunt arrogantia superbumque fastidium, et contumacia, et avaritia, et intolerantia, et ambitio, et invidentia, et inanis gloriae cupido, caeteraeque animi pravitates, quae omnes (2) ex eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptione gignuntur.

Unde charitas abest, ibi vitia vigere.

Ab episcopali regimine absint contumaces mores.

§ 5. Facessant igitur ab episcopali regimine animi tumor et contumaces mores. Qui dicimus, nos manere in Christo (3), debemus, sicut ille ambulavit, et ipsi ambulare; nec aliunde quam a Domino Iesu petendum, quod imitemur, exemplum. Ille enim, orta inter discipulos contentione, quis eorum videretur esse maior (4), reges gentium, inquit, dominantur eorum; vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator: Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Itaque cum Apostolis interdictus sit a Christo Iesu dominatus, non ad Ecclesiae principatum, sed ad Ecclesiae servitutem nos venisse existimemus: atque illuc omnes cogitationes, labores, et consilia nostra conferamus, ut, quae oves a Domino fidei nostrae commissae sint, eas integras et salvas in Ecclesia retineamus; nec quidquam tantopere voluisse videamur, quam earum incolumitati consulere.

§ 6. Quapropter (5) Seniores, Apostolorum Principis vos alloquimur verbis, obsecro consenior, et testis Christi passionum, qui et gloriae communicator; pascite, qui in vobis est, gregem Dei; providentes non coacte, quemadmodum mercenarius (6), qui videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; sed spontanee (7) secundum Deum, quemadmodum pastor, qui dat animam suam (8) pro ovibus suis: neque (9) turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Nullum enim tetrius venenum aut perniciosius, dominandi libidine; qua si forte Episcopus corripiatur, Ecclesiam illi creditam, si non interire, vehementer certe labefactari necesse est. Non igitur praeesse tantummodo velit Episcopus, sed potissimum prodesse; et forma gregis factus ex animo, vitae suae innocentiam, morum integritatem, pietatem, religionem tamquam facem praeferat; in quam populus intuendo, laetus et alacer in via Domini gradietur, cum viderit ducem sibi datum esse, non dominum.

Dominandi libido et Episcopo et Ecclesiae perniciosissima.

Ab Episcopi animo absit invidentia.

§ 7. Illud etiam charitatis est maxime proprium praecipua quadam laetitia perfundi, seu potius gaudio efferri, cum quis in Ecclesia Dei pietatis doctrinaeque floreat laude, et salutis animarum vehementer cupidus sacerdotalis officii munus industria, labore, diligentia suaviter exequatur. Eiusmodi vero hominem (10) invidiae patere proximi, saepiuscule animadvertimus; quem nemo sanus non videat invidorum obtrectationibus prosterni atque obteri non oportere. Prophetantibus in (11) castris Eldad et Medad, Moyses monenti se Iosue filio Nun, ut eos prohiberet, se maxime velle, respondit, ut vel omnis populus prophetaret: Quid (12) inquit, aemularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum? Irritari vero, et ira incendi nefas sibi putat Episcopi charitas: abductum noxiis cupiditatibus hominem, illum quidem (13) non quasi inimicum existimat, sed ut fratrem corripit, et blandiendo, cohortando, monendo, ab errore revocat, et in rectam reducit viam. Quod si quid acciderit, in quo graviore verborum castigatione oporteat uti; cavet, ne quid sibi verbum excidat inclementius, et severitate adhibita ab omni abstinet contumelia.

(1) I. Cor. XIII. 4, 5.
(2) II. Petri I. 4.
(3) I. Ioan. II. 6.
(4) Luc. XXII. 25.
(5) I. Petri V. 1, 2.
(6) Ioan. X. 12.
(7) I. Petri ubi sup.
(8) Ioan. ubi sup. v. 11.
(9) I. Petr. ibid.
(10) Eccle. IV. 4.
(11) Numer. XI. 27.
(12) Ibid. v. 29.
(13) II. Thess. III. 15.

De inanis gloriae cupiditate quanta inde mala oriantur.

§ 8. Sed de inanis gloriae cupiditate, quam quis Episcoporum scopulum recte appellaverit, sileri non potest. Ea profecto nihil charitati fortasse inimicius: quem enim Episcopum exitialis illa pestis corripuerit et infecerit, ad hunc obrepit adulatio; huius nobilissimam partem, animam scilicet, adoritur; hunc venenatis assentationibus capit; huic perpetuo assidet; pravamque illam, qua quisque nostrum maxime decipimur, aestimationem sui nimiam immaniter augendo, eo miserum redigit, ut non amplius Dei, sed sui gloriam quaerat; quam tamen vel ipse Christus Dominus negavit (1) se quaerere. Adulationem perniciosissimi veluti satellites et ministri assectantur detractio et mendacium; ut, bonis egregiisque summotis viris, in Episcopi comitatu iam nihil sani, nihil integri reliquum sit. Propterea monet sapientissimus Salomon (2), melius esse a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi: Et (3) remove a te os pravum; detrahentium labia sint procul a te: et (illud, quo in memoria semper esse debet Episcopis) (4) princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Ne (5) igitur efficiamur inanis gloriae cupidi: eiusmodi (6) gloria sit in eorum confusione, qui terrena sapiunt. Nos alte spectemus; coelestem illam aeternae gloriae domum contueamur, nec in ore hominum nostram arbitremur veram, solidam, gravem esse positam gloriam (7). Omnes peccavimus, omnes egemus gloria Dei, omnes necesse habemus, ut (8) peccatis mortui, in nobis non ipsi glorificemur, sed (9) glorificetur Pater in Filio; utque (10) repleti simus fructu iustitiae per Iesum Christum in gloriam Dei, cui soli (11) gloria, magnificentia et imperium.

Adulationis asseclae detractio, et mendacium.

De misericordia in pauperes.

§ 9. Atque inter iustitiae quidem fructus misericordia in pauperes potissimum est numeranda. Iustitia autem illa (12), quae ex fide est Christi Iesu. Verum (13) si frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex nobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederimus autem eis quae necessaria sunt corpori, quid proderit nobis fides? Sic enim christianos omnes interrogat Iacobus Apostolus. Et cuiuslibet quidem fidelis, eius maxime, qui paulo ditior sit, opitulari debet pauperibus misericordia: ii tamen largitatem praecipuo quodam iure suo nostram requirunt, qui res Ecclesiae, quae sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, non ut proprias, sed commendatas habemus; nec ea aequum est in usus nostros ita nos vindicare, ut nihil reliqui sit iis, quibus fas esset, nostrum est quod expenditis, clamitare. Etenim unde nam plerique, nisi de donis Ecclesiae tanta abundamus affluentia rerum et copia? De bonis igitur sponsae tantum sumendum, quo praesto sint (14) alimenta; et quibus tegamur, hisque contenti simus (15), quaestum magnum existimantes pietatem cum sufficientia. Quaestus autem ille sane praeclarus, cum nobis ea suppetunt abundantius, quibus opus est ad custodiendam sponsam, nutriendam ornandamque: omnium vero quaestus luculentissimus, quo eleemosynis a Deo gratiam impetramus, qua caeca mens nostra illustratur; nosque ingenito languore fracti, et iacentes erigimur et sustinemur. Nam cum esurienti effuderimus (16) animas nostras, et animam afflictam repleverimus, oriatur in tenebris lux nostra, et tenebrae nostrae erunt sicut meridies, et implebit Dominus splendoribus animas nostras.

Potiori iure pauperes ab Episcopis largitatem, quam a caeteris postulant.

Episcopis maxime propria oratio, et Sacrosancti Sacrificii oblatio.

§ 10. Profecto ad lumen a Deo menti impetrandum, obtinendamque devotionis gratiam, sine qua episcopalia officia necesse est relanguescere, magna vis est eleemosynae: sed oratione et sacrosancto Missae Sacrificio nihil efficax magis. Orare (17) sine intermissione nos iubet Apostolus, et in omnibus gratias agere; hanc enim esse voluntatem Dei, ne fidei et charitatis spiritum velimus extinguere: qui quidem spiritus (18) infirmitatem adiuvat nostram, et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Equidem, si quis alius sapientia Episcopus indiget: quam propterea (19) po-

Orationem tria habere oportet; fidem, humili-

(1) Ioann. VIII. 50.
(2) Eccle. VII. 6.
(3) Prov. IV. 24.
(4) Ibidem XXIX. 12.
(5) Galat. V. 26.
(6) Philipp. III. 19.
(7) Rom. III. 23.
(8) I. Petri II. 24.
(9) Ioan. XIV. 13.
(10) Philipp. I. 11.
(11) Iudae v. 25.
(12) Philipp. III. 9.
(13) Iacobi II. 15.
(14) I. Timoth. VI. 8.
(15) Ibid. v. 6.
(16) Isai. LVIII. 10, 11.
(17) I. Thessal. v. 17, 18.
(18) Rom. VIII. 26.
(19) Iacobi I. 5.

tatem, perseverantiam. stulet a Deo, et ipse dabit: postulet autem in fide nihil haesitans: tantamque, si fieri posset, optandum, ut in animo fidem suo excitaret, quanta fide fuit Moyses qui Deum (1) invisibilem, tamquam videns sustinuit. Ad eam fidem humilitas accedat oportet: Ego vero (2), clamabat David, egenus et pauper sum; Deus adiuvat me. Quanti vero sit ponderis perseverantia in oratione et assiduitas, declarant illa Christi Domini verba (3): Oportet semper orare et non deficere. Atque in ea assiduitate et constantia Dei numen (4), si moram fecerit, expectemus: apparebit et non mentietur, quia veniens veniet, et non tardabit. Cumque non nostras tantummodo curare debeamus infirmitates, sed etiam putare, aliorum mala ad nos pertinere, et ea aeque habere ac nostra; vehementius, diutiusque intendenda nobis ad Dominum nostra est oratio; qua, tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, spem et charitatem ante oculos Domini statuentes, quod omnibus in universum, quodquod cuique fidelium opus est, a Domino impetremus. Dei autem exorandi viam nobis muniet, et quidvis adipiscendi etiam aperiet augu-

Sacrosanctum Missae sacrificium maxime efficax ad quidvis a Deo impetrandum.

stissimum Eucharistiae sacrificium. Idcirco vel maximis nostri muneris occupationibus etiam implicati, sacrosanctum Iesu Christi Corpus et Sanguinem non recusabimus, quominus frequenter Deo offeramus; nullumque maius putemus nobis datum esse negotium, quam crebro placationis hostiam pro nostris populique peccatis Deo Patri immolare.

Quae praecipue fidelibus ingerenda doctrina.

§ 11. Cumque medii quodammodo simus Deum inter et homines, quemadmodum ad Deum vota hominum, ita Dei voluntatem ad populum perferamus. Haec est autem (5) voluntas Dei, sanctificatio nostra. Itaque nostrum est, venerabiles fratres, aperire (6) ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, ut manifestamus illud ita ut oportet nos loqui. Illud potissimum docendi sunt populi: Christum carnem suam, nostrae, excepto peccato, similem, illam quidem non modo sanctam, sed etiam sanctificantem, passibilem tamen et morti obnoxiam, quae omnium nostrum vicem repraesentaret, iustitiae divinae simulque (7) nos itidem obtulisse: eam item et nos eodem tempore omnibus obiecisse cruciatibus, quibus digna erant nostra crimina: damnatam fuisse mortis doloribus: maledictum adversus peccatores in lege pronunciatum subiisse: inter acerbissimos dolores mortuam: legi satisfactum: quidquid esset peccati simile, per Iesu Christi mortem et sepulturam abolitum: E sepulcro Dominum Iesum, cum eadem quidem carne, sed mortalitatis exuviis exuta, et immortalitatis honoribus exornata revixisse: Idcirco peccatoribus, quo iustificentur, opus esse mori cum Christo, qui pro illis eorumque nomine mortuus est: cum Christo sepulcrum ingredi, ut ibi culpa temeratam carnem reliquant: veterem hominem irae Dei et mortis maledictioni tradendum, relinquendumque; ut per baptismum novus in nobis homo, nova factus creatura novumque figmentum, possit cum Christo ad immortalitatem aeternamque gloriam reviviscere. Propterea christianis omnibus de illa perpetua, non de hac exigua vita cogitandum: tum abiiciendas voluptates et divitiarum, quae voluptatum sunt instrumenta, cupiditatem ex animo avellendam; tum etiam maxime, qua noxiae omnes cupiditates continentur, exuendam esse superbiam: (8) mundum transire, eiusque concupiscentiam: qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.

Cautio in eligendis sacris ministris.

§ 12. Haec vero reliquamque doctrinam mysteriorum Dei, quanti negotii sit populos docere, ipsi vos, venerabiles fratres, pro sapientia vestra facile perspicietis. Propterea considerandum maxime est, quam multa in iis esse oporteat, quos ad sacerdotale ministerium, instruendumque christianis institutionibus populum, elegeritis, quanta vitae innocentia, quanta morum integritas, quanta castitas, iustitia, pietas, religio. Quam magnum sit, si quid pravum, si quid vitiosum, si quid improbum consuetudine mala inhaeserit moribus, illud parochos caute et prudenter avellere: proximum quemque salutaribus monitis consiliisque iuvare et instruere: animae fideli denique pennas dare, quibus se humo tollat ad rerum divinarum contemplationem; eam mundo ereptam Deo tradere, divinamque in illa imaginem in pristinum revocare. Contra, quam non ferendum, a fidelibus sibi commissis eos parochos rationem vitae reposcere, qui reddere non possint

(1) Hebr. XI. 27.
(2) Psal. LXIX. 6.
(3) Luc. XVIII. 1.
(4) Habacuc. II. 3.
(5) I. Thessal. 3.
(6) Coloss. IV. 3.
(7) I. Petri III. 18.
(8) I. Ioan. II. 17.

suae; et ita mores in altero reprehendere, ut quominus ipsi redarguantur, recusare non queant. Ad puros sanctosque mores accedat oportet digna ecclesiastico homine ab iis percepta doctrina. Scripturas cognitas habeant: Omnis enim (1) scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Sacrum igitur utriusque foederis codicem, Ecclesiae traditiones, sanctorumque Patrum scripta, veluti fontes adeant, unde pura et incorrupta fidei morumque doctrina profunditur: Romanum vero cathechismum, catholicae doctrinae summam, assidue versent et lectitent, unde sacras conciones ad populum habendas depromant.

Sacris ministris sacrarum litterarum studia colenda.

Lentae deliberationis, et maxime considerati consilii esse manus imponere.

§ 13. Non studiis igitur privatis, nec ex cuiusquam commendatione, sed optimum quemque, illumque praesertim, cuius timida virtus ministerium defugiat, fidelem fore putetis ministrum, cui partem gregis dominici committatis. In universum manus cito nemini imposueritis: (2) quod tunc cito fieri arbitramur, cum nonnisi semel aut iterum homines expendimus et probamus; quem contra accurate exquisiteque exploratum ac severe iudicatum oportuit, ne alienis peccatis (3) communicantes, inconsultae temeritati Deo poenas demus. Neque vos taedeat, venerabiles fratres, si in ea re, quae magnam cautionem habet, paullo diutius immoremur. Cuiusmodi enim sunt sacerdotes, eiusmodi plerumque esse solet et populus. In eos, praesertim si parochi sint, tamquam in speculum omnes inspiciunt. Quapropter neminem perniciosius de Ecclesia mereri, quam vitiosos clericos existimandum est, qui sua vitia infundunt in populum, eumque ita corrumpunt, ut plus exemplo suo, quam peccato, nocere videantur.

Munus Episcoporum per se ipsos praedicare.

§ 14. Ascitis autem in sacrum ministerium viris quamvis egregiis, non propterea evangelizandi munere nos esse defunctos arbitrabimur: sic enim in aliorum manus retia dimittere videremur, quae tamen tradidit nobis Dominus, ut ipsi simus hominum (4) piscatores. Praecipuum Episcoporum officium est Verbum Dei praedicare. Vae mihi, clamabat Apostolus (5), si non evangelizavero: necessitas enim mihi incumbit: nec praecipue ad baptizandi munus quamvis sanctum, sed potissimum ad (6) evangelizandum a Christo Domino se missum esse. Ipso autem Apostolorum iudicio primas tenere novimus Verbi ministerium, quod (7) non aequum derelinquere existimarunt sanctissimi viri; ac propterea reliqua opera, quae ad misericordiam erga proximum pertinerent, diaconis censuerunt oportere committi. Et beatissimus Paulus ad Timotheum scribit: (8) Attende lectioni, exhortationi et doctrinae. Si quis autem se carere sentiat facultate dicendi, nec ingenii sui esse dicat id munus exequi; in reliquis saltem, quae ad Verbum Dei quoquomodo pertinent, non patiatur officium suum requiri. Itaque si mandaverit clericis, ut christianae doctrinae rudimenta pueris tradant, in eam rem det operam quoque suam. Parochis etiam in docendo populo socium se adiungat, ut suum annunciandi Verbi munus aliqua ex parte tueatur: quae res alacritatem etiam summam omnibus afferet, qua suum quisque obeat officium. Quamobrem ne gravetur cum consacerdotibus suis aliquoties Sacramenta fidelibus ministrare, chorum interdum adire, et psalmos cum canonicis canere, collationibus, quas instituerit, coram praeesse: ex quo fiet, ut non minimum sacri ministri de illius spiritu, quemadmodum septuaginta viri de spiritu Moysis accipiant. Huc accedit, quod populum, qui haec viderit, summa de divini sanctitate cultus opplebit opinio; et eiusmodi augusto spectaculo homines maculosi deterriti ad sacrum ministerium ne aspirare quidem audebunt.

Quid agendum Episcopo, cui desit facultas dicendi.

Episcopus ab Eccl. sua nunquam absit, nisi ex gravissima causa: dioecesim visitet.

§ 15. Quoniam vero Ecclesiae procurationem, gregisque tutelam suo nullo pacto potest gerere, si absit, Episcopus; propterea suae quisque vestrum Ecclesiae nullo non tempore adsideatis oportet. Id et naturali lege, et sacris etiam canonibus, et Tridentinis praesertim decretis sancitum est. Universae quoque dioecesis loca adeunda, ut quarum legum vires deficere coeperint, eas vel a ministrorum indiligentia, vel a subditorum contumacia vindicetis. Quod si qua gravior et necessaria causa extiterit, quamobrem de vestra dioecesi discedendum vobis sit, atque ab ea aliquandiu vos abesse oporteat; ne, quaeso, patiemini pastoris de-

(1) II. Timoth. III. 16.
(2) I. Timoth. V. 22.
(3) Ibid.
(4) Matth. IV. 19.
(5) I. Cor. IX. 16.
(6) Ibid. I. 17.
(7) Act. VI. 2, 4.
(8) I. Timoth. IV. 13.

siderio sui confici Ecclesiam, a cuius periculo nunquam putetis absentiam vestram esse seiunctam.

Ut verbo, sic exemplo pascendum esse gregem Domini.

§ 16. Praeterea verbis coniungatur exemplum: (1) in omnibus nosmetipsos praebeamus exemplum bonorum operum; ut is, qui (2) ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis. Ne opera absque sermone sint tacita; neque dicta, factis deficientibus, erubescant: atque illud animo reputemus, perfectum Ecclesiae principem, perfectis maximarum virtutum bonis ita esse instructum, ut et vita eius dicendo, et doctrina vivendo exornetur. Domus autem cuiusque nostrum sit pudoris et modestiae magistra, ecclesiasticae disciplinae officina, plena dignitatis atque concordiae, quod tum assequemur, si nullius voluntati aut gratiae dediti, nihil animi nostri imbecillitati et mollitiae indulgeamus, neminemque habeamus eximium; quod in Ecclesia administranda magnas plerumque turbas creat, et offensionem habet gravem, et Episcopo invidiam et contemptum parit.

Qui in episcopatus gradu locandi.

§ 17. Quod ad nos attinet, vigilias (3) anticipaverunt oculi nostri, ut per civitates constituamus Episcopos, qui ad episcopatum afferant doctrinam sanam, vitam irreprehensibilem, mentem ad omnia paratam pro Christo; quique id sibi munus obvenisse arbitrentur, cui qui praesit, non intumescat amplitudine dignitatis, sed humilitate decrescat. Et in exquirendis quidem explorandisque viris, quos tanto muneri praepositos esse velimus, sancta testimonii vestri religione et fide confisi, vobis testibus utemur et auctoribus; quos minime dubitemus nullam carnis et sanguinis rationem habituros, sed eius tantummodo, qui vocavit vos (4) in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi.

Invicto se animi robore muniat Episcopus adversus ea, quae fidem et pietatem laedunt.

§ 18. Reliquum est, venerabiles fratres, ut vos de fortitudine moneamus, et animi robore; quo maxime est opus adversus ea, quae vel orthodoxam fidem oppugnant, vel pietatem laedunt, vel morum integritatem infringunt. Repleti (5) simus, obsecro, fortitudine Spiritus Domini, iudicio et virtute. Ne (6) tamquam canes muti, non valentes latrare, greges nostros patiamur (7) fieri in rapinam, et oves nostras in devorationem omnium bestiarum agri: neque nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsi obiiciamus. Recogitemus (8) eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de episcopatus vigore, et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate; nec christiani ultra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus. Fidentes (9) igitur non in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, alti, excelsi, humanas res despicientes, Dominum inclamemus: spes (10) mea tu in die afflictionis: nec unquam animis, aut corporibus defatigemur: Dei enim (11) adiutores sumus: Dominus autem Iesus nobiscum est (12) omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Itaque nullis scandalis, nullis persecutionibus infirmemur, ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam valida sunt adiutoria, quam vera promissa.

Epistolae conclusio.

§ 19. Denique, quoniam in aeterno examine pro omnibus, et prae omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri sumus; vos obtestamur, venerabiles fratres, et obsecramus, ut si quae scandala et dissensiones oriantur, quibus sedandis impares sitis, ad hanc beatissimi Apostolorum principis Sedem, tamquam ad caput et episcopatus apicem referatis, unde ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. Hinc, veluti de natali suo fonte aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptae dimanant, Ecclesiae omnes sumant quid praecipere, quos abluere, quos veluti in coeno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda derivet. Nos quidem Dei primum virtute nixi, deinde B. Petri tutela confisi, cuius cura omnes habet praesentes, consilio, ope, auctoritate vos iuvabimus. Parati sumus ipsi pro vobis (13) impendere et superimpendi, ut incolumes Ecclesias, incolumes fratres tueamur. Caeterum sub ipsa suscepti oneris mole (14)

S. Petri Sedes, caput et apex episcopatus, unde episcopalis omnis emersit auctoritas.

(1) Tit. II. 7.
(2) Ibid. v. 5.
(3) Psal. LXXVI. 5.
(4) Ephes. IV. 12.
(5) Michaeae III. 8.
(6) Isaiae LVI. 10.
(7) Ezech. XXXIV. 8.
(8) Hebrae. XII. 3.
(9) II. Cor. I. 9.
(10) Ierem. XVII. 17.
(11) I. Cor. III. 9.
(12) Matth. XXVIII. 20.
(13) II. Cor. XII. 15.
(14) I. Thessal. II. 2.

fiduciam habuimus Deo, qui, cum nobis oneris sit auctor, nobis fiet etiam adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmitas, dabit virtutem qui contulit dignitatem. Interea misericordissimam Dei nostri clementiam supplices obsecrate, ut in diebus nostris expugnet impugnantes nos; muniat fidem vestram; multiplicet devotionem; augeat pacem; meque servulum suum, quem ad ostendendas divitias gratiae suae gubernaculis Ecclesiae voluit praesidere, sufficientem tanto operi, et utilem vestrae defensioni dignetur efficere, et ad hoc tempora nostrae servitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus aetati. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum; quibus benedicimus; vosque salutamus in osculo sancto: omnibusque itidem consacerdotibus vestris, caeterisque ecclesiarum vestrarum fidelibus apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, postridie id. sept. anno MDCCLVIII., pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmatio quarumdam resolutionum sacrae Congregationis Concilii, circa episcopalia iura erga regulares, in dioecesi Olomucen. illarumque extensio ad dioeceses Colonien., Monasterien., Hildesimen., Paderbonen. et Osnabrucen (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Inter multiplices easque gravissimas iniuncti nobis, licet immerentibus, apostolici ministerii curas illam potissimum recensemus, ut quae iam recte sapienterque sacrorum canonum decretis, et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, aliisque ecclesiasticis legibus statuta noscuntur a temporum hominumque iniuriis oblivionis nempe aut affectatae ignorationis, seu pravae interpretationis et inobservantiae labe vindicemus, vel ipsismet veteribus legibus, et constitutionibus opportune renovatis, confirmatis, assertis, vel novis decretis, quae in huius Romanae Curiae Tribunalibus ad peculiarem quidem causarum opportunitatem edita, sed ad generales canonici iuris regulas exacta cognoscimus, apostolicae approbationis et confirmationis nostrae robore communitis, iisdemque latius promulgatis atque prolatis, prout ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem in Domino iudicamus salubriter expedire.

Preces porrectae.

§ 2. Sane ex parte venerabilis fratris nostri Clementis Augusti Archiepiscopi Coloniensis, et S. R. I. Principis electoris expositum nobis fuit tum in ipsa Colonien. Dioecesi, tum in aliis videlicet Monasterien., Hildesimen., Paderbonen. et Osnabrucen. episcopatibus, quorum ipse regimen et administrationem ex concessione et dispensatione apostolicis obtinet, nonnullos paulatim succrescere abusus ecclesiasticae disciplinae, suaeque ordinariae auctoritati valde perniciosos, atque iis plane similes, quos paucis ante annis bo: mem. Ferdinandus Iulius, S. R. E. presbyter Cardinalis de Troyer nuncupatus et Olomucen. dum viveret Ecclesiae Praesul ad Sedem Apostolicam detulit in dicta sua Olomucen. dioecesi vigere quibusque submovendis et funditus eradicandis optimum susceperit consilium recurrendi ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ab eadem Apostolica Sede specialiter deputatorum, et causa apud eam introducta adversus regulares praesertim S. Benedicti, ac Cisterciensis et Praemonstratensis ordinum seu Congregationum Abbates et Monachos, seu canonicos regulares in dicta sua dioecesi existentes, sexdecim distincta capita seu dubia, controversias omnes cum dictis regularibus vertentes complectentia eidem Congregationi discutienda, et ad iuris normam definienda proposuit.

S. Congregatio Cardinalium Conc. Tri-

§ 3. Quae quidem dubia semel, iterumque primo videlicet die VII. iunii a. MDCCLV.

---

(1) Pluries Summi Pontifices de restauranda ecclesiastica disciplina fuere solliciti, qua de re, coeteris missis, videndae sunt Const. Innocentii XII. edit. MDCXCVII. aug. IV., § 8, pro confirmatione Congregationis super disciplina regulari; altera Innocentii XIII. edit. MDCCXXIII., maii XIII., pro restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum, et tertia Benedicti XIII. edit. MDCCXXIV., septemb. XXIII., § 1, praecedentis confirmatoria; in hac vero eadem materia, quoad dioecesim Olomucen., adest Const. Benedicti XIV. *Ad solium iustitiae*, edit. MDCCLV., oct. XIX., quam invenire nondum valuimus.

Dentini interpretum responsa dedit dubiis propositis ab Olomucensis Ecclesiae praesule.

deinde vero die II. augusti eiusdem anni in praefata congregatione urgentibus perspicuis sacrorum canonum, et apostolicarum constitutionum sanctionibus semel et iterum favore praedicti Ferdinandi Iulii Cardinalis et praesulis resoluta fuerunt ut patet ex subiecto eorumdem dubiorum, et consequentium decretorum tenore, qui talis est nimirum Olomucen. Iurisdictionis. Usque ab anno MDCLXV. Episcopus Olomucensis sacram hanc Congregationem consuluit pluribus propositis dubiis, quae respiciebant iurisdictionem suam in monasteria sanctimonialium regularibus ordinibus subiecta ad intellectum cognitissimae constitutionis Gregorianae cuius initium est, ***Inscrutabili.*** Respondit sacrum hoc tribunal, dubiaque proposita definivit, sed nondum exequi potuerunt.

Enunciantur qui inter Ordines Regulares sese opponant Episcopi iurisdictioni in Moravia.

§ 4. Praecipui, qui inter ordines regulares sese opponant Episcopi iurisdictioni in Moravia, Benedictini sunt Cistercienses et Premonstratenses. Multa sunt quae ipsi praesidio exemptionum hactenus gesserunt ad declinandam visitationem episcopalem in parochiis, quae vel unitae sunt eorum monasteriis vel eorum iurispatronatus sunt, et iurisdictionem episcopalem in monasteriis sanctimonalium, quorum ipsi curam et regimen habent. Haec ferre non valens eminentissimus dominus Cardinalis de Troyer Episcopus Olomucen. ductus eo, quo praestat, zelo servandi sacrorum canonum et constitutionum pontificiarum dispositionem, atque ecclesiasticam disciplinam narravit omnia in visitatione sacrorum Liminum, ita ut necesse fuerit etiam auctoritate Sanctissimi Domini nostri plura adhibere remedia, quibus in ordinem redigeretur regularium illorum adversus episcopalem iurisdictionem licentia. Res tandem delata fuit ad iudicium eminentissimorum patrum; longum esset singula, quae regulares sibi debita esse contendunt, capita referre; poterunt eminentissimi patres illico ea assequi lectione XVI. dubiorum quibus causa omnis collecta fuit quaeque hic subiicimus nullo negocio expedienda, cum fere omnia pluries sint in aliis causis definita, vel in ipsa littera apostolicarum constitutionum reperiantur expedita. Facta etiam plurima, quae his dubiis disputandis causam dederunt, quaeque si referrentur, folium in volumen excresceret, legent in libello em. Episcopi. Cautum quoque fuit decreto ea dubia non esse disputanda, quae sive ab uno, sive ab altero

Libellum Episcopi Olomuc. causa enarrat quae essent corrigenda.

eorumdem ordinum regularium legitime in actis acceptarentur ut fieri velle assertum fuit; quia vero nondum id factum esse scimus, ideo omnia dubia subiicimus; a regularibus nihil habuimus.

Enucleantur dubia proposita.

Primum dubium.

§ 5. Primum, « An parochi regulares cuiuscumque ordinis illi sint, et praesertim Premonstratenses, Cistercienses et Benedictini exercentes curam animarum personarum saecularium, et non commensalium in parochiis in dioecesi Olomucen. licet illae monasteriis exemptis sint unitae et annexae, sive sint de iure patronatus, etiamsi cura animarum residere dicatur in abbatibus, visitationem Episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent ad curam animarum sive Episcopus visitet per se, sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum, et quatenus affirmative ». Secundum, « An dicti parochi procurationem solvere teneantur; vocati ad synodum accedere sint cogendi, festa dioecesis populo annunciare et celebrare etc., pariter Chrisma et olea sacra ab Episcopo dioecesano accipere teneantur ». Tertium, « An parochi regulares etiamsi sint abbates, possint a superioribus regularibus ad curam animarum destinari, illamque exercere sine approbatione Episcopi ». Quartum, « An regulares dari in coadiutores dictorum parochorum possint a superioribus regularibus sine expressa licentia Episcopi, sive potius sit in potestate Episcopi in approbatione confessariorum regularium limitare eorumdem facultates, non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas, et loca in quibus debeant confessiones audire ». Quintum, « An liceat sive abbatibus, sive parochis regularibus praesertim Cisterciensibus pro libitu, et sine licentia Episcopi, pro parochiis modo unam, modo alteram ecclesiam, sive cappellam, in qua sacramenta a parochis administrantur fidelibus dioecesis Olomucen. constituere ». Sextum, « An praelati regulares, ubi habent purum iuspatronatus parochiarum acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, teneantur Episcopo praesentare sacerdotes saeculares ut antea laici tenebantur, an vero possint substituere monachos, eosque pro libitu, non salutato Episcopo, removere ». Septimum, « An ad Episcopum spectet cura clausurae monasteriorum monialium regularibus, et praesertim Cisterciensibus et Benedictinis subiectarum, eamdem clausuram demandare servandam ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, et quatenus af-

Secundum dubium.

Tertium dubium.

Quartum dubium.

Quintum dubium.

Sextum dubium.

Septimum dubium.

Octavum dubium. firmative ». Octavum, « An competat Episcopo praelatis regularibus praesertim Cisterciensibus et Benedictinis prohibere ne pluries in anno occasione visitationis ingrediantur septa monasterii monialium sibi subiecti sine praesentia eiusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae ».

Nonum dubium. Nonum, « An possit Episcopus inhibere regularibus praesertim Cisterciensibus et Benedictinis ut sine examine Ordinarii puellas ad habitum et professionem admittant et praecise ne ad electionem abbatissarum exemptarum deveniatur, non significato Ordinario die electionis, cui Episcopus sive per se, sive per alium interesse, et praesidere possit ».

Decimum dubium. Decimum, « An competat Episcopo rationes exigere ab administratoribus bonorum temporalium dictorum monasteriorum exemptorum monialium, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere ne dotes alienentur sine indulto pontificio et Episcopi licentia ».

Undecimum dubium. Undecimum, « An confessarii ad Episcopo approbati ad audiendas confessiones fidelium utriusque sexus, possint sine speciali approbatione Episcopi in confessarios monialium exemptarum a superioribus regularibus destinari, et quatenus negative ».

Duodecimum dubium. Duodecimum, « An saltem dicti confessarii regulares pro audiendis confessionibus unius monasterii monialium exemptarum, vel pro una vice approbati censeri debeant approbati semper, et pro omnibus monasteriis monialium ».

Decimum tertium dubium. Decimum tertium, « An regulares teneantur pro obtinenda facultate audiendi confessiones sive saecularium, sive monialium se personaliter coram Episcopo praesentare, sive potius sufficiat a superioribus de sufficientia et idoneitate testimonium transmitti ».

Decimum quartum dubium. Decimum quartum, « An praelati, et abbates regulares possint sine speciali indulto calices, campanas, aliaque vasa sacra, in quibus intervenit sacra unctio, benedicere pro usu alienarum ecclesiarum ».

Decimum quintum dubium. Decimum quintum, « An dicti abbates, et praelati teneantur servare decretum ab Alexandro VII. editum circa usum restrictum pontificalium praelatis inferioribus concessum ».

Decimum sextum dubium. Decimum sextum, « An liceat regularibus Eucharistiam in propriis ecclesiis exponere sine licentia Ordinarii, liceatque pariter regularibus, et praesertim Benedictinis et Cisterciensibus, in propriis ecclesiis insolitam Imaginem, aut sacram Reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere, et tandem in eisdem ecclesiis praedicare, non petita ab Ordinario benedictione, aut in aliis ecclesiis sine Ordinarii licentia ».

Resolutiones emissae propositis dubiis a Sac. Congregatione. § 6. Die VII. iunii MDCCLV. Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum: Ad primum et secundum respondit: « affirmative ». Ad tertium, « negative ». Ad quartum, « negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Ad quintum, « negative ». Ad sextum, « affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Ad septimum, octavum, nonum, decimum, « affirmative ». Ad undecimum, « negative ». Ad duodecimum, decimum quartum, decimum sextum, « negative ». Ad decimum tertium, « affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Ad decimum quintum, « affirmative ». Reproposita vero causa sub dubio, an sit standum vel recedendum a decisis in casu etc. die II. augusti MDCCLV. « eadem sacra Congregatio stetit in decisis » M. Cardinalis Millinus praefectus « T. A. Furiettus secretarius ».

Haec decreta confirmata fuerunt a Benedicto XIV. XIV. kal. oct. ann. MDCCLV. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, relata Congregationis Concilii decreta fuerint, subinde in forma specifica a s. m. praedecessore nostro Benedicto Papa XIV. confirmata per suas apostolicas litteras quarum initium est *Ad solium iustitiae* etc. datas XIV. kalendas octobris anno MDCCLV. pontificatus sui XVI., quae quidem litterae in praefata Olomucen. dioecesi solemniter publicatae, et debitae exequutioni demandatae fuerunt, ideoque ad eliminandos abusus in supradictis Colonien. Monasterien., Hildesimen., Paderbonen. et Osnabrucen. dioecesibus succrescentes, et ad ecclesiasticae disciplinae formam ibidem conservandam, aut restituendam, praecavendasque diuturniores controversias, quae inter Ordinarium et regulares frequenter oriri solent, valde opportunum foret si eadem decreta auctoritate nostra ad eas quoque dioeceses ampliarentur, ibique etiam inviolabiliter observanda publicarentur.

Eadem decreta exequutioni demandari postulatur in dioec. Colonien. Monasterien. Hildesimen. Paderbonen. et Osnabrucen.

Illa decreta a Bened. XIV. pro Olomucen. dioecesi approbata ampliantur ad dioeceses Colonien. Monasterien. Hildesimen. Paderbonen. et Osnabrucen. § 7. Idcirco praefatus Clemens Augustus Archiepiscopus, et princeps elector nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos itaque re serio ac mature perpensa, animadvertentes omnia in superius relatis decretis contenta utpote sacrorum Canonum et Tridentini potissimum Concilii sanctionibus conformia, saepe etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus inculcata fuis-

se; proindeque aequissimum reputantes providis huiusmodi legibus iterato confirmatis et promulgatis nova adversus gliscentes abusus apostolicae providentiae praesidia obiicere, praedicti venerabilis fratris nostri Clementis Augusti et principis electoris precibus annuentes, excripta superius Congregationis Concilii decreta pro Olomucen. dioecesi emanata, et pro eadem a praefato Benedicto praedecessore approbata et confirmata, ex certa scientia et apostolica auctoritate nostra iterum approbamus, et ad Coloniensem, Monasteriensem, Hildesimensem, Paderbonensem et Osnabrucensem dioeceses extendimus et ampliamus; ita ut decreta huiusmodi, in recensitis dioecesibus, eam plane vim, auctoritatem et exequutionem habeant et obtineant, quam haberent et obtinerent, si pro iisdem dioecesibus nominatim a praefata Congregatione Concilii condita atque edita fuissent.

Contra iudicari prohibet.

§ 8. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, iudicari et definiri debere statuimus atque decernimus. Praesentes quoque litteras cum omnibus in iisdem contentis omnimoda firmitate validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque a regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti et Societatis in supradictis dioecesibus existentibus, aliisque ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Contraria removet.

§ 9. Non obstantibus quibusvis etiam apostolicis et in generalibus, provincialibus, aut synodalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, dictorumque Ordinum, Congregationum, Institutorum et Societatum privilegiis et indultis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus, quae olim praefata Tridentina Synodus ac praedecessores nostri Romani Pontifices adversus decreta super praemissis a se condita, et ad evitandam et retardandam eorum exequutionem nullatenus obstare voluerunt, quibusque nos etiam praesentium tenore, et ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent originaliter exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem superaddit.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostram approbationis, extensionis, ampliationis, statuti, decreti, voluntatis, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo. Tertio idus decembris, pontificatus nostri anno primo.

IV.

Confirmat decretum Ministri Generalis Ordinis Min. S. Francisci de Observantia nuncupat. pro restitutione ad privilegia et honores provinciae Bosnae Argentinae, licet per aliud decretum anni MDCCLVII. *praevia dismembratione quamplurimorum conventuum, in custodiam declarata fuerit* (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Pastoralis officii nostri divinitus commissi sollicitudo nos admonet, ut paternam religiosorum virorum, qui sese sub suavis arctioris vitae iugo devoverunt, curam gerentes, ea quae tollendis animorum dissidiis stabiliendaque inter eos fraterna concordia provide constituta esse noscuntur, quo firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio roboremur.

Causae huius brevis.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Philippus de Ochievia, frater expresse professus ac ex-Minister provincialis, nec non procurator specialiter deputatus fratrum ac missionariorum Bosnae

---

(1) De dismembratione provinciae Bosnae Argentinae, illiusque divisione in custodias, adsunt litterae in forma brevis Benedicti XIV. die XV. iunii MDCCLIV., quae hic revocantur, quas non invenimus.

Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ipse a dilecto filio Clemente a Panormo ministro generali eiusdem ordinis decretum obtinuerit super restitutione custodiae Sanctae Crucis Bosnae Argentinae in provincia tenoris sequentis, videlicet « Decretum: Post diutinas, saepiusque repetitas, tum apud generales ordinis superiores, etiam in generalibus Vallisoletano anni MDCCXL., ac Marciano anni MDCCLVI. capitulis, tum apud Sanctam Sedem instantias ex parte patrum, fratrum, ac missionariorum Observantium Bosnae Argentinae pro divisione conventuum residentiarum ac paroeciarum in ipsa Bosna Argentina sub Othomanico Dominio existentium, ab aliis conventibus, residentiis et paroeciis, existentibus in partibus fidelium Sclavoniae, Sirmii et Hungariae, cum quibus unicam eamdemque provinciam adhuc constituebant Bosnae Argentinae observantium nuncupatam: prodiit tandem decretum nostrum sub die v. iunii anni proxime praeteriti MDCCLVII. in quo, non reluctantibus ipsis Sclavoniae, Sirmii et Hungariae patribus ac fratribus, imo vero assentientibus, expetitam tamdiu perfecimus divisionem, memoratamque provinciam Bosnae Argentinae in duas partes ita distribuimus, ut ex conventibus, residentiis, ac paroeciis, in partibus fidelium Sclavoniae etc. etc. constitutis, utpote in numero copiosioribus, novam erexerimus provinciam, Sancti Ioannis a Capistrano in posterum nuncupandam; ex aliis autem existentibus, sicuti praedictum est, in Bosna, sub Dominio Othomanico, ob exiguum trium tantum conventuum numerum, simplicem custodiam instituerimus, appellandam tamen et pariter nuncupandam Sanctae Crucis Bosnae Argentinae, prout latius continetur in eodem nostro divisionis decreto; quod etiam fel. rec. Benedict. XIV. in forma specifica approbavit et confirmavit per apostolicas litteras in forma Brevis, incipientes *Ad regularis disciplinae observantiam,* sub datam xv. iunii MDCCLVII. Sed vix huius decreti nostri notitia ad ipsos Bosnenses fratres pervenit, quod frequentissimis per litteras interpellationibus (misso etiam ad hanc almam Urbem R. P. F. Philippo ab Ochievia antiquo totius ante divisionem provinciae ex-ministro, tamquam procuratore, et ex parte ipsorum delegato) ad nos provocarunt, instantissime supplicantes, ne antiquissimam Bosnae Argentinae provinciam, et ex qua quamplures aliae per Pannoniam ac Illiricum uti ex matre filiae procreatae sunt, nunc tandem sub Turcico Imperio gementem, ob exiguum conventuum numerum, in nudam meramque custodiam redactam antiquis, quibus antea gaudebat in ordine, praerogativis, honoribus ac praeeminentiis expoliari pateremur. Illud quoque in suis precibus addentes, quod etsi apud ipsos tres tantum formales conventus existant, tamen sex residentias, quae propter copiosum fratrum numerum, ibidem inhabitantium, in conventus formales erigi possent, nisi grave nimis atque intollerabile Othomano Principi foret tributum impendendum. Possident quoque triginta paroecias per universum Bosnae regnum ducatumque Sancti Sabbae diffusas, ubi ad quinquaginta millia vere fidelium et orthodoxorum hominum multitudo reperitur, quibus omnibus ipsi tanquam soli ecclesiastici viri in iisdem regno ac ducatu existentes, magnis incommodis, gravissimisque vitae periculis inservientes, numerum constituunt fratrum centum circiter et quinquaginta, qui sane numerus in pluribus transmarinis provinciis desideratur quamvis in partibus fidelium constitutis.

Decretum edit. a Clemente a Panormo super custodiae S. Crucis Bosnae Argentinae in provincia.

Provincia Bosnae Argentinae in duas partes distributa per idem decretum.

Benedictus XIV. die xv. iunii MDCCLVII. idem decretum confirmavit.

Fratres Bosnenses ab hoc decreto provocarunt.

Nos itaque, iis stantibus, ad memoratum decretum nostrum, apostolicis litteris, ut supra confirmatum ex una parte attendente, ex alia vero considerantes rationum momenta per ipsos fratres Bosnenses producta, postquam diu multumque deliberando haesitavimus, dilatatis tandem paternae caritatis visceribus, ad pedes Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Clementis PP. XIII. per supplicem libellum a nobis nostroque nomine porrectum, eorum postulationes humiliter demisimus. Sanctitas vero Sua speciali apostolico rescripto, de die XXI. octob. MDCCLVIII. nobis instantiam remittere dignata est in hunc modum « Sanctitas Sua benigne remisit instantiam, de qua in precibus, eidem ministro generali oratori cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut, attentis expositis, pro suo arbitrio et prudentia custodiam Sanctae Crucis Bosnae Argentinae nuncupatam in provinciam erigat, constitutionibus ordinis, litteris in forma Brevis Benedicti XIV. sub dat. xv. iunii MDCCLVII. aliisque quibuscumque in contrarium non obstantibus – C. Card. Rezzonico ».

Minister generalis remisit hos recursus ad S. Sedem.

Rescriptum diei XXI. octob. MDCCLVIII. quo Pontifex eidem ministro generali facultates omnes impertitus est pro erectione custodiae S. Crucis Bosnae Argentinae in provincia.

Hinc est, quod honestis fratrum nostrorum desideriis, quantum in Domino

Custodia S. Crucis Bosnae Argentinae in

provinciam restituitur cum omnibus antiquis privilegiis.

possumus annuere volentes, respicientes etiam ad solatium missionariorum aliorumque fratrum Bosnensium, sub gravi tyrannicae servitutis iugo, Catholicae Ecclesiae iugiter inservientium, utque favoribus nostris excitati ad laborandum in Vinea Domini Sabaoth magis magisque accendantur; nos apostolica, quam praemisimus, auctoritate fulti, institutam nuper per decretum nostrum anni praeteriti MDCCLVII. Sanctae Crucis Bosnae Argentinae observantium custodiam in provinciam restituimus, erigimus et deputamus, ac in provinciam restitutam, erectam et deputatam praesentium nostrarum virtute decernimus et declaramus, cum omnibus privilegiis, honoribus et praeeminentiis, quibus ante divisionem et in custodiae restrictionem de iure aut consuetudine, aut quomodocumque alias uti, frui et gaudere solebat, ac si in hac parte illud anni MDCCLVII. decretum nostrum nunquam editum, emanatum, ac promulgatum fuisset, firmis tamen et in suo robore permanentibus aliis omnibus, quae in eodem decreto, quoad conventus, residentias, paroecias, per partes Sclavoniae, Sirmii et Hungariae diffusas, in novam provinciam S. Ioannis a Capistrano nuncupandam decrevimus, constituimus, ac declaramus.

Nonnullae praescriptiones pro bono et regulari regimine eiusdem provinciae.

Et ne ex hac nostra dispositione dissentio aliqua ullatenus oriatur, tum Bosnenses inter ac fratres provinciae S. Ioannis a Capistrano super praecedentiae competentia, tum inter fratres ipsos Bosnenses, occasione primae electionis apud eos faciendae Ministri Provincialis, custodis, et quatuor diffinitorum; volumus, ac pari auctoritate decernimus, quod sicuti restitutae nunc provinciae Bosnae Argentinae, ille honoris ac praeeminentiae locus convenit, quem ante praefatam divisionem possidebat, ad quem effectum antiquum sigillum, cum veteri epigraphe, nempe « Sigillum Provinciae Argentinae Bosnae », Ministro Provinciali Bosnensi ex nunc restituimus, concedimus et attribuimus; sic provincia Sancti Ioannis veluti filia huic tamquam matri, locum et praecedentiam cedere debeat. Item generalibus ordinis constitutionibus inhaerentes, et electionem ministri provincialis, ac diffinitorii provinciae modo, ut praefertur, Bosnae Argentinae ad nos pro hac prima vice reservantes eligimus in Pro-

Electio novorum officialium provinciae.

vincialem Ministrum R. P. F. Marcum Dobretich actualem custodem; in custodem P. F. Bonaventuram Benich ex-definitorem; in diffinitores PP. FF. Franciscum Bogdanovich, Thomam a Foinieza, Marianum Alinic et Ioannem Ivich, a quibus eadem provincia regi et gubernari debeat a die praesentium publicationis ibidem factae donec expleto triennio ad aliam electionem iuxta easdem ordinis constitutiones deveniendum erit. Praecipimus tandem omnibus patribus ac fratribus, caeterisque curae nostrae subiectis, illis praesertim utriusque provinciae tam Bosnae Argentinae, quam Sancti Ioannis a Capistrano, ut per Sanctam Obedientiam, et sub poenis contra inobedientes latis, iis nostris decreti, dispositionis ac institutionis litteris in omnibus et per omnia obtemperent et pareant, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum Romae ex Aracoeli die XXIV. novembris anni MDCCLVIII. F. Clemens de Panormo minister generalis et commissarius apostolicus etc. De Mandato Reverendissimi in Christo patris. Fr. Vincentius Scutaij ex diffinitoribus et secretarius generalis ordinis. » —

Iniunctio obedientiae sub sanctione poenali.

Preces porrectae pro confirmatione harum dispositionum a S. Sede obtinenda.

§ 3. Ipse vero Philippus, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri plurimum desideret. Nos igitur ipsum Philippum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus quoque eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum eiusdem Clementis Ministri Generalis decretum, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Absolutio a censuris.

Approbatio et confirmatio decreti Ministri Generalis.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac fratribus praedictis plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam

Decretum irritans.

causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac provinciae et ordinis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectuum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. decembris MDCCLVIII. pontificatus nostri anno I.

V.

Praescribit modum eligendi tum abbatem generalem, tum procuratorem generalem Ordinis Monachorum Sancti Basilii Magni.

CLEMENS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis munere in eam curam sollicitis studiis intendimus, ut Christi fideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo famulantes, sublatis quibusvis impedimentis, in quietis et pacis amenitate vota sua Domino reddant, ac felicioribus in dies proficiant incrementis.

Causae huius brevis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Alexander Aguado, abbas generalis Ordinis Monachorum Sancti Basilii Magni, quod, cum alias, nempe a. MDCCXLV. in dieta generali eiusdem Ordinis, postquam fel. recor. Benedictus PP. XIV. praedecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die VII. februarii MDCCXLIV. incipientes *Romanus Pontifex* expeditas litteras quamdam alternativam inter provincias dicti ordinis in electione tam abbatis generalis, quam procuratoris generalis et assistentium aliorumque officialium maiorum observandam praescripserat, propositum fuisset dubium: « Quinam succedere debeat in locum abbatis generalis defuncti, sive ex quacumque causa generalatus vacaverit, et quinam in locum assistentis generalis aut procuratoris generalis, si pariter quacumque causa praedicta officia vacaverint? », eadem dieta generalis suam ediderit resolutionem, videlicet: « Si officium generalis vacaverit ante triennium, tunc eo ipso assistens generalis assumet gubernium religionis, et procurator generalis infra spatium trium mensium convocet dietam generalem celebrandam in ea provincia, in qua vacaverit generalatus, et ipsa dieta, cui ipse procurator praesideat, eligat in vicarium generalem aliquem ex abbatibus, sive praesentibus sive absentibus, eiusdem provinciae ad complendum sexennium; quod si dieta fuerit in voto eligendi in Vicarium generalem ipsum assistentem, tunc eligat in assistentem alium ex abbatibus eiusdem provinciae pariter ad complendum sexennium. Si vero officium generalis vacaverit per triennium, tunc visitator illiusmet provinciae, ex qua fuerit antecessor, aut visitator antiquior secundum professionem, si fuerit in provinciis unitis, succedat in locum generalis, et habeat eamdem auctoritatem ac habuerit antecessor, et primus definitor gerat vices visitatoris provinciae, donec provideatur de idoneo visitatore ab abbate generali. Quando vacaverint officia assistentis et procuratoris generalis, tunc definitorium illius provinciae, cuius est officium vacans, praesentet infra duos menses tres abbates magis idoneos patri abbati generali, qui unum ex illis tribus, vel unum ex definitorio, in assistentem vel procuratorem generalem teneatur eligere. Caetera officia aut praelaturas, si vacaverint, provideat abbas generalis cum voto suorum assistentium ».

Dubia proposita dietae generali Ordinis super electionibus officialium maiorum Ordinis.

Resolutiones dietae generalis.

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium generalis dietae resolutiones moderavit.

§ 2. Quae quidem resolutio dietae generalis huiusmodi postmodum, nempe die XXI. ianuarii MDCCLVII., cum orta esset lis, et cognitio causae ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Car-

dinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum delata, eiusmodi Cardinalium Congregatio dieti generalis resolutionem moderavit, decrevitque ut sequitur: « Esse reformandum ad mentem Cap. X. constitutionum, et succedat actualis visitator illiusmet provinciae abbatis generalis defuncti usque ad sequens capitulum generale, ita tamen, ut dictus visitator actualis, gubernio religionis et potestate abbatis generalis potitus, statim eligat alium visitatorem eiusdem provinciae duraturum usque ad proximum capitulum provinciale. Quando vero vacaverint officia assistentis, aut procuratoris generalis, tunc definitorium illius provinciae, cuius est officium vacans, et, si fuerit in provinciis unitis, utrumque definitorium praesentet intra duos menses tres abbates magis idoneos patri abbati generali, qui unum ex illis tribus, vel unum ex definitorio in assistentem, vel procuratorem generalem teneatur eligere. Et quoad officia aut praelaturas, si vacaverint, provideat abbas generalis ad formam Cap. XIV. Constitutionum ».

Nova orta dissidia super electionum alternativa. Benedicti XIV. breve diei XIII. maii MDCCLVII. eliminavit.

§ 3. Ac insuper antequam capitulum generale ipsius ordinis ultimo loco in alma Urbe nostra habitum, cuius idem Benedictus praedecessor per alias suas in pari forma Brevis expeditas litteras dilectum filium nostrum Prosperum S. R. E. Diaconum Cardinalem Columna de Sciarra nuncupatum, eiusdem ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem in praesidentem deputaverat, celebraretur, nonnulla orta essent dubia et difficultates ac dissensiones inter vocales, tam quoad modum eligendi abbatem generalem, quam quoad alia ad regimen et gubernium dicti ordinis spectantia, ex varia diversaque primodictarum litterarum super alternativa in electione superiorum generalium observanda editarum interpretatione, ob partium studia, ac propter commodum utilitatemque suarum respective provinciarum facta, eisdemque ortis dubiis, difficultatibusque, et dissensionibus, idem Benedictus praedecessor per suum die XXIII. maii dicti anni MDCCLVII. editum rescriptum finem imponi mandavit, committendo eidem Prospero Cardinali et protectori, praeviis facultatibus necessariis et opportunis attributis, facultatem condendi, auditis partibus, opportuna decreta atque statuta per praefatum Benedictum praedecessorem deinceps approbanda et confirmanda: vigore autem dicti rescripti idem Prosper Cardinalis et protector in generali ipsius ordinis dieta proponi facere curavit suborta dubia et difficultates, ac alia, quae ex memoratis litteris super dicta alternativa editis, ac minime expressa et declarata, in posterum oriri possent, ut dubia et dissensiones partiumque studia dirimerentur, et omnia in pace et quiete fierent, ipsaque generalis dieta tres memorati ordinis graviores professores una cum ipso Alexandro abbate generali deputavit, qui, perpensis prius dubiis omnibusque ortis difficultatibus, suos sensus, unanimi consensu, in scriptis eidem Prospero Cardinali et protectori, pro bono dicti ordinis regimine, ad dirimenda penitusque evellenda nova dissidia, dissensiones, et partium studia exhibuerunt; dictusque Prosper Cardinalis et protector, utendo facultatibus sive vigore memorati eiusdem Benedicti praedecessoris rescripti sibi attributis atque demandatis, quaedam condita decreta edidit tenoris sequentis, videlicet:

Decreta lata a Cardinali protectore Ordinis, et praesidente a SSmo deputato quae dubia universa dirimuntur.

« Primo. Officium Consultoris Generalis in dicta religione temere invectum, atque tam a capitulo generali anni MDCCXLV. quam a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium certis praescriptis legibus regulatum, ex voto supradictorum patrum deputatorum, atque ex praeterita experientia, omnino cassamus, supprimimus, atque annullamus; firmo tamen remanente usque ad sequens capitulum generale consultore generali a postremo capitulo generali canonice electo. Possit tamen, si ita pro bono religionis expediens videbitur, proxima dieta praedictum consultorem generalem ab officio removere, dummodo eidem aliud officium generalitium ad complendum sexennium conferat. - Secundo. In electione abbatis generalis Hispani iuxta alternativae turnum, ob notoriam dictarum provinciarum paupertatem, ordo a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium ita servetur, ut Hispaniarum provinciae, sive provincia, quae suos tres vocales ad capitulum generale non transmittent, iure vocis passivae ad generalatum, atque alia officia pro ea vice cadant, atque illud et illa ad aliam provinciam sive provincias obedientes devolvantur. Vocales autem ex provinciis Hispaniarum in earum turno saltem erunt respectivi provinciales, aliique duo a definitoriis cuiuscumque provinciae canonice electi, qui tamen teneantur ad capitulum secum ferre elenchum a respectivis definitoriis iuratum omnium religiosorum ad

generalatum idoneorum, ut in casu non interventus novem vocalium possit cum apostolica dispensatione, si ita Sanctissimo videbitur, etiam quilibet absens a capitulo in generalem eligi. Si vero tres vocales Hispani in capitulo generali praesentes non erunt, pro ea vice provinciae Hispanae cadant iure alternativae ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. - Tertio. Praevia derogatione Capit. XXXII. primae partis constitutionum Hispaniarum, Vicarii generalis officium in Hispania omnino supprimimus, illudque in Italia nullo unquam tempore introducendum volumus, atque mandamus. - Quarto. Pro manutentione abbatis generalis pro tempore cuiuscumque nationis omnes et singuli fructus abbatiae de Rosarno a Sancta Sede assignati absque ulla diminutione cedant; ad substinendas autem alias impensas ad officium necessarias, quemadmodum etiam ad manutentionem officialium generalium, pecuniarum summam, quam Taxas vocant, modernus abbas generalis in generali visitatione ab ipso peragenda pacifice statuat atque decernat. - Quinto. Inhaerendo dictarum generalium decretis et constanti religionis praxi, mandamus atque statuimus, quod, quemadmodum secretarius generalis Italiae, absoluto triennali eius officio, ad abbatiam promovetur, ita secretarius generalis Hispanus in turno ad Hispanicas provincias pertinente, quoties per triennium praedictum officium laudabiliter expleverit et actu fuerit lector Theologiae, vel iubilatus, obtineat absque alio experimento gradum magisterii ad titulum cathedrae in ordine ad gaudendum omnibus gratiis, loco sedendi, et privilegiis, magistris de numero, iuxta peculiares Hispaniarum Constitutiones, competentibus; ita tamen, ut, absque antiquioris praeiudicio, suis loco et tempore, in magistrorum de numero ordinem atque numerum cooptetur. Romae hac die XXV. novembris MDCCLVIII. P. Cardinalis Columna de Sciarra. »

Preces Pontifici porrectae pro confirmatione resolutionum S. Congregationis Episcoporum et Regular., nec non Emi Cardinalis protectoris, et dictae generalis praesidentes.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Alexander abbas generalis praemissa omnia, nempe tam resolutionem et moderationem dictae Congregationis Cardinalium ad resolutionem dictae factam, quam decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos piis eiusdem Alexandri abbatis generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumdemque Alexandrum abbatem generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinserta memoratae Cardinalium Congregationis, nec non alia a praefato Prospero Cardinali et protectore condita decreta, ac omnia et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris, quam facti, etiam substantiales defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, quibusvis constitutionibus dicti ordinis, auctoritate apostolica etiam confirmatis, in contrarium disponentibus non obstantibus, quibus cautum forsan est et reperitur, quod nova decreta contra illarum dispositionem non condantur, nisi particularis mentio de illis et illorum tenore facta fuerit, quibus omnibus per praesentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter derogamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium quoad resolutionem a dicta Congregatione Cardinalium editam circa vacationem officiorum tam abbatis generalis, quam assistentis, et procuratoris generalium.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§ 6. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis et illius provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 8. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, seu sumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die X. ianuarii MDCCLIX., pontificatus nostri anno I.

VI.

Patriarchae Babylonensi Chaldaeorum pallium concedit, eique tradendum iubet ab aliquo ex Episcopis catholicis illarum partium, praestito prius fidelitatis iuramento iuxta formulam quam adnectit, cuius iuramenti documentum authenticum Romam per nuncium mitti debeat.

Venerabili fratri Timotheo, nuper Archiepiscopo Diarbekirensi, in Patriarcham Babylonensen electo,

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos nuper Ecclesiae patriarchali Babylonen. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de personâ tuâ, nobis et venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de fratrum eorumdem consilio duxerimus apostolicâ auctoritate providendum, praeficiendo te illi in Patriarcham et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae patriarchalis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur: ac postmodum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tuâ fuerit a nobis per dilectum filium Carolum Alexium Pisani aulae nostrae consistorialis advocatum cum eâ qua decuit instantiâ postulatum; nos, tuis supplicationibus annuentes, pallium ipsum de corpore B. Petri Apostoli sumptum, per venn. fratres nostros Episcopos in illis partibus degentes tibi assignandum, per dilectum etiam filium Ildephonsum a S. Carolo presbyterum Ordinis Clericorum Regularium Scholarum Piarum nuncupatum, modernum Collegii de Propagandâ Fide nuncupati de Urbe rectorem, duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel alter eorum illud tibi sub formâ infrascriptâ assignent vel assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub aliâ etiam praesentibus insertâ formâ fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum. Tu autem eodem pallio intra dictam Ecclesiam patriarchalem tuam illis diebus dumtaxat uteris, qui expressi in eiusdem patriarchalis Ecclesiae privilegiis continentur.

§ 2. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat praemia et munera largitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem Ecclesiam sponsam tuam cures solicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Quocirca praedictis Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignari, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliquâ formâ fidelitatis debitae, solitum recipiant seu recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius destinare procurent seu procuret. Forma autem, qua Episcopi praedicti in assignando Tibi Pallio utentur, haec est:

Ad honorem omnipotentis Dei, ac S. M. Virginis, et SS. Apostolorum Petri et

Pauli, et D. N. Domini Clementis Papae XIII., et S. R. E., nec non patriarchalis Ecclesiae Babylonensis tibi commissae, tradimus tibi Pallium de corpore S. Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut utaris eo infra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolicâ Sede concessis.

Forma vero iuramenti, quod praestabis, haec est:

Ego Timotheus, Archiepiscopus nuper Diarbekirensis, in Patriarcham Babylonensem electus, ab hac horâ in antea fidelis et obediens ero B. Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac D. N. Domino Clementi Papae XIII. eiusque successoribus, canonice intrantibus: non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur malâ captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia S. Petri, adiutor eis ero ad retinendum, et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonicâ praepeditione. Apostolorum limina singulis quadrienniis personaliter visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolicâ absolvar licentiâ: possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum, bonorum iurisdictionalium ad Ecclesias inferiores spectantium, de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam, servabo, sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

§ 3. Volumus autem, ut statim ac de petitione pallii huiusmodi absque tui mandato procurae factâ nuncium acceperis, eamdem ratam habere et nobis gratias agere, instrumentumque ratihabitionis huiusmodi ad Urbem quantocitius transmittere omnino tenearis, et interim Pallio praedicto non utaris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, nono kalendas aprilis, pontific. nostri anno II.

VII.

Confirmat erectionem universitatis studii in Civitate Leopoli a Regibus Poloniae facta sub directione Societatis Iesu, et huius privilegia constituit, quibus Craccoviensis Universitas praecedenter fruebatur (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Studium suum promovendi disciplinas ecclesiasticas significat.

§ 1. In supereminentis Ecclesiae solio, nullis licet nostris meritis, sed inscrutabili tantum divinae bonitatis consilio constituti, sollicitas animi nostri cogitationes in id omne intendimus, quod populorum utilitati, animarumque saluti, ac Reipublicae Christianae incolumitati noscimus profuturum. Quapropter cum litterarum et scientiarum studiis iuvenilis aetas ad veritatem agnoscendam, iustitiam colendam pietatemque sequendam informetur, indeque solertes dominicae vineae operarii, egregiique catholicae veritatis, et ecclesiasticae disciplinae assertores ac vindices instituantur, idcirco libenti animo apostolicae auctoritatis nostrae praesidium et favorem impendimus, ut huiusmodi studia ubilibet, quantum patitur rerum et locorum conditio, excitentur ac magis magisque augeantur.

Preces porrectae pro universitatis regio placito erectae confirmatione.

§ 2. Sane pro parte dilecti filii moderni rectoris collegii studiorum Societatis Iesu civitatis Leopolien. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamvis collegium praefatum, ob assiduum professorum dictae Societatis laborem iuxta laudabile ipsius Societatis institutum, et non vulgarem eorumdem in edocendis bonis artibus et scientiis peritiam, a iuvenibus illarum partium plurimum frequentetur, ac etiam carissimus in Christo filius noster Augustus Poloniae rex illustris concessiones et privilegia alias per cl. mem. Ioannem Casimi-

---

(1) Erecta fuit universitas in civitate Guatimala ab Innoc. XI. constit. edit. MDCLXXXVII., iulii XVIII., itemque altera in civitate S. Iacobi de Leon de Caracas Indiarum Occidentalium ab Innoc. XIII. constit. edit. MDCCXXII., augusti XIX.

rum dum viveret dicti regni regem eidem collegio elargita, confirmando et approbando, collegium ipsum regia sua auctoritate universitatis titulo et privilegiis omnibus, quibus universitas studiorum, seu Accademia Cracovien. simili regia concessione gaudet, ornaverit, et gaudere voluerit; nihilominus si idem collegium apostolica etiam auctoritate in publicam et generalem studiorum universitatem erigeretur, eique omnia et singula praedictae Cracovien. et aliis praesertim regni Poloniae universitatibus studiorum generalium concessa privilegia, ut infra, tribuerentur et concederentur, novum ipsi iuventuti ac nobilibus Polonis adderetur ad bonas artes excolendas et studia prosequenda incitamentum. Pro qua quidem erectione et concessione apostolica, indulto nostro perficienda, idem Augustus Rex datis ad nos litteris gravissimum regiae suae petitionis momentum adiecit. Quare pro parte dicti Rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicti collegii decori et ampliori celebritati consulere, nec non iuventuti illarum partium, ut, post sedulam operam studiis ipsis praestitam, debitas praerogativas et praemia ad Dei gloriam, et catholicae puraeque fidei, qua imbuti fuerint, propagationem et decus, assequi valeant, de apostolica benignitate providere dignaremur.

Leopolien. regia auctoritate erectam universitatem confirmat, illamque perpetuo praeposito generali Societatis Iesu submittit.

§ 3. Nos igitur satis perspectum habentes, praedictae societatis alumnos ex proprii instituti lege in id potissimum studiosos labores suos dirigere, ut cum scientiarum doctrina solidam pietatem discipulorum animis inserant, ac omnium utilium disciplinarum studia, simulque catholicae religionis prospera augmenta, quantum in nobis est, promovere cupientes, dictum modernum rectorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum Collegium Societatis Iesu in praedicta Leopolien. civitate iam erectum et institutum, regiisque privilegiis, ut praefertur, donatum, ubi scholae nunc habentur, seu forsan in posterum ampliori forma constituentur in publicam studii generalis universitatem, in qua dictae societatis alumni et professores grammaticam, rethoricam, philosophiam ac theologiam scholasticam, et moralem ac etiam dogmaticam et positivam, sacrosque Canones, ipsumque ius canonicum, nec non per lectores tamen seculares etiam ius civile, aliarumque scientiarum studia profiteantur, et iuvenes quoscumque doceant, apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium, sine tamen alicuius praeiudicio, in perpetuum erigimus et instituimus. Ipsumque collegium sic in publicam universitatem erectum et institutum curae, regimini, et administrationi dictae societatis, illiusque praepositi generalis pro tempore existentis, et pro eo rectoris ab ipso deputandi, eadem auctoritate etiam perpetuo subponimus et submittimus.

Confirmatae Leopolien. universitati privilegia, honores et praeeminentias tribuit, quibus Cracoviensis. caeteraeque universitates pollent.

§ 4. Ac eidem universitati sic erectae et institutae, illiusque moderno et pro tempore existenti rectori, nec non lectoribus, magistris, scholasticis, aliisque personis pro eius regimine et administratione pro tempore deputandis quibuslibet, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus, et praeeminentiis praedictae Cracovien. aliisque similibus publicis studiorum generalium universitatibus, illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, lectoribus, doctoribus, praeceptoribus, scholasticis, procuratoribus, bidellis, nunciis, officialibus, ministris et aliis personis in genere vel in specie quomodolibet concessis, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere.

Facultas promovendi ad baccalaureatum, licentiatum et doctoratum.

§ 5. Ac insuper praedicto moderno et pro tempore existenti rectori universitatis, ut praefertur, erectae huiusmodi per dilectum filium modernum, et pro tempore existentem praepositum generalem dictae societatis pro tempore deputando, ut quoscumque ad illam accedentes ac per debitum tempus ibidem studentes, si scientia et moribus idoneos esse repererit in omnibus facultatibus, quae in dicta universitate, ut praefertur, docentur et leguntur, ad Baccalaureatus etiam formati, licentiaturae, laureae, ac doctoratus, nec non magisterii et quoscumque alios solitos gradus, servata tamen in omnibus decretorum Viennen. et Tridentini conciliorum, iuxta alias laudabiles quarumlibet publicarum universitatum consuetudines, forma promovere. Illisque sic promotis, ut post promotionem huiusmodi solita insignia deferre ac ge-

stare, et facultates ad quas promoti fuerint docere et legere ac interpretari, in iisque disputare, nec non quoscumque actus gradui seu gradibus per eos receptis, convenientes, ac alias omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis, et indultis, quibus alii in caeteris universitatibus iuxta illarum ritus et mores ad gradus ipsos promoti de iure vel consuetudine, aut alias, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, aeque principaliter uti, potiri, et gaudere libere ac licite possint et valeant, ac respective etiam debeant et teneantur, eadem auctoritate harum quoque serie concedimus et indulgemus.

Rectori universitatis facultatem impertitur, leges et statuta condendi, corrigendi et mutandi, Sacris Canonibus minime contraria.

§ 6. Praeterea eidem moderno et pro tempore existenti, praeposito generali, ut pro felici ac prospero ipsius universitatis, ut praefertur, erectae regimine et gubernio, ac magis apta methodo et norma litteras et scientias ibidem docendi, statuendique religiosa ac pia exercitia, quae per ipsius universitatis alumnos et studentes frequentari debeant per se vel alium, seu alios, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris Canonibus et praedicti Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis minime contraria, edere et promulgare, ac edita et promulgata pro rerum et temporum opportunitate mutare, corrigere et reformare, seu illa cassare vel abrogare, aliaque de novo condere, addere et publicare, et pro illorum observatione adversus contravenientes poenas condignas statuere, et statutas pro merito irrogare; nec non dictae universitatis, ut praefertur, erectae lectores, magistros, scholasticos, procuratores, bidellos, aliosque ministros et officiales eligere et nominare, ac electos et nominatos amovere libere et licite pro sui arbitrio possit et valeat, plenam et liberam facultatem eadem auctoritate per praesentes tribuimus et impertimur. Praeterea quibuscumque aliarum universitatum seu scholarum moderatoribus et praesidentibus, regentibus, lectoribus, magistris, et quibusvis aliis etiam superioribus personis, ac loci quoque Ordinario, ne universitatis, ut praefertur, erectae rectorem, lectores, magistros, scholasticos, ministros et personas, nec non studentes, quovis praetextu per se vel alium, seu alios, super libero iurium ipsius universitatis, ut praefertur, erectae, ac privilegiorum ei, etiam ut praefertur, concessorum usu et exercitio impedire, inquietare vel molestare quoquomodo audeant seu praesumant, interdicimus et inhibemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Decernentes easdem praesentes et in eis contenta quaecumque semper firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, harum quoque serie specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, facultatum, attributionis et impertitionis, interdicti, inhibitionis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCLIX. septimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anni I.

VIII.

Confirmatis lit. ap. Ben. XIV. Supremum gravissimumque *super electione abbatis generalis etc. facienda a monachis S. An-*

tonii Congr. Libanensis, irritat arbitrariam generalis capituli convocationem et electiones in eo factas a quamplaribus monachis inobedientibus; eisque iniungit obedientiam novo abbati generali, aliisque superioribus electis a Patriarcha Antiocheno, iuxta facultates illi tributas a praelaudato Benedicto XIV. (1).

Venerabili fratri Tobiae Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gesta a Patriarcha Antiocheno iuxta litteras Benedicti XIV. probat.

§ 1. Quaecumque a te, ven. fr., ut omnimodam debitamque apostolicis in simili forma Brevis litteris, quas felicis record. Benedictus XIV. praedecessor noster ad te die XVII. mensis maii MDCCLVII. dederat, exequutionem dares, gesta sunt pro dilectis filiis monachis Sancti Antonii Congregationis Libanensis inobedientibus, ad officium suaviter fortiterque revocandis, iisdemque exhortandis ad interessendum capitulo generali pro abbatis generalis, definitorum aliorumque superiorum localium electione celebrando, prout in memoratis litteris praescribebatur, ea quidem non solum libenter audivimus, verum etiam magnopere probavimus.

Legitimas nunciat nominationes ab eodem Patriarcha Antiocheno factas.

§ 2. Quamobrem cum eadem monachi sano consilio minime susceperint, imo in inobedientia perseverantes eousque processerint, ut aliud capitulum generale convocare in eoque abbatem generalem, definitores aliosque locales superiores eligere ipsi per se ausi fuerint, sapienter et legitime fecisse fraternitatem tuam pronuntiamus, quod iuxta laudati Benedicti praedecessoris litteras, ac facultates tibi in eisdem impertitas ad novi abbatis generalis in persona dilecti filii Antonii Seiocri aliorumque definitorum electionem deveneris. Ex quo certe maior et culpabilior evasit praedictorum monachorum inobedientia.

Vituperat inobedientiam monachorum mandatis Antiocheni Patriarchae.

§ 3. Quandoquidem encyclica fraternitatis tuae epistola iterum invitati ad eos solum tamquam generales religionis superiores recognoscendos, qui auctoritate apostolica a fraternitate tua electi fuerant, censuris etiam contra non parentes a te comminatis nihil permoti, non modo, cum Berytum te contulisti, nemo eorum fraternitatem tuam convenit, mandatisque tuis obtemperavit, verum etiam gubernatorum infidelium auxili) freti, eo devenerunt, ut obedientes monachos ab eorum monasteriis per vim et hostilem in modum eiecerint.

Committit Patriarchae ut inobedientibus monachis terminum praefiniat ad novos superiores recognoscendos.

§ 4. Quapropter, praevio venerabilium fratrum nastrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, expediens esse duximus tibi, ven. fr., committere et mandare (quemadmodum apostolica auctoritate tenore praesentium reipsa committimus et mandamus) ut omnibus et singulis monachis inobedientibus huiusmodi, eum nostro nomine indicas et praescribas terminum tamquam ultimum et peremptorium, qui iuxta circumstantias opportunus tibi visus fuerit, intra quem ante fraternitatem tuam comparere et se sistere, atque insimul vera animi demissione sinceroque praeteritarum culparum dolore, novum abbatem generalem, aliosque superiores a te auctoritate apostolica electos, solemniter recognoscere omnino teneantur.

Tribuit facultatem absolvendi a censuris incursis propter inobedientiam, et ab irregularitatibus.

§ 5. Quod si ita in se ipsi reversi, uti futurum in Domino confidimus, debitam obedientiam pollicebuntur tibi, ven. fr., tenore et auctoritate paribus facultates necessarias tribuimus, ut ab omnibus censuris et irregularitatibus propter ea incursis eosdem absolvas et dispenses. Praeterea fraternitatem tuam maximopere rogamus et poscimus, ut praefatis monachis nostro nomine significes, quod si quae maioris momenti, vel pro ipsorum excusatione, vel pro suorum monasteriorum necessitatibus, in medium proferre voluerint, ea, ad nos et ad laudatam Congregationem Propagandae Fidei dirigere et transmittere satagant. Nos enim non solum eadem paterna prorsus benignitate excipiemus, verum etiam omnia ea consilia inire curabimus, quae ad restituendam et conservandam in illorum Congregatione pacem et concordiam aptiora et utiliora videbuntur.

In inobedientia persistentes, incursos in novis censuris et canonicis poenis declarat.

§ 6. Si vero, elapso praedicto termino in inobedientia (quod absit) adhuc perseveraverint, volumus et mandamus ut, praeter omnimodam praetensi capituli ab iisdem monachis inobedientibus celebrati, et electionum in ipso factarum annullationem, omnes et singulos monachos absque ulla penitus distinctione, qui praefato asserto

(1) Vide vol. III., pag. 686.

capitulo interfuerunt, in censuras aliasque canonicas poenas incurrisse declares. Interea minime dubitantes, quin haec omnia sis expleturus eodem zelo prudentiaque, ac mandata praedecessoris nostri perficere studuisti, Deum enixe rogamus, ut acta utriusque nostrum ad maiorem eius gloriam intentos secundet, et fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. aprilis MDCCLIX., pontificatus nostri anno I.

IX.

Facultatem tribuit Nuntio Poloniae conferendi tres canonicatus in cathedrali Ecclesia Gnesnen., primo vacaturos in mensibus Apostolicae Sedi reservatis, et ad Episcopi nominationem, sub lege tamen expediendi apostolicas litteras sub plumbo, intra octo menses a die collationis.

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Preces porrectae ab Archiepiscopo Gnesnen. pro nominatione ad tres canonicatus in sua cathedrali ecclesia.

§ 1. Egregia venerabilis fratris Uladislavi Archiepiscopi Gnesnen. in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis merita poscunt, ut ea illi libenter concedamus, per quae erga personas istarum partium sibi gratas et acceptas se beneficum exhibere possit et liberalem; supplicationibus itaque ipsius Uladislavi Archiepiscopi nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, ut tres metropolitanae Ecclesiae Gnesnen. canonicatus et praebendas, quos in mensibus nostris et dictae Sedis Apostolicae dispositioni reservatis per obitum illos obtinentium primo vacare contigerit, personis idoneis dicto Uladislavo Archiepiscopo, ut praefertur, gratis et acceptis, ac alias specialiter nominandis, quae in primis in catholica fide constantes sint, auctoritate nostra apostolica conferre, et de illis etiam providere, ipsasque personas, vel earum procuratores, earum nomine, in corporalem possessionem canonicatuum et praebendarum huiusmodi per te ipsum vigore praesentium illis conferendorum, iuriumque et pertinentiarum quorumque inducere et inductos defendere, ac quoscumque illicitos detentores ab illis amovere, sibique de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus integre responderi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere, nec non contradictores quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescere libere et licite possis et valeas, facultatem auctoritate praedicta, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Facultas tribuitur Pontificio Nuntio in Polonia conferendi tres canonicatus ad quos Episc. Gnesnen. idoneas personas nominaverit.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 2. Decernentes, collationes et provisiones per te de dictis canonicatibus et praebendis, ut praefertur, faciendas perinde validas, firmas, et efficaces existere et fore in omnibus et per omnia, perinde ac si a nobismetipsis factae fuissent, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praesertim Cancellariae Apostolicae Regulis, dictaeque Metropolitanae Ecclesiae Gnesnen., etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Provisis de tribus canonicatibus iniungitur obligatio expeditionis apostolicarum litterarum sub plumbo, intra octo menses a collatione, sub privationis poena.

§ 4. Volumus autem, quod ii quibus canonicatus et praebendas huiusmodi contuleris, infra octo menses a die illorum collationis et provisionis computandos, novas provisiones super illis a nobis et Apostolica Sede impetrare, et litteras apostolicas sub Plumbo desuper expedire, iuraque Cancellariae et Camerae Apostolicae, aliisque propterea debitis, persolvere omnino teneantur, alioquin, elapsis eisdem mensibus, canonicatus et praebendae huiusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque aliis per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dumtaxat, libere conferri, nisi provisi legitimo impedimento detenti, de huiusmodi legitimo impedimento coram Datario nostro constare fecerint, vel ipsis petentibus novas provisiones huiusmodi, et

---

(1) Eisdem verbis et conditionibus eamdem facultatem tribuit Nuntio pro dioecesi Gnesnen. die XXI. maii eiusdem anni.

protestantibus, quod per eos non stat, contigerit illas eis denegari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die xv. maii MDCCLIX. pontificatus nostri anno I.

X.

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos scribit super observantia canonicarum sanctionum adversus clericos negotiatores, et saecularibus negotiis se immiscentes, editarum (1).

Venerabilibus fratribus, universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

§ 1. Cum primum incomprehensibili Pastoris aeterni iudicio in beati Petri Cathedra constituti, dominici gregis curam suscepimus, complures audivimus ecclesiastico zelo ferventes viros, praesertim animarum pastores et verbi Dei praecones, qui civitates atque provincias peragrant, poenitentiam populis et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus et corruptelas, quas pro ministerii sui officio notarunt, pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorundam ecclesiasticorum avaritiam habendique cupiditatem. Quae quoniam malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, utut in atrociora crimina non abripiat, talem in Dei cultu propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat, et ad saecularia desideria conversos mundanis addicat curis et occupationibus, quibus abrenunciare se publice addixerunt, quum inter sacrae initiationis mysteria solum Deum haereditatis suae partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, sive speratum, sive iam partum amittant. Hinc se ad abiecta quaelibet officia et ministeria, in gradus et ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit ut laicorum plerique non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt sed saepe etiam universum ecclesiasticorum coetum, contemnant; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus praerepta sibi viderunt honesta media, per quae suae suorumque sustentationi consulere potuissent.

Ad corruptelam, et scandala removenda sollicitudinem suam Pontifex exprimit.

§ 2. Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus regulares viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus communitatum suarum emolumentis, ultra ecclesiasticae moderationis fines ferri se sinunt, excitari nos quidem intelleximus, ut apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, huiusmodi corruptelam, unde fidelis populi scandalum, aliisque noxii consequuntur effectus, de medio tollere satageremus.

Constans Ecclesiae disciplina fuit, ut ecclesiasticae personae a temporalium lucrorum cupiditate se abstineant.

§ 3. Verum, quum ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque ad haec nostra tempora nihil apertius, nihil districtius aut conciliorum decretis, aut praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus statutum legatur, nihil a Sanctis Patribus ecclesiarumque Pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat, quam ut Ecclesiae ministri, cum clerici, tum monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, et a saecularium negociorum sollicitudinibus arcere se debeant; cumque non solum spirituales censurae, sed etiam gravissimae temporales poenae in eos decretae fuerint, qui canonicas regulas hac in re infringere aut violare praesumpserint. Omnibus mature perpensis, nihil nobis reliquum esse iudicavimus, nisi ut vos, venerabiles fratres, de constanti enixaque voluntate nostra, praedecessorum nostrorum menti, Ecclesiaeque spiritui per omnia inhaerentes, commonefactos, pa-

---

(1) Quod clericorum bona ex illicita negociatione quaesita ad cameram spoliorum pertineant iussit Pius IV. constit. edit. anno MDLX., nov. v., mercaturam et negociationes saeculares, ecclesiasticis personis, praesertim in Indiis Orientalibus et America existentibus, sub excommunicationis poena interdixit Urbanus VIII. const. *Ex debito pastoralis,* § 8, vol. I., pag. 143. Quae sane dispositiones confirmatae fuerunt a Clemente IX. const. *Sollicitudo pastoralis,* vol. I., pag. 390. Tandem praecedentes poenas a Romanis Pontificibus indictas contra clericos negociatores renovavit et ampliavit Bened. XIV. const. *Apostolicae servitutis,* die XIV. feb. MDCCXLI., pag. 19, vol. III.

ternis fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam sacrarum legum observationem ab omnibus ecclesiasticis, tam ordinariae vestrae, quam delegatae vobis iurisdictioni subiectis, ad formam sacrorum canonum et decretorum Apostolicae Sedi, ac respective Synodalium uniuscuiusque dioecesis statutorum, exigere studeatis, ac reipsa obtinere curetis.

Enumerat, et confirmat constitutiones omnium Pontificum adversus clericos negociatores evulgatas literas, poenasque, et censuras in illis contentas approbat et ampliat.

§ 4. Ut igitur clarius innotescat perpetuum nostrum et Apostolicae Sedis studium, pro religiosa praedictarum legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo, aut consuetudini (quae corruptelae potius et abusus, servata legitima vocabulorum proprietate, appellari debent), quibus ecclesiastici quicumque criminosam suam in negociis curisque saecularibus immixtionem obtegere aut excusare contenderent, nos omnes et singulas canonicas leges et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones adversus clericos negociatores et saecularibus negociis se immiscentes, praesertim a Pio IV., Urbano VIII. et Clemente IX. latas atque editas, usque ad novissimam quam S. M. decessor noster Benedictus Papa XIV. sub dat. v. kal. martii MDCCXLI. pontificatus sui anno I. evulgavit, cum omnibus item et singulis poenis atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si decreta omnia in praemissis contenta, eorumque poenales sanctiones, praesentibus nostris litteris de verbo ad verbum inserta forent, per easdem praesentes approbamus, confirmamus et innovamus; cernentes ac declarantes, praedictis omnibus legibus ac poenis subiici, ac subiectas censeri debere, omnes et singulas personas ecclesiasticas, non solum e saeculari clero, sed etiam e regulari cuiuscumque sint Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, amplissimis licet et singularibus indultis, privilegiis et exemptionibus muniti, et cuius etiam expressam et individuam mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus huiusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis poenas incurrant, ac respective ab iis, ad quos pertinet, iuxta casuum distinctionem, et procedendi methodum alias a Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede praescriptam, cum effectum mulctari et puniri debeant; non obstante contrario quolibet usu, stilo aut consuetudine, etiam immemorabili, quae aliquo in loco, dioecesi aut regione inolevisse dici posset; quam quidem nos, veluti damnabilem abusum et imperscriptibilem corruptelam, earumdem praesentium tenore, damnamus, proscribimus, et viribus omnibus vacuamus.

Committit procedi debere etiam ex officio contra non obedientes.

§ 5. Deinde vos omnes, venerabiles fratres, hortamur et in Domino obsecramus, ut pro ecclesiasticae disciplinae integritate et animarum salute advigilantes, in clericorum omnium, vobis tam ordinario quam delegato iure subiectorum, agendi rationem sedulo inquiratis; ac, si quos forte huiusmodi avaritiae labe infectos, adversus canones et apostolicas constitutiones peccasse comperietis, in eos, ad formam eorumdem canonum et constitutionum, cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

Cavendum est ne per interpositam personam, aut ex caritatis officio erga coniunctos clerici in illicitis se immisceant negociationibus.

§ 6. In quo sane duo vobis magnopere cavenda erunt: primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudolenter componant, ut quatenus eorum crimen in iudicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi suaeque cupiditati inservientis, persona aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto, negotiationem aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendent: modo, scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quaestibus a superiore arguantur, defendere possint, non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum aut sanguinis aut alio necessitudinis vinculo sibi coniunctorum, bona, negociationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex caritatis officio et directionis titulo, procurare se praedicabunt.

Episcopi assiduis exortationibus, et investigationibus hanc canonicam violationem impedire curent.

§ 7. Quamvis autem, propria etiam experientia in episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit iudicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona vel mala fides illius, qui de illicita negociatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super huius gravissimi ecclesiasticae disciplinae capitis violatione. Ma-

gnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram Ecclesiaeque mentem ab obscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis; iisdemque, oblata opportunitate, graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes et corda scrutatur, nihilque apud supremum illius tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc ecclesiae praesulem decipere, indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit, latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt, rerumque et casuum adiunctis, quae allatas excusationes probabilius admittendas reiiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de fraternitatum vestrarum sapientia et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

Si de natura contractus an liciti vel interdicti iudicandum erit, ad S. Sedem recurrendum pro definitione quaestionis.

§ 8. Alterum vero, quod aeque cavere debetis, illud est, ne pravas canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem et spiritum Ecclesiae, ex privatis opinionibus adventas, et sine legitimi superioris assensu, ad proprii cuiusque casus opportunitatem accommodatas, apud vos ullo modo valere sinatis, ubi clericorum saecularium aut regularium negociationem, vobis iudicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in dioecesi ab ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro iudicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quaeritur, vel ipsam contrahentium opinionem; sed ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem, quae sicuti alias complures huius generis quaestiones, per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum definivit, ita etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet, idoneis editis responsis, ex quibus agendi iudicandique regula desumi valeat.

Cambium activum ecclesiasticis vetitum uti actus verae negociationis.

§ 9. Quo in genere, quam acceperimus, perspicuam nostram et Apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo, an clericis liceat cambium activum contrahere; quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subiectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, praesentium litterarum tenore declaramus ac definimus, cambium activum, natura sua, esse actum verae et propriae negociationis; ideoque ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam, illud contrahere; quicumque vero e saeculari vel regulari clero cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris, quae in clericos negociatores constitutae noscuntur.

Coniunctorum indigentia clericos a negociatorum poenis minime eximit, nisi Sanctae Sedis, vel Ordinarii dispensationem obtinuerint.

§ 10. Si autem ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod saecularibus negociis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique clerico, canonicus ordinationis titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet; iisque forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suaeque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere), sed aut parentum, aut sororum, aliarumque personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur; primum volumus atque decernimus, huiusmodi excusationem a superiore ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam et insulas adiacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem praedictas personas industria sua iuvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario, impetrasse.

Clericis negociandi indultum non aliter concedendum, quam sub conditione quod causae veritati nitantur, et modi honestiores, moderatione servata, praescribantur.

§ 11. Deinde, pro eo quod pertinet ad huius curiae nostrae officia, notum facimus, nostram mentem et voluntatem esse, ut huiusmodi dispensationes et facultates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse; eoque etiam casu nunquam ecclesiasticis permittatur, eiusmodi negociationis genus assumere, cuius administratio clericalem statum et characterem dedeceat; quin immo in ipsis indultorum rescriptis et litteris indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus clericus, iusta moderatione servata, et intra veram indigentiae

mensuram, pauperibus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in huiusmdi dispensationibus et facultatibus concedendis observare debebunt: hoc insuper advertentes, ne ea quae vel ab ipsis, vel ab Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam clericis hoc in genere aliquando permissa, et iustis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur (exempli gratia, ut ecclesiarum fundos certa annua pensione conventa colendos exercendosque conducerent); eadem a reliquis ecclesiasticis, tanquam generaliter omnibus concessa, absque iusta causa, et sine speciali indulto usurpentur.

Revocata intelligenda est haec facultas dum cessaverit indigentia.

§ 12. Caeterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis et revocatis ipso iure habeantur, quoties allegatae coniunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum exequutione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus, et re ipsa oneratam fore denunciamus.

In suorum bonorum administratione debent clerici quadam prudentia se gerere, ne huius sæculi curae omnino dediti appareant.

§ 13. Verum non uni dumtaxat negociationi tribuenda est, quae nunc temporis cernitur ecclesiasticae dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus ecclesiastici viri proprium decorem, totiusque coetus et ordinis existimationem eo frequentius atque securius abiicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari litterae sacrorum canonum et constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris et poenis ibidem statutis nequaquam subiiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictornm relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium et coeterorum, quae in propriis Ecclesiaeve fundis enascuntur seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus, vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis et sollicitudinibus huius saeculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem evecti merito reputantur, infra ipsos abiectissimi status homines se demittant; et qui filii lucis esse et apparere deberent, saeculi filios, terrenae aviditatis anxietate, superare videantur. Hos, aiebant, omnibus nundinis atque mercatibus, laicali propemodum apparatu ac specie, se sistere, nec quidquam minus, quam clericalis moderationis atque modestiae, vel ecclesiastici decoris et gravitatis, specimen praeferre.

Ordinarii exhortantur, ut clericor. turpitudinibus et cupiditatibus, opportunis decretis occurrant, et salutaribus poenitentiis.

§ 14. Quibus nos quidem palam edicimus, nihil per nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta et provida ecclesiastici patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus et ecclesiasticarum legum conditoribus eorum diligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae clericis quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus sub certis dumtaxat modo et forma iisdem permittitur, iis autem qui praescriptum modum excesserint, statutamque ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae, tum etiam spirituales censurae, a sacris canonibus infliguntur; cuius rei innumera extant exempla in generalibus canonici iuris legibus, ac etiam in peculiaribus dioecesnm statutis, quae plura de vita et honestate, de habitu et tonsura clericorum, sive observanda, sive vitanda, praescribunt: ita vos, venerabiles fratres, oportet, ecclesiasticorum omnium, qui in dioecesibus vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspectantes, si quid vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod clericalem statum dedeceat, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes; non sibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque ecclesiastico ordini existimationem et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam quae sua sunt, quam quae Iesu Christi, quaerant et curent: sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis decretis conditis, ac severioribus edictis propositis, eiusmodi clericorum turpitudini et cupiditati obviam ire; ac delinquentium culpas, habita minoris maiorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentiis emendare, nunc demum districto poenarum ac etiam censurarum gladio, ad caeterorum exemplum, coercere et punire.

Damnat ecclesiasticos, laicorum servitio eo-

§ 15. Et parem quidem, vel etiam maiorem Pastoralis zeli vestri sollicitudinem

rum operam et industriam impendentes.

atque constantiam requirit aliud corruptelae genus, quod plures ecclesiasticos viros inficere, et ab Ecclesiae servitiis abductos ad saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam operamque suam, quam totam divino cultui, et proximorum utilitatibus, ex caritatis lege, impendere deberent, laicorum obsequiis abiectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negociis administrandis curandisque, pro temporali eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est iudicare, an magis deflenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius repraehendenda sit laicorum praesumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus christianae vitae documenta aeternaeque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eis in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

Ad sacros Ordines, nemo promovendus, nisi vero potitus sit patrimonio iuxta synodales et dioecesanas constitutiones.

§ 16. Verum, quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte huiusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat, fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi patrimonio, cuius fructus aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines, absque reditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis vestrum miretur, venerabiles fratres, si hac occasione arrepta, vos omnes et singulos enixe hortamur atque monemus, ut cautiores hac in re oculatioresque vos praebeatis, ne cui subditorum vestrorum detur ad sacram Ordinationem obrepere, qui ex beneficio ecclesiastico, vel ecclesiastica pensione, aut ex patrimonio sibi constituto, in casibus a iure permissis, omni submota collusione ac fraude, eam reipsa non percipiat annui redditus summam, quae synodalibus cuiusque dioecesis statutis, aut legitima consuetudine, definita dignoscitur.

Revocandi ad vitae ecclesiasticae instituta clerici et sacerdotes in saecularibus et illiberalibus negociis occupati.

§ 17. Clericos autem et sacerdotes in laicorum domibus eiusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum et professionem dedeceant, quaeque eos a divinis obsequiis, et propriae perfectionis cultura, ad illiberalium occupationum et saecularium negociorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando oblegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos, de sua ab Ecclesiae castris defectione impune gloriari; sed omni pastoralis sollicitudinis studio, et, quatenus opus sit, tota ordinariae ac delegatae iurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad ecclesiasticae vitae instituta, et ad clericalis militiae munera revocare curetis.

Episcopos hortatur ut nihil omittant quae ad illorum, circa praescripta, sollicitudinem spectat.

§ 18. Haec sunt, venerabiles fratres, quae pro apostolici ministerii nostri officio, ad ecclesiastici ordinis honestatem dignitatemque tuendam et vindicandam, sollicitudini vestrae suggerenda enixeque commendanda iudicavimus. Hac enim in re, quae ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui subditorum vestrorum facta, eorumque adiuncta, regionum necessitates, et personarum mores, quidque apud prudentes et probos viros honesti aut indecori speciem habeat, in singulis locis praesentes constitui, et melius agnoscere, et securius aestimare potestis. Ut autem liberum vobis sit in hoc rerum genere inordinata quaeque corrigere et reformare, quodcumque dispensationis aut facultatis indultum circa praemissa a quolibet Romanae curiae officio hactenus concessum, prudenti arbitrio vestro moderandum permittimus; nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius fraternitatum vestrarum relationibus et votis, adiectisque eidem indulto eiusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum vobis relinquatur arbitrium de illius exequutione et effectu ita cognoscendi, ut nemini ecclesiasticorum liceat illius praetextu negocium ullum aut ministerium minus honestum, contra interdictum vestrum assumere, aut susceptum retinere et protrahere. Interim in pastorali zelo vestro acquiescentes, Fraternitatibus Vestris apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septembris MDCCLIX., pontificatus nostri anno II.

XI.

Approbat decretum Congr. de P. F. quo collegium missionum FF. Excalceatorum SS. Trinitatis B. M. V. ad Fornaces de Urbe aggregatur familiae Matris Redemptoris extra Hispaniam.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Iniuncti nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii sollicitudo postulat atque exigit, ut in his, per quae Christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium prospero statui consulitur, eiusdem officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Refertur tenor decreti S. Congregationis de Propag. Fide.

§ 2. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum decretum tenoris sequentis, videlicet: (Decretum sacrae Congregationis generalis de Propaganda Fide habita die XX. augusti MDCCLIX.) « Referente Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Ferono preces procuratoris generalis Ordinis fratrum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, quibus nomine totius sui ordinis postulabat, ut sacra Congregatio dignaretur confirmare decretum editum in comitiis generalibus celebratis Mediolani die XII. mensis maii currentis anni circa regimen collegii sive seminarii B. M. V. ad Fornaces prope et extra maenia Urbis, quod est tenoris sequentis, videlicet — Decrevit venerabile capitulum generale ordinis, omnibus suffragiis, quod Collegium Romanum de Propaganda Fide B. M. Virginis ad Fornaces aggregetur Familiae Matris Redemptoris (id est, extra Hispanam), et ab hinc dependeat a superiore generali dictae Familiae, qui curam et sollicitudinem habebit, cum sua Familia, ut debita exolvantur, exonerando ab his Familiam Iesu Redemptoris (idest intra Hispanam), servatis in suo robore decretis sacrae Congregationis de Propaganda Fide — Eminentissimi Patres responderunt: Pro approbatione resolutionis factae per capitulum generale, facto verbo cum Sanctissimo. »

Refertur tenor resolutionis capituli generalis.

Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, apostolica auctoritate confirmatur.

§ 3. Hinc est quod relata nobis per dilectum filium magistrum Nicolaum Antonelli secretarium Congregationis eorumdem Cardinalium illius sententia, nos inviolabili eiusdem decreti robori et efficaciae providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, praeinsertum eiusdem Cardinalium Congregationis decretum, ac omnia et singula in eo contenta, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper in memorato capituli generalis dicti ordinis decreto quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, ac literarum fel. rec. Clementis XI. die VIII. novembris MDCCXX., et Innocentii XIII. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum die IV. augusti MDCCXXI. in simili forma Brevis respective observantiam omnino praecipimus et mandamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumqe spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non collegii, ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septembris MDCCLIX., pontif. nostri anno II.

XII.

Praestantiam et utilitatem spiritualem Christifidelibus ex ieiunio derivantem,

nec non necessitatem illius observantiae declarat (1).

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum interSit fideles ad ieiunii observantiam revocare, properante quadragesimali tempore.

§ 1. Appetente sacro quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschae celebritatem praecedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, venerabiles fratres, ut sacratissimum ieiunium sancte religioseque a fidelibus observetur, quod legis et prophetarum testimonio commendatum, a Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum, Ecclesia Catholica perpetuo retinuit, ut per macerationem carnis et animae humiliationem ad Dominicae Passionis paschaliumque sacramentorum mysteria paratiores accedamus, et in eius resurrectione resurgamus, in cuius passione, deposito veteri homine, simus commortui. Cuius tam sanctae tanque salubris institutionis retinendae studio fel. rec. praedecessor noster Benedict. XIV. etsi binis ad vos literis in forma Brevis eximium fraternitatum vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis quadragesimalis ieiunii disciplina ad pristinam observantiam vestra opera et studio revocaretur; ob eamque rem nonnullas cavillationes quibus omnis sacrorum vis ieiuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cum ab infensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multae et assiduae sint Gregi Dominico insidiae, verendumque propterea sit, ne subinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata ieiunii severitas, unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur; necessarium existimavimus vobis has literas dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticae in hac re disciplinae inferatur, fraternitatibus vestris significare.

Episcopi curare debent ut veterem de ieiunio corruptelam, et adversantes consuetudines radicitus evellant.

§ 2. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralem vestram vigilantiam accesserit: qua sive quidpiam de veteri corruptela, post memoratas supradicti praedecessoris nostri litteras, fortasse reliquum fuerit, sive nova infringendis ieiunii legibus vel opinionum commenta, vel a vera ieiunii vi et natura abhorrentes consuetudines, humani pravitate ingenii novissime sint invecta, ea omnia, quantum iuvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum, quem rumor quidam ad nos pertulit, cum nonnulli, quibus ob iustas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quod praedicto praedecessori nostro visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo ieiunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem, adhibere.

Ad peccatorum remissionem obtinendam, præter sacramentalem confessionem, plurimum conferunt ieiunia, orationes et eleemosynae.

§ 3. Verum neque commodius nec maiori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam ieiunii legem observandam, quam si illud populos doceatis, christiani hominis poenitentiam praeter cessationem a peccatis et male anteactae vitae detestationem, eorumdemque peccatorum sacramentalem confessionem, illud etiam postulare, ut per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia spiritualis vitae opera, divinae iustitiae satisfaciamus; omnem enim iniquitatem, parva magnave sit, aut ab ipso poenitente, aut a Deo vindicante, puniri oportere: nisi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quam si ipsi nos puniamus. Quae quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur, et a fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit, ne qui profligatos mores abiecerint ac per sacramentalem confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint atterendâ carnis concupiscentiâ, per ieiunium expiare. Praeterea, quibus persuasum fuerit se pec-

(1) Quoad abusus in ieiunii quadragesimalis observantia invectos, habetur Benedicti XIV. Encicly-ca anni MDCCXLI., maii XXX. Suam mentem super ieiunii observantiam explicat Pontifex epistola ad Valentiae Antistitem missa an. MDCCXLII., maii XII. Itemque quaestiones circa ieiunii observantiam praelaudato Pontifici expositas per Archiepiscopum Compostellae, explicat epistola anni MDCCXLIV., iulii VIII. De ieiunii disciplina, enciclycam alteram universae Catholicae Ecclesiae Antistitibus direxit anno MDCCXLV., iun. XXIV., quae omnes reperiuntur in supplemento vol. III. h. op.

catorum minus dubie poenitere, cum se impunitos esse non sinant, ii profecto poenitentiae amore capti, laetabuntur, quadragesimali tempore caeterisque certis diebus, cum Sancta Mater Ecclesia edicit fidelibus ieiunandum, oblatam sibi esse occasionem, qua dignos poenitentiae fructus faciant: cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim, ***post concupiscentias non eas, et a voluntate tua avertere;*** facile animum inducant, sacratissimo totius anni potissimum tempore, corporis intemperantiam mitigare ieiunio; ut anima, cognitione sui recepta, intelligat, qua compunctione parare se debeat ad sanctissima passionis, mortis et resurrectionis Iesu Christi recolenda mysteria. Itaque poenitentiae stimulis tacti, minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur mensarum delicias, quae quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas qui mensae apponat suae, illum non immerito dixeris non tam usitatas abiecisse delicias, quam cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse: minus denique, aut, quibus se subducant a ieiunio, quaerant effugia, aut argutiis studeant ecclesiasticam legem infringere.

Episcoporum exempla et verba plurimum conferunt, ut fideles ad ieiunii observantiam revocentur.

§ 4. Vestrum igitur est, VV. FF., exemplo aeque ac verbo, populis poenitentiae studium et amorem iniicere, ut alacriter ieiunium aggressi, et illud ad praescriptas a Catholica Ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam atque oratione sanctificent, et (id, quo maxime spectat Ecclesia) denique consequantur, ut, corpore mortificati et Christo consepulti, ad novam in paschali solemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum vobis omnibus, quibus apostolicam benedictionem benevolentiae in vos et caritatis nostrae pignus amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. decembris MDCCLIX., pontif. nostri anno II.

XIII.

Confirmat constitutionem et statuta academiae liturgicae iam erectae a Benedicto XIV. (1).

(1) Leges Academiae Cervariae in Cathalonia a Philippo V. Rege Catholico institutae approbavit Clemens XII. const. edit. an. MDCCXXX., decembr. IV. Hanc liturgicam Colimbriae Academiam erexit et instituit Bened. XIV. const. edit. anno MDCCXLVIII., oct. kal. april. Lectoribus huius academiae facultatem legendi quoscumque prohibitos libros fecit Pontifex idem constitutione altera anni MDCCXLIX., febr. XXI., quae in huius Pontificis Bullario minime reperiuntur impressae, nec eas invenire potuimus.

S. Pont. de hac Academia, erecta penes Presbyteros Cong. Missionis Romae, sic loquitur in ep. *Postquam intelleximus*, ad Ioan. V. Portugall. regem *de nova Martyrologii Rom. editione*, quam in supplem. tom. tertii retulimus: « Ut sacrae eruditionis ac theologicae facultatis studia magis excolantur, instituimus Academiam quavis feria secunda cuiuscumque hebdomadis coram nobis habendam, ut, quotquot ad eam conveniunt docti ac praestantes viri, stata vice atque ordine, suas sive de ecclesiastica historia, sive de re liturgica, sive etiam de sacris canonibus ac theologicis controversiis proferant lucubrationes. »

Seq. lit. S. P. Academiae constitutionem a se approbatam significat.

Dilectis filiis Canonicis Regularibus Lateranensibus Liturgicis Academicis in monasterio S. Crucis Colimbriensis,

CLEMENS PAPA XIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Benedicti XIV. virtutes et merita laudibus prosequitur.

Inter caetera moeroris argumenta, quae pontificio animo nostro assidue obversantur, illud etiam nos percellit et angit, quod eximiis fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri virtutibus meritisque longe impares, in ipsius locum dignitatemque suffecti simus. Hanc autem molestiam ita lenire satagimus, ut nihil, quod nobis integrum est, praetermittamus, quo sin minus eius praeclara opera exaequare, saltem eadem conservare et promovere valeamus. Eapropter cum inter illius egregia facta merito numeretur vestrae, dilecti filii, insignis Academiae institutio, eamque sub immediata Apostolicae huius Sanctae Sedis protectione locarit, decet sane, ut nullas vobis patrocinii, benevolentiae ac liberalitatis quoque nostrae partes deesse patiamur. Quocirca primum vobiscum, dilecti filii, magnopere gratulamur, quod dignos tanto parente ac magistro fructus edere pergatis; deinde obstrictam vobis voluntatem nostram profitemur propter orationem, quam in nostra plane immerita ad huius Sanctae Sedis fastigium assumptione habuistis, non quod in nobis aliquid eorum inesse noscamus, quae in ea pie praedicastis, sed quod vestram ex ea in nos singularem observantiam plane depraehenderimus. Porro ut specimen nostrae in vos benignitatis habeatis, iam per alias nostras in simili forma Brevis litteras Academiae vestrae leges, statuta et constitutiones, a venerabili fratre Michaele Episcopo Colimbriensi, praeclaro vestrae Congregationis ornamento, summa sapientia prudentiaque confectas, apostolica auctoritate confirmasse vobis significamus. Pergite interim, dilecti filii, vestris religiosis virtutibus assiduisque laboribus Academiam et Congregationem vestram amplius cohonestare, et huius Sanctae Sedis favorem magis in dies promereri. Caetera ad vos iussu nostro uberius referet dilectus filius Matthaeus Modius, qui vestras ad nos litteras detulit, quique incredibili fide ac diligentia vestris in hac alma Urbe nostra negociis conficiendis incumbit. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Gratum academicis animum significat pro oratione habita in Pontificis assumptione ad summum sacerdotium.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. septembris MDCCLIX., pontificatus nostri anno II.

CLEMENS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus pro literarum sacrarum praesertim incremento, pro catholicae religionis praesidio, pro congregationum religiosarum ornamento praeclare instituta ac provide ordinata fuerunt, ea quidem non solum tutare ac promovere maximopere curamus, verum etiam, si quae leges, statuta et constitutiones pro perpetua illorum stabilitate fieri contingat, eas, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae auctoritatis robore communire non dedignamur.

Bened. XIV. liturgicam academiam Colimbriensem erexit et instituit, nec non redditibus auxit.

§ 2. Sane fel. rec. Bened. PP. XIV. praedecessor noster de literaria republica vere meritissimus, pro exploratissimo, quo ferebatur, ecclesiasticarum omnium litterarum potissimum provehendarum studio, nec non pro eximia, qua prosequebatur dilectos filios canonicos regulares reformatae Congregationis Sanctae Crucis Colimbriensis, caritate et existimatione in regio Sanctae Crucis praefatae Congregationis, et civitatis monasterio, liturgicam academiam duabus constantem cathedris, altera nempe sacrorum rituum, altera vero ecclesiasticae historiae, apostolica auctoritate erexit et instituit; sub immediata Apostolicae huius Sanctae Sedis protectione recepit, perpetuisque redditibus auxit; nec non venerabili fratri Michaeli Episcopo Colimbriensi iniunxit, et facultatem dedit, ut pro felici dictarum cathedrarum regimine et directione leges conderet et statuta, prout in apostolicis eiusdem Benedicti praedecessoris octavo kalendas aprilis anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo octavo sub aurea bulla expeditis literis uberius continetur.

Preces porrectae pro confirmatione statutorum ab Episcopo Colimbriensi confectorum.

§ 3. Postquam autem laudatus Michael Episcopus decreta et statuta huiusmodi non sine summa prudentia sapientiaque confecit, ad nos transmitti curavit, et tam suo quam praefatorum regularium canonicorum nomine humiliter supplicari fecit, ut eadem approbare, et de benignitate et auctoritate apostolica confirmare dignaremur.

Tenor statutorum, de quibus confirmatio postulatur.

Leges vero, et statuta sunt tenoris sequentis: « D. Michael ab Annuntiatione canonicus regularis Congregationis S. Crucis, » Dei providentia et Apostolicae Sedis auctoritate Episcopus Colimbriensis, comes » De Arganil, dominus de Coja, fidelissimae maiestatis a consiliis etc. Ex delegatione mihi nominatim commissa a » SS. Domino nostro Benedicto XIV. in » bulla aurea *Gloria Domini,* haec statuta condidi ad usum academiae liturgicae ab eodemmet Sanctissimo in regio » monasterio S. Crucis fundatae.

I. Perpetua huius academiae protectrix erit Deipara Sanctissima in mysterio Incarnationis Dominicae ab Angelo Annuntiata.

II. Sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV. eadem magnificentia, urbanitate atque benevolentia, qua academiam istam fundavit, erexit, instituit, illi semetipsum praebuit protectorem, praesidem, directorem; ipsamque academiam sub sua et Apostolicae Sedis tutela et patrocinio, nunc et perpetuis futuris temporibus immediate locavit.

III. Prior Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis S. Crucis pro tempore existens, nomine Romani Pontificis eiusque delegatione, academiae liturgicae praeses sedebit et director.

IV. Duabus constabit cathedris liturgica isthaec academia, altera sacrorum rituum, historiae ecclesiasticae altera.

V. Duo magistri cathedras moderabuntur. Ad Capitulum generale totius Congregationis attinebit utrumque magistrum creare et sacrorum rituum et historiae ecclesiasticae. Tenebitur itidem capitulum generale eos canonicos regulares seligere, qui doctoratu ac magisterio insignes existant, quique linguarum hebraicae, grecae ac latinae facundia polleant.

VI. Substituti duo designentur, qui magistrorum locum, cum ipsi ex iusta causa fuerint impediti, adimpleant. Diffinitorii generalis erit ipsos eligere; similes in illis magistrorum dotes requirant, non tamen necesse erit quod laurea fulgeant doctorali.

VII. Unus erit secretarius etiam a Diffinitorio generali inter canonicos regulares eligendus, qui doctor existat, (atque de ipso benemereri) iure possit academia.

VIII. Quinquaginta claudetur numero academiae sociorum catalogus. Nullus poterit in socium assumi aut eligi, nisi vir conspicuus et illustris, eruditione atque eloquentia praestans, ac in orbe literario iam pridem bene notus. Nemo eorum catalogo inseratur, nisi prius constiterit fuisse legitime per scrutinium electum. In hac electione partes tantum erunt praesidentis,

censorum et secretarii, quorum suffragiis acquiescat academia, atque in re literaria parere tenebuntur academici.

IX. Horum etiam erit, cum bene eis visum fuerit aliquem socium extra numerum, dum id expostulet utilitas academiae in provinciis, imo et extra regni limites eligere; verum quique extra numerum eligentur, nec censorem agere valeant, nec in dissertationum partitione ex academiae praescripto per socios distributas partes tenere.

X. Quinque erunt academiae censores; duo magistri dicentur censores nati, reliqui tres ab universo sociorum assumentur gremio; unus tantum poterit eligi inter canonicos regulares; horum electio erit penes veteres censores una cum praeside, magistris, atque secretario: unius anni spatio finietur censorum iurisdictio.

XI. Procurator unus erit a praeside ac magistris inter canonicos regulares eligendus; ipsi demandabitur cura praebendae academiae, atque redituum sollicitudo, semper erit alter a procuratore et camerario monasterii.

XII. Officialis unus eligetur ad academiae servitium, eius erit socios ad academiam statis per vocales horis convocare.

XIII. A die quarta novembris divo Carolo Borromaeo sacra auspicabitur academicus labor; finietur Doctoris gentium commemoratione, die trigesima iunii. Reliquum tempus feriandis animis deputabitur; quemadmodum etiam a Vigilia Nativitatis Domini ad Epiphaniam usque, atque a Dominica Palmarum ad feriam secundam in gaudiis.

XIV. A sacris exorietur academia liturgica: die quarta novembris mane adunabuntur universi socii quotquot intra urbem degerint, Missam solemnem votivam de festo Annuntiationis audituri: praesbyter diaconus ac subdiaconus ex sociis assumentur sive domesticis, sive exteris. Socius autem erit Concionator. Canonici regulares Lateranenses sacrificio interesse non refugient, nec Missam cantu gregoriano celebrare.

XV. Eiusdem diei vespere iterum adunabuntur socii. Orationem in academia recitabit primus ex tribus censoribus, qua finita, dissolvetur congressus; illius defectum, si legitime impediatur, tertius supplebit.

XVI. Die vigesima sexta iunii, vel proxima sequenti, tres censores cum praeside, duobus magistris, ac secretario in academia colligentur: omnibus adunatis, censores novos pro anno futuro per scrutinium creabunt, postea magister liturgicus prius, dein magister historiae ecclesiasticae; quilibet in propria facultate puncta exponet sequenti anno disserenda, quae ad trutinam vocabuntur suffragantium calculo vel omnium aut maioris numeri probanda, quae si improbentur, magistri alia suffragantibus grata denuo exponent.

XVII. Comprobata pro futuris dissertationibus puncta, soli quinque censores per academiae socios distribuent, cuilibet disserendo puncto duos aut tres socios destinabunt, unum tamen eligent ex ipsis qui lingua latina elaboret dissertationem, alii autem vel alter quemcumque ipsis libuerit, sermonem vel patrium, vel italum, vel Galliarum, vel etiam Latii, graecum, aut hebraicum usurpabunt.

XVIII. Designatos socios ad elucubrandas tempore definito dissertationes, quolibet mense in academia recitandas, certiores faciet secretarius unumquemque admonens de puncto a censoribus illi ad disserendum designato, et de mense quo in academia recitanda erit dissertatio; etiam non omittet exprimere si uti debeat Latii sermone, nec silebit quales habeat socios ad illudmet punctum disserendum ab censoribus electos, nec tacebit alia puncta atque designatos ad illa enucleanda socios; caeteris etiam sociis horum omnium notitiam impertietur.

XIX. Hoc ut commodius praestet, distributionem universam a censoribus peractam praelo committet, et ad omnes et singulos academicos folium diriget in charta clausum, atque academiae sigillo obsignatum; in ipso folio etiam dicetur, singulis quibuscumque ex sociis permissum esse dissertationem suam condere, atque aliis commissa puncta discutere, enucleare.

XX. Tenebitur secretarius intra mensem hanc distributionem singulis academiae sociis notam facere.

XXI. In hacmet conferentia, censores eligent concionatorem ad futuram die quarta novembris academiae solemnitatem, quem secretarius commonebit de munere ipsi per censores iniuncto.

XXII. Tenebuntur designati socii ad disserenda puncta censoribus morem gerere, et dissertationes condere tempore praefinito; illas in academia coram omnibus recitabunt. Verum si aliqua ex causa recitatio existimetur difficilis, auctores disserta-

tionum, si adsint, quemcumque maluerit ex sociis recitaturum eligent; si autem absint, ad academiam dissertationes mittent usque ad diem decimam quintam mensis, deputati; ad academiae praesidem simul cum censoribus ac secretario spectabit socium designare dissertationi recitandae.

xxiii. Recitationes academiae fiant ex manuscripto, sive dissertationes sint sive orationes, vel ad minus palam coram omnibus supra mensam manuscriptum reponetur identidem ob oculos habendum, assidue manibus versandum.

xxiv. Si aliquis ex sociis legitime sit impeditus, statim atque ipsi comperta fuerit distributio per censores facta, secretarium admonebit de impedimento, ut ipse cum praeside et censoribus opportune de substitutione provideant.

xxv. Puncta ad disserendum proposita erunt octo, iuxta numerum mensium quibus clauditur academicus labor, unumquodque punctum suo mensi praefigetur. Quatuor erunt liturgica, totidem historica, initium a liturgia auspicabitur, sectabitur historia, utraque prosequetur alternatim.

xxvi. Unicuique ex sociis liberum erit, quam iudicaverit verisimiliorem propugnare sententiam, illam tueri, vindicare. Minime tenebitur pecudum more aliorum vestigiis adherere: verum socios non exacerbabit, nec verbis aut scripto dire excipiet, sed eorum famae, quantum in ipso erit, benevole prospiciet; non dissimili urbanitate exteros quoslibet complectetur literarios viros.

xxvii. Dissertationes asservabit secretarius, quousque praelo committantur, publicique iuris fiant, quod vel alternis annis continget iuxta numerum aut volumen earum; postquam autem editae fuerint, originalia manuscripta claudentur academiae archivio.

xxviii. Expensas suppeditabit academia, quae etiam singulis sociis impertietur singula collectionum academicarum volumina.

xxix. Die trigesima iunii congregabuntur universi socii ad auscultandam academicam orationem, qua secundus ordine electionis ex censoribus finem imponet academicis laboribus. Si autem ipse censor iusta de causa id perficere nequeat, illius locum tertius censor sedulo implebit.

xxx. Academicorum nullus opus aliquod edet praefixo socii nomine, nisi prius illud academia vel per censores vel per socios ad id singulariter eclectos dignum probaverit academico suffragio.

xxxi. Aula deputabitur digna instructa subselliis, ubi adunetur academia; in ipsa, mensa locabitur, cum tintinnabulo, et atramentario parato.

xxxii. In medio mensae sedebit praeses, huius dexteram tenebit magister liturgicus, sequetur magister historiae ecclesiasticae, deinde secretarius; sinistro lateri assident tres censores, ordine iuxta electionis proprietatem servato: caeteri socii hinc inde sedebunt, nullo aut sedium aut sedentium habito discrimine.

xxxiii. Praesidis erit curare ut semper inter academicos pax et societas teneatur, nullaque inter ipsos exurgat lis aut discordia: si necesse arbitretur aut expediat dissentionibus avertendis, cuilibet sociorum poterit silentium indicere, aut si maluerit, congressum dissolvere.

xxxiv. Si defuerit pater generalis qui, ut Romani Pontificis delegatus, academiae praeest, subdelegabitur praesidatus, primum vicario monasterii S. Crucis; ipso absente, magistro liturgiae; hoc etiam non adstante, devolvetur ad magistrum historiae ecclesiasticae.

xxxv. Praesidis arbitrio committitur, censores omnes cum secretario adunari quoties censebit academiae bono expedire, dummodo mediet unum inter et alium congressum quindecim dierum spatium.

xxxvi. Praesidi una cum censoribus et secretario fas erit universam academiam convocare ultra statos singulorum mensium congressus, semel tamen, et quando licuerit.

xxxvii. Cathedrarum magistri binas in hebdomada praelectiones recitabunt, exponentque liturgicus singulis tertiis et sextis feriis, historicus vero cuiuslibet hebdomadae quartis, et sabbathis.

xxxviii. Praelectio quaelibet insimul, ac expositio, unius horae spatio finietur.

xxxix. Hora isthaec a die quarta novembris usque ad sabbathum praecedens Dominicam Palmarum computabitur, ab hora tertia ad quartam vespertini temporis, a quarta vero ad quintam post Dominicam in Albis, usque dum terminetur academia.

xl. Ultra annos duodecim non adstringentur magistri cathedras moderare; verum quilibet tenebitur in propria facultate intra praefixum tempus duo saltem volumina in folio evulgare: utrumque volumen mille et quingentas paginas comple-

ctetur, ni placuerit in quarto quatuor tomos edere, aut sex in octavo congruentis magnitudinis.

XLI. Magistri soluti erunt a dissertationibus aliisque ultra hic expressis academiae oneribus; eadem immunitate gaudebunt reliqui tres censores quemadmodum et secretarius.

XLII. Penes secretarium erit academiae sigillum, quo tantum utetur in epistolis, caeterisque academiae nomine exaratis.

XLIII. Tres libros asservabit, quorum alter deserviat scribendis academiae sociis, eorum nominibus, mense, die, et anno acceptationis expressis: in altero describet quidquid censoribus videbitur posteritati demandandum ex iis, quae in academicis congressibus pertractantur: tertius denique censorum electiones continebit; insimulque dissertationum distributio per academiae socios ex censorum praescripto dispertitarum.

XLIV. Semel atque novus socius eligitur, secretarii interest electionem ipsi per literas nuntiare. Electus autem cum primum academiae aderit, illam honorifica recitata oratione salutabit; si vero absit, nec intra annum spes ei sit academiam adeundi, annum non sinat elabi, priusquam literis academiam gratificetur.

XLV. Nemo ex sociis tenebitur ad disserendum bis in eodem anno: ab annua etiam dissertatione immunis erit concionator ad solemnitatem protectoris ab academia deputatus.

XLVI. Cum aliquis ex sociis fatis cedit, atque communem mortalium ingreditur viam, censores unum ex academicis seligent, qui socii facta, mores, vitam in synopsim redacta, coram omnibus praefixo tempore recitabit.

XLVII. Quandoquidem academia ista Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIV. debet ortum, progressum, protectionem, omnia: omnibus etiam modis exoptat eidem Sanctissimo, atque Apostolicae Sedi devinciri: idcirco tenebuntur pater generalis cum quinque censoribus ac secretario, quoties legitime constiterit de nova Romani Pontificis electione, diem designare, qua universus congregetur academiae coetus, magister liturgicus coram omnibus orationem recitabit, noviter electo ab universa academia mittendam, qua eidem Sanctissimo denuo ipsam committat academiam, illius arbitrio regendam, erudiendam, moderandam.

XLVIII. Cum vero Pontificis Maximi contigerit decessus, magister historiae stata die per academiae moderatores funebre illius elogium recitabit.

XLIX. Pater generalis tenebitur sex canonicos regulares deputare ad auscultandas praelectiones, nec praefixum canonicorum numerum minuere poterit; cum aliquis ex designatis abfuerit, alterum designabit ipse, vel quicumque tunc temporis rexerit Monasterium S. Crucis.

L. Tenebitur etiam pater generalis cum diffinitorio cuilibet ex magistris ad minus unum canonicum regularem in adiutorem nominare praeter substitutos, qui polleat linguarum peritia latinae, graecae, atque hebraicae ut magistro prosit ad academicos labores perferendos, prosequendos, atque ad optatum finem producendos; cum vero accidat adiutorem aliquem qualibet ex causa deficere, alium deputabit pater generalis, aut quicumque eius vices gesserint.

LI. Pater generalis deputet unam domum magistris, quae sit bibliotheca propria cathedrarum in qua magistri cum substitutis conferre possint, dubia discutere, res difficiles ad trutinam appendere, ut inde verisimiliora deducant, quae literis in academiae ac totius Congregationis bonum postea mandentur, ac praelo committantur.

LII. Domus ista eadem privilegia tenebit, atque publica monasterii bibliotheca. Ex hac ad ipsam deduci poterunt libri, qui magistris necessarii existimentur, monito tantum bibliothecario, quos quidem libros statim reponent in bibliotheca publica, nec ultra dies quindecim poterunt in hac domo retineri.

LIII. In ipsa domo secretarius asservabit omnia manuscripta, libros, et quaecumque ipsi adscribuntur in ministerium.

LIV. Neque magistri, neque etiam duo canonici adiutores quibuslibet communitatis exercitiis etiam a patre generali adstringi poterunt, nisi ad illa, quibus tenetur artium lector in collegio sapientiae.

LV. Magistri duodenarium annorum numerum in academia complentes, aequales in omnibus censeantur reliquis Congregationis magistris emeritis, nec unquam ab huiusce academiae corpore censeantur avulsi aut alieni.

LVI. Pro cathedrarum dote, ac lectorum et substitutorum congrua substentatione Ssm̃us Dominus noster Benedictus XIV. quatuor ecclesias academiae univit, et in-

corporavit; omnium reddituum quomodolibet ad ipsas spectantium dominos constituit cathedrarum magistros, quibus omnium possessionem concredidit, atque plenam administrationem. Praebendam hanc expendi tantum praecepit in academiae commodum utilitatemque.

LVII. Magistris, iussit congruam certam vicariis ecclesiarum singulis annis distribuere, numerum tantum ducatorum ab ipso Sanctissimo praefinitum cuilibet tribuendo, caetera ad academiam reservavit.

LVIII. Praebendam administrabit procurator, qui magistrorum nomine ecclesiarum quoscumque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta inde provenientia libere poterit percipere, levare, arrendare, locare, dislocare.

LIX. Omnia in solutam pecuniam cum primo redacta acceperit, mittet in unum gazophylacium, nec ipsi procuratori licebit ultra dies decem pecuniam apud se retinere, priusque in gazophylacium mittatur.

LX. Gazophylacium asservabitur sub potestate magistri liturgiae tribus clavibus obseratum, quarum una erit apud patrem generalem, alteram servabit magister liturgiae, tertiam magister historiae ecclesiasticae.

LXI. Absque facultate patris generalis, et utriusque magistri assensu, nunquam aperietur, nec aliquid ex ipso gazophylacio extrahetur, nisi inde extrahenda summa per secretarium actitetur in libro authentico in ipsomet gazophylacio reposito. Servabitur etiam in gazophylacio liber alter praebendae destinatus: nec non scripturae, et contractus cum reddituum locatoribus stipulati.

LXII. Procurator rationum duos libros custodiet, in quorum altero accepta notabit, in alio vero expensa.

LXIII. Singulis annis expensarum rationes dabit procurator coram patre generali atque magistris.

LXIV. Solvet academia singulis annis pro onere magisterii atque congrua magistrorum, substitutorum adiutorumque substentatione mille aureos monasterio S. Crucis; quingentos circa festum Divi Ioannis Baptistae, alios quingentos circa Natale Domini.

LXV. Caeteros redditus impendet academia in emptione librorum, in comparandis per archivios antiquitatis monumentis, in typographia bene instruenda characteribus, etiam graecis, haebraicis atque syriacis, quibus via paretur commoda academiae elucubrationibus vulgandis; omnia insumentur in academiae utilitatem et profectum: nemini liceat academiae bona in alios usus convertere.

LXVI. Fas non erit capitulo generali alio avertere cathedrarum redditus, nec illos monasterio S. Crucis deputare, unire vel incorporare. Quaecumque praefatorum reddituum distractio, etiamsi fiat ab ipso capitulo generali, nulla, cassa irritaque habeatur.

LXVII. Statuta haec interpretari in academiae commodum patri generali pro tempore existenti tamquam Apostolicae Sedis delegato licebit una cum cathedrarum magistris, nihil tamen efficiat, si vel unus ex magistris reluctetur — Datum Colimbriae sub nostro signo et sigillo die vigesima februarii anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo. M. Episcopus Colimbriensis —

Loco ✝ Signi.

Supra relata statuta et leges approbantur, et pontificia auctoritate confirmantur.

§ 4. Nos itaque, postquam praeinsertas leges et constitutiones mature expendi curavimus, cupientes et nostri quoque patrocinii, amoris et existimationis specimen aliquod academiae huiusmodi praebere, ipsosque Michaelem Episcopum de Congregatione sua et ecclesia sibi concredita tantopere benemereri pergentem, ac regulares canonicos liturgicos academicos, apostolicis laudibus commendantes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostra deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinserta statuta et decreta, et in eis contenta et expressa quaecumque, tenore praesentium, approbamus et perpetuo confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque ita ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari debere praecipimus et mandamus.

Academicas elucubrat. quantocius praelo

§ 5. Considerantes praeterea perutile fore academiae progressui quantocius typis

committi in ecclesiae bonum iniungit.

mandare proprias elucubrationes, atque in ecclesiae bonum cedere sacrorum Rituum atque historiae ecclesiasticae libros, quibus ipsa ab hereticorum et acephalorum calumniis vindicatur, sine mora evulgare, ea proter, ut academicae collectiones et libri quicumque sacros ritus et historiam ecclesiasticam concernentes, et alia opera ex academiae praescripto a cathedrarum magistris, eorum substitutis, academiaeve sociis elaborata, et quaecumque opera, ex quibus honor ac splendor saepe memoratae academiae accrescat, postquam per censores academiae huiusmodi, vel per duos ex sociis a praeside una cum censoribus omnibus nominatim adeptos probata fuerint, praeloque digna iudicata, petita tantum et obtenta ab Ordinario pro tempore existente Episcopo approbatione, praelo committi possint, motu, scientia ac potestate similibus licentiam concedimus et facultatem.

Facultatem concessam a Benedicto XIV. lectoribus academiae legendi et retinendi libros prohibitos confirmatur, sub conditionibus ab Episcopo Colimbriensi praescribendis.

§ 6. Porro cum laudatus Benedictus praedecessor noster per alias suas in simili forma Brevis die XXI. februarii MDCCXLIX. datas litteras, magistris seu lectoribus utriusque cathedrae, et sacrorum rituum et ecclesiasticae historiae, amplissimam legendi et retinendi quoscumque prohibitos libros licentiam concesserit, prout in dictis litteris latius continetur, nos omnia opportuna apostolicae nostrae potestatis et auctoritatis subsidia suppeditare volentes, quo academia isthaec uberiora in dies proferat incrementa virtutum, eiusque canonici academici magis magisque et in studiis et in pietate proficiant, ea propter saepe memorato Michaeli moderno et pro tempore existenti Colimbriensi Episcopo iniungimus, et omnes necessarias et opportunas facultates damus, ut pro suo arbitrio et prudentia, et sub iis conditionibus quas magis expedire in Domino iudicaverit, quodcunque indultum legendi et retinendi libros prohibitos etiam censoribus annuis, secretario academiae, substitutis cathedrarum, et duobus adiutoribus iuxta praeinserta statuta pro tempore deputandis, auctoritate nostra apostolica concedat et elargiatur.

Exequutores praesentium literarum designat, pro omnimoda statutorum observantia.

§ 7. Ut autem praesentes omniaque et singula in eis contenta debitae parataeque exequutioni omnimodaeque demandentur observatiae, eidem Michaeli Episcopo, et in eius defectum venerabilibus etiam fratribus Portugallien. ac Leyrien. Episcopis et dilecto filio digniori et antiquiori ministro, non tamen regularis tribunalis Inquisitionis contra haereticam pravitatatem Portugalliae et Algarbiorum Regnorum pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, quoties pro parte dictorum canonicorum academicorum fuerint requisiti, easdem praesentes nostras litteras et in eis contenta et expressa quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant apostolica auctoritate nostra omnia et singula praemissa suum debitum sortiri effectum; non permittentes eosdem canonicos liturgicos academicos a quoquam super iisdem praemissis quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 8. Decernimus enim easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-legatos, et apostolicae huius S. Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non praefatae congregationis canonicorum S. Crucis ac universitatis studii generalis Colimbriensis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, et quibuscumque aliis decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorum-

que totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die xx. septembris MDCCLIX., pontificatus nostri anno II.

XIV.

Ecclesiam seu cappellam aut beneficium S. Petri a Colonello Salernitanae dioecesis unitum Monasterio S. Mariae Matris Domini, cuius commenda ab Episcopo Cyrensi retinetur, cum primum commenda vacaverit, ex nunc pro tunc a dicto Monasterio separat, et concedit Collegio Sinensi sacrae Familiae Iesu Christi prope Neapolim, ad hoc ut alii quatuor alumni in eo instituantur, duo Sinenses et Indi, duo alii e regionibus vocandi Turcarum dominio subiectis (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Collegia ecclesiastica pro erudiendis adolescentibus ad missiones peragendas laudibus commendat.

Quanta Ecclesiae Dei commoda et bona proveniant ex ecclesiasticorum collegiorum institutione, eorumque praecipue, in quibus e remotis regionibus in falsae religionis tenebris ac superstitionis erroribus misere iacentibus aliqui adolescentes (quorum indoles et voluntas spem afferat, eos Ecclesiae ministeriis et verae fidei propagationi assidue inservituros, antequam alicuius vitii maculâ notentur) pietate, religione, scientiis sacrisque caeremoniis informantur provide considerantes; pro supremi muneris nostri debito quantum nobis datum est, collegia ipsa et alumnorum numerum amplificare non detrectamus, prout expedire in Domino conspicimus.

Erectionem huius collegii et instituti praestantiam commemorat.

§ 1. Alias siquidem fel. record. Clemens Papa XII. praedecessor noster fundationem Collegii sub titulo Sacrae Familiae Iesu Christi extra civitatem Neapolitanam siti, curaeque et directioni Congregationis presbyterorum saecularium commissi ad hoc, ut in eo alumni Sinenses et Indi, qui ex iis regionibus ad catholicae fidei addiscenda praecepta, ad sacerdotalem amplectendum statum, ac sese in patriam reversos ad annuntiandum Christi Evangelium parandos advenissent, educarentur, eiusdemque Collegii constitutiones et regulas apostolicâ eius auctoritate confirmavit et approbavit.

Bened. XIV. hoc institutum protexit, et redditibus auxit.

Successive verò eiusdem recordationis Benedictus PP. XIV., etiam praedecessor noster, intendens pium dicti Collegii opus Sinensium et Indorum nationibus adeo utile et salutare totis viribus promovere, illudque temporalibus vitae subsidiis provide communire, motu etiam proprio, et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, monasterium - Abbatiam nuncupatum *S. Petri de Ebumbo* seu *Eboli*, Ordinis S. Benedicti Salernitanae dioecesis, quod tunc in humanis agens Marius Millini, etiam tunc unus ex causarum palatii apostolici auditoribus et postea S. R. E. Cardinalis, in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis tunc pariter obtinebat, ex tunc et cum primum monasterium praedictum ex personâ dicti Marii quovis modo illius commendâ cessante vacavisset, cum annexis quibuscumque ac omnibus illius bonis et pertinentiis, nec non quibusvis fructibus reditibus ac proventibus certis et incertis sub certis modo et formâ tunc expressis eidem Collegio pro illius antea exiguae dotis augmento, donec tamen idem Collegium in dictâ civitate Neapolitanâ extiterit, apostolicâ eius auctoritate univit, annexit et incorporavit, prout in praedicti Benedicti praedecessoris literis desuper expeditis plenius continetur.

---

(1) Collat. cum Regesto Bullarum de Curia asserv. in Arch. Vatic.

Refertur utilitas ex hoc instituto erga infideles ad catholicam fidem conversos, et quantum intersit alumnorum educandorum numerum augere.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, postquam unio praedicta effectum suum sortita fuit, iuxta dicti Collegii reditus, et obligationem subinde per dictum Benedictum praedecessorem impositam, hactenus sexdecim adolescentes, quorum videlicet octo Sinenses et Indi, reliqui vero octo ex nationibus Turcarum dominio subiectis pro tempore in eo recepti et educati, sacrisque literis imbuti, postea ad sacros ordines promoti fuerint, ipsique ad patriam respective reversi catholicam Religionem, benedicente Domino, mirabiliter propagarint et propagare pergant; peropportunum etiam in Domino existimamus numerum dicti Collegii alumnorum, alia temporalia subsidia ipsi applicando, augere.

Postulatio pro reunione bonorum cappellae S. Petri praefato collegio.

§ 3. Cumque, sicut etiam accepimus, dicti monasterii fundis per Benedictum praedecessorem praedictum eidem Collegio, ut praefertur, unitis proxima sint bona sine curâ ecclesiae seu cappellae S. Petri a Colonello, seu *la Petruccia* vulgo nuncupatae, dictae Salernitanae dioecesis, aut in eâ perpetui simplicis beneficii ecclesiastici sub invocatione seu ad altare eiusdem S. Petri seu alterius Sancti, quae seu quod a monasterio Abbatiâ etiam nuncupato S. Mariae Matris Dominis praefati S. Benedicti seu alterius Ordinis eiusdem Salernitanae dioecesis dependet, aut alias illi canonice unita seu unitum existit, si dicta sine curâ ecclesia seu cappella aut beneficium huiusmodi, praeviâ illius a monasterio secundodicto eiusque mensâ abbatiali separatione, et, quatenus opus sit, dismembratione, cum illius bonis eidem Collegio, prout infra, uniretur, ita dicti Collegii reditus augerentur, ut, postquam infrascripta etiam unio suum fuerit sortita effectum, alii quatuor adolescentes in alumnos recipi et in eo educari possint; ac ad id ven. fratris nostri Nicolai Xaverii Sancta-Maria moderni Episcopi Cyrenen., qui monasterium secundodictum in commendam ad sui vitam ex simili concessione et dispensatione apostolicis ad praesens obtinet, expressus accedat assensus:

Ex S. Congr. de Propag. Fide voto et consilio, prudens et utilis habita fuit memorati collegio ampliatio.

§ 4. Intendentes propterea iuxta Congregationis venn. fratrum nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium negotiis de Propagandâ Fide praepositorum, a qua dictum Collegium dependet, votum et consilium nobis oblatum, eiusdem Collegii institutionem adeo utilem, et de catholicâ Religione benemeritum ac remotissimis regionibus salutarem, quantum in Domino possumus, ampliare, modernosque ipsius Collegii superiorem ac presbyteros et alumnos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsosque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictam sine curâ ecclesiam seu cappellam aut beneficium huiusmodi una cum eius proprio territorio et pertinentiis suis, cuius et eiusdem territorii ac pertinentiarum huiusmodi fructus, reditus et proventus nonaginta quinque ducatorum auri de Camerâ huiusmodi, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, ex nunc prout ex tunc et e contra, ac cum primum monasterium secundodictum, illius Commendâ per cessum etiam ex causâ permutationis, vel decessum, seu privationem, aut dimissionem, seu amissionem, seu religionis ingressum, vel professionis emissionem dicti Nicolai Xaverii Episcopi, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam cessante, vacare contigerit, etiamsi actu nunc quovis modo, quam (1) etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, vacet, a monasterio secundodicto eiusque mensâ abbatiali harum serie seiungimus et separamus et, quatenus opus sit, etiam unionem quamcumque dissolvendo apostolicâ auctoritate dismembramus.

Cappella S. Petri a Colonello, eiusque bona nunc pro tunc, et quatenus vacare contigerit, ex abbatia Matris Dei in Salernitana dioecesi perpetuo disiungitur et separatur.

§ 5. Eamdemque sine curâ ecclesiam seu cappellam aut beneficium huiusmodi per nos, ut praefertur, seiunctam et separatam ac etiam dismembratam, seu seiunctum et separatum ac etiam dismembratum, etiam ex nunc prout ex tunc et e contra, ac cum primum monasterium secundodictum ex personâ dicti Nicolai Xaverii Episcopi, illius commendâ quovis modo, ut praefertur, cessante, vacaverit seu vacet; ac ita quoque illam seu illud, quatenus eadem sine curâ ecclesia seu cappella aut beneficium huiusmodi ab eodem secundodicto

Eadem cappella et bona, reditus, atque proventus nunc pro tunc collegio praefato uniuntur, et incorporantur quousque collegium praefatum in Neapolitana civitate extiterit.

(1) Fortasse vox *quam* melius collocaretur post verbum *resultet*.

monasterio minime dependens, seu ipsi, ut praefertur, unita seu unitum non existeret, dictusque Nicolaus Xaverius Episcopus illam seu illud ex concessione et dispensatione paribus in similem commendam ad sui vitam obtineret, ex nunc pariter et ex tunc et e contra, ac quando illud seu illa ex eiusdem Nicolai Xaverii Episcopi, ut praefertur, vel ex alterius cuiuscumque personâ, aut alias quovis modo etiam apud Sedem praedictam vacare contigerit seu etiam vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, provisio et omnimoda alia dispositio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam praedictam legitime devoluta existat, cum dictis territoriis et pertinentiis, nec non omnibus et singulis bonis, rebus, proprietatibus, et iuribus, nec non illius fructibus, reditibus ac proventibus praefatis ad dictam sine curâ ecclesiam seu cappellam aut beneficium huiusmodi quovis modo spectantibus et pertinentibus, dicto Collegio, ad infrascriptum tamen effectum et non alias, ac donec et quousque dictum Collegium in dictâ civitate Neapolitanâ permanserit, ita quod statim ac monasterii secundodicti commenda, ut praefertur, cessaverit, seu dictae sine curâ ecclesiae seu cappellae aut beneficii huiusmodi vacationis casus, ut praefertur, evenerit, liceat praedictis modernis seu tunc existentibus eiusdem Collegii superioribus et presbyteris dictae sine curâ ecclesiae seu cappellae aut beneficii huiusmodi, illiusque territoriorum et pertinentiarum, ac bonorum, rerum, proprietatum et iurium quorumcumque, nec non fructuum, redituum ac proventuum praedictorum veram, realem et actualem possessionem, per se vel alium seu alios eiusdem Collegii nomine, propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam retinere, dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus, reditus, proventus et emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, et quomodocumque et qualitercumque ex eis provenientia exigere, percipere, levare, ac pro substentatione infrascriptorum alumnorum convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, supportatis tamen per praedictum Collegium, et pro eo per modernos et pro tempore existentes illius superiorem et presbyteros praedictos omnibus et singulis dictae sine curâ ecclesiae seu cappellae aut beneficii huiusmodi oneribus, dicta apostolicâ auctoritate, motu et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, unimus, annectimus et incorporamus.

Unionis casu advento, praecipitur ut alumnorum numerus ex sexdecim ad viginti augeatur.

§ 6. Statim ac autem monasterii secundodicti commenda, ut praefertur, cessaverit, et dismembrationi praedictae locus factus fuerit, seu dictae sine curâ ecclesiae seu cappellae aut beneficii huiusmodi vacationis casus, ut praefertur, evenerit, per easdem praesentes constituimus, ac praecipimus et mandamus, quod praeter et ultra numerum sexdecim alumnorum per Benedictum praedecessorem praefatum, ut praefertur, constitutum, alii quatuor alumni, quorum videlicet duo Sinenses et Indi, reliqui vero duo sint ex supramemoratis aliis Turcarum dominio subiectis nationibus; ita ut dicti Collegii alumni non modo sexdecim sed viginti numerentur, in idem Collegium recipi, ali et substentari, ac in eo educari, instrui ac erudiri debeant per integrum consuetum tempus, ac iisdem prorsus modo et formâ, quibus alii primaevi dicti Collegii alumni in eo permanserunt et permanent, ac permanere solent: ac propterea etiam expresse sancimus, quod dicti moderni et pro tempore existentes dicti Collegii superiores et presbyteri secundodictae Congregationi, a qua, ut praefertur, Collegium praedictum dependet, de receptione, educatione, ac profectu dictorum quatuor alumnorum, ac alias in omnibus et per omnia rationem reddere teneantur.

Hunc collegium eximit a quindenniis, annatis, aliisque iuribus Camerae Apostolicae, et S. R. E. Cardinalib. pertinentibus.

§ 7. Praeterea indemnitati dicti Collegii consulere volentes, et attento, quod illud a primodictâ Congregatione etiam, ut praefertur, dependet, Collegium praedictum ab annatarum, quindenniorum communium, minutorum, aliorumque iurium Camerae Apostolicae, ac etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Romanae Curiae officialibus de annatis, quindenniis communibus, minutis, et aliis iuribus praedictis quomodolibet participantibus, eorumque respective collegiis ratione seiunctionis, separationis, dismembrationis ac unionis huiusmodi debitorum solutione et praestatione, auctoritate et tenore praedictis omnino eximimus et liberamus, liberumque et exemptum omni futuro tempore fore et esse volumus et mandamus.

Quaslibet futuras provisiones de eadem cappellania, et bonis praeter quam ad como-

§ 8. Decernentes dictam sine curâ ecclesiam seu cappellam aut beneficium huiusmodi ex nunc prout ex tunc praedicto Collegio unitam, annexam et incorporatam,

dum praefati collegii prohibet, et quas fieri in posterum fortasse diversimode contigerit, irritat.

seu unitum, annexum et incorporatum esse et fore, ac ex nunc plenum ius eidem Collegio in illâ seu illo vere et non ficte acquisitum existere, ipsumque Collegium beneficio regularum nostrarum et Cancellariae Apostolicae de non tollendo iure quaesito, ac de annali et triennali possessoribus gaudere, dictamque sine curâ ecclesiam seu cappellam aut beneficium huiusmodi, commendâ monasterii secundodicti, seu eiusdem sine curâ ecclesiae seu cappellae aut beneficii huiusmodi quovis modo cessante, ad hoc, ut de illâ seu illo in alterius quam dicti Collegii, favorem disponi possit, minime vacare posse, ac ex nunc omnes et singulas collationes, provisiones, commendas, et quasvis alias dispositiones de eâdem sine curâ ecclesiâ seu cappellâ aut beneficio huiusmodi quovis modo vacaturâ seu vacaturo aut vacante, tam coniunctim cum monasterio secundodicto, quam ab illo separatim, etiam per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, et Sedem eamdem, vel illius etiam de latere Legatos, cum quibusvis clausulis et decretis, in alterius, quam praedicti Collegii, favorem faciendas, tamquam praeter et contra mentem et intentionem nostras factas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, nullumque per eas cuiquam ius acquiri, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 9. Praesentes quoque nostras literas nullo unquam tempore ex quocumque capite vel quacumque causâ, quantumvis iuridicâ et legitimâ de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, aut ex aliâ quavis causâ notari, impugnari, invalidari, aut alias quomodolibet infringi, aut per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem praedictam, revocari, suspendi, restringi, limitari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus eas restitutionis in integrum, aut quodcumque aliud gratiae, iustitiae vel facti remedium impetrari, aut illis in aliquo derogari nullatenus unquam, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, ac Cancellariae praedictae regulis, unionum effectum suum non sortitarum revocatoriis a nobis et quibusvis Rom. Pontificibus successoribus nostris emanatis et emanandis comprehendi vel confundi, sed tanquam pro ampliatione dicti Collegii ad bonarum artium cultum, fideique catholicae propagationem instituti factas semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum eiusdem palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae praedictae regulis de exprimendo vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore in dismembrationibus et unionibus, deque illis ad partes committendis, vocatis quorum interest, ac Lateranensis et aliorum etiam generalium Conciliorum uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, ac etiam beneficia unius dioecesis cum aliis beneficiis, collegiis et locis alterius dioecesis uniri prohibentium, nec non fel. record. Pii PP. IV. de gratiis interesse dictae Camerae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eâ registrandis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; nec non monasterii secundodicti et Ordinis, cuius illud existit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roborati statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis, in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent,

praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, nec non opportune et valide, motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Ceterum per dismembrationem et unionem huiusmodi volumus et declaramus taxam fructuum monasterii secundodicti in florenis sexaginta sex auri cum duobus tertiis alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae descriptam, quum illius veri annui reditus longe superiores sint, ut accepimus, nullatenus imminui vel immutari debere. Quoad quam voluntatem et declarationem volumus praesentem nostram solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere in iudicio et extra illud, regulâ quacumque contraria non obstante.

Sanctio poenalis

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae absolutionis, seiunctionis, separationis, dismembrationis, unionis, annexionis, incorporationis, constitutionis, praecepti, mandati, exemptionis, liberationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo octavo kalendas maii, pontif. nostri anno secundo.

XV.

Gnesnensi Archiepiscopo per pontificias litteras, de alternativa collatione beneficiorum, et de nominatione ad quinque cathedralium dignitates in Poloniae Regno, datis postulationibus respondit, nonnullasque alias ecclesiasticas quaestiones resolvit.

Ven. fratri Wladislao Archiepiscopo Gnesnensi,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causam exprimit cur Archiepiscopi postulationibus responsionem dare distulerit.

§ 1. Inter gravissimas curas, quibus premitur infirmitas nostra sub apostolici muneris sarcina, non leve solatium est, si possumus aliquando venerabilium fratrum Episcoporum desideriis annuere, et christiani alicuius regni tranquillitati prospicere: hanc ob causam litteras fraternitatis tuae, aliorum quoque Episcoporum, qui apud te convenerant, nomine, datas benevole sic excipimus, quemadmodum sollicitudo vestra in ecclesiastica disciplina retinenda, promovendisque commodis inclytae nationis de Apostolica Sede egregie meritae poscebat, et carissimi in Christo filii nostri Poloniae Regis officia iisdem adiuncta promerebantur. Mirum autem videri non debet, si ab eo tempore, quo datae fuerunt, usque ad hanc diem responsum nostrum distulimus; sane non inutiliter hoc tempus effluxit, quod impendimus serio cogitantes de nova concessione apostolica, ad beneficiorum collationem quod attinet, impertienda, qua dignitati Sedis Apostolicae ac simul Episcoporum iuribus consuleretur, et amputarentur una veteres illae controversiae duobus abhinc saeculis, et ultra, exórtae, atque adhuc vigentes de Indultis Summorum Pontificum decessorum nostrorum Leonis X. et Clementis VII. (1) hoc enim temporis spatio inter Apostolicae Sedis administros, vestrosque procuratores ita discussa, feliciterque transacta res est, ut fraternitatis tuae aliorumque Antistitum votis satis nos fecisse merito existimemus.

Perpetuum ius Poloniae Episcopis attribuit alternativae collationis beneficiorum specialiter S. Sedi minime reservatorum, nec non quinque in cathedralib. dignitatum, tandem coadiutorias absque Ordinariorum te-

§ 2. Siquidem, quod primum erat litterarnm tuarum caput, perpetuam facultatem Episcopis concedere statuimus conferendi alternis mensibus ea ecclesiastica beneficia, quorum collatio et provisio, cessantibus generalibus atque specialibus reservationibus apostolicis, nec non legitimis patronatus iuribus, Ordinariorum potestati certis anni mensibus permitti consuevit, ne-

(1) Quae hic referuntur Leonis X. et Clementis VII. litterae de nova collatione apostolica ad beneficiorum collationem, non reperiuntur impressae in Bullario Mainardii. Quoad Ruthenos in Poloniae Regnis et Russia Polonica adsunt constit. Benedicti XIV. anni MDCCXLIV., maii II., itemque altera anni MDCCLI., martii XXIX., nec non anni MDCCLIII., augusti XIV., et tandem anni MDCCLVI., martii XXX., quae omnes reperiuntur insertae in Bullario huius Pontificis.

stimonialibus nunquam collatorum promittit.

que absimili de vobis benemerendi voluntate, ad tollendas dubitationes omnes aequum censuimus constabilire pariter ius eligendi ad quinque Archidiaconatus istarum Cathedralium Ecclesiarum: cavebimus denique ne deinceps dentur coadiutores cum futura successione ad beneficia, quae vel animarum curam, vel residentiae onus habent adnexum, nisi prius exhibita fuerint testimonia praesulum, in quorum dioecesibus beneficia existunt: ad eos enim pertinet dignoscere, num ecclesiarum utilitati et petentium meritis concessiones eiusmodi conveniant, quemadmodum etiam in aliorum beneficiorum collationibus eorumdem Ordinariorum attestationis aequa habebitur ratio.

Decretum Benedicti XIV. de non tribuendis amplius duobus beneficiis cum cura animarum explicat, et abrogare minime posse significat, nisi in specialibus casibus Romano tantum Pontifici reservatis.

§ 3. Secundum epistolae caput pertinet ad sa. me. Benedicti XIV. decretum de non tribuendis amplius apostolicis provisionibus pro duobus beneficiis cum cura animarum, quod quidem quum sacrorum canonum et Tridentini Concilii prescripto plurimisque Apostolicae Sedis sanctionibus consentaneum sit, persuasum esse cupimus fraternitati tuae abrogari neutiquam posse; consulto enim sapientissimus Pontifex in isto praesertim Poloniae Regno hoc duxit esse sanciendum, ne ab exemplorum frequentia, quae plurima irrepserant, invalesceret opinio ex contraria consuetudine, saluberrimam hanc legem fuisse sublatam, cui profecto nisi ex gravissimis rationum momentis, derogare nunquam licet. Possunt equidem peculiares quaedam circumstantiae iustam aliquando suppeditare causam, cur a communi lege, sive eadem ecclesiastica sit, sive civilis, dispensari queat: hancque ob causam nostro et successorum nostrorum arbitrio reservamus hanc dispensandi in duobus beneficiis, curam animarum habentibus, potestatem, quotiescumque id suadeant iustae urgentesque causae, quae Antistitum et apostolici Nuncii testimonio comprobentur, atque huic apostolicae indulgentiae eo facilior patebit aditus, si res erit de obtinendis duobus incompatibilibus beneficiis, quibus cura animarum adiecta non fuerit.

Quid agere debeant Episcopi cum religiosis hominibus ab regularibus eorum praesulibus ab religione expulsis, commemorat ex sacrorum canonum disciplina.

§ 4. Doles tertio loco de nimia praelatorum regularium facilitate in expellendis religiosis hominibus, qui nulla ratione ad bonam frugem per eos revocari possunt, eaque propter incorrigibiles dicuntur, quod quidem gravem Episcopis molestiam, saeculari autem clero ignominiam infert, tum enim, assumpto clericali habitu, expulsionis infamiam operire satagunt, quin interim a veteri pravitate et a peccatis resipiscant: qua in re, praelati regulares ignorare neutiquam debent, quid canonicae sanctiones ipsis praescripserint observandum, antequam ad ultimum hoc eiectionis remedium deveniant, quidquid postquam eiecti fuerint, ab iisdem faciendum iuxta decretales litteras Gregorii IX. decessoris nostri *in Cap. finali de Regularibus;* debent enim singulis annis eosdem interpellare ac requirere, ut ad poenitentiam suis in Coenobiis agendam revertantur. Interea vero nosse etiam te oportet, quod tales eiecti ab ordinum exercitio suspensi sunt, quin possint Ordinarii locorum suspensionem hanc relaxare; haec si rite per Episcopos animadvertantur atque serventur, nulla erit hac de re imposterum querelarum occasio. Caeterum si regularium praelatorum culpa negligantur isthic, quae rite praemittenda sunt ante eiectionem, quaeque eamdem consequi debent, tum sanctiones eiusmodi renovare, novoque apostolicae firmitudinis calculo roborare parati sumus, ut ecclesiastica disciplina, qua nobis nihil antiquius est, sancte illibateque custodiatur.

Apostolica charitate se prospecturum in Rutheni cleri miseram et luctuosam conditionem, ut catholicæ religionis cultus in eo conservetur, promittit.

§ 5. Quarto triste admodum nobis accidit intelligere, ob summam sacrarum rerum ignorantiam, depravatos mores corruptamque fidei doctrinam, Rutheni Cleri conditionem sic miseram et luctuosam, ut valde timendum sit, Catholicam Religionem in eo brevi interituram, nisi quamprimum, praeside Apostolico Nuncio, aliisque latinis Episcopis adsidentibus, nova Synodus congregetur: quod quidem eo perstrinxit acrius animum nostrum, quia probe meminimus non ita pridem, anno nimirum MDCCXX., habitam fuisse Zamosciensem Synodum, ubi coram Apostolico Nuncio sedulo pertractata sunt atque firmata quaecumque ad custodiendum fidei depositum, ad catholicam unitatem servandam, promovendamque morum disciplinam necessaria sunt visa; cuius autem Synodi decreta diligentissime prius expensa, postmodum vero a Summis Pontificibus Innocentio et Benedicto tertiis decimis decessoribus nostris approbata, vel in suo robore permanere, vel ad observantiam facile revocari posse arbitramur: neque nos pariter latet solertissima cura Benedicti XIV., qui Graecorum omnium catholici Orbis negociis sapientissime prospexit, et Ruthenorum praesertim amplissimi istius Regni ea Aposto-

licae Sedis caritate, qua uti mater amantissima fideles cunctos sibi unitos, quamtumvis diversi sint ritus, in sinu et in oculis semper gerit; atque sperabamus, ut in vinculo caritatis et morum disciplina ipsi quoque firmius contineri debuissent: nihilosecius apostolicae sollicitudinis memores, ubi de hisce omnibus latius instructi fuerimus tum ab Archiepiscopo Mitilenarum Romam proxime redituro, tum vero ab Ephesino in eius locum isthic suffecto, de iis remediis sedulo cogitabimus, adstipulante Congregationis Fidei Propagandae consilio, quae ad orthodoxae fidei puritatem, et ecclesiasticam disciplinam in eo clero redintegrandam, conducere magis in Domino existimabimus.

Benedicti XIV. encyclicam quoad hebraeos in Poloniae regnis degentes commemorat, illiusque observantiam praescribit, novaque futura consilia hac de re praebiturum promittit.

§ 6. Quinto rogas, quid Episcopis agendum sit, ubi secundum patrias leges petitur facultas construendi reparandive Hebraeorum synagogas; times enim, si negaverint iis detrimentum inferri, qui pecunias suas Iudaeis faenerantur, Synagoga fideiubente, ne, hac diruta, pereat debitorum nomen. Difficile admodum est petitioni huic affirmando aut negando tuto respondere, quum quandoque ex peculiaribus rerum circumstantiis id permitti ac tollerari posse videatur: quamobrem fr. tuam hortamur, ut quaestionem hanc enucleatius proponas, tunc enim eamdem, vocatis etiam in consilium venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus S. Officii, accuratius perpendere licebit. Interea fraternitati tuae in mentem ducimus revocandam Encyclicam epistolam Benedicti XIV. saepius laudati, diei XIV. iunii MDCCLI. ad istius regni Episcopos datam, ubi ea omnia, quae secundum sac. Canonum regulas vestrasque synodicas leges Hebraeis vetita sunt, doctissime demonstrat, atque illud ipsum dolet, quod modo enunciant litterae tuae, locatas nempe christianorum pecunias super synagogis iudaeorum, unde fit, ut tot sint synagogae patroni, quot sunt creditores; hanc ob causam Episcoporum vigilantiam excitare studuit, ut verbo et exemplo docerent, christianum populum cavere a iudaeorum commerciis, et praecipue non sinerent ecclesias piasque domos pecunias suas synagogis faenori dare; tunc enim sperandum foret ut laici etiam ab eiusmodi usuris a synagogis percipiendis removerentur.

Quoad Apostolici Nuncii auditorem in Polonicis regnis peculiaria quaedam participat.

§ 7. Denique ad desiderium illud, quod spectat, de retinendo in obsequiis novi Apostolici Nuncii dilecto filio Evangelista Stephanino, qui auditoris munere laudabiliter sub illius antecessore functus est, aequum nobis visum non est, ven. fratrem Archiepiscopum Ephesinum ea libertate privari, qua reliqui Apostolici Nuncii in auditoris sui delectu hactenus usi sunt; illud tamen pro certo habeatis volumus, talem eum sibi adlegisse sacerdotem, natalibus, doctrina, prudentia, morumque integritate ornatum, qualem vobis quoque gratum acceptumque fore confidimus. Haec sunt quae literis tuis duximus respondenda, atque interea apostolicam benedictionem nostram fraternitati tuae aliisque Episcopis peramanter largimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. maii MDCCLX., pontificatus nostri anno II.

XVI.

Declarat abdicationem Patriarchatus Antiocheni Graecorum-Melchiturum a Cyrillo III. factam nullam fuisse deficiente consensu S. Sedis; irritam pariter esse electionem Sacerdotis Ignatii in Patriarcham a nonnullis Episcopis nationis factam, electum insuper in suspensionem incurrisse, et mortuo iam eodem Cyrillo, novam electionem devolutam esse ad Sedem Apostolicam (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Antiochenae Ecclesiae antiquitas, atque praestantia.

§ 1. Quam cara semper fuerit Antiochena Ecclesia Romanae, S. Innocentii ad Alexandrum Antiochenum verba satis ostendunt, qui hoc uno eam dixit esse minorem, quod illa quidem Petrum Apostolorum Principem *in transitu possidere* meruerit, haec vero *susceptum apud se consummatumque* gavisa fuerit. Porro hanc ob causam Romani Pontifices decessores nostri maximopere gavisi sunt, ubi venerabiles illius reliquias in Graeco-melchitis vere orthodoxis, errorum schismatisque tenebris discussis, reviviscere ac reflorescere conspexerunt, laetati insuper, quod postmodum in catholicae fidei unitate ac veritate permanserint.

---

(1) Ex Bull. de P. F. vol. IV., pag. 31. Coll. cum Reg. Vat. Epistolar. ad princ. viros et alios.

Narrat abdicationem Antiocheni Patriarchae et subsequuta arbitraria alterius sacerdotis designatio in praecedentis Patriarchae subrogationem.

§ 2. Quoniam vero nullum in terris gaudium est, quod amaritudine aliquâ non permisceatur, hanc ipsi aegritudinem propter peccata nostra persensimus accepto nuncio divisionis inter nationem istam nuperrime subortae, occasione abdicationis Patriarchae Cyrilli huius nominis III., consequentisque in eius locum sacerdotis Ignatii designationis. Quod quidem negotium cum discutiendum delegaverimus nonnullis venn. fratribus nostris S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandae, auditis procuratoribus hinc et inde Romam missis, censuerunt,

Patriarchae renunciatio absque Apostolicæ Sedis indulto nulla declarata fuit a S. C. de Prop. Fide.

Cyrilli Patriarchae abdicationem nullam atque irritam fuisse, quia factam nullo prius ab Apostolicâ Sede permissu obtento, cum haec dicti Patriarchae electionem confirmavisset, ac praevio consueto iuramento pallii honore eumdem honestavisset: pari enim de causâ non absimilem renunciationem Iosephi I. Chaldaeorum Patriarchae nullam irritamque sub finem praeteriti saeculi decreverunt.

Enumerantur nullitates queis inficitur electio novi Patriar. ab aliquibus Melchitis Episcopis facta.

§ 3. In hac autem eo gravius peccarunt Melchitae Episcopi electores, cum ad electionem devenire veriti non sint, nullo habito respectu neque appellationis a quatuor Episcopis ad Apostolicam Sedem delatae, neque aetatis annorum viginti septem, quae sola, praeter cetera, illum ab

Vacante per obitum quavis episcopali eccles., Romanae Sedi spectat nova illius Ecclesiae provisio secundum sacros canones, et antiquissimam consuetud.

Episcopatu repellere debuisset. Interim vero, cum dictus Patriarcha Cyrillus viam universae carnis ingressus fuerit, nova electio in eiusmodi circumstantiis ad Apostolicam Sedem devoluta est, quae propterea secundum sacros canones et antiquissimam consuetudinem patriarchalis Ecclesiae de personâ sibi benevisâ debet ex integro providere.

§ 4. Quamobrem urgente Ecclesiarum omnium solicitudine, a pastorum Principe Iesu Christo infirmitati nostrae impositâ, nos, qui paternâ caritate Graeco-Melchitarum nationem amantissime complectimur, inhaerentes consilio memoratae Congregationis, nec non motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, abdicationem bo. me. Patriarchae Cyrilli nullam et irritam declaramus, quemadmodum etiam dictum sacerdotem Ignatium suspensum ab exercitio ordinum, reservatâ nobis facultate eumdem absolvendi, postquam is sincerae poenitentiae signa ediderit; nec non illius electionem nullam pariter, irritam, inanem, ac nullius roboris et momenti esse et fore declaramus, annullamus, irritamus et cassamus, dictamque electionem perinde haberi debere in omnibus et per omnia, ac si nunquam facta fuisset, pariter decernimus, praecipimus et declaramus, nullumque ius et auctoritatem per electionem antedictam praetenso electo acquisitum sive acquisitam esse et fore, ac irritum et inanem nulliusque roboris ac momenti quemcumque actum per ipsum praetensum electum sive factum aut faciendum, quemadmodum etiam eumdem in iis omnibus et singulis ad patriarchalem potestatem et auctoritatem spectantibus sese ingerere et intromittere audentem, ipso facto poenis omnibus contra non parentes mandatis apostolicis per sacros canones inflictis et indignationi nostrae obnoxium esse ac fore, easque incurrere et incursum esse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus decernimus, statuimus et declaramus, ipsiusque patriarchalis Ecclesiae Antiochenae, ita, ut praemittitur, vacantis, collationem provisionemque quomodocumque faciendam, pro hac vice et iure devoluto, nobis et Apostolicae Sedi praedictae reservamus.

Antiocheni Patriarchae renunciationem, et arbitrariam successoris electionem annullat, et irritat Summus Pontifex, servata Apostolicae Sedi devolutae patriarchalis Ecclesiae provisione.

§ 5. Decernentes, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas existere et fore,

Clausula sublata, et decretum irritans.

suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae patriarchalis Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. augusti MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

XVII.

Relatis superioribus literis, Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Graecorum-Melchitarum auctoritate apostolica confert Maximo Archiepiscopo Hierapolitano, eique indicit ut fidei professionem et iuramentum fidelitatis iuxta formulas quas adnectit emittat, ac postquam emiserit, utriusque documenta ad s. Congregationem per appositum nuncium mittat, a quo etiam Pallium Romae pro eodem Patriarchâ postulandum erit (1).

Venerabili fratri Maximo Archiepiscopo Hierapolitano, Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Narrat quae arbitrarie evenerunt in electione Patriarchae Antiocheni Melchitar.

§ 1. Delatis ad nos et Apostolicam hanc Sedem dissensionibus in Graeco-Melchitarum natione proxime obortis ob renunciationem Cyrilli III. Patriarchae, sequutam-

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide. Collat. cum Reg. Vatic. Epistol. ad viros principes etc. Ex eodem Reg. transcribimus literam, qua Nachadiorum Principis praedicat humanitatem erga Christifideles in eius ditione degentes, rogat ut in ea voluntate perseveret, eique de Patriarcha Graeco Melchita et de Monachis Libanensibus Maronitis scribenti exponit quid in utroque negotio Sedi Apostolicae gerendum fuerit iuxta sacros canones et ad schismata evitanda: nunciat tandem, eius intuitu rursus Monachos audiendos mandasse, ac simul commendat Ablegatum suum ad Graecos Melchitas missum.

Illustri ac potentissimo Chanaad magno Nachadiorum Principi,

CLEMENS PAPA XIII.

Illustris ac potentissime Princeps, salutem et lumen divinae gratiae.

Principis humanitatem erga Christifideles commendat, hortaturque, ut in hac perseveret voluntate, et apostolica decreta exequutioni committi curet.

§ I. Laudamus magnopere humanitatem celsitudinis tuae, quam laetantes aspeximus iis in literis quas nuperrime ad nos dedisti, et quoniam fides nostra docet, christianos omnes, ubicumque terrarum sitos, esse unius in Christo quasi corporis membra, magnas tibi gratias agimus, quod eos benevole excipias ac tuearis, ac nihilo minores quam si eadem ista humanitatis ac benignitatis officia, quae in christianos filios nostros confers, in nos ipsos, qui eiusdem Christi misericordiâ ipsius vices in terrâ gerimus, conferres, rogamusque, ut in istâ voluntate perseveres, atque etiam aliquid addas nostrâ causâ: nam si voluntati nostrae excelsum praesidium tuum accesserit, et decreta, quae dedimus, fideliter exequutioni mandentur, brevi omnibus incommoditatibus, quae recens natae sunt, Deo miserante, prospectum iri confidimus: nihil enim magis cordi habemus, quam ut in omni Ecclesiâ pax atque concordia servetur et, si unquam perturbari contingat, quam cito restituatur.

Nachadiorum Principem certiorem facit de reddita pace Graeco-Melchitis per nationis huiusce Patri-

§ 2. Ut igitur quae in hunc finem consilia cepimus nobilitas tua cognoscat, statim ac Romam pervenerunt nationis Graeco-Melchitae ablegati, quamvis tum gravissimis curis distineremur, illico tamen adiecimus animum ad expendendam, iuxta sacrorum canonum normam, monachi Ignatii electionem

que sacerdotis Ignatii electionem, magnum sane hausimus ex istâ inter Graeco-Melchitas Episcopos divisione moerorem, neque potuimus factum utrumque ullo pacto probare, datis in hunc finem aliis nostris in pari formâ Brevis literis tenoris sequentis:

Clemens Papa XIII.
ad futuram rei memoriam.

Quam cura semper fuerit etc. *(prout in superiori numero usque in finem).*

Ecclesiae Antiochenae Melchitarum novum Patriarcham praeficit, eumdem ab Ecclesia Hierapolitana transferendo.

§ 2. Deinde animo perpendentes, quam periculosum sit Antiochenam istam sedem tamdiu pastore suo ac magistro carere, ad celerem provisionem eiusdem patriarchalis Ecclesiae Antiochenae, ne maioribus diuturnae vacationis incommodis gravioribusque dissidiis exponatur, paternis et solicitis studiis animum intendentes, perspectamque habentes de eximiis virtutibus fraternitatis tuae in tuâ ad Episcopatum Hierapolitanum promotione plurimi habitis cognitionem, nec non quod inter antiquiores Episcopos nationis Graeco-Melchitae censearis, et apud nos plurimorum fide dignorum testimonio commenderis, postquam de praeficiendo eidem patriarchali Ecclesiae Antiochenae praedictae nationis personam utilem ac etiam fructuosam cum iisdem Cardinalibus dictae Congregationis particularis Fidei Propagandae deliberationem habuimus diligentem, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio et praefectio per nos, ut infra facienda, nec non praesentes suum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac a vinculo quo dictae ecclesiae Hierapolitanae, cui praees, teneris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem Ecclesiam Antiochenam nationis praefatae, de consilio et potestatis plenitudine paribus, transferimus, teque illi in Patriarcham eiusdem nationis praeficimus et pastorem, curam, regimen, et administrationem dictae Ecclesiae Antiochenae nationis praedictae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, atque etiam non solum liberam tibi patriarchalem Ecclesiam praefatam transeundi licentiam tribuimus, sed etiam in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, praecipimus et mandamus, ut patriarchalis Ecclesiae huiusmodi possessionem, statim ac praesentes nostrae literae ad te pervenerint, nullâ interpositâ morâ adeas et capias, atque omnia et singula iura, auctoritatem, potestatem, praeeminentiam, praerogativas, iurisdictionem, privilegia, aliaque huiusmodi ad Patriarcham dictae patriarchalis Ecclesiae pro tempore existentem quomodolibet spectantia, et quibus alii Pa-

---

archae electionem, et Apostolici commissarii deputationem, quem Principis protectioni commendat.

ad eum Patriarchatum, eamque, cum invenerimus pluribus vitiis laborare, irritam ac nullam declaravimus, cogitavimusque subinde novum Patriarcham Graeco-Melchitis praeficere, qui tam illustrem cathedram merito occuparet, ne, si ulterius distraheretur electio, nova ac deteriora scandala nascerentur. Utque omnia rite perficerentur, dilectum filium Dominicum a Lanceis Ordinis Praedicatorum, virum nobis multâ virtutum laude probatum, istuc ablegandum esse censuimus, opportunis eum diplomatibus mandatisque munientes, quem propterea regali patrocinio tuo enixe commendamus, rogamusque, ut eamdem illi ac nobis fidem adhibeas.

Pontificium exprimit desiderium pro conciliandis dissidiis exortis inter Monticolas et Hierapolitanos, qua in re Nachadiorum Principis implorat auxilium.

§ 3. Haec de Graeco-Melchitis. Ad monachos Maronitas quod attinet, nihil pariter aeque cupimus, quam ut extinguatur aliquando ea divisio animorumque dissensio, quae coenobiticum illum Ordinem ad interitum vergere facit, et Monticolae cum Hierapolitanis in concordiam redeant, atque uni eidemque praefecto obtemperent: non patitur enim neque monastica disciplina, neque recta regiminis ratio, ut unum idemque corpus duo habeat capita. Monticolas hac de re saepius audierunt venn. fratres nostri Congregationis Fidei Propagandae, agnoveruntque, illos supremum sibi praesulem constituisse contra id, quod eaedem ipsae regulae, quas professi sunt, statuebant: quamobrem perdurantibus iis in suâ contumaciâ, iuvari ac foveri nondum potuerunt, ne inde moliendorum schismatum suerent alii periculosum exemplum: prudentiae enim tuae ignotum esse non potest, quam necesse sit subditos in debito obedientiae officio continere. Quamobrem Patriarcha Tobias mandatorum, quae hinc acceperat, fines non creditur excessisse: nihilosecius tamen ut semper magis intelligas, quanti apud nos valuerit commendatio tua, Monticolas rursum audiri mandavimus, quod quidem anno praeterito fieri nequivit, quoniam monachus ille, qui Romam venerat, nullum protulit legitimae procurationis mandatum. Quod si Apostolicae Sedis benevolentiam promerere cupiunt, pareant quam primum oportet, quousque enim restiterint, ipsi sibimet ipsis impedimento erunt, ne paternae caritatis nostrae benignitatem experiantur. Facit autem comitas atque iustitia tua ut speremus, in hoc ipsum operam tuam libenter daturum, quod et tranquillitati et bono ipsorum coenobitarum plurimum conferet. Nos vicissim, si quapiam in re gratificari tibi unquam poterimus, lubentissime praestituros esse recipimus, ut quanti eximias animi tui dotes faciamus pro tuis in Christifideles meritis, ubicumque fas erit, declaremus; atque Deum opt. max. incessanter orabimus, ut diuturnam incolumitatem, verae felicitatis agnitionem adeptionemque celsitudini tuae largiatur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XV. novembris MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

triarchae Ecclesiae praefatae predecessores tui de iure, usu et consuetudine, usi, gavisi et fruiti fuerunt, pari modo exerceas ac iis utaris, fruaris et gaudeas in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta Ecclesia Antiochena nationis eiusdem sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem in spiritualibus suscipiet incrementa.

Ut Antiochenae Ecclesiae fidelem, sollicitam, prudentemque curam suscipiat, plurimum commendat.

§ 3. Tu igitur ad eamdem Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis praefatae cum gratiâ nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas fideliter, solicite et prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochena dictae nationis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae Sedis benedictionem ac gratiam exinde uberius consequi merearis.

Mandat Episcopis suffraganeis clero regulari et saeculari, universoque populo nationis Melchitarum, ut noviter proviso Patriarchae obedientiam, reverentiam et auxilium praebeant.

§ 4. Quocirca eisdem venn. fratribus Archiepiscopis et Episcopis suffraganeis, ac dilectis pariter filiis capitulo et vassallis Ecclesiae Antiochenae nationis praefatae, ac clero saeculari et regulari, etiam Societatis Iesu, et populo civitatis ac dioecesis Antiochenae eiusdem nationis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare: ac clerus te pro nostrâ et eiusdem Sedis reverentiâ benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salutaria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debitâ honorificentiâ prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant; ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti, te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris sive statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Ut fidei catholicae professionem in manibus alicuius catholici Antistitis emittat antequam concrediti Patriarch. administrationem suscipiat, iniungit, una cum iuramento fidelitatis.

§ 5. Volumus autem, quod tu, antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis praefatae te in aliquo immisceas, in manibus alicuius catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis et in illis partibus degentis, fidei catholicae professionem a Sede praedictâ Orientalibus praescriptam, iuxta unam, expresse emittere, et fidelitatis debitae solitum iuramentum, iuxta alteram formas praesentibus adnotatas, praestare omnino tenearis, ac professionis fidei quam emiseris, et iuramenti huiusmodi quod praestaveris, formas Congregationi de Propagandâ Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures.

Forma autem professionis fidei, quam emittes, haec est:

Formulam emittendae professionis fidei universis Orientalibus Antistitibus praescriptam designat.

Ego Maximus electus Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis Graeco-Melchitarum firmâ fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem factorem Coeli et Terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis; et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas; et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam; confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi saeculi. Amen. - Veneror etiam et suscipio Universales Synodos, prout sequitur, videlicet: Nicaenam primam, et

profiteor, quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum Unigenitum, idest ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex iis, quae non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei; Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non creaturam, sed Deum ac unam habentem cum Patre et Filio Deitatem; Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, Divinitatem et Humanitatem ineffabili et incompraehensibili unione in una persona Filii Dei, unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem; Calcedonensem, quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Eutychen et Dioscorum ambos damnatae memoriae definitum est, unum eumdemque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum perfectum esse in Deitate et perfectum in Humanitate, Deum verum et hominem verum ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum Humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Matre Virgine Dei Genitrice secundum Humanitatem, unum eumdemque Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, in unam personam, atque substantiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et Unigenitum Deum, Verbum, Dominum, Iesum Christum: item eiusdem Domini Nostri Iesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem, eumdem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et in epistola S. Leonis Romani Pontificis, cuius ore B. Petrum Apostolum loquutum esse patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito, et in praefata Calcedonensi Synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis, *addebant,* qui crucifixus es pro nobis, *atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem; Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefatae Calcedonensis Synodi definitio renovata est; Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino Nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati; Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, Imagines Christi, ac Deiparae Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam; Constantinopolitam quartam, octavam in ordine, et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum, et S. Ignatium Patriarcham restitutum; veneror etiam et suscipio omnes alias universales Synodos, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita sunt, videlicet, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit; item dictionem illam,* Filioque, *veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altari ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis*

poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmdi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae institutum; illorumque animas, qui, post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Item S. Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatem, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput ac omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, caeremonias, sacra, sacrificia, et sacramenta, D. Iesu Christo adveniente, cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse; eiusdem etiam legis veteris cyborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissentionis materia tolleretur, cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo, in missa, verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, iuxta fidem, quae semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate D. N. Iesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem *appellat, et sub unaquaque specie et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novae legis Sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse. Item Baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque et quandocumque, sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum. Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae fuisse relictam, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. Pariter quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum librorum, tam veteris quam novi Testamenti, indice et interpretatione in praefata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor. Cetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur S. Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Insuper Romano Pontifici B. Petri Principis Apostolorum successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Hanc fidem Catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere ac confiteri, at-*

que a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem Maximus electus, qui supra, spondeo, voveo et iuro, sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Forma vero iuramenti, quod praestabis, haec est:

Item formulam praebet iuramenti praestandi.

Ego Maximus, electus patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis Graeco-Melchitarum, ab hac orâ in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac D. N. Domino Clementi PP. XIII., suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, seu iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore: consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios, seu literes, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; Papatum Romanum, et Regalia S. Petri adiutor eis ero ad defendendum et retinendum contra omnem hominem; Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo; iura, honores et privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, D. N. Papae, et successorum praefatorum conservare, defendere, augere, et promovere curabo; nec ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, honoris, iuris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero, vel tractari, impediam hoc pro posse, et, quantocitius potero, comode significabo eidem D. N. vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos et Schismaticos, ac rebelles D. N. et successoribus praefatis pro posse persequar, et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione: Apostolorum limina singulis decenniis personaliter ac per me ipsum visitabo, et Domino nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum Nuntium, ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio Capituli mei, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium praesbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum; de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S.R.E. Cardinalem proponentem in Congregatione sacri Concilii Tridentini per supradictum Nuntium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque denuo infeudabo, vel alio modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitionem investiturarum bonorum iurisdictionalium, de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam, servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in eadem super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Patriarchalis pallii transmissionem, quum postulatio facta fuerit, promittit.

Ceterum, Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii de corpore B. Petri Apostoli sumptum, tunc ad fraternitatem tuam, cum per tuum Nuncium eâ qua decet instantiâ postulatum fuerit, destinandum transmittendumque mandabimus. Non obstantibus iis omnibus, quae in praeinsertis nostris literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die I. augusti MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

XVIII.

Ablegatum ap. mittit ut novum Patriarcham Antiochenum eligat ob nullam Ignatii electionem; facultatibus eum

instruit ad synodum nationalem convocandum etc. (1).

Dilecto filio Dominico de Lanceis Ordinis Praedicatorum Commissario Apost.,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nobis constiterit, nullam fuisse irritamque abdicationem Patriarchatus Antiocheni Graeco-Melchitarum a bo. me. Cyrillo III. prius quam e vivis excederet factam, iisdemque vitiis laborare subsequutam mox sacerdotis Ignatii in eius locum electionem; ad sedandas componendasque lites et controversias hac occasione in Graeco-Melchitarum natione nobis carissimâ exurgentes, alias dedimus literas in formâ Brevis, alteras quidem editas ad futuram rei memoriam, quarum initium *Quam cara etc.*, alteras vero ven. fratri Maximo Archiepiscopo Hierapolitano Patriarchae An-

(1) Seq. lit., ex Reg. Vat. literarum ad principes an. III., pag. 317 desumptis, Pontifex Episcopos, Principes et Clerum de ablegati missione certiores reddit.

Quae in superioribus literis Praesulibus scripserat, eadem nunciat clero Graeco-Melchitae, eumque hortatur ut Patriarchae a se constituto obsequantur. (*)

Dilectis filiis presbyteris, et universo clero tam saeculari, quam regulari nationis Graeco-Melchitae,

CLEMENS PAPA XIII.

Dilectis filiis, salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil triste magis Ecclesiae Dei contingere potest, quam divisiones ac schismata exoriri clerum inter atque ipsos Antistites, quod cum istic evenerit occasione abdicationis praedefuncti nuper bo. me. Cyrilli III. Patriarchae vestri Antiocheni et electionis sacerdotis Ignatii, condoluimus maximopere calamitati huic vestrae, compertoque, quod abdicatio et consequens electio sacrorum canonum regulis adversabantur, utramque apostolicâ auctoritate delevimus; neve diutius pastore suo viduata Ecclesia vestra patriarchalis lugeret, cum in istiusmodi eventu Apostolicae Sedi electio iure devoluto pertineat, eidem praefecimus ven. fratrem Maximum Archiepiscopum Hierapolitanum multis nominibus apud nos commendatum, eâ tamen conditione perscriptâ, ut futuris temporibus Patriarchae electio, uti hactenus in more positum fuit, per eosdem electores conficiatur. Designavimus insuper apostolicum Commissarium nostrum dilectum filium Dominicum de Lanceis Ordinis Praedicatorum, ut mandata nostra istic perficeret, et nata dissidia componeret, cui, quemadmodum et Neo-Patriarchae, ut debitum obsequium atque obedientiam praestetis, plurimum vos omnes hortamur atque in Domino praecipimus, dum interea vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter largimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. augusti MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

Hac secunda vero litera duobus Drusiorum Principibus manifestat quae statuerit ad tollenda dissidia inter Graecos Melchitas ob Patriarchae electionem perperam factam excitata, eis gratias agit de benevolentiâ in catholicos, ac simul commendat ablegatum suum, eosque rogat ut debitum Patriarchae a se constituto obsequium ab omnibus tribui iubeant. (**)

Illustribus ac potentissimis Principibus Magnis Drusiorum Hemiris Mansur et Amed,

CLEMENS PAPA XIII.

Illustres ac potentissimi Principes, salutem et lumen divinae gratiae.

Libentissime occasionem quamcumque nanciscimur singularis voluntatis existimationisque nostrae erga vos declarandae, nec non referendae gratiae pro ea celsitudinum vestrarum benignitate, qua Graeco-Melchitarum orthodoxorum nationem apud vos iamdiu perhumaniter suscepistis, vestroque patrocinio munire, tueri, iuvare, honori ac gloriae ducitis. Cum igitur ad cognitionem nostram pervenerit natam inter eos nuperrime dissensionem propter abdicatum a Cyrillo III. Patriarchatum Antiochenum, suffectumque in eius locum sacerdotem Ignatium, negocio eiusmodi de consilio quorumdam venn. fratrum nostrorum mature perpenso, abdicationem electionemque eiusmodi perinde ac ecclesiasticis nostris regulis contrarias reprobare adacti fuimus, novumque illis Patriarcham ven. fratrem Maximum Archiepiscopum Hierapolitanum hac vice constituere, salvo tamen imposterum Graeco-Melchitis Episcopis electionis iure, quemadmodum antea obtinebant. Ut autem haec omnia rite perficerentur, istuc ablegandum esse censuimus dilectum filium Dominicum de Lanceis Ordinis Praedicatorum commissarium apostolicum, quem pariter regiae clementiae vestrae plurimum commendamus: nihil enim aliud in mandatis habet, quam offensiones et scandala removere, paci atque concordiae nationis istius consulere, ecclesiasticam disciplinam restituere, quae omnia, ad populorum quoque tranquillitatem maxime conducentia, ut facilius exequatur, eumdem quoque patrocinio celsitudinum vestrarum plurimum commendamus, minime dubitantes, quin praeclarissima illa, qua praecellitis potestate, si opus fuerit, effecturi sitis, ut tam illi quam Neo-Patriarchae debita ab omnibus reverentia exhibeatur. Porro ab eodem quoque Ablegato nostro coram accipietis, quanti faciamus excelsas animorum vestrorum dotes, quantoque in pretio vos habeamus, impense cupientes aliquam nobis opportunitatem dari, qua, pro vestris in catholicos nostros meritis, eximium aliquod grati animi nostri testimonium ostendamus, atque interea Deum opt. max., a quo bona cuncta procedunt, exorare non omittemus, ut diuturnam incolumitatem rerumque omnium prosperitatem pro vestra populorumque vestrorum felicitate et divinae suae gratiae fulgentissimum lumen impertiri celsitudinibus vestris dignetur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. augusti MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

(*) *Ex Reg. Vat. an. 3, pag. 317.*

(**) *Ex Reg. Vat. pag. 318.*

tiocheno, quarum initium *Delatis etc.*, quibus abdicationem electionemque eiusmodi nullius momenti ac roboris declaravimus, eidemque patriarchali ecclesiae Hierapolitanum Episcopum praefecimus, quarum literarum authenticum exemplar seorsim in chartis pergamenis descriptum et annulo Piscatoris munitum praesentibus alligamus, ut illas debitae exequutioni demandari fideliter et prudenter cures, quaeque in hisce tibi praescripta sunt peragenda, in virtute sanctae obedientiae omni studio atque solicitudine conficere satagas.

§ 2. Primum igitur ad hunc finem, te, de cuius singulari fide, prudentiâ ac religionis zelo plurimum confidimus, ex eo potissimum quod diu istis in regionibus evangelici praeconis munus exercuisti, mores, idiomata et instituta, ac ritus orientalis nationis probe calles, nostro et Apostolicae Sedis nomine ad ea, quae in praeinsertis literis praecipiuntur, exequenda, ablegatum nostrum ad dictam nationem Graeco-Melchitam et apostolicum commissarium cum omnibus et singulis facultatibus ad effectum eiusmodi necessariis et opportunis, tenore praesentium facimus, constituimus ac deputamus. Secundo, omnem tibi facultatem largimur absolvendi, saltem ad cautelam, a quibusvis censuris, et dispensandi etiam super impedimento irregularitatis ob celebrationem cum censuris contractae, in quas quilibet ex clero sive saeculari sive regulari quacumque dignitate praefulgens forsan inciderit occasione dictae abdicationis et subsequutae electionis, vel propter abusum ecclesiasticae vel propter usum laicae potestatis, dummodo tamen debitam mandatis apostolicis obedientiam praestiterit. Tertio, facultatem tibi pariter concessam volumus, ut adversus quoscumque, qui mandatis tuis apostolicâ auctoritate nostrâ munitis non paruerint, tamquam adversus contumaces et rebelles, quamvis etiam episcopali vel archiepiscopali dignitate sint praediti, sive cleri saecularis fuerint sive regularis, etiam Societatis Iesu, necnon saeculares et laicos quoscumque cuiusvis gradus ac conditionis et dignitatis procedere queas, si opus fuerit, cum canonicis censuris et poenis, quae si a te, auctore Domino, infligantur, ratas habebimus et observari faciemus. Quarto, facultatem impartimur convocandi Synodum nationalem et provincialem, ut in eâ communibus consiliis constituantur, quae ad disciplinam restituendam conducere existimabuntur, declarandique, per hanc a nobis factam novi Patriarchae, ut praemittitur, electionem deputationemque nullum Antistitibus et clero dictae nationis detrimentum illatum iri voluisse, sed, ut obortis dumtaxat in hac rerum circumstantiâ dissidiis nationem ipsam distrahentibus in varias partes consuleremus, novum Patriarcham elegisse; nec propterea ius eligendi sive postulandi Patriarcham huiusmodi iuxta eorum morem Antistitibus dictae nationis idcirco sublatum esse, ita ut futuris temporibus cum Patriarcham ipsi sibi praeficere debeant, quem secundum sacrorum canonum regulas magis in Domino expedire censuerint, sicuti hactenus fieri consuevit. Quinto, facultatem tibi concedimus apostolicâ auctoritate sanandi omnes et singulos actus et patriarchales expeditiones a dicto sacerdote Ignatio usque ad diem denunciationis atque indictionis apostolicae provisionis nostrae peractos atque peractas. Sexto demum facultatem tibi largimur condonandi remittendique omnes pecuniarum, quae ad Patriarchas spectabant, exactiones a dicto sacerdote Ignatio quomodolibet factas, ita tamen ut, ad pecunias quod attinet, quae ad Patriarchae personam spectabant, benigniter a te eidem condonentur; quas vero pecunias ad sedem patriarchalem pertinere constiterit, is patriarchali sedi restituere teneatur.

§ 3. Tandem hortamur te vehementer in Domino ut, serio perpendens quam ardua sit demandata tibi provincia, quam amplae facultates ad eam alacriter obeundam attributae, studium omne atque solicitudinem conferas, nihil omittendo, quod prudentia dexteritasque tua, opitulante Domino, suppeditaverit, ut, quae tibi commissa sunt, non tantum rite perficiantur, verum etiam Graeco-Melchitarum natio paternae caritatis nostrae voluntatem, pacem atque concordiam unice spectantem, agnoscat: quod ubi feliciter exequutus fueris, non tam apostolicam benevolentiam nostram tibi magis demereberis, verum etiam amplissimam a Deo mercedem assequeris. Cuius auspicii vadem constituimus apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. augusti MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

XIX.

Approbatio et confirmatio sanctionum pro studiis linguarum orientalium (1).

CLEMENS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad proficiendum in sacris scripturis valde conferant.

§ 1. Cum scriptura omnis divinitus inspirata, teste Apostolo (2), « utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus », duo in primis necessaria sunt, divini luminis illustratio, quae fidelium mentibus in Ecclesia Dei sensum veritatis aperiat, deinde assidua cura ac diligentia in sacris paginis evolvendis perscrutandisque, ut, quemadmodum scribit D. Gregorius Magnus praedecessor noster (3), « discamus cor Dei in verbis Dei, et ad caelestia gaudia ardentius suspiremus ». Cum autem pleraque ardua sint ac intellectu difficilia in iisdem explicandis interpretandisque, plurimum conducere indubium est trium praesertim linguarum peritiam haebraicae, nempe, graecae et latinae, unde inquit S. Augustinus: « Magnus remedium est linguarum cognitio: latinae quidem linguae homines quos instruendos suscipimus, duabus aliis ad scripturarum divinarum cognitionem opus habent, haebrea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur » (4).

Romanorum Pontificum sollicitudo ut linguae hebraicae, graecae, latinae et arabicae exercerentur, quae ad sacrar. Scripturarum intelligentiam conferant.

§ 2. Hanc ob causam Romani Pontifices praedecessores nostri, firmissimum catholicae veritatis praesidium in sacrorum librorum usu, unde incorrupta fidei morumque doctrina dimanat, divinitus positum recensentes, eo praecipuam suam curam et providentiam contulerunt, ut linguarum eiusmodi studium excoleretur: e quibus Clemens V. in Viennensi Concilio sapientissime constituit, ut non solum apud Romanam Sedem, sed et in insignioribus tunc temporis academiis, scholae erigerentur ad eiusmodi idiomatum notitiam adipiscendam: itidem sacrosancta Tridentina Synodus (5) ne caelestis iste sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, per incuriam saecularis et regularis cleri neglectus iaceret, ad veteris ac novi Testamenti expositionem potissimum, praebendam theologicam in cathedralibus aliisque insignioribus collegiatis institui mandavit, in coenobiis vero Sacrae Scripturae lectiones haberi praecepit. Ad haec Summus Pontifex Paulus V. pariter decessor noster in sua constitutione, quae incipit *Apostolicae servitutis* die XXXI. iulii MDCX., strictius quoque praelatis Regularium tam mendicantium quam non mendicantium indixit, ut iis in coenobiis, ubi studia vigent, magistri atque doctores eiusmodi linguarum honeste sustentarentur.

Constantis huius studii Romanorum Pontificum observantiam demandarunt Sacrae Congregationis de Propaganda decreta.

§ 3. Extat etiam Congregationis Cardinalium Fidei Propagandae praepositorum decretum diei XI. aprilis anno MDCXXV. evulgatum, quo exequutio bullae Pauli V. demandatur, ut apud religiosos praesertim viros sanctissimae religionis nostrae propagatores, haebraicae, graecae ac latinae linguae cultus promoveatur: neque desunt exempla illustrium Episcoporum, qui suis in seminariis clericos hac orientalium linguarum disciplina instruendos enixe curarunt, e quibus illud commemorare lubet clarissimi in Patavina Sede antecessoris nostri venerabilis Gregorii Barbadici, quem semper uti antesignanum, magistrum ducemque nostrum in ea regenda suspeximus, cuius nominis inter caelites referendi causa modo faeliciter agitur: is enim apostolicarum eiusmodi sanctionum egregie conscius, et pietatis et doctrinae amplificandae cupidissimus, non tam scholam aperuit ad hebraici graecique idiomatis eruditionem in Patavino seminario comparandam, verum etiam utriusque linguae formas in typographiam invexit, ut firmiores studia haec inibi radices agerent, indeque in alias quoque christiani orbis plagas diffunderentur.

Itemque plures illustres Episcopi orientalium linguarum disciplinas in seminariis instituerunt.

Apostolicam gratiam pro horum studiorum cultu Pontifex exprimit.

§ 4. Quibus ex causis cum Summorum Pontificum decessorum nostrorum in Romana Cathedra, tum vero etiam illius ven. Antistitis in Patavina, vestigiis inhaerentes, ipsi quoque muneris nostri esse intelligimus, pontificiam omnem authoritatem ac gratiam nostram iis conferre, qui in sanctionum eiusmodi implementum ad divini

(1) Magistros linguarum hebraicae, graecae, latinae et arabicae in studiis generalibus haberi iussit Clemens V., ut est in Clementin. l. de Magistr. Eorumdem linguarum magistros habendos esse a Regularibus in suis studiis iussit Paulus V. const. edit. MDCX., iul. XXXI.

(2) 2. ad Timoth. cap. 3. vers. 16.

(3) Lib. 4. Epist. indict. Epist. 40.

(4) De Doctrina Christiana.

(5) Sess. 5. cap. 1. de Ref.

nominis gloriam, et catholicae fidei atque pietatis incrementum, in sacris eloquiis ad verum germanumque Ecclesiae sensum explanandis, interpretandisque noviter ac laboriose desudant.

In Parisiensi Cappuccinorum conventu S. Honorati Societas religiosorum aderat oriental. scientiarum studio dicata, qui leges condiderat pro felici ipsius Societatis progressu.

§ 5. Sane expositum nobis fuit a nonnullis dilectis filiis Cappuccinis conventus Parisiensis S. Honorati, linguarum huiusmodi orientalium studio sese dicavisse, tantumque, benedicente Domino, progressum fecisse, ut permagnos iam eorum laboris atque industriae fructus ex pluribus voluminibus in lucem editis appareat, quod quidem eo magis commendari meretur, propterea quod nemo ignorat austerissimum vitae genus, quod eius institutionis alumni profitentur. Cum autem valde periculosum sit, pulcherrimam istam studiosorum hominum societatem, ut humana sunt omnia, dissolvi, nisi quibusdam legibus quasi vinculis eius compages contineatur, hinc pro parte eorumdem dilectorum filiorum Cappuccinorum, qui dictam Societatem constituunt, nobis humillime supplicatum fuit, ut apostolica authoritate approbaremus leges quasdam ad eius Societatis regimen atque stabilitatem fulciendum maxime opportunas, atque una simul facultates aliquas inibi expressas, de apostolicae indulgentiae benignitate iisdem impertiremur. Leges autem sunt quae sequuntur:

Tenor legum conditarum pro felici progressu Societatis studiorum orientalium.

« I. Numerus religiosorum, qui linguarum orientalium studio destinabuntur, maior quam sex, aut minor quam quatuor, esse non poterit. »

« II. Candidati in hac schola admittendi ab his, qui actu sacris literis incumbent, superioribus in definitione provinciali congregatis proponentur, ut ab iisdem in Societatem cooptentur, vel ab ea repellantur, nec ad illud opus, invita Societate, poterunt applicari. »

« III. Ad illud opus destinatos et semel a diffinitione admissos non poterunt superiores ad nutum suum, et sine graviori causa, reluctante Societate, submovère, sed casus si inciderit, ut superiores in diffinitione congregati aliquem Societatis expelli voluerint, et Societas contra expulsionem socii sui reluctetur, tunc ad diffinitorium generale fiet recursus, totumque eius iudicio erit remittendum. Nullum pariter cum hocce studio insociabilem unus, guardianatum *verbi gratia*, aut lecturam, candidatis poterunt impertiri, et si, invita Societate, aliquod huius generis officium acceperit candidatus, e numero studentium delebitur. »

« IV. Si Societas e sinu suo candidatum gravioribus de causis expellere desideraverit, tunc (fraternis antea praemissis admonitionibus) provinciali et diffinitoribus collegialiter unitis quaerelas proferet, expulsionisque petitae causas et rationes aperiet: quod si maior pars diffinitorii provincialis non consentit cum Societate, omnes ad supremum religionis tribunal, scilicet ad diffinitorium generale, recurrant, et interim socius usque ad sententiam definitivam eiusdem tribunalis inter academicos reputabitur. »

« V. Graves autem causae sunt praesertim ignavia crassa, pravi mores, et alius quilibet principalis cordis et animi defectus, qui paci, concordiae simul, et Societatis laboribus nocere possit. »

« VI. In regularitatibus et in omnibus aliis religiosi illi, sicut et caeteri, superioribus omnino subiecti erunt. »

« VII. Cum sumptus necessarii sint, ut opera typis mandentur, unus e sociis ab ipsis eligetur, qui sub licentia Sanctitatis Suae negociis illis temporalibus vacet, libros emat per syndicum, qui pecunias recipere, apud se depositas servare, et aes alienum Societatis curet solvere. Caeterum Societas habebit communitatem vitae et victus; ast cum dignus sit operarius mercede sua, et multa assidue laborantibus necessaria sint, saltem de necessitate convenientiae, quae a conventu suppeditari non solent, socius pro negotiis temporalibus gerendis electus, ea sibi sociisque cum licentia superioris localis, aut patris provincialis, ex proventu editionis librorum (si quis sit) procurare poterit, et si post necessaria Societati suppeditata, et omnes impensas editionis solutas, forte remanserit aliquod residuum, illud ad nutum Societatis, hoc vel illud indicantis, sub licentia Sanctitatis Suae, vel ad sacristiam vel ad bibliothecam vel ad conventum applicabitur. »

« VIII. Socio, hoc officium peragenti, non licitum erit se librorum extraneorum commercio immiscere, sed de solis Societatis libris, et de permutationibus ex ipsa provenientibus, tantummodo pertractare poterit. »

« IX. Socius ille rationes singulis duobus annis Societati congregatae reddere tenebitur, et si contra ipsius administrationem Societas unanimiter reclamaverit, alius e sociis eligetur, qui huic officio incumbat:

Societas vero eamdem ipsam administrationis rationem provinciali reddere teneatur. »

« x. Societati licitum erit unam bibliothecae communis clavem penes se habere, ut ex ipsa libros operibus suis necessarios extrahere, et in ipsa post usum reponere possit, quae quidem clavis in manibus decani Societatis servabitur; sed nec ipsi, nec ulli de sociis, eiusdem bibliothecae curae se immiscere, et de libris ad ipsam pertinentibus ullo modo disponere, vel pertractare fas erit; quilibet autem socius, quoties a bibliotheca libros extrahat, toties et nomen suum, et nomen librorum ex ipsa extractorum (ut mos est) in scriptis dabit. »

Leges supra relatas, audito suffragio Procuratoris generalis Ordinis, pontificia auctoritate confirmat et approbat.

§ 6. Nos igitur postquam easdem mature perpendimus, et studiosae eiusmodi Societatis incolumitati firmitatique consentaneas esse censuimus, audito insuper suffragio dicti filii Amati Lambalensis procuratoris generalis Ordinis Cappuccinorum, qui leges praefatas pariter ad trutinam expendit atque approbavit, ut antedictae Societatis Cappuccinorum in conventu Parisiensi Sancti Honorati studio linguarum orientalium deditorum dissolutioni cuilibet, confusioni ac perturbationi opportuna ratione occurramus, et eosdem dilectos filios Cappuccinos dicti conventus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, dictorum Cappuccinorum supplicationibus inclinati, leges praefatas et in eis contenta quaecumque apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, et inviolabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus, nec non statuimus atque mandamus, ut in eodem conventu divi Honorati omnino consequentibus temporibus observentur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suum plenarium et integrum effectum sortiri et obtinere, atque ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, apostolicos Nuncios et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes et quosvis alios, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et Ordinis Cappuccinorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. augusti MDCCLX., pontificatus nostri anno III.

XX.

Dissidia oborta inter missionarios Regni Tonkini per decreta S. Cong. de Prop. Fide et per delegatum apost. removere curat (1).

---

(1) Decreta Congr. approbata fuere a SSmo in audientia primae diei febr. MDCCLXI., et die XII. sequenti decreto delegatum apost. S. C. cum facultatibus instituit.

Perillustri ac R. D. uti fratri D. Io. Episcopo Rosaliensi provinciarum Chansi et Chensi in Imperio Sinarum Vicario Ap. salutem in Domino sempiternam.

Cum ex nonnullis literis atque aliis documentis huic S. C. allatis satis superque innotuerit Apostolicas Missiones in Tunkini regno florentes in eum nunc perturbationis ac prope subversionis statum missionariorum quorumdam ambitione atque audacia redactas esse, ut praeter scandalum et disciplinae ecclesiasticae detrimentum ingens periculum adsit ne fides quoque orthodoxa tot laboribus in eo regno longe lateque diffusa funditus pereat, Emi PP. tanto ac tam gravi discrimine commoti, opportunam medelam ingruenti morbo ea qua par est vigilantia ac sedulitate afferre volentes, petita prius ac obtenta SSmi D. N. Clementis PP. XIII. benigna approbatione in audientia habita per R. P. D. Marium Marefuscum Secretarium die I. februarii huius anni, te, de cuius fide, integritate, prudentia atque animarum salutis zelo plurimam in Domino fiduciam habent, praefatae S. Congregationis commissarium visitatorem et delegatum in utroque praedicti regni Vicariatu, tam Occidentali quam Orientali, cum auctoritate et facultate ea omnia peragendi et statuendi, quae ad compescen-

Ven. fratri Ludovico Episcopo Ceomanensi Vicario Apostolico Tonkini Occidentalis,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicum Vicarium Tunkini hortatur, ut ab oratione non desistat, qua fructus ex tribulatione ipsa exoriantur.

§ 1. Incredibili dolore affecti fuimus ac pene oppressi, nec lacrymas continere potuimus, dum legebamus eas literas, quibus renunciavisti perturbatam isthic vehementer inter operarios dominicae vineae, salutarem concordiam, gravissimasque offensiones, quae subortae sunt, quaeque adhuc timentur: siquidem valde metuendum est ne christiana fides tot, in regionibus istis, Deo miserante, parta sudoribus, eodem ad iracundiam provocato, intereat, vel maximum saltem, ne capiat detrimentum. Veruntamen, venerabilis frater, animum despondere non oportet, sed fervidioribus precibus atque gemitibus, divinam exorare clementiam, est enim Deus in Israel, qui potens est de ipsa tribulatione, quantumvis gravissima, magnum excitare proventum: quo circa infinitae eius misericordiae confisi, illud futurum speramus, ut ingentem hanc procellam, magna tranquillitas consequatur, teque proinde meritis plenum et annis, qui tanto ab hinc tempore in isto agro excolendo diligentissimam navasti operam, certaminis tui cursum in pace consumaturum.

Decreta ad cuncta componenda a Sacra Congregatione de Propaganda Fide edita, approbat, et Apostolicum Delegatum mittit, qui medelam exortis malis praebeat.

§ 2. Ad nos interea quod attinet, cuius apostolicae servituti incumbit, pro catholici gregis custodia vigilantissime excubare, vix acceptis literis tuis, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandae, semel ac iterum insimul convenire iussimus, ut totius negocii gravitatem expenderent, qui propterea nonnulla ediderunt decreta, quae nos ipsi matura deliberatione libravimus, et apostolicae auctoritatis calculo confirmavimus. Haec tibi venerabilis frater, nostris literis alligata transmittimus atque statuimus insuper, apostolicum ablegatum designare, qui opportunis ac necessariis facultatibus instructus, isthuc accedat, ac malis iam pridem exortis medeatur et delinquentes, ac contumaces condignis poenis afficiat: ac tibi interea, ven. fr., paternae benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem nostram peramanter largimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. februarii MDCCLXI., pontif. nostri anno III.

XXI.

Deputat Emum Cardinalem Banchieri in protectorem Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus (1).

Dilecto filio nostro Ioanni Francisco S. R. E. Diacono Cardinali Banchieri nuncupato,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum per obitum bo. mem. Ioachimi Ferdinandi S. R. E. Cardinalis Proto-

---

das subortas discordias, ad ecclesiasticam disciplinam restituendam, et abusus, cuiuscumque generis sint, tollendos necessaria et opportuna putaveris, et praesertim quascumque ecclesias, parochias, oratoria, residentias, districtus, seu alio quovis nuncupetur nomine, quorumcumque missionariorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis seu Instituti tam saecularis quam regularis, etiam Societatis Iesu, ac alia pia et religiosa loca in praedicto Tunkini regno existentia, eorumque praelatos, superiores et personas tum laicas tum ecclesiasticas, saeculares et regulares, cuiusvis status, gradus, Ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, tam in capite quam in membris, semel tantum auctoritate apostolica visitandi, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus et disciplinam diligenter inquirendi, et circa supradicta loca vel personas quidquid in Domino sibi visum fuerit expedire decernendi ad beneplacitum Sedis Apostolicae, vigore praesentium literarum faciunt, designant, constituunt ac deputant cum omnibus oneribus, honoribus et praerogativis quibus huiusmodi commissarii visitatores et delegati decorari solent, et sic deputatum et institutum declarant, ut accurate omnia visites, disponas, stabilias ac determines pro dissensionibus finiendis, morum correctione inducenda, et ecclesiastica ac regulari disciplina conservanda iuxta peculiarem instructionem tibi seorsum traditam, et a te sub secreto custodiendam; obedientes a quibuscumque censuris absolvendo, et cum eis super impedimento irregularitatis dispensando, inobedientes vero cuiuscumque sint Ordinis, gradus ac dignitatis per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, prout aequum fuerit, compescendo ac puniendo, non suspensa interim auctoritate ordinaria Vicariorum Apostolicorum, quam iisdem integram reservatam volumus. Mandantes praeterea omnibus et singulis Christifidelibus sive laicis sive ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis atque Instituti etiam Societatis Iesu, ut te in commissarium visitatorem et delegatum sic, ut praefertur, ab eadem S. C. institutum reverenter excipiant ac recognoscant, ac tibi in omnibus ad commissionem, visitationem et delegationem huiusmodi spectantibus omnino pareant et obsequantur, tuaque salubria monita ac mandata prompte suscipiant, et diligenter atque efficaciter adimplere satagant.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. C. die XII. februarii MDCCLXI.

(1) Romani Pontifices de opportunis protectoribus ex S. R. E. Cardinalium deputatione regula-

carrero nuncupati, Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, dum vixit, apud Sedem Apostolicam protectoris nuper defuncti, Ordo ipse protectore destitutus remanserit; nos eidem Ordini de idoneo protectore providere volentes, ac de tuae circumspectionis singulari prudentia, integritate ac religionis zelo, plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, te, ex cuius protectione, ob tuas eximias virtutes, Ordinem huiusmodi plurimum commodi ac ornamenti suscepturum esse confidimus, praefati Ordinis illiusque religiosorum et domorum regularium quorumcumque apud nos et Sedem praefatam protectorem, cum omnibus honoribus et oneribus solitis ac consuetis, servata tamen forma constitutionis fel. record. Innocentii PP. XII. praedecessoris nostri, super moderatione facultatum protectorum Ordinum Regularium editae, ad tui vitam, auctoritate apostolica, tenore praesentium facimus et deputamus.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis fratribus et personis dicti Ordinis, ut te in eorum protectorem iuxta tenorem praesentium recipientes, ea, qua debent, reverentia prosequantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Coeterum te in Domino hortamur, ut huiusmodi protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum, bonorum operum retributorem, aeternum praemium et a nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. aprilis MDCCLXI., pontificatus nostri anno III.

XXII.

Exemptionem monasterii Graeco-Albanensis Medijusti a iurisdictione abbatis provincialis provinciae Siculae, illiusque immediatam subiectionem abbati generali Ordinis S. Basilii, iam decretam a praelaudato abbate generali, apostolica auctoritate confirmat.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Abbas generalis huius Ordinis monasterium Graecorum Albanensem Medijusti a iurisdictione abbatis provincialis provinciae Siculae exemit, et praelaudati abbatis generalis pro tempore existentis iurisdictioni subiecit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt venerabilis frater Iosephus Schiro Archiepiscopus Dyrrachiensis, ac dilecti filii Epirotae seu Albanenses ritus Graeci regni Siciliae ultra Pharum, quod dilectus etiam filius Alexander Aguado abbas generalis Ordinis Sancti Basilii Magni, monasterium Graeco-Albanense Medijusti dicti Ordinis, per suum decretum, ab omnimoda iurisdictione abbatis provincialis provinciae Siculae ipsius Ordinis exemit et liberavit, prout ex decreto eiusdem Alexandri abbatis constat, tenoris sequentis, videlicet: «Nos Alexander Aguadus, abbas perpetuus Sancti Nicandri, regius consiliarius et abbas generalis totius Ordinis Sancti patris nostri Basilii Magni. Attentis instantia et precibus nobis nuper expositis, per supplicem libellum hic annexum ab Illmo et Rmo DD. Iosepho Schirò Archiepiscopo Dyrrhachiensi nomine suo, ac etiam populorum Albanensium Graeci ritus Orientalis in regno Siciliae existentium super gravamina, quae iam dudum patiuntur a notis monachis latinis provinciae Siciliae ex causa monasterii eiusdem ut supra graeci ritus, existentis in oppido Albanensi Panormitanae dioecesis: Habito prius verbo et benigne annuente, cum ssmo domino nostro Papa Clemente decimo tertio feliciter regnante, cum consilio quoque atque approbatione emi et rmi domini Cardinalis nostri Ordinis protectoris, ad maiorem Dei gloriam, pacem et quietem in Domino supradictorum populorum supplicantium: auctoritate, qua fungimur, nec non inhaerentes Bullae erectionis praedicti monasterii, decreto sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, in causa iurisdictionali eiusdem monasterii, olim habita contra Panormitanum Archiepiscopum, ac ipsum monasterium immediatae iurisdictioni abbatis generalis Ordinis nostri pro tempore adiudi-

---

res Ordines ditarunt. Ad praelaudatorum protectorum facultates vel statuendas vel temperandas quamplurimae habentur pontificiae constitutiones. Quoad protectorem Ordinis Minorum S. Francisci adest constitutio Gregorii XI. edit. an. MCCCLXXIII. maii XXVII. Quam confirmavit, ampliavit et extendit Sixtus IV. constit. altera edita an. MCCCCLXXII. ian. XXVIII. Utrasque vero probavit et declaravit Iulius II. const. anni MDVIII. octobris XV. Tandem praevia memoratarum constitutionum confirmatione, eas, novis additis praescriptionibus, ad protectores quorumcumque Ordinum regularium extendit Innocentius XII. constitut. sua anni MDCXCIV. feb. XVI. quam hic citat Pontifex et suo loco retulimus.

canti: Inhaerentes quoque sententiis et decretis emanatis a Tribunalibus Siciliae pro eodem monasterio caeterisque etc. Statuimus, sancimus et declaramus, monasterium Graeco-Albanense Medijusti nunc et in posterum omnino exemptum a iurisdictione tam spirituali, quam temporali dictorum monachorum latinorum nostri Ordinis provinciae Siciliae, et nobis ac generalitiae immediate iurisdictioni subiectum, distractum etiam a caeteris monasteriis provinciae Siciliae; atque uniendum vel incorporandum cum aliqua ex nostris hispanis provinciis ad mentem, salvis semper salvandis, nempe ritu graeco orientali et primordiali ipsius monasterii, nec non iuribus, clausulis et conditionibus contentis in testamento fundatoris, et in favorem Albanensium. Datum in collegio Sancti Basilii Magni de Urbe die III. aprilis anni MDCCLXI. — Alexander abbas generalis — Abb. D. Blasius Ruffo Secret. generalis — Loco † Signi. »

Pontifex supra relatum abbatis generalis decretum confirmat, et approbat.

§ 2. Quoniam autem exponentes praedicti, quo decretum huiusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertum eiusdem Alexandri abbatis generalis dicti Ordinis Sancti Basilii Magni decretum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus.

Quidquid contra praesentes literas gestum fuerit, annullat et irritat.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Praesentium literarum observantiam superioribus, et monachis huius Ordinis provinciae Siculae expresse iniungit.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis dictae provinciae superioribus et monachis, caeterisque ad quos spectat et spectabit in futurum, ut monasterium praedictum, illiusque monachos Albanenses, praesentis gratiae commodo et effectu pacifice frui et gaudere sinant et faciant, nec illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari permittant. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. aprilis MDCCLXI., pontificatus nostri anno III.

XXIII.

Iubet omnibus ecclesiarum praesulibus, omnibusque regularium ordinum superioribus generalibus, quod curare et efficere debeant, ut bis saltem quotannis necessitates sanctorum Palaestinae locorum populo proponantur et commendentur.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Salvatoris et Domini Nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eum praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti et tam salutaris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentia recolantur.

S. M. Urbanus VIII. primum iussit, quod bis in anno necessitates sanctorum monumentor. Palaestinae commendari populo deberent.

§ 2. Cum itaque alias felicis recordationis Urbano VIII. praedecessori nostro exposito, quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria, aere alieno, ob impiam Turcarum, Haeretico-

rum et Schismaticorum tyrannidem, et pro Sanctae Fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur; idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut, ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimae temporibus, tam per verbi Domini praedicatores in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem Sanctorum Monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et alias prout in ipsius Urbani praedecessoris literis, desuper in simili forma Brevis die III. februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenores, pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

…as Urbani VIII praescri… quam… Roma… Pontifices confirmarunt, et observari demandarunt.

§ 3. Et, sicut pro parte dilecti filii moderni commissarii Terrae Sanctae, nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani praedecessoris literae, quae a recolendae memoriae Innocentio X., Clemente V., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., Benedicto XIII., Clemente XII. et Benedicto XIV. Romanis Pontificibus, pariter praedecessoribus nostris, confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos etiam confirmari et innovari desideret (1),

…m prae… confirmat, approbat, … Pontifex …

§ 4. Nos, eorumdem Sanctorum Monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris literas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus, pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus. Volumus autem ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praefati, in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt Limina Apostolorum, facienda, referant, se praedictis Urbani praedecessoris literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Transumptis …dem haberi in…

§ 5. Volumus insuper, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. maii MDCCLXI., pontificatus nostri anno III.

XXIV.

Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universae Ecclesiae catholicae de uniformi fidelium instructione in catholica fide agit, et Catechismi Romani praestantiam et utilitatem demonstrat atque commendat.

Vener. fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum intersit fideles in catholica doctrina erudire, et conservare, ne incauti in errores dilabantur.

§ 1. In dominico agro, cui excolendo, divina disponente providentia, praesumus, nihil tam vigilantem curam et perseverantem requirit industriam, quam iacti boni seminis, catholicae nimirum doctrinae a Christo Iesu et ab Apostolis acceptae, nobisque traditae, custodia; ne si pigro otio et inerti desidia negligatur, dormientibus operariis, inimicus humani generis superseminet zizania; ex quo fiat, ut in die messis, potius quam condenda in horreis, inveniantur ea, quae urenda sint flammis. Atque ad tuendam quidem semel traditam (2) Sanctis fidem nos vehementer excitat beatissimus Paulus, qui Timotheo scribit, ut bonum (3) custodiat depositum, quod periculosa (4) tempora instarent, cum in Ecclesia Dei homines (5) mali et seductores existerent, quorum opera adhibita insidiosus ille tentator, his erroribus incautas mentes conaretur inficere, qui sint evangelicae veritatis inimici.

Maximi detrimenti est si pravae sententiae contra fidei puritatem introducantur.

§ 2. Verum, si quod saepe accidit, quaedam in Ecclesia Dei sese extulerint pravae sententiae, quae, adversis quidem sibi frontibus pugnantes, in eo tamen conspirent, ut catholicae fidei puritatem quoquo modo labefactent; tum vero difficillimum est, ea cautione inter utrumque hostem ita nostrum librare sermonem, ut nulli eorum terga vertisse, sed utrosque Christi hostes aeque vitavisse et condemnasse videamur.

(1) Has lit. vide suo loco.
(2) Iud. 3.
(3) II. Tim. I. 14.
(4) Ibidem III. 1.
(5) Ibidem v. 13.

Atque interdum res est eiusmodi, ut facile diabolica falsitas, veri quadam similitudine, coloratis se tegat mendaciis, dum vis sententiarum brevissima adiectione aut commutatione corrumpitur, et confessio, quae operabatur salutem, subtili nonnumquam transitu vergat in mortem.

Avertendi a praeviis hisce sententiis fideles sunt, praesertim vero qui rudiore et simpliciore ingenio pollent.

§ 3. Ab his propterea lubricis angustisque semitis, quibus insistere aut ingredi sine prolapsione vix possis, avertendi sunt fideles, ac praesertim qui rudiore sint ac simpliciore ingenio; nec per invia loca ducendae sunt oves ad pascua, nec singularia quaedam, etiam catholicorum doctorum, placita iis sunt proponenda, sed illa certissima catholicae veritatis nota tradenda est, doctrinae universitas, antiquitas et consensio. Praeterea, cum non possit vulgus ascendere (1) in montem, in quem gloria Domini descendit, et transcendens terminos ad videndum peribit; termini figendi sunt populo ab eius doctoribus per circuitum, ut ultra ea, quae sunt ad salutem necessaria aut summopere utilia, sermo non divagetur, et fideles apostolico dicto pareant: non plus (2) sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

Ad quas pravas sententias vel removendas toto studio incubuerunt Romani Pontifices, prospexitque Tridentinum Concilium Romani Catechismi evulgationem demandando.

§ 4. Haec cum probe intellexissent Romani Pontifices praedecessores nostri, in id omnem suam operam contulerunt, ut non modo venenata germina subnascentium errorum anathematis gladio praeciderent, sed etiam subcrescentes opiniones quasdam amputarent, quae vel redundantiâ in christiano populo fidei uberiorem fructum impedirent, vel fidelium animis proximitate nocere possent erroris. Post quam igitur Tridentina Synodus eas, quae tum temporis Ecclesiae lucem obfuscare tentaverant, haereses condemnavit, et catholicam veritatem, quasi discussa errorum nebula, in clariorem lucem eduxit; cum iidem praedecessores nostri intelligerent, sacrum illum universalis Ecclesiae conventum tam prudenti consilio tantaque usum esse temperantia, ut ab opinionibus reprobandis abstineret, quae doctorum ecclesiasticorum auctoritatibus fulcirentur; ex eiusdem sacri Concilii mente aliud opus confici voluerunt, quod omnem doctrinam complecteretur, qua fideles informari oporteret, et quae ab omni errore quam longissime abesset. Quem librum *Catechismi Romani* nomine typis impressum evulgarunt; dupliciter in ea re laudandi. Nam et illuc eam doctrinam contulerunt, quae communis est in Ecclesia, et procul abest ab omni periculo erroris; et hanc palam populo tradendam disertissimis verbis proposuerunt, ita Christi Domini praecepto obtemperantes, qui Apostolos dicere (3) in lumine iussit, quod in tenebris ipse dixisset, et quod in aure audierant, super tecta praedicare, Ecclesiaeque sponsae obsequuti, cuius illae voces « indica mihi ubi cubes in meridie » (4); ubi enim non sit meridies, atque ita perspicua lux, ut liquido veritas cognoscatur, facile pro ea recipitur falsitas propter veri similitudinem, quae in obscuro difficulter a vero discernitur. Noverant enim fuisse antea et deinceps futuros, qui pascentes invitarent et sapientiae scientiaeque uberiora promitterent pascua, ad quos multi confluerent, quia aquae (5) furtivae dulciores sunt et suavior panis absconditus. Ne igitur seducta vagaretur Ecclesia post greges sodalium, qui et ipsi sint vagi, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (6); idcirco, quae ad salutem tantummodo essent necessaria et maxime utilia, clare in Romano Catechismo et dilucide explanata, christiano populo tradenda proposuerunt.

Damna quae obvenere ex successiva aliorum catechismorum publicatione, qui cum Romano haud sunt comparandi.

§ 5. Verum hunc librum non mediocri labore et studio compositum, omnium consensione probatum, ac summis laudibus exceptum, his temporibus e pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, cum alios atque alios catechismos extulerit nullo modo cum Romano comparandos: unde duo mala extiterunt, quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata consensio, oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus sibi ipsi iam non amplius esse videantur in terra labii (7) unius, et sermonum eorumdem; alterum quod ex diversis variisque tradendae catholicae veritatis rationibus ortae sunt contentiones, et ex aemulatione, dum alius se Apollo, alius Cephae, alius Pauli se dictitat sectatorem, disiunctiones animorum et magna dissidia: quarum dissensionum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitialius putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos a christiana disciplina aequum

(1) Exod. XIX. 12.
(2) Rom. XII. 3.
(3) Matth. X. 27.
(4) Cant. I. 6.
(5) Prover. IX. 17.
(6) II. Tim. III. 7.
(7) Gen. XI. 1.

est fideles percipere, calamitosius. Itaque duplex hoc malum ut ab Ecclesia tandem amoliremur, illuc duximus redeundum, unde quidem parum prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in Ecclesia iactitent sapientiores, iamdudum fidelem populum avocaverant; et eumdem Catechismum Romanum pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus; ut, qua ratione confirmata olim fuit catholica fides, et in doctrina Ecclesiae, quae est columna (1) veritatis, fidelium mentes corroboratae, eadem nunc a novis quoque opinionibus, quibus nec consensio nec antiquitas suffragatur, quam longissime avertantur. Atque parabilior ut fieret liber et maculis, quas operarum vitio contraxerat, emendatior, illum ad eius exemplum, quem S. Pius V. praedecessor noster ex Tridentinae Synodi decreto vulgavit, iterum omni adhibita diligentia excudendum in Alma Urbe curavimus; qui in popularem sermonem eiusdem S. Pii iussu conversus, et editus, propediem mandato itidem nostro, typis impressus, denuo prodibit in lucem.

Romani Catechismi usum universis Christianae Reipublicae pastoribus pro unico fidelium pabulo commendat.

§ 6. Quod igitur hoc christianae reipublicae difficillimo tempore, ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium cura nostra praebet et diligentia, vestrum est, venerabiles fratres, operam dare, ut a fidelibus recipiatur. Ac propterea hunc librum, quem veluti catholicae fidei et christianae disciplinae normam, ut etiam in tradendae doctrinae ratione constaret omnium consensio, Romani Pontifices pastoribus propositum voluerunt, vobis, venerabiles fratres, nunc maxime commendamus, vosque etiam enixe in Domino cohortamur, ut iubeatis ab omnibus, qui animarum curam gerunt, in informandis catholica veritate populis adhiberi, quo tum eruditionis unitas, tum charitas animorumque servetur concordia. Vestrum enim est tranquillitati omnium studere; quae denique sunt partes Episcopi: qui propterea illuc intentos oculos habere debet, ne quisquam propter suos honores superbe agendo schismata faciat, unitatis compage disrupta.

Catholicae Ecclesiae pastores hortatur ut idoneos seligant viros pro fidelium eruditione in christianis doctrinis.

§ 7. Nullum tamen aut certe exiguum hi libri fructum praebebunt utilitatis, si, qui eos proponere et explanare audientibus debent, minus docendo sint idonei. Itaque permagni interest, ut ad hoc munus christianae doctrinae populo tradendae homines eligatis, non modo sacrarum rerum scientia praeditos, sed multo magis et humilitate, et sanctificandarum animarum studio et charitate flagrantes. Tota enim christiana disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriae, sed in vera et voluntaria humilitate consistit. Sunt enim, quos maior quidem scientia erigit, sed a caeterorum societate disiungit; et quo plus sapiunt, eo concordiae virtute desipiunt: qui sapientia ipsa, Dei verbo admonentur: Habete (2) sal in vobis, et pacem habete inter nos; ita enim sapientiae sal habendum, ut eo proximi amor custodiatur, et infirmitates condiantur. Quod si a sapientiae studio, a cura etiam proximi ad discordias vertantur, sal sine pace habent; non virtutis donum, sed damnationis argumentum; et quo melius sapiunt, eo deterius delinquunt; quos quidem damnat Iacobi Apostoli sententia illis verbis: Quod si zelum (3) amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus est et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiae et fructibus bonis, non iudicans, sine aemulatione.

Vota pro pace, et spirituali unione fidelium, precesque Deo porrigit.

§ 8. Dum ergo Deum in humilitate cordis et afflictione animae deprecamur, ut diligentiae atque industriae nostrae conatibus suam impertiat indulgentiae et misericordiae largitatem, ne dissensio populum fidelem disturbet, utque in vinculo pacis et in charitate spiritus unum sapiamus omnes, unum laudemus et glorificemus Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, vos, venerabiles fratres, salutamus in osculo sancto; vobisque omnibus, itidemque cunctis ecclesiarum vestrarum fidelibus, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi die XIV. iunii MDCCLXI. Pontif. nostri anno III.

---

(1) I. Tim. III. 15.
(2) Marc. IX. 49.
(3) Iacob. 14.

XXV.

Qui ex Ordine Minorum S. Francisci de Observantia reformati religiosi viri sacras missiones in Albania et Macedonia viginti annis peregerint, adnumerari secretariis generalibus indulgetur, facta tamen lege, ut ultimum teneant locum inter provinciae patres.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Referuntur causae praesentis concessionis.

§ 1. Inter animi nostri desideria, illud potissimum cordi nostro inhaeret, ut fructus, quos sacer Minorum S. Francisci Ordo in agro militantis Ecclesiae afferre non desinit, non solum provisione nostra succrescant, verum etiam, sublatis ab eis impedimentis, multimodis afferantur incrementis. Cum itaque, sicut venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, negociis Propagandae Fidei praepositi, nobis nuper exponi fecerunt, missiones Albaniae et Macedoniae, quibus fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia reformatorum nuncupatorum inserviunt, idoneis ut plurimum operariis deficiant, eo quod fratres Ordinis praefati ad illas accedentes, post duodennium completum, ad proprias provincias, absque ullo laborum suorum praemio redire cogantur, ac proinde religiosi eorum labores aliquo honoris praemio decorari debere videantur;

Fratribus minoribus de Observantia per viginti annos in missionibus operam navantibus gradum secretarii generalis tribuit.

§ 2. Nos ex commissae nobis coelestis dispensationis munere, illorum honorificentiae consulere cupientes, ac Cardinalium praefatorum supplicationibus nobis super hoc porrectis inclinati, fratribus dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, sacras in Albaniae et Macedoniae partibus missiones peragentibus, qui per spatium viginti annorum in praefatis missionibus se laudabiliter gesserint, eiusque rei testimonia caeterorum missionariorum sive maioris illorum partis habuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, favoribus, gratiis et indultis ac praecedentiis, quibus fratres dicti Ordinis, qui secretarii generales fuerint, dummodo tamen patribus provinciae nullo modo praecedant, sed ultimum locum semper post ipsos obtineant, ac firma semper ac intacta manente regula, in quibusdam felic. rec. Clementis Papae IX. praedecessoris nostri literis contenta, pro illis, qui post duodennium tantum expletum e missionibus abscesserint, die x. sept. MDCLXVIII. expeditis incipientibus *Crediti*, tam de iure, usu et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere libere et licite possint ac valeant in omnibus ac per omnia, perinde ac si secretarii generalis munere perfuncti fuissent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Attestatio Ordinariorum requiritur.

§ 3. Cum hac conditione tamen, quod missionarii praefati Ordinis attestatum habeant Ordinariorum locorum, ubi sacras exercuerunt missiones.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, ac pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti Ordinis eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenoribus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLXI., pontificatus nostri anno IV.

XXVI.

Approbat Regulas et Constitutiones Monachorum Ordinis S. Antonii Abbatis Coptorum et Abyssinorum ritus uniti Monasterii S. Stephani vulgo de' Mori *Romae existentis.*

Monachis Coptis
Ordinis Sancti Antonii Abbatis,

CLEMENS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam praesidentes, ea, quae pro felici prosperoque monasticorum Ordinum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutorum ac bonorum operum fructus assidue proferre satagentium statu ac gubernio provide prudenterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, et sub illorum directione christifideles, divinis obsequiis sub suavi Religionis iugo mancipati, vota sua Altissimo in suavitate et iustitiâ reddere, populumque christianum bono vitae suae exemplo fructuosius aedificare et spiritualium aromatum odore perfundere valeant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Abbas et monachi Copti et Abyssini Ordinis S. Antonii Abbatis in monasterio S. Stephani, vulgo *de' Mori* nuncupato, almae Urbis nostrae degentes, quod i[illegible] proprias Regulas seu Constitutiones i[illegible] decretum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis die xx. augusti MDCCXXXIII. editum, condere, ac eorumdem Cardinalium Congregationi exhibere curarunt, quas quidem Regulas et Constitutiones tum ven. frater noster Iosephus Episcopus Ostiensis et Veliternen. S. R. E. Cardinalis Spinelli nuncupatus, sacri venn. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decanus, dictaeque Congregationis praefectus, nec non dilectus filius noster Antonius Andreas S. R. E. praefatae presbyter Cardinalis Galli, ac bon. mem. Fortunatus, dum vixit, ipsius S.R.E. presbyter Cardinalis Tamburini nuncupatus, mature diligenterque perpenderunt, atque accommodatas et idoneas esse non solum pro supradicto, verum etiam pro aliis quibuscumque monasteriis Ordinis et nationum huiusmodi in Oriente pro tempore fundandis existimarunt; ac propterea exponentes praefati Regulas et Constitutiones praefatas, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderant.

§ 2. Nos piis eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. praedictae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei huiusmodi praepositorum consilio, supradictas Regulas et Constitutiones per memoratos Cardinales mature perpensas, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac monachis praefatis plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. decembris MDCCLXI., pontificatus nostri anno IV.

XXVII.

Ducis et Reipublicae Venetiarum studium excitat, ut in ecclesia S. Georgii fides catholica servetur, ac impediatur regimen Episcopi schismatici, eisque in

mentem revocat documenta patria id exigentia (1).

Dilectis filiis Nobilibus Viris Duci et Reipublicae Venetiarum,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecti filii Nobiles Viri, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ad assiduos moerores, quibus animus noster ob vulnera catholicae Ecclesiae illata quotidies angitur, ac pene opprimitur, nihil molestius aut gravius accideret, quam si dubitari possit, antiquam illam Venetam pietatem, atque erga Ecclesiam catholicam studium et venerationem a maioribus vestris acceptam, et tamdiu magna nominis vestri laude servatam, aliquam ex parte imminutam, atque quodammodo obtenebratam fuisse.

De irregularitate electionis Episcopi graeci in Ecclesia Sancti Georgei conqueritur.

§ 2. Ut primum igitur ad aures nostras delatum est, et in publicis civitatis vestrae diariis legimus, factam fuisse Graecis per vos potestatem eligendi sibi Episcopum ad regendam ecclesiam istam S. Georgei, atque eum virum Graecorum suffragiis delectum fuisse, qui non modo ab Episcopo Schismatico illicite ordinatus fuisset, sed insuper

---

(1) De eodem argumento agit seq. lit. cum Patriarcha.

Venerabili fratri Ioanni Patriarchae Venetiarum,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Patriarchae Venetiarum religio et apostolicus zelus commendatur.

§ 1. Etsi, venerabilis frater, tuum studium, religio tua, apostolicusque sacerdotalis vigor nequaquam postulent, ut stimulos tibi addamus ad nostrae S. Fidei puritatem sartam tectamque tuendam, et catholicae religionis cultum conservandum; cum tamen concreditum nobis coelitus supremi apostolatus officium advigilare nos cogat universo Iesu Christi ovili, permoveat quoque amor noster in patriam istamque rempublicam, abstinere non possumus, quin vocibus nostris magis magisque te incendamus, ut isthic Venetiis tuearis unam illam, quae semper viguit laudabiliter Fides Apostolica Romana.

De electione Episcopi graeci in ecclesia S. Georgii Venetiarum irregulariter habita, conqueritur.

§ 2. Per electionem Episcopi habitam a Graecis ecclesiae S. Georgii, et quidem Episcopi haudquam pollentis dotibus legitimi pastoris, cuius etiam illicita et extra Ecclesiam Catholicam ordinatio urgetur, statuitur in sinu Venetiarum ecclesia schismatica, et templum Dei sanctum, quod ex avita Venetorum pietate et ex Apostolica Leonis X. (*) praedecessoris nostri auctoritate ad catholicorum graecorum usum destinatum fuerat, vertitur in emporium iniquitatis, in cathedram schismatis et errorum. Singulari igitur ac mirifica quadam cura, vigilantia, atque labore tuo adnitendum est, ven. fr., ne Graecis istis a catholica unitate recedendi occasio fiat, ne extra castra Christi et Sancta Sanctorum profanum altare constituatur, ne contra Ecclesiae pacem Episcopus ordinetur; opponere te debes uti murum aeneum ad fulciendam domum Israel, cui ruina intentatur; audacter palam omnibus loqui et clamare, quin potentium vim reformides, omnibus illis artibus uti, quas bonus pastor exemplo pastorum Principis, etiamsi propria periclitetur vita, adhibere novit, ut gregem suum a lupis tueatur, ut in ovili contineat, ut denique arceat a pascuis insalubribus et venenatis. Pastoralis haec vigilantia tota iam tua est, ven. fr., qui toties quum Veronensi Ecclesiae praeesses, Venetaeque nunc praesidens, illustria semper documenta praebuisti pietatis, prudentiae, zelique sacerdotalis perflagrans studium divinae gloriae et animarum salutis.

Praecedentium Patriarcharum virtutis exempla, et in Graecos vigilantiam commemorat.

§ 3. Tibi igitur ipse sis exemplo, vel, si potius libet, aliorum tibi proponere exempla virtutis, cogita quales se in tali Graecorum causa praestiterunt praedecessores tui, qui in periculis, istius ecclesiae S. Georgei et catholicae fidei imminentibus, eam vigilantiam atque operam adhibuerunt, quae et eo sacerdotii honore, quem gerebant, esset dignissima, ad abusus tollendos aptissima; eorum enim industria et labore effectum est, ut res Graecorum istic publica auctoritate interposita, bene feliciterque gererentur: spes vero, quae nos a metu liberat, posita est omnis in Senatus religione, qui te nec tristia nec luctu affici patietur, nec deseret exempla maiorum, qui pluribus amplissimisque decemviralibus decretis intemeratam praestiterunt in Ecclesia et in praesule Graecorum fidei puritatem. Nos pro virili haud praetermisimus illum excitare, ut salutari huic operi incumbat, qua oratione hic per suum apud nos oratorem, qua literis ad ipsum datis; tu iam quod expedit facito, in primisque caveto, ne iniussu nostro sinas coram te fidem profiteri re[illegible] Graecorum Episcopum, si forte tentaverit; [illegible] demum in amoris et benevolentiae in te nostrae argumentum adiicimus apostolicam benedictionem, quam tibi et gregi tuo peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. februarii MDCCLXII., pontificatus nostri anno IV.

Ex Reg. Vat. Ep. ad Principes pag. 139 transcribimus epist. qua anno sequenti postulat a Duce et Senatu Venetiarum ut, expletis iam Reipublicae negotiis, respondeant literis a se missis de Episcopo schismatico ecclesiae S. Georgii praeposito, eisque rursus rei gravitatem ac facti deformitatem repraesentat.

Dilectis filiis Nobilibus Viris Duci et Reipublicae Venetiarum,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecti filii Nobiles Viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Scripsimus ante hos tres menses nobilitatibus vestris de sacerdote illo Facea, quem sacris ordinibus in schismate initiatum, ac propterea ab omnibus catholicorum ecclesiis excludendum absterren-

(*) *Constitutio Leonis X. qua templum S. Georgii Venetiarum ad catholicorum graecorum usum destinatum fuit, non reperitur impressa in Bullario Mainardi, nec usque nunc invenire potuimus; forsitan, in tabulario patriarchali veneto asservatur.*

manuum impositionem, ut ad Episcopatum promoveretur, extra catholicam Ecclesiam suscipere meditaret; exarsit illico animus noster zelo tuendae catholicae fidei, cuius depositum, nobis licet indignis et immeritis ex alto concreditum est; et pro amore, quo patriam et cives nostros prosequimur, maximo fuimus dolore perculsi. Itaque statim ad nos accersivimus egregium virum dilectum filium equitem Iustinianum, apud nos legatum vestrum, cui animi nostri angustias aperientes in mandatis dedimus, ut primum significaret vobis, quanto animi dolore afficeremur ex rebus novissime gestis, deinde patefaceret propensam voluntatem nostram in conferenda omni opera, auxilio, atque auctoritate nostra, ut Graecorum res in ista Republica iamdiu confusae ac perturbatae ad pristinam sincerae doctrinae sanitatem, divina adiuvante gratia, reducerentur. At vero etsi aliqua nos consolatione perfuderit responsum vestrum nobis ab eodem legato allatum, ex quo intelleximus constatem firmamque voluntatem vestram in conservanda integritate orthodoxae fidei, haud tamen intimum animi nostri dolorem abstersit, cum perlatum ad nos non fuerit, ea a vobis capi consilia, quae rem ad optatum exitum perducere valeant, quinimo metuendum sit, ne ex longiori mora et tam gravis negocii procrastinatione locus infernalis hostis insidiis praebeatur, ut, capta temporis occasione per pravam calliditatem, ecclesia S. Georgei in schismaticam degeneret, atque a schismaticis administretur.

Dedecus Venetae reipublicae exprimit, quoties schismati minitato pro viribus non obsistat.

§ 3. Quantum vero istud ignominiae ac dedecoris vobis afferret, quam turpiter pietatem religionemque Reipublicae inquinaret, si perversorum conatus contra Dei legem, contra institutionis catholicae unitatem, contra apostolicam auctoritatem, contra maiorum vestrorum statuta praevalerent, melius vos ipsi intelligitis, quam quod oratione exprimi posiit. Quamobrem ad vestram virtutem pietatemque excitandam, non verbis nobis opus est, sed quod grave aut ingratum vobis esse non debet, ecclesiae illius a vestris scriptoribus typis edita monumenta consulite, ante oculos vestros proponite praeclara Maiorum vestrorum exempla, revocate in mentem eorum studia, curas et sollicitudines quibus inter subiectos sibi Graecos omni opera et conatu catholicam religionem conservare, schismaque erroresque, quibus schismatici infecti sunt, abolere penitus, et ex vestra gloriosa civitate eliminare curarunt.

Origo Ecclesiae pro Graecis catholicis et Venetae Reipublicae salutares sanctiones commemorat.

§ 4. Ipsi enim a praedecessore nostro Leone X. impetrare studuerunt, ut Templum S. Georgii a Graecis aedificaretur, immuneque a iurisdictione Ordinarii huic S. Sedi subiectum esset, quo firmius ab illa natione Catholica Religio retineretur: neque alio spectarunt sanctiones illae decem-

---

dumque, Graeci istic commorantes Episcopum sibi designarunt, et populus venetus universus in catholicâ S. Georgii ecclesiâ episcopalibus ornatum insignibus vidit in episcopali cathedrâ considere, sacris functionibus praeesse, populo episcopalem benedictionem impertiri; quod quidem tam foedum spectaculum sine magnâ offensione catholici neque oculis cernere nec animo tolerare potuerunt. Ex illo tempore magno adhuc sumus in desiderio literarum vestrarum, quibus expectandis integri longitudinem anni nobis videtur habere dies unus. Sed huius desiderii stimulos retundebat illa cogitatio, vestro Senatui satis temporis dandum esse, quo eâ prudentiâ, qua constat inter omnes, illum maxime excellere, apta rationibus vestrae Reipublicae et ad tollendum hoc malum efficacissima consilia caperet. Luctus denique vester consequutus est uno ex luminibus civitatis proxime extincto Duce Reipublicae, animosque vestros in novo creando totos fuisse oportuit. Nunc vero, cum ad civem egregium amplissimis muneribus magnâ cum laude perfunctum et haud ita pridem apud nos gravibus quibusdam vestris negotiis e sententiâ confectis de patriâ optime meritum summo illo honore delato, vestrae Reipublicae abunde satisfecisse videmini, urget nos apostolici nostri muneris ratio, ut, postquam quisque vestrum quod patriae debebatis officium implevistis, nunc ad satisfaciendum catholicae religioni cogitationes vestras denique revocemus. Summa vero huius negotii et totius deliberationis vestrae huc tandem redit: videaturne Senatui schismaticum sacerdotem Facea istic apud vos Episcopum in ecclesiâ S. Georgii tolerari posse: deinde catholicam, nec ne, illam ecclesiam esse debere; et si quidem catholica esse debeat, talem ne habendam esse, dum omnis cum Apostolicâ Sede communionis expers illius auctoritatem respuat et aspernetur iurisdictionem: postremo catholicos ne censendos esse illius ecclesiae capellanos, qui inani illius pseudo-episcopi subiiciantur iurisdictioni, qui Romanae Cathedrae auctoritatem eiusque in universâ Ecclesiâ maiestatem non recognoscant, qui nec probatam fidei formulam sint professi, nec apud legitimos superiores sic animi sui sensus aperuerint, ut certo constet, eos sanam et catholicam doctrinam sequi. Haec, dilecti filii nobiles viri et nobis unice cari, in hanc vestram deliberationem cadunt. Faciet egregia sapientia vestra, et admiranda quaedam in omnibus rebus Veneti Senatus prudentia, et pro certo habeamus, si paullulum ad hanc rem vestrum animum adiiciatis, vos illico perspecturos quid Dei honor, quid vestra religio, et in hanc sacram B. Petri Sedem praeclara devotio, quid vestra dignitas et Veneti nominis splendor a vobis efflagitet. Deum in humilitate cordis nostri impensissimâ prece rogantes, ut in animos vestros iniiciat ea consilia, quae cum vestrâ congruant egregiâ religione et sapientiâ, et ad ea quam maturrime capessenda divino numine suo permoveat, vobis, dilecti filii nobiles viri, omni pietatis erga carissimam patriam nostram et in vos universos paternae caritatis sensu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLXIII., pontificatus nostri anno V.

virales annorum MDXXXIV. et MDXLII. quibus cautum est, ut ad regendam illam ecclesiam catholici praesbyteri adsciscerentur, atque ii tantummodo, qui se catholicos Patriarchae probassent, ut omnis schismaticae pravitatis suspicio removeretur. Huiusmodi autem sanctiones, quae postmodum hominum pravitate labefactatae fuerant, salubri providentia cum saepe alias, tum praesertim anno MDCCXX. renovatae fuerunt. Manifestum tunc et omnibus notum solemni decreto Venetus Senatus esse voluit, mentem ac voluntatem suam in id unum ferri, ut rite sancteque a Graecis coleretur Deus, ut custodiretur Catholica Religio, sibique propositum ac statutum fuisse, arcere ab ecclesia S. Georgei ea omnia, quae turbare possent sanctae fidei puritatem, iuxta Bullas, quarum auctoritate fundata fuerat. Indeque factum fuit, ut remoto sacrorum ministro, tunc schismatis suspicione adlaborante, praeceptum fuerit, novos eligi, praehabita inquisitione per Patriarcham aut Apostolicum Nuncium ad approbandum illum, qui catholicus censeretur, vetitum vero, ne qui reiectus esset, alios quam ad eumdem Patriarcham appellare posset.

Perturbationem catholicarum rerum in ecclesia S. Georgei, et graviora imminentia damna significat.

§ 5. Haec sunt, dilecti filii, Senatus consulta vestra, patrumque vestrorum. Cur secundum illa fieri non imperatis? Vos non latet, plures ante annos Graecorum rem in ista ecclesia perturbatam et inversam esse, eius gubernium ordine et rectore destitutum, schismaticos invaluisse, gemere catholicos, et afflictos iacere. Gravissimum huiusmodi malum magisque in dies grassatur, et, quod non sine lacrymis cogitare possumus, eo audaciae perventum est, ut schismatica perfidia structis religioni vestrae insidiis pseudo-episcopum media vestra civitate statuere, lupum in ovile dominicum inducere, altare profanum erigere, cathedram erroris et pestilentiae constituere, Christi membra discerpere, fidelis populi animum et corpus unum, impia aemulatione lacerare, moliatur. Nos in tanto catholicae fidei discrimine muneri nostro apostolico deesse non possumus, quin pro ea inter Graecos conservanda retinendaque, vitam ipsam profundere parati simus, ut aliquo remedio, fidei, inter istos Graecos periclitanti, subveniatur. Resonat enim assidue ad aures nostras, qui speculatores in Domo Israel constituti sumus, vox illa Domini per Prophetam suum comminantis et dicentis: *Si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.*

Venetae reipublicae magistratus obsecrat ut tot impendentibus malis obsistat, catholicamque fidem tueantur.

§ 6. Vos igitur, dilecti filii, vox nostra compellat, ad vos nostra convertitur sollicitudo, atque per viscera Iesu Christi, qui pretioso Sanguine suo animas hominum redemit; etiam atque etiam vos rogamus, et hortamur, ut grassanti huic pestilentiali morbo obsistatis. De fide agitur, deque illa servanda incorrupta in ista vestra civitate, id unum satis superque vos commovere et impellere debet, ut omnes pietatis ac religionis vestrae vires exaratis, vosque ipsos ponatis murum pro Domo Israel. Nos quoque ex parte nostra duces vobis erimus ad bellandum bellum Domini, et quidquid operis et auxilii a nobis, vel auctoritate, vel studio, ac vigilantia, conferri poterit, coniunctis vobiscum studiis in hanc Dei et Ecclesiae causam libentissimi impendemus: et interea benevolentiae nostrae erga vos vestramque Rempublicam pignus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. februarii MDCCLXII. pontificatus nostri anno IV.

XXVIII.

Quosdam Cardinales eligit visitatores Collegii S. Ephrem de Urbe pro missionibus instituti cum facultatibus opportunis (1).

Venerabili fratri nostro Iosepho Episcopo Ostien. et Veliternen. S. R. E. Cardinali Spinelli nuncupato, sacr. Venerabilium FF. nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decano, nec non dilectis filiis nostris Iosepho Mariae S. R. E. praefatae presbytero Castelli, ac Prospero Diacono Columnae nuncupatis,

CLEMENS PP. XIII.

Ven. frater noster ac dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Iniuncti nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii sollicitudo postulat

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

atque exigit, ut ad ea per quae prospero locorum piorum statui, regimini et gubernio, quoad nobis integrum est, opportune consulitur, eiusdem officii partes sedulo intendamus, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cupientes itaque ad animarum salutem divinumque cultum promovendum, ac ad corrigendos atque e medio tollendos abusus, qui in missionibus dilectorum filiorum Ord. fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum irrepserant, collegiales alumnosque eiusdem Ordinis, qui in Collegio S. Ephrem de Urbe pro missionibus obeundis instituuntur, auctoritate nostra visitari, ac de circumspectionum vestrarum fide, prudentia, pietate, doctrina, ecclesiasticae disciplinae et catholicae religionis zelo plenam in Domino fiduciam habentes, vos praefati Collegii nostros et Apostolicae Sedis visitatores cum facultatibus necessariis et opportunis, nec non dilectum filium Magistrum Marium Marefoschi in utraque signatura nostra Referendarium et Congregationis venerabilium FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae fidei praepositorum secretarium, in visitationis Collegii huiusmodi itidem secretarium dicta auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus. Vobisque harum serie committimus ac iniungimus, ut quamprimum poteritis coniunctim procedentes, Collegium ipsum eiusque rectorem ac quosvis alios superiores et officiales ac ministros quocumque nomine nuncupatos, nec non omnes ac singulos illius alumnos, scholares, seu collègiales, ac alias personas quascumque tam laicas, quam ecclesiasticas, et regulares, tam in capite quam in membris ad praescriptum sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, nec non apostolicarum et Collegii huiusmodi constitutionum, semel tantum, auctoritate nostra visitetis, ac in illorum studia, vitam, mores et disciplinam diligenter inquiratis, ac novas constitutiones pro tollendis irreptis abusibus, quibus indigere cognoveritis, de novo condatis ac conditas confirmetis, illasque observari mandetis. Praeterea quod bona tam mobilia quam immobilia, nec non redditus ac proventus dicti Collegii quonam modo administrata huc usque fuerint et nunc administrentur, attente inspiciatis, et a quibuscumque bonorum, redditnum ac proventuum huiusmodi administratoribus tam praesentibus, quam praeteritis, si ita vobis videbitur, administrationis suae rationem exigatis, et ad hunc effectum eos et eorum quemlibet ad exhibenda eorum computa, reddendamque rationem huiusmodi compellatis. Nos enim vobis praemissa omnia et singula, aliaque desuper ac pro demandato vobis munere, rite et recte explendo quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, et exequendi, et inobedientes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi quamcumque necessariam et opportunam facultatem auctoritate et tenore praesentis concedimus et impertimur. Mandantes propterea omnibus et singulis Collegii superioribus, ministris, alumnis et personis ceterisque ad quos spectat, ut vos in visitatores apostolicos eiusdem Collegii a nobis ut praefertur deputatos recipiant et recognoscant, vobisque in omnibus ad visitationem huiusmodi spectantibus iuxta earumdem tenorem praesentium prompte pariant et obsequantur, ac vestra salubria monita et mandata humiliter suscipiant ac efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Volumus autem ut, si quae graviora in huiusmodi visitatione a vobis reperta fuerint, illa ad nos referatis, ut quid desuper statuendum fuerit, matura vobiscum deliberatione adhibita decernamus. Non obstantibus apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis edictis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinibus, nec non Ord. et Collegii huiusmodi aliisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, immunitatibus, et exemptionibus ac literis apostolicis eidem Ordini et Collegio eorumque respective ministro generali et rectori aliisque superioribus et personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus et formis et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo

ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expresio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur ac insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VI. martii MDCCLXII. pontificatus nostri anno IV.

XXIX.

Confirmatis literis Bonifacii VIII., Gregorii XV. et Innocentii X. de iudicibus conservatoribus, deplorat missionarios in Tunkino elegisse iudicem contra Vic. Apostolicum; declarat electum non posse munus suum exercere et electores incidisse in excommunicationem; statuit quod superiores regulares temporanei non eligantur in iudices conservatores in partibus infidelium (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Summa sedulitate Romani Pontifices missionibus prospexere ad infidelium partes expeditis.

Cum omnium quidem ecclesiarum, tum earum praesertim quae in remotissimis regionibus sunt constitutae, decet Apostolicam Sedem curam gerere. Fideles enim illic degentes, vel Ecclesiae corpori recens inserti, vel undique paganorum ritibus et superstitionibus circumdati, nisi novarum plantarum instar foveantur, irrigentur, diligenterque custodiantur, periculum est ne paullatim arescant, in eisque fructum, quem optat caelestis Paterfamilias, non adinveniat. Hinc Romani Pontifices praedecessores nostri, quorum exemplum nos quoque sequuti sumus, in easdem regiones seculares et regulares clericos bene multos, qui in agro dominico operarentur, mittendos curarunt. Sed infensissimus humani generis inimicus, qui inter frumentum zizania superseminare solet, discordiarum semina inter eorum aliquos spargere adeo consuevit, ut non raro sui muneris obliti ac apostolicae legationis immemores, pro eo quod gentibus ac populis sedentibus in tenebris et regione umbrae mortis fidei lucem ingerere et ad veritatis agnitionem perducere curent, ipsi inter se levissimis de rebus maximas contentiones ineant; quod interdum eo usque protenditur, ut eodem temporis ac loci vestigio, quo Evangelium salutis afferunt et pacem christianam annunciant, quam Christus discipulis suis velut unicam haereditatem testamento reliquit, eas ipsi turbas excitant, ut qui eis adhaerent, pro partium studio etiam ad arma concurrant, ac manus inter se, non sine bonorum omnium gemitu, conferant. Id vero eo acerbius ferimus, quo eorum dissidia catholicae fidei propagationi summo esse impedimento propemodum videamus, atque in messe multâ veros operarios adhuc paucos doleamus.

Recensentur nonnullae causae dissidiorum.

Dissidiorum causa eiusmodi est, quod dum ex regularibus nonnulli in vindicandis privilegiis toti occupantur, interim opus ministerii sui in consummationem Sanctorum et in aedificationem corporis Christi negligentes, interdum quod ore docent ac oculis adstruunt, factis negare ac manu destruere videantur.

In missionibus Tunkini abusus inoleverant quoad iudices conservatores.

§ 1. Nuper siquidem non sine intimo cordis nostri dolore accepimus, in regno Tunkini in Indiis Orientalibus regulares nonnullos, qui eodem ad Christi religionem propagandam missi sunt, sub obtentu conservandorum privilegiorum quae regularibus eisdem ab Apostolicâ Sede concessa fuerunt, conservatores iudices, ut vocant, praeter ordinem et contra apostolicarum constitutionum spiritum ac mentem tales sibi delegisse, quos nec ipsa instituti sui ratio pateretur, quique eo temeritatis pervenerunt, ut in Apostolicos nostros Vicarios ibidem degentes, quorum auctoritatem, ut religiosos viros decet, revereri debuissent, maximo cum christiani nominis apud ethnicos ipsos dedecore gravique cum perturbatione illarum ecclesiarum excommunicationis et suspensionis et interdicti sententiam ferre non dubitaverint.

Ad tales removendos abusus S. Congr. Prop. Fidei provocatum fuit iudicium.

§ 2. De quibus omnibus cum a Vicario Apostolico ad nos essent delatae querelae, requiem non habuit caro nostra, sed videntes tumultum in domo Dei, in qua ne

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide coll. cum Reg. Bull. Abbreviator. Curiae asserv. in Arch. Vat.

contentiones quidem Apostolus patitur, pro summi pontificatus officio duximus tanto malo validioribus remediis quantocius occurrendum. Ut vero cautius in re tanti momenti procederemus, Congregationem particularem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui negociis Propagandae Fidei praepositi sunt, ad rem totam examinandam instituimus. Qui quidem examen diligenter aggressi, primo dubium illud: ***An potuerit eligi in Conservatorem superior regularis temporarius;*** pro rei gravitate minime censuere statim ac protinus definiendum, sed, reservato examine ac decisione eiusmodi dubii, inter caetera pro re natâ declararunt, inhaerendo constitutionibus apostolicis et decretis alias editis:

« I. Quod denegata regularibus vel dilata facultas excipiendi confessiones, sufficiens causa non fuerit eligendi sibi Conservatorem.

» II. Quod proinde qui illum eâ de causâ elegerint Conservatorem, in excommunicationem inciderint ad formam *Cap. final. de off. et potest. iud. deleg. in 6,* speciatim confirmati in constitutione Gregorii XV., quae incipit *Sanctissimus.*

» III. Quod electus huiusmodi Conservator, sub poenâ suspensionis a divinis ipso facto incurrendâ, a Conservatoris nomine et officio omnino abstinere se debeat, nullis ac nullius valoris declaratis omnibus huc usque ab eo actis, et deinceps forsan agendis.

» IV. Demum quod graviter moneantur regulares omnes, ut in posterum, remotis partium studiis et proprii Ordinis commodis, ad animarum salutem unice invigilent, ne tandem Sedes Apostolica, tot Episcoporum quaerelis fatigata, privilegia olim regularibus concessa pro incremento missionum, quaeque nunc ad earumdem perniciem vertere cernuntur, revocare cogatur. Atque ad hunc effectum, ne quis esse possit ignorantiae locus, huiusmodi decretorum exemplar superioribus generalibus respective intimetur, ut eorumdem observantiam et exequutionem sollicite curent. »

Non obstante Sacrae Congregationis de Prop. Fide iudiciis iisdem persistentibus abusibus, novum prodiit praelaudatae Congregationis decretum

§ 3. Quae quidem omnia, quum essent a nobis auctoritate apostolicâ confirmata, hoc tamen temporis intervallo in regionibus adeo dissitis discordiarum et scandalorum incendium nec restingui nec temperari potuit, imo multo etiam magis acutum et dilatatum est, adeo ut graves querimoniae ad nos usque pervenerint, negata etiam fuisse in summo vitae discrimine sacramenta nonnullis eorum, qui iudicis Conservatoris iudicio et censuris non obtemperassent. Quibus ex causis haud diutius differendum dubii huc usque suspensi decisionem rata S. Congregatio, deductis hinc inde iuribus et re mature perpensâ, ac prae oculis habitis constitutionibus apostolicis, tum et fere communi iuris canonici peritorum consensu, ac praesertim resolutione s. Congregationis Episcoporum et Regularium negociis praepositae, quae ab Archiepiscopo Turritano consulta: ***An regulares unius conventus monasterii vel domus aliquem priorem, guardianum, vel quemvis alium quavis regulari dignitate fulgentem in suum Conservatorem eligere vel deputare possint,*** die VIII. octob. anni MDCXVII. rescripsit: ***Non posse:*** his aliisque similibus decretis inhaerens die VIII. martii currentis anni tandem in hunc modum propositum dubium resolvit: ***Consulendum SSmo, ut dignetur declarare, superiores regulares temporarios nullibi et in nullo casu posse eligi in Conservatores; in partibus autem infidelium expedire, ut Conservatores omnino non eligantur.***

Semper certus modus certique fines electioni et potestati iudicum conservatorum a Sancta Sede praecepti sunt.

§ 4. Hoc nobis relatum exhibitumque decretum iam satis agnovimus quoad utramque partem apostolicis constitutionibus consentaneum et congruum. Iamdudum enim Bonifacius VIII. in constitutione quae incipit *Statutum,* Gregorius XV. in constitutione quae incipit *Sanctissimus in Christo Pater,* et Innocentius X. in literis in formâ Brevis quae incipiunt *Alias a nobis,* praedecessores nostri, animadvertentes, regulares aliosque, quibus ab Apostolicâ Sede generale sive speciale privilegium concessum est, ut possint sibi iudices Conservatores eligere, sub eiusmodi privilegii praetextu Episcoporum aliorumque iudicum ordinariam sive delegatam iurisdictionem perturbare, et electos iudices Conservatores suae potestatis limites frequenter excedere, optimo sane consilio, dum privilegia ista sarta tecta esse voluerunt, certum tamen modum iudicum Conservatorum electioni, certosque fines eorumdem potestati imposuerunt; poenis etiam adversus transgressores constitutis.

Pontifex approbat et confirmat praecedentes apostolicas constitutiones quoad iudices conservatores.

§ 5. Horum igitur summorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, de consilio Congregationis particularis supramemoratae nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui negotiis Propa-

gandae Fidei praepositi sunt, videlicet ven. fratris nostri Iosephi S. R. E. Cardinalis Spinelli Episcopi Ostiensis et S. Collegii Decani, ac dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium Stoppani, Galli, Antonelli et Columnae de Sciarra, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ nostrâ deliberatione, nos in primis constitutiones easdem Bonifacii VIII. et Gregorii XV. necnon apostolicas literas in formâ Brevis Innocentii X., quarum tenorem hic pro inserto haberi volumus, cum singulis declarationibus in iisdem contentis innovamus et confirmamus, easdemque constitutiones et apostolicas literas plenum robur et firmitatem habere volumus et mandamus.

Ne in iudices conservatores eligantur superiores temporanei, sed tantum personae dignitatem vel personatum obtinentes.

§ 6. Praeterea, quoniam in iisdem constitutionibus cautum est, ut ii dumtaxat in iudices Conservatores eligi possint, qui dignitatem aut personatum in cathedrali vel collegiatâ ecclesiâ obtinent, nos eisdem constitutionibus inhaerentes statuimus ed declaramus, non licere quibuscumque in locis regularibus Ordinis cuiuscumque, monasterii, vel Congregationis, mendicantibus vel non mendicantibus, etiam Societatis Iesu, aliisque quantumvis expresse et speciatim nominare eos oporteat, caeterisque, quibus ab Apostolicâ Sede concessum est, ut iudices Conservatores sibi deligere possint, vigore cuiuscumque privilegii (cui, quatenus opus sit, expresse derogamus), praepositos, rectores provinciales, definitores, custodes, priores, praefectos, vicarios, visitatores, aliosque quoscumque superiores regulares non perpetuos sed temporarios proprii vel alterius Ordinis in iudices Conservatores eligere, quos hac in parte et ad hunc effectum in dignitate ecclesiasticâ constitutos non esse, eorumdem electionem, etiamsi fiat servatâ in reliquis formâ constitutionis Gregorii XV., ipso iure irritam prorsus fore declaramus.

Regularibus in missionibus degentibus in partibus infidelium, interdicitur iudicum conservatorum electio.

§ 7. Tandem inhaerentes aliis decretis in Congregatione generali de Propagandâ Fide coram s. m. Urbano VIII. habitâ die III. febr. anni MDCXL., et prospectis etiam periculis et scandalis, quae ex electione iudicum Conservatorum in partibus infidelium plerumque in animarum perniciem et publicae tranquillitatis atque ecclesiasticae pacis perturbationem emergunt; iuxta decretum praefatae Congregationis auctoritate apostolicâ denunciamus, regulares mendicantes et non mendicantes, monachos et clericos regulares, cuiuscumque Congregationis et Ordinis, etiam Societatis Iesu, aliosque quamvis expresse et speciatim nominari eos oporteat, privilegio sibi concesso eligendi iudices Conservatores, quousque in partibus infidelium degunt ac sacras missiones exercent, nullo modo expedire *ut utantur;* sed omnes et singulos in offensionibus et causis, quae ipsorum Ordines ac privilegia tangunt, ut ad nos et ad Apostolicam Sedem recurrant, ut ab hac Ecclesiâ ecclesiarum omnium matre et magistrâ, cui nihil antiquius est, quam cuique sua iura servare, rectum iudicium ac remedium praestolentur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 8. Decernentes praesentes nostras literas et in eis contenta quaecumque, licet superiores quorumcumque Ordinum etiam generales, vel procuratores itidem generales seu missionum, aut missionarii ipsi vel ab eis deputati, aut alii quicumque in praemissis ac circa praemissa interesse habentes vel habere praetendentes, ad haec vocati, citati, vel auditi, sive causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, iustificatae et verificatae non fuerint, semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, et etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, ac Vicarios Apostolicos, seu visitatores quibusvis facultatibus munitos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus Sixti V. favore Ordinum Mendicantium, et Pii V. ac Gregorii XIII. incipientibus: *In supereminenti,* favore Clericorum regularium Societatis Iesu extra Europam existentibus, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinum et Institutorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, etiam *Mare Magnum,* vel alias quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus et Institutis, eorumque superioribus et praelatis, ac personis etiam missionariis in limine quoque et actu primaevae illorum expeditionis, ac subinde et succes-

sive, etiam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam praedictam et per nos pariter quomodolibet concessis, confirmatis et iteratis vicibus approbatis et innovatis: quibus et aliis omnibus, quae praesentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specifica et expressa ac individua, nec non de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorumque tenores pro plene et sufficienter praesentibus expressis et totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, amplissime et plenissime, nec non opportune et valide derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Forma statuitur ut immediatae exequutioni praesentes literae ponantur.

§ 10. Ut autem praesentes nostrae literae ad omnium notitiam deducantur, neque aliquis eorum ignorantiam praetendere, aut contra eas se excusare valeat, volumus et mandamus, earum exemplar superioribus generalibus Ordinum, Congregationum et Institutorum praedictorum, seu illorum procuratoribus generalibus in Urbe existentibus, e quibus missionarii quicumque exstiterint, a dictâ Congregatione de Propagandâ Fide tradi debere: quodque post traditionem huiusmodi omnes et illos, quos concernunt et concernent in futurum, perinde arctent et afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Transumptorum fides.

§ 11. Volumus etiam, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dicti filii moderni et pro tempore existentis dictae Congregationis a secretis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique gentium et locorum adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, mandati, statuti, declarationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et BB. Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, nono kalendas maii, pontific. nostri anno IV.

XXX.

Approbat et confirmat concordiam inter Archiepiscopum Ritus Graeci Ruthenorum et Collegium Societatis Iesu in civitate Poloki super donatione iam alias praelaudato Collegio facta.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Romani Pontifices semper ardenter studuere, ut lites et contentiones inter ecclesiasticas praesertim personas dirimerent, et componerent.

§ 1. Laudabile Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum institutum, ut si quas super quibusvis negotiis emergere et erumpere perspexissent contentiones, lites ac disceptationes, statim apostolica auctoritate et providentia dirimerent componerentque, eo maiori studio tenere ac sectari nos in sacrosancti apostolatus specula constitutos decet, qui dum in minoribus constituti eramus, nihil curavimus impensius, quam e medio sublatis contentionum, litium, disceptationumque forensium dissidiis ac tricis per solam liquidamque veritatis inspectionem, ius suum unicuique tribueretur, ac iustitia et pax se se invicem oscularentur.

Exponitur causa dissidiorum inter Archiepiscopum ritus Ruthenorum, et collegium Societatis Iesu in civitate Polokensi.

§ 2. Cum, sicut accepimus, lis et controversia, quae inter venerabilem fratrem Florianum unitorum ritus Graeci Ruthenorum Archiepiscopum ex una, et dilectos filios Clericos regulares Societatis Iesu Collegii Polokensis ex altera partibus, de et super donatione quorumdam bonorum, a clarae memoriae Stephano Battori dum vixit Poloniae rege illustri anno MDLXXXII. pro fundatione ipsius Collegii assignatorum, eidem societati facta, et anno MDCV. a bo. me. Bernardo S. R. E. Cardinali Maciejouski nuncupato, tunc temporis huius Sanctae Sedis in Regno Poloniae de latere Legato confirmata et approbata, per plures annos coram causarum palatii apostolici auditorio orta vigebat, aliquot ab hinc annis reiudicata dirempta finitaque remanserit.

Ad tales eliminandas dissentiones S. R. E. Cardinalis deputatur, qui concordiae ineundae articulos designet.

§ 3. Deinde dissentionum, quae offensioni hominibus erant, et querimoniarum tollendarum causâ, fel. rec. Benedictus Papa XIV. praedecessor noster venerabili fratri nostro Ioanni Francisco Episcopo Sabinensi S. R. E. Cardinali Albano nuncupato dedit in mandatis, ut quibuscumque ratio-

nibus recte posset partes praedictas inter se dissidentes in pristinam concordiam pacemque reducere. Id cum dictus Ioannes Franciscus Episcopus et Cardinalis, in humanis adhuc agente Benedicto praedecessore praedicto, consequi nequivisset, hortatu deinceps nostro hoc rursum sibi negotium suscepisset, investigando, consulendo deliberandoque in eam demum sententiam venit, ut restituendae concordiae quosdam articulos opportunos fore iudicaret, quos quidem articulos cum carissimus in Christo filius noster Fridericus Augustus Poloniae rex illustris diligenter expenderit, censuit ea ratione pacem concordiamque restitui constabilirique posse.

Pontifex, praevia avocatione causarum quarumcumque inter Archiepiscopum et collegium Polokense, rem iudicatam Rotalem ea de re latam confirmat et approbat.

§ 4. Itaque nos, cui maxime cordi est, ut, contentionibus sublatis, animorum coniunctio et inter ministros ecclesiasticos pax servetur, quae magnam afferre populis christianis queat spiritualium in primis commodorum partem, quantum cum Domino possumus, ad testatissimum detrimentum ambabus partibus ex sumptibus tot litium per plurium annorum spatium defensarum et tot causarum propositionum fere omnium in damnum collitigantium illatum propulsandum reparandumque prospicientes, atque benigne providere cupientes, aliisque iustis ex causis animum nostrum moventibus adducti, procedentesque iuxta memoratos articulos a memorato Ioanne Francisco Episcopo et Cardinali propositos, et a dicto Friderico Augusto rege admissos approbatosque, nec non donationis tenorem, ac controversiae, seu litis et causae, ac sententiarum inde ab auditorio praedicto latarum huiusmodi statum et merita, nominaque, et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter insertis, expressis et specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quascumque lites et causas super praemissa donatione quorumcumque bonorum stabilium cuiuscumque qualitatis et speciei, a memorato Stephano Poloniae rege ad construendum fundandumque ac manutenendum supradictum Collegium Societatis Iesu Polokense anno MDLXXXII. eidem Societati, ut praefertur, facta, inter memoratum Florianum Archiepiscopum ac clericos regulares eiusdem Societatis Iesu coram auditorio praedicto aliisque etiam iudicibus et tribunalibus motas et pendentes in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ad nos harum serie cum suis emergentibus, annexis et connexis avocamus, illasque sic avocatas, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, perpetuo supprimimus et extinguimus, perpetuumque silentium imponimus, ac donationem omnium et quorumcumque bonorum in instrumento ea super re ab eodem Stephano rege confecto contentorum, ob idem Collegium Polokense extruendum, ad favorem dictae Societatis Iesu, sicut praemittitur, factam, et a supradicto Bernardo Cardinali, eo tempore huius Sanctae Sedis in Regno Poloniae de latere Legato, confirmatam et approbatam, et postmodum in contradictorio iudicio, reiudicata supra dicti auditorii tribus sententiis adsertam atque firmatam, quarum sententiarum prima coram bo. me. Pompeo, dum vixit eiusdem S. R. E. Cardinale Aldrovandi, tunc temporis causarum palatii apostolici praedicti auditore die XIV. iulii MDCCXXIX. post tres decisiones, quarum prima die XXI. iunii, altera die IV. octobris MDCCXXVI. coram cognominato Cornelio tunc etiam auditore, tertia denique coram eodem Pompeo die VII. februarii MDCCXXIX. editae fuerunt, huiusmodi autem sententia cum in rem transiisset iudicatam, reliquae duae sententiae huiusmodi in iudicio restitutionis in integrum prodierunt, quibus res eadem iudicata confirmata remansit; atque harum quidem duarum sententiarum altera lata fuit coram bo. me. cognominato Gamaches die XI. februarii MDCCXXXII. post decisionem coram ipsomet Gamaches editam die XXIII. novembris MDCCXXXI., altera coram bo. me. cognominato quoque Vicecomite die II. aprilis MDCCLIII., post tres decisiones coram eodem cognominato Vicecomite XIV. maii MDCCLI., XXIV. ianuarii MDCCLII. et respective diebus XIX. ianuarii MDCCLIII. editas; reliqua vero est, quae coram dilecto filio nostro Caietano S. R. E. praedictae presbytero Cardinale Elephantutio nuncupato, tunc pariter temporis causarum palatii apostolici huiusmodi auditore, die XXVII. martii MDCCLIV. edita fuit, postquam a signatura nostra iustitiae rescriptum fuerat « Parito Iudicato », motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus, approbamus et confirmamus, omnesque iuris et facti defectus, si qui desuper in praemissis intervenerint, supplemus et

sanamus, dictumque collegium, illiusque bona quaecumque tam mobilia quam immobilia, et in quibusvis rebus consistentia, ac superiorem clericosque regulares, aliasque personas in eo pro tempore existentes, sub nostrae et huius Sanctae Sedis protectione recipimus et admittimus.

Partes contendentes ab expensis litis eximit, illasque liberat ab attentatis damnorumque refectione.

§ 5. Ac insuper motu, scientia ac deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, volumus, decernimus et declaramus, ut residuum impensarum, ad quod secundum taxam a supradicto cognominato vice-comite auditore peractam confirmatamque deinceps coram praedicto Caietano Cardinali tunc auditore die XXVII. martii supradicti anni MDCCLIV. ob susceptam litem, dictus Florianus Archiepiscopus teneretur, condonatum et remissum intelligatur; neque vero id solum, sed etiam ut sibi mutuo partes, attentata, vulgo ut dicitur, ignoscant atque remittant usque ad publicationem praesentium nostrarum literarum; insuper omnes contentiones, seu controversias, iura, aut praetentiones, quas utraque pars de et super reparatione damnorum et expensarum obtendere posse videatur, penitus cessent per praesentes, et cessare intelligantur eo ipso.

Apostolico penes Poloniae Regem Nuncio committitur, ut terminos intra triennium apponat in agris controversis.

§ 6. Demum venerabili fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino, moderno, seu pro tempore, existenti apud eumdem Fridericum Augustum regem nostro et Sedis Apostolicae praedictae Nuntio, per praesentes committimus et mandamus, ut in finitimis conterminisque utriusque partis praedictae agris praediisque aliisque bonis stabilibus terminos constitui ac apponi facere curet, quemadmodum auditorii saepedicti decretis constitutum fuit, praesertim eo decreto, quo die XXVII. ianuarii MDCCXLVII. a memorato cognominato Vice Comite auditore conditum vulgatumque fuisse reperitur. Termini vero eidem communi utriusque partis collitigantium impendio intra tres annos a praesentium nostrarum literarum publicatione constituendi et pangendi sint, dummodo hoc temporis intervallo inter partes easdem aliter conventum non fuerit; et si contingat interea, partes praedictas super praemissis convenire et pacisci, pactum seu conventio inter se inita a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, approbari et admitti debeat, alioquin nulla sit, et esse intelligatur.

Clausula sublata, et decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§ 7. Decernentes easdem praesentes literas, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, aut alias etiam specifica et individua mentione et expressione digni in praemissis forsan ius et interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis iuridica, pia, legitima et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris vel facti, aut gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in iudicio et extra illud uti, et se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et inviolabiliter observari et adimpleri; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et dictae Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpetrandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. iunii MDCCLXII. pontificatus nostri anno IV.

XXXI.

Arnulphum Bossu Congr. Missionum Vic. Apost. instituit in civ. Aleppi pro patriarchatibus Antiocheno et Hieropolitano, in quibus patriarchatus Maronitarum et Ciliciae comprehendebantur (1).

Dilecto filio Arnulpho Bossu presbytero saeculari Congregationis Missionum,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Pro commissa nobis divinitus pastoralis officii cura spiritualibus omnium Christifidelium cuiuscumque nationis in longinquis etiam regionibus existentium necessitatibus, quantum nóbis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de tuis fide, prudentia, pietate, doctrina, caritate, morum honestate, vigilantia et Christianae Religionis catholicaeqne fidei zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te in civitate Alepi nostrum et Sedis Apostolicae Vicarium, ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facimus, constituimus ac deputamus, tibique praeter et ultra alias facultates tibi ab eadem Cardinalium Congregatione praescribendas et assignandas, spiritualem iurisdictionem tum inter Catholicos Europeos, tum inter orientales latini ritus, atque insuper Missionarios, sive saeculares sive regulares cuiuscumque Ordinis atque instituti, etiam Societatis Iesu, in omnibus iis regionibus et locis existentes, quae antiquitus patriarchatibus Antiocheno atque Hierosolymitano ac Cipri regno continebantur, in quibus patriarchatus Maronitarum et Ciliciae comprehenduntur, cum auctoritate approbandi vel moderandi facultates Missionariorum praefatorum (praeter eas, quae tribuuntur fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatis Terrae Sanctae, qui tamen easdem teneantur ostendere atque exhibere), adeout absque tua approbatione et dependentia ipsi eas nullatenus exercere valeant, non obstantibus decretis a dicta tunc existentium Cardinalium Congregatione die XXVIII. iunii MDCXXVI., ac die XXIII. martii MDCLI. et XXVI. ianuarii MDCLXVIII., aliisque quibuscumque praefatorum Missionariorum favore publicatis, auctoritate et tenore praesentium concedimus, tribuimus et impertimur. Ad hoc Missionarios praedictos ad vineam Domini unanimiter excolendam ac regularem disciplinam servandam omnino impellas et cogas, nec non diligenter cures ut inter catholicos orientales sive ecclesiasticos sive laicos diversarum nationum ac rituum fidei puritas, et sacrorum Canonum ac Apostolicarum constitutionum observantia sarta tecta habeatur. Mandantes propterea in virtute Sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit quovis modo in futurum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant tuaque salubria monita ac mandata humiliter suscipiant, atque efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVII. iunii MDCCLXII. pontificatus nostri anno IV.

XXXII.

Indulgentiam plenariam concedit omnibus et singulis religiosis Societatis Iesu ad

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

missiones mittendis, ubi tamen non erunt missionarii de Propaganda Fide, pro una tantum vice pro unoquoque, extendenda Christifidelibus utriusque sexus confessis et sacra Communione refectis, qui missionibus ipsis interfuerint.

CLEMENS PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos pro sua in Deum et proximos caritate et christianae Religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus; quo in genere cum Societatis Iesu religiosos habeamus, eosque in primis, quos dilectus filius Laurentius Ricci eiusdem Societatis Iesu Praepositus generalis ob hanc causam hoc ipso et consequentibus annis in diversas provincias Christianae Reipublicae mittere constituit. Nos sane eorumdem religiosorum pietatem et operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem ac devotionem spiritualibus gratiis confovere atque augere cupientes, eiusdem Laurentii Praepositi generalis precibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dictae Societatis religiosis mittendis (ubi tamen non erunt missionarii Congregationis de Propaganda Fide) et aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impertimur; nec non eisdem vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui pro S. R. E. exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, ac haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino auctoritate apostolica, tenore praesentium, pro una vice dumtaxat pro unaquaque missione concedimus et elargimur. Hortantes venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et alios ecclesiarum praelatos et rectores, ac verbi Dei Praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes literas ac omnia in eis contenta publicent ac publicari faciant, et omnem eisdem religiosis favorem, auxilium in praemissis praestent. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici, seu dictae Societatis secretarii, subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, seu praepositi generalis eiusdem Societatis obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. iulii MDCCLXII., pontificatus nostri anno IV.

XXXIII.

Revocat facultatem privatis personis concessam impertiendi populo benedictionem apostolicam et illam gratis concedi statuit omnibus Antistitibus eam postulantibus, ita vero ut Episcopi bis intra annum, praelati vero inferiores semel eam impertiri possint, determinata quadam formulâ. Regulares vero, quorum Ordinibus facultas illa data sit, iubet eâ non uti die quo utuntur Antistites. Declarat tandem per hanc benedictionem non concedi absolutionem a censuris (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inexhaustum indulgentiarum thesaurum a Iesu Christo Domino nostro Ecclesiae relictum christiano populo maxime salutarem et summopere in pretio habendum esse, catholicae Ecclesiae auctoritas et summorum Pontificum praedecessorum nostrorum gesta facillime suadent. Cumque per divinae gratiae abundantiam, nullis suffra-

(1) Ex Bull. Pont. de P. F. collat. cum Regesto Bullarum Abbreviatoris de Curia. Vide supra Bened. XIV. const. *Exemplis praedecessorum* et infra const. *Decet Rom. Pontifices.*

gantibus meritis, in supremâ B. Petri Cathedrâ constituti, modo ad pastoralem solicitudinem nostram pertineat, per universum Domini gregem vigili curâ providere, ut omnia in eâ honeste et secundum ordinem fiant, veterem et probatam Ecclesiae consuetudinem circa indulgentiarum dispensationem, quantum fieri potest, restituere et servare, simulque Christifidelium utilitati occurrere studemus.

Licet alias a Summis Pontificibus elargita fuerit potestas benedicendi populis, attamen nonnulli irrepserunt abusus.

§ 1. Inter cetera siquidem spiritualium gratiarum dona, quibus summorum Pontificum liberalitate Christifideles cumulantur, potissimum locum habet plenaria peccatorum indulgentia et remissio, quae statutis anni diebus conceditur, dum Romanus Pontifex solemni caeremoniâ populo coram ipso congregato benedicit, et non raro ipsius summi Pontificis nomine effundendae apostolicae benedictionis super principes viros absentes delegata fuit facultas: sed inde invaluit praeter modum usus etiam verbi Dei praeconibus indulgendi, ut similiter cum plenariâ indulgentiâ apostolicam benedictionem, non singulari alicui personae vel familiae, sed universo ad ecclesiam confluenti populo impertiri valerent. Nonnullos pariter, non sine aliquo ecclesiasticae disciplinae discrimine, circa harum facultatum exercitium irrepsisse abusus deprehendimus.

Revocantur indulta, et privilegia impertiendi populo apostolicam benedictionem, salvis illis aliquibus Ordinibus regularibus attributis.

§ 2. Ut autem spiritualium gratiarum dona pie, sancte atque incorrupte administrentur, quodque adeo salubriter institutum est, in perniciem non cedat abutentium, praemissa omnia Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae examinanda commisimus, quae exquisitis etiam consultoribus votum suum nobis aperiret. Postquam igitur, quid eadem Congregatio, auditis consultoribus, hac in re sentiret, percepimus; omnibus mature perpensis, iustam rationem congruosque limites in his praescribere volentes, de ipsius Congregationis consilio, motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula particularia indulta et privilegia effundendi supra populum apostolicam benedictionem per Romanos Pontifices praedecessores nostros ac per nos etiam quibusvis particularibus personis, sive ecclesiasticis saecularibus, sive cuiusvis Ordinis et Instituti regularibus, ad certum tempus seu ad eorum vitam, non tamen illa per praedecessores praedictos aliquibus Ordinibus regularibus attributa, quae modo infrascripto salva esse volumus, respective concessa et elargita, etiamsi eaedem particulares personae ex quavis causâ illa impetrarint, et in possessione indultorum ac privilegiorum huiusmodi reperiantur, harum serie revocamus, ac de medio tollimus et abolemus.

Praefiniuntur dies quibus concedi deinceps poterit indultum solemniter populo benedicendi.

§ 3. Porro ad submovendos quosvis abusus, qui in hac re vel suborti deprehenduntur vel quandoque suboriri possent, et ad augendam erga pastores eminenti episcopatus dignitate pollentes populorum devotionem, simulque Christifidelium utilitati de immenso et inextimabili thesauro Ecclesiae tradito consulere volentes, ipsarum tenore praesentium statuimus, quod deinceps venn. fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, nec non dilectis filiis praelatis inferioribus mitrae et pontificalium usum territoriumque separatum cum verâ qualitate nullius dioecesis habentibus, et activâ in clerum et populum iurisdictione gaudentibus, nunc et pro tempore existentibus; Patriarchis videlicet, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo selemni eorum respective arbitrio designando; Praelatis vero, praemissis qualitatibus praeditis et in propriis territoriis degentibus, semel in anno in uno ex diebus, quibus eorum singulis pontificalium usus ab Apostolicâ Sede permittitur, populo in ecclesiâ congregato, apostolicâ summi Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate illiusque nomine, facultas solemniter benedicendi cum elargitione plenariae Indulgentiae, iuxta ritum et formulam inferius tradendam, concedi possit, et ipsorum unicuique, quamdiu illi suis respective Ecclesiis praefuerint, gratiamque et communionem cum Apostolicâ Sede habuerint, per literas apostolicas in formâ Brevis gratis, ut in similibus mos est, concedatur. Ad quorum effectum ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, ac supramemoratos Praelatos, nunc et pro tempore existentes, in Domino hortamur, ut, pro dignitatum eorum splendoris augmento et fidelium populorum ipsis creditorum congruâ erga divinam iustitiam satisfactione, a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus facultatem huiusmodi, ultro ipsis oblatam, postulent et impetrare non praetermittant.

Regularibus Ordinibus, quibus praeservatur indultum apostolicae benedictionis, iniungitur observantia rituum praescriptorum a s. m. Benedicto XIV.

§ 4. Quoniam vero eas facultates impertiendi Romani Pontificis nomine apostolicam benedictionem, aliquibus regularibus Ordinibus concessas, praeservare intendimus; harum serie declaramus, illas, iuxta concessiones apostolicâ auctoritate factas, salvas et illaesas esse debere. Districte tamen dilectis filiis eorumdem Ordinum superioribus et professoribus, etiam speciali mentione dignis, facultate et indulto huiusmodi gaudentibus et qui in posterum gaudebunt, harum quoque serie praecipimus et mandamus, quod in illius exercitio in omnibus ritum et formam a fel. rec. Benedicto PP. XIV., per eius epistolam encyclicam sub die XIX. martii anni domini MDCCXLVIII. pontificatus sui anno octavo editam, praescriptum servare: et insuper in dictis duabus solemnitatibus, quatenus Episcopi in illis facultate huiusmodi utantur, ab effundendâ benedictione penitus abstinere respective debeant. Ac itidem ad submovendam quamcumque dubii causam declaramus etiam, per benedictionem apostolicâ auctoritate, sive per ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, sive per regulares quoslibet, ut praefertur, impendendam, nullam prorsus a censuris et poenis ecclesiasticis, scienter vel ignoranter incursis, absolutionem concedi, neque ab illis absolutio praetextu benedictionis huiusmodi susceptae praetendi possit.

Clausula sublata.

§ 5. Decernentes praesentes nostras literas et in eis contenta quaecumque semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, ac respective ab omnibus observari debere.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis apostolicis, et in generalibus ac provincialibus conciliis editis generalibus seu specialibus constitutionibus: nec non Ordinum regularium quorumcumque praemissis, et aliis privilegiis ac indultis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam simili motu, scientiâ et potestatis plenitudine concessis, ac pluries approbatis, confirmatis et innovatis: nec non nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Praescribitur ritus adhibendus pro impertienda apostol. solemni benedict.

Ritus vero et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertiendâ benedictione una cum plenariâ Indulgentia post missarum solemnia, triplici signo crucis emisso, et in episcopali trono cum mitrâ ceterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expletâ in utrâque solemnitate missae solemnis celebratione, in primis altâ voce per ministrum superpelliceo indutum legantur literae apostolicae, quibus Indulgentia plenaria conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur. Postea Episcopus surgens, iuxta ritum in caeremoniali Episcoporum expressum, dicet:

Precibus et meritis B. Mariae semper Virginis, B. Michaelis Archangeli, B. Ioannis Baptistae, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et Benedictio Dei Omnipotentis PA ✠ TRIS, ET FI ✠ LII, ET SPIRITUS ✠ SANCTI *descendat super vos et maneat semper.* ℟. Amen.

Demum post impertitam benedictionem publicabitur latino et vernaculo idiomate

concessio plenariae Indulgentiae sequenti formulâ:

Attentis facultatibus a SSmo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Clemente, *divinâ providentiâ* Papâ *Decimotertio, in enunciatis apostolicis literis expressis, datis Rmo Domino Domino N., Dei et Apostolicae Sedis gratiâ huius Sanctae N. Ecclesiae Antistiti; eadem dominatio sua Rma summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus Indulgentiam plenariam in formâ Ecclesiae consuetâ. Rogate igitur Deum pro felici statu SSmi D. N. Papae, Dominationis suae Rmae, et S. Matris Ecclesiae.*

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum revocationis, abolitionis, statuti, hortationis, declarationis, praecepti, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, tertio nonas septembris pontific. nostri anno v.

XXXIV.

Custodi S. Sepulchri, facultatem largitur durante munere sacramentum Confirmationis conferendi in locis Terrae Sanctae ubi non sint Episcopi latini, et chrismate etiam veteri si novum haberi nequeat.

Dilecto filio Paulo a Placentia fratri expresse professo Ord. minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum moderno custodi ac guardiano S. Sepulchri D. N. Iesu Christi,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut nobis nuper expositum fuit, tu, qui (ut accepimus) frater expresse professus Ord. Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, nec non custos et guardianus S. Sepulchri D. N. Iesu Christi existis, facultatem conferendi sacramentum Confirmationis per nos concedi summopere desideres, nos te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus haereticam pravitatem Inquisitorum generalium consilio auctoritate apostolicâ specialiter deputatorum, tibi, ut durante demandato tibi custodis S. Sepulchri huiusmodi officio, et pro locis Terrae Sanctae tantum, ubi non erunt Episcopi ritus latini in propriâ dioecesi residentes, potestatem et facultatem conferendi sacramentum Confirmationis huiusmodi oleo et chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis, dictâ auctoritate tenore praesentium concedimus et delegamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die xv. septembris MDCCLXII. pontificatus nostri anno v.

XXXV.

Iis praemissis quae Bened. XIV. in decretali Demandatam *de monialibus Graeco-Melchitis decreverat, praesertim de Regulâ S. Basilii ab iisdem servandâ, earum constitutiones ad normam eiusdem Regulae confectas et examini Se-*

dis Apostolicae ab eisdem subiectas approbat (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum nobis divinitus apostolicae servitutis officium exigit, ut tam monachorum quam monialium, sub suavi Christi iugo ac laudabili monasticae vitae instituto vota sua Deo reddere, uberesque bonorum operum fructus, aspirante superni favoris aurâ, proferre iugiter satagentium, curam gerentes, ea, quae ab ipsis ad exactiorem regularis disciplinae observantiam opportunis rationibus promovendam provide sapienterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri, cum id a nobis petitur, praesidio libenter constabilimus.

Bened. XIV. hoc monasterium a Gr. Melchitis erectum sub S. Sedis protectione recepit, et Patriarchae Graeco-Melchitae iurisdictioni mediate subiecit.

§ 1. Alias siquidem fel. recor. Benedictus XIV. praedecessor noster decretalem die XXIV. decemb. MDCCXLIII. ad tunc existentem Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum et omnes eiusdem ritus catholicos Episcopos eidem Patriarchae subiectos datam emisit, cuius initium est *Demandatam:* in qua inter cetera praescriptum reperitur, ut monasterium monialium in Kesroano a Graeco-Melchitis erectum, et moniales in ipso pro tempore degentes sub Apostolicae huius S. Sedis et infrascriptae Cardinalium Congregationis

---

(1) *Ex Clementis PP. XIII. Epistolis ad Principes viros et alios an.* VII., *pag. 31, seq. literas transcribimus. Patriarchae Graeco-Melchitarum nunciat, auctoritate apostolica approbatas tam fuisse constitutiones monialium Ordinis S. Basilii M. congregationis Monachorum S. Ioannis Baptistae in Soairo, eique moniales ipsas commendat.*

Venerabili fratri Theodosio Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrarum Virginum coetus, quae cum se Deo devoverint in sancto monasteriorum recessu divinarum rerum contemplationi vacantes, angelicam vitam colunt, eximiam esse portionem dominici gregis, ad quam sedulo prae ceteris custodiendam cogitationes suas omnes conferre debent Ecclesiae pastores, non ignorat fraternitas tua. Ex quo intelligis, quam libenti nos animo acceperimus, conditas esse constitutiones, quibus uti debeant moniales Ordinis S. Basilii Graeco-Melchitae Congregationi monachorum Graeco-Melchitarum S. Io. Baptistae in Soairo subiectae, ut ad earum normam monasticam vitam suam exigentes, bono Christi odore vestram ecclesiam compleant. Eas Constitutiones cum Sacra ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatio Propagandae Fidei negotiis praeposita sedulo examinaverit, et ut pie prudenterque compositas, et ad monasterium regendum earumdem monialium accommodatissimas approbaverit, nos per alias literas nostras datas die XV. novembris MDCCLXII. apostolicae auctoritatis nostrae robore confirmavimus. Id te, ven. frater, eo libentius monere voluimus, quod iucundum tibi fore novimus, extare in illis nostris literis praecipuae caritatis nostrae, qua monasterium illud prosequimur, perpetuum monumentum. Te vero rogamus, ut easdem moniales commendatissimas habeas, earumque religioni, pietati et monasticae observantiae quam potes plurimum faveas, et monasterium illud tuo tuearis patrocinio. Et fraternitati tuae intimo nostri cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCLXIV., pontificatus nostri anno VII.

Moniales Graeco-Melchitas, his literis benigne hortatur ut constitutiones proprias pie prudenterque compositas et a se approbatas observare satagant, ut nobilissimae vocationi suae respondeant.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissae et Monialibus Graeco-Melchitis monasterii in Kosroano Ordinis S. Basilii Magni.

CLEMENS PAPA XIII.

Dilectae in Christo filiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Constitutiones, quae vestrae monasticae vitae regendique monasterii vestri esse debent regula et ratio, dudum a Sacrâ vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praepositâ, diligenter examinatas, et ut pie prudenterque compositas eiusdem S. Congregationis praeconio collaudatas et approbatas, nos per literas nostras datas die XV. novembris anni MDCCLXII. apostolicâ auctoritate nostrâ confirmavimus. Ad has, dilectae in Christo filiae, intentum animum assidue habeatis, omnesque vestras actiones ad earum praescriptum conformetis oportet; neque aliter, quam easdem sancte servando, ea potestis quae sunt vestrae vocationis implere, sanctumque vestrum propositum assequi. Omnis gloria eius filiae Regis ab intus, cecinit de Christi sponsâ regius Propheta. Ne igitur animi umquam vestri ad externarum rerum cogitationes dilabantur; sed ad sancti vestri recessus religiosas regulas piasque consuetudines mentes vestrae semper adhaereant, considerate magnae fuisse Dei misericordiae, quod in Virginibus sacris Angelorum vitam videmus in terris, quam in Paradiso quondam amisimus, nec, ut ait B. Ambrosius, vel ad imitanda virginum studia confirmandamque virtutem, vel ad celebrandam virginitatis gloriam plus potuisse Deum conferre, quam ut Deus ex Virgine nasceretur. Gratias igitur Deo maximas, dilectae in Christo filiae, habeatis, qui vos ad eam vitam vocavit, in qua tantopere collucet Dei potentia et misericordia et Ecclesiae catholicae gloria, cuius portio sunt sacrae Virgines nobilissima, vobisque, dilectae in Christo filiae, quas eximiâ prosequimur caritate, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCLXIV., pontificatus nostri anno VII.

protectione reciperentur, illius vero et illorum regimen tum spirituale tum temporale ad monachos Congregationis S. Ioannis de Soairo spectaret, cum immediatâ subiectione pro tempore existenti Episcopo Ordinario, et mediatâ Patriarchae Graeco-Melchitarum Antiocheno: qui etiam immediatam super eo et illis auctoritatem acquirere deberet, quotiescumque futuris temporibus non adesset Episcopus orthodoxus illius sedis, quatenus vero (quod Deus avertat) neuter esset catholicus, per id tantum temporis et donec alteruter catholicus superveniret, praedictum Monasterium immediate subiaceret Abbati generali praedictae Congregationis S. Ioannis tanquam Delegato dictae Sedis, confessarius vero ordinarius monialium praedicti monasterii esset monachus professus ipsius Congregationis S. Ioannis, quem scientiae, pietatis, ac prudentiae et probitatis commendatione ab Abbate generali praedicto delectum et praesentatum Episcopus dioecesanus probasset: idemque statuitur de confessario extraordinario, quem idem Abbas generalis ter per annum ad audiendas dictarum monialium sacramentales confessiones valeret deputare, factâ insuper dicto Episcopo potestate, quatenus id expedire putaret, alium quemcumque sacerdotem regularem, etiam alterius Instituti et ritus latini, vel etiam saecularem eiusdem ritus, in confessarium extraordinarium dictis monialibus deputandi. Insuper in eâdem decretali statutum est, non aliam regulam a praedictis monialibus servandam esse, quam genuinam illam S. Basilii, quam monachis praedictae Congregationis S. Ioannis etiam tradendam, idem Benedictus praedecessor mandaverat: cui quidem regulae, si tam supradicti monachi, quam modo enunciatae Moniales, aliquas peculiares Constitutiones addere vellent, quae nec eius regulae observantiae, neque graecis ritibus adversarentur, ad infradicendam Congregationem prius cognoscendas atque ab Apostolicâ Sede praedictâ confirmandas exhibere tenerentur, et alias prout in ipsâ decretali, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressum et insertum haberi volumus, prout fusius dicitur contineri.

Moniales, peculiares condidere constitutiones monastico eorum regimini accommodatas.

§ 2. Cum autem sicut dilecti filii Iacobus Sagiati Abbas generalis nec non diffinitores generales Graeco-Melchitarum dictae Congregationis S. Ioannis Baptistae in Soairo, per dilectos itidem filios Ioannem Naccas et Thomam Corbagi procuratores suos, hic in almâ Urbe nostrâ apud ecclesiam S. Mariae in Domnica vulgo *la Navicella* nuncupatum commorantes, nomine dilectarum in Christo filiarum modernarum abbatissae et monialium supradicti monasterii in Kesroano erecti, nobis nuper exponi fecerunt moniales praedictae, regulam S. Basilii, iuxta memorati Benedicti praedecessoris decretalem, qua par est obedientiâ susceperint, ac super ipsam regulam peculiares constitutiones monastico earum monasterii regimini accommodatas ac peropportunas condere curaverint, ac propterea quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Pontifex constitutiones a monialib. conditas et a S. Congreg. Prop. Fidei approbatas, confirmat.

§ 3. Nos piis eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac exponentium praedictorum, nec non dictarum abbatissae et monialium singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui iussu nostro ipsas Constitutiones primum quidem bo. me. Fortunato, dum vixit, S. R. E. praedictae Cardinali Tamburino nuncupato, deinde, sequuto ipsius Fortunati Cardinalis obitu, dilecto filio nostro Laurentio eiusdem S. R. E. presbytero Cardinali Ganganelli nuncupato, examinandas ac perpendendas commendarunt, ac relationem ipsius Laurentii Cardinalis eidem Cardinalium Congregationi factam attenderunt, consilio, supradictas Constitutiones auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocum-

que spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv. novembris MDCCLXII., pontificatus nostri anno v.

XXXVI.

Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, circa transitum et adscriptionem fratrum Ordinis S. Francisci Discalceatorum provinciae S. Gregorii Philippinarum in provincias alteras, confirmat et observari mandat.

CLEMENS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Recensentur incommoda provenientia provinciae S. Gregorii in Indiis ex transitu religiosorum ab una ad aliam provinciam.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Francisci Mignez fratris expresse professi, ac prOMINISTRI et procuratoris provinciae Sancti Gregorii Insularum Philippinarum Ordinis S. Francisci Discalceatorum, Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum exposito, quod licet in diversis Ordinis praefati capitulis generalibus, et signanter in Vallisoletano MDXCIII. et Romano MDC. respective annis habitis, decretum fuerit pro Indiarum provinciis, nullum posse permiti transitum de una provincia ad aliam, absque consensu utriusque provinciae ministri provincialis, pro tempore existentis, sub poena privationis officii ministro provinciali recipienti, et inhabilitatis ad officia quaecumque fratri ita recepto, prout etiam si religiosi ad aliquam Indiarum provinciam transferentes, ad aliam dicti Ordinis minime assignatam praescriptamque se se converterent, apostasiae poena plecti, et statim ad provinciam ipsam, ad quam destinati fuerant, remitti iubentur, sub poena privationis et officio respective ministris provincialibus, aut guardianis, tunc existentibus contrafacientibus: nihilominus non raro accidere solet, quod religiosi primodictae provinciae filii, vel antequam ad ipsam S. Gregorii provinciam transeant, vel postquam in illa per paucos annos manserint, sollicitent incorporari, et de facto in aliis tum Europae, tum Indiarum Ordinis huiusmodi provinciis incorporentur. Et in eadem expositione subiuncto, quod totum id in grave memoratae S. Gregorii provinciae cedebat detrimentum, quae utpote unica et sola in ultimis illis Orientalium Indiarum, seu potius vastissimi Oceani extremitatibus existens, et non aliis fratribus composita, quam illis, qui ex Hispaniarum ipsius Ordinis provinciis illud mittuntur, amplificatione potius, quam paucitate filiorum religiosorum indigebat: hinc si fratres provinciae huiusmodi iam adscripti, ad alias dicti Ordinis desciscant provincias, verendum profecto est, ne successu temporis, illa amittantur; in iis enim regionibus vix unus ex natis reperitur, qui in dicto Ordine recipi possit, idoneusque sit ad strictioris Observantiae institutum amplexandum.

Provincia S. Gregorii pluribus indiget operariis, quippe quae amplissimis missionibus incumbit.

§ 2. Ad haec huiusmodi provinciae fratres in id praecipue incumbunt, ut nedum in ipsis Phlippinis Insulis, ubi adhuc Barbarorum multitudo viget in Montanis, sed et Sinarum et Cochinchinae, aliorumque finitimorum Regnorum gentes, ad catholicam fidem reducant; non paucis propterea provincia ipsa S. Gregorii indigebat operariis; hinc si per incorporationem huiusmodi filiorum dictae provinciae in aliis dicti Ordinis provinciis, suis ipsa filiis expolietur, pernecesse cessabunt eiusdem provinciae Missiones, ac insuper quoad illos, qui a saepe dicta provincia negociorum caussa alio ablegabantur, ea urgebat ratio, quod, ut de negociis sibi commissis, quemadmodum par est, rationem reddere queant, ad ipsammet provinciam redire debent; alias enim si expeditis commissionibus, per incorporationem illorum in aliis provinciis dicti Ordinis, a iurisdictione sui Ministri Provincialis illos mittentis eximerentur, illos quoque exemptos esse contingeret a debita rationum redditione.

Preces porrectae Congregationi Episcoporum et Regularium ad impediendum transitum de una ad aliam provinciam religiosis provinciae S. Gregorii in Indiis.

§ 3. Ideoque ad removenda tam gravia damna, quae provincia praedicta ex suorum inconstantia quotidie lugere cogebatur, pro parte eiusdem Francisci Prominístri et Procuratoris eiusdem, Congregationi Cardinalium supplicato, ut declarare dignaretur, quod nullus, sive prominister, custos, commissarius missionum, aut procurator mis-

sus, seu missi, aut mittendus, vel mittendi a provincia praedicta S. Gregorii in Europam, aut ad Indias Occidentales, sive quisquis, aut illuc pergens, a quolibet dicti Ordinis superiore, quacumque auctoritate fungente, absque consensu et expressa licentia ministri et diffinitorii provincialis pro tempore existentis eiusdem S. Gregorii provinciae, in aliis quantumvis privilegiatis ipsius Ordinis provinciis incorporari possit, sub poena nullitatis incorporationis, quae sine praedictis licentia et consensu quandocumque pro tempore facienda venerit, ipso facto absque ulla alia declaratione incurrendae; ita ut incorporatio huiusmodi, sic absque licentia et consensu praedictis peracta, nulla sit eo ipso et nemini suffragetur, nullumque habeat et habere praetendatur effectum, firmis etiam remanentibus aliis poenis in memorati ordinis statuto contentis et expressis: quibuscumque gratiis, privilegiis et indultis, quibusvis personis concessis ac concedendis non obstantibus.

Sacra Congregatio declarat, non esse permittend. transitum religiosis provinciae S. Gregorii Philippinarum ad aliam provinciam, nisi expleto decennio ab incorporatione, sub poena nullitatis.

§ 4. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione decretum tenoris sequentis videlicet: « Sacra Congregatio EE. et RR. S. R. E. Cardinalium, negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, referente eminentissimo de Rubeis ponente, ac attenta relatione P. Procuratoris generalis, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore rescripsit, et decrevit: firma remanente prohibitione religiosis Descalceatis provinciae insularum Philippinarum transeundi, et sese incorporandi intra decennium in alia provincia, absque consensu utriusque provinciae, vel poenis contentis in constitutionibus apostolicis, ac in statutis generalibus Ordinis, consulendum Sanctissimo pro approbatione declarationis, quod transitus et incorporationes huiusmodi absque consensu utriusque provinciae intra decennium, ipso facto et sine ope ullius declarationis, sint nullae, irritae, ac nullius efficaciae ad omnes effectus. Romae x. sept. MDCCLXII. — et facta de praemissis relatione ab infrascripto D. secretario sub die XVII. eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua benigne annuit, et enunciatum decretum S. C. approbavit — C. A. Cardinalis Cavalchini — S. Bonaccursi secretarius ».

Pontifex resolutionem Sacrae Congregationis approbat, et observari mandat

§ 5. Cum autem sicut dictus Franciscus prominister et procurator nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, Nos ipsius Francisci prominìstri et procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, si quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantummodo, absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis firmitatis robur adiicimus, salva semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum sacri palatii apostolici auditores, definiri et iudicari oportere, alias si secus factum fuerit, id omne irritum et inane, atque ad pristinum statum reducere curabimus, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. novembris MDCCLXII., pontificatus nostri anno V.

XXXVII.

Commemoratis iis quae iam constituta fuerant de erectione Collegii S. Francisci de Pacheca Ordinis Minorum Observantium S. Francisci in provincia Mexici existentis, et de fine eidem Collegio proposito, decretum S. Congregationis confirmat, quo aliquid innovandum inhibetur circa constitutiones et statuta eiusdem Collegii (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Facultas tributa fuit Ordini huic erigendi

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Lutre procurator generalis

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

Collegium seu Seminar. missionarior. in unaquaque provincia Ultramontana et Indiarum.

Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Excalceatorum et Recollectorum nuncupatorum, quod alias fel. rec. Benedictus Papa XIII. praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die III. aprilis MDCCXXVII. incipientes *Nuper pro parte* expeditas literas, omnibus et singulis ministris provincialibus provinciarum familiae Ultramontanae et Indiarum tam Orientalium quam Occidentalium eiusdem Ordinis S. Francisci de Observantiâ Excalceatorum et Recollectorum facultatem concessit, ut ipsi in unaquaque ex memoratis provinciis unum collegium seu seminarium missionariorum in altero ex conventibus utriusque provinciae sibi beneviso erigere valerent; provincia vero S. Didaci de Mexico eorumdem fratrum, seu tunc existens minister provincialis, ad erectionem huiusmodi collegii seu seminarii processit in conventu S. Francisci de Pacheca nuncupato, conventum praefatum in missionariorum seminarium seu collegium immutando, particularibus pro illius spirituali et temporali regimine et gubernio tunc etiam et pro tempore conditis statutis et constitutionibus.

Clemens XII. approbavit erectionem collegii missionum erecti in conventu S. Francisci de Pacheca, cum prohibitione transitus ad alias provincias.

§ 2. Deinde rec. mem. Clem. Papa XII. praedecessor itidem noster, per alias suas quarum initium est: *Emanavit nuper a Congregatione etc.* die XXIII. iulii anno MDCCXXXIII. in pari formâ Brevis expeditas literas, confirmavit decretum, quo idem sic erectum Collegium sive Seminarium missionum deputatum fuit pro conversione infidelium, et signanter existentium in montibus de Camapan nuncupatis locisque conterminis, in quibus eo usque nulla alia missio fundata reperiebatur, cum potestate sacras missiones in supradicto monte et locis conterminis erigendi ab eodem Collegio dependentes, districte prohibendo omnibus ipsius provinciae S. Didaci fratribus, ne fratres praedicti, non solum ad alias provincias et collegia missionum eiusdem Ordinis S. Francisci de Observantiâ, verum etiam ad missiones provinciae S. Gregorii in Insulis Philippinis memorati Ordinis S. Francisci Excalceatorum nuncuparum absque licentiâ tunc et pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum transire possent, et alias prout in dictis tam Benedicti quam Clementis praedecessorum praefatorum literis, quarum tenores praesentibus pro expessis haberi volumus, uberius continetur.

Postulante ministro provinciali S. Didaci in Indiis pro reformatione statutorum Collegii Pachecani, S. C. de Propag. Fide quamcumque innovationem prohibuit.

§ 3. Nuper vero dilectus quoque filius Bartholomaeus de Toleto frater expresse professus ac minister provincialis tunc existens memoratae provinciae S. Didaci, praetendens quod aliquae fierent reformationes in constitutionibus et statutis memorati Collegii sub praetextu melioris illius regiminis exactiorisque alumnorum in eo existentium disciplinae, ad praedictam venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem negociis Propagandae Fidei praepositorum recursum habuit, et ab eâdem Cardinalium Congregatione die XX. septembris nuper elapsi editum fuit decretum tenoris sequentis, videlicet: « Relato » per Emum et Rmum D. Cardinalem Ganganelli ponentem supplici libello P. Bartholomaei De Toleto ministri provincialis Minorum Discalceatorum provinciae » S. Didaci de Mexico, in quo proposuit » nonnullas reformationes per S. Sedem » Apostolicam faciendas in constitutionibus » seu regulis Collegii Pachecani, quae ad » bonum eiusdem regimen atque exactiorem alumnorum disciplinam sibi opportuna videbantur; S. Congregatio, auditis » primum quos oportuit, et re mature deliberatâ, censuit nihil esse innovandum. » Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno, quibus supra. » I. Cardinalis Spinellus – Loco ✠ sigilli – » Marefuscus Secret. »

Postulatio procuratoris generalis pro confirmatione pontificia praelaudatae resolutionis S. C. de Propag. Fide.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes procurator generalis ad praecavendos ulteriores dicti Bartholomaei et aliorum quorumcumque recursus, ex quibus, potius quam in dictum Collegium eiusque disciplinam reformatio inducatur, iurgia, lites ac discordiae timeri possunt, pro sui muneris officio pacem tranquillitatemque super his aliisque ad dictum Collegium seu Seminarium attinentibus firmare exoptans, ne illius alumnos, qui suum ministerium implere exacte deprehenduntur, his de causis ab eorum proposito retrahi contingat, decretum praefatum per nos confirmari summopere desideret; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex praedictam resolutionem approbat, et observari mandat.

§ 5. Nos igitur ipsum Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris et poenis, si quomodolibet innodatus existit, ad effectum

praesentium dumtaxtat consequendum, harum tenore absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum decretum auctoritate apostolicâ, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausula sublata, decretum irritans et derogatio contrariorum.

§ 6. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit ad futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. decemb. MDCCLXII., pontificatus nostri anno V.

XXXVIII.

Commemoratis iterum veteribus ac recentibus Senatus Veneti decretis, cum hoc conqueritur, Episcopum schismaticum, contra data sibi responsa, in ecclesiâ graecâ S. Georgii iurisdictionem exercuisse: eidem Senatui repraesentat scandalum quod inde oritur, et discrimen in quod Graeci adducuntur; ab eoque exigit schismaticum ab eâdem ecclesiâ omnino removeat, ne auctoritatem apostolicam in eâ re adhibere cogatur (1).

Dilectis filiis Nobilibus Viris Duci et Reipublicae Venetiarum,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecti filii Nobiles Viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Praecedentes literas de hoc intruso Episcopo reipublicae praescriptas commemorat.

§ 1. Ubi primum allatum est nobis factam a Senatu vestro Graecis isthic commorantibus potestatem eligendi aliquem in Episcopum, eosque sacerdotem quemdam nomine Facea, qui sacros ordines in schismate susceperat, futurum Episcopum designasse, zelo domus Dei vehementer exarsimus, atque eâ, qua erga istam patriam nostram eiusque clarissimos cives incendimur, caritate commoti, cum dilecto filio nobili viro equite Hieronymo Ascanio Iustiniano, vestro apud nos et Apostolicam Sedem Oratore, graviter eâ de re conquesti sumus, et Senatui etiam literas dedimus, quibus palam fecimus, quanta nos ceperit admiratio, cum vestram Rempublicam videremus ab eâ sententiâ descivisse, in qua nullo non tempore maiores vestri constantissime permanserunt.

Quanta semper fuit Venetorum magistratuum sedulitas ut in ecclesia Sancti Georgii catholica puritas servaretur.

§ 2. Illi enim in ecclesiâ S. Georgii, quae in inclytâ vestrâ Venetiarum urbe pontificiâ auctoritate fuit erecta subiectaque immediate Apostolicae Sedi, puritatem catholicae fidei servari voluerunt semper incolumem, et necessariam cum Ecclesiâ Romanâ communionem retineri; eamdemque ecclesiam a catholicis cappellanis gubernari, quos vel Apostolicus Nuncius vel Patriarcha Venetiarum ad normam originariae fundationis ut catholicos probavisset; quod tum ex vetustioribus decretis an. MDXXXIV. et MDXLII., tum ex recentioribus a Senatu vestro editis anno MDCCXX. et MDCCXXI. luculentissime apparet. Ad has literas nostras responsum quidem tulimus die XXVII. martii superioris anni, in quo non omnino pastoralis solicitudo nostra potuit conquiescere. Illud enim maxime desiderabamus, ut confestim omne periculum amoveretur, in quo catholicam ecclesiam versari videbamus, ne in eam Episcopus schismaticus sese intruderet. Sed tamen nonnihil animo nostro tranquillitatis attulit data nobis Senatus nomine fides, nunquam fore ut a maiorum suorum sententiâ recederet, tum etiam ipsius, quem Graeci Episcopum elegerant, agendi ratio, qui, postquam suscepto praetensae consecrationis munere Venetias rediit, nullam unquam episcopalem iurisdictionem in Graecos sibi usurpaverat. Eâ igitur spe nobis iniectâ, falso huic pastori, a Senatus religione et fide cohibito, nunquam futuram in Iesu Christi ovile introeundi copiam, ut veneno suo illius gregis oves inficeret, patienter opportunum tempus expectandum existimavimus, dum validiora et Reipublicae vestrae rationibus

(1) Vide lit. *Ad assiduas.*

apta adhiberi possent remedia, quae omnino illi malo mederentur, quod in ecclesiam S. Georgii eorum culpa et dubia fides invexerat, qui eam regunt et moderantur.

Queritur quod intrusus hic schismaticus Episcopus sacris sese immiscuerit, et publice episcopalib. insigniis sit usus in ecclesia Sancti Georgii.

§ 3. Verum nullum amplius silentio nostro relictum esse locum perspicimus, ac diutius si taceremus, summi Apostolatus a Christo Domino nobis commissi proditores ipsi nobis esse videremur. Ipsam quoque patriam, quae nobis carissima est, deserere et prodere existimaremur, si ab eius gloriosissimis civibus excitandis abstineremus, ut eiusmodi scandalum de medio tollant, quo tanta veneto nomini macula inuratur, et Senatus religioni haud ita levis imponatur ignominia, si populus schismaticum hominem videat Episcopum mediâ in urbe Venetiarum, et in catholicorum ecclesiâ inter Graecos Reipublicae subiectos sese iactare cum episcopalibus insignibus, et eos, quos falso sibi subditos esse existimat, suo parere velit imperio. Quod spectaculum nobilitatum vestrarum oculis et omni Venetorum populo audax ille presbyter Facea superioribus diebus obiecit. Episcopalibus enim indutus insignibus solemniter et magnâ cum pompâ ad ecclesiam S. Georgii se contulit, in episcopali Cathedrâ assedit, clero et populo benedictionem impertiit, sacris functionibus praefuit, eiusque praesentiâ polluta est sacri illius templi sanctitas, et in crimen adducta eorum pietas et religio, qui cum eo in divinis communicaverant. Ita ne vero Senatus tantam abominationem ferendam existimaverit? An non in eius animo flagrans retinendae orthodoxae fidei studium conscientiam illi momorderit? Ita ne illum praeclaris maiorum suorum exemplis non commoverit, quemquam ne esse Venetiis qui schismati studeat, et in summi Dei templo profanum altare Baal locatum non illibenter videat?

Reipub. moderatores hortatur ut tam turpe scandalum removeant.

§ 4. Vestrum profecto est, dilecti filii nobiles viri, tantum tamque turpe scandalum amoliri, et occasionem omnem offensionis catholicis Graecis in posterum amovere. Vel enim gravissimâ se culpâ obstringent, si cum Episcopo schismatico in divinis communicent, vel ab ecclesiâ, ubi ille sacris operetur, debebunt quam longissime abesse. Neque vos, dilecti filii nobiles viri, in errorem adducat iactata superiorum temporum consuetudo. Probe enim nostis, semper adversus eam consuetudinem reclamasse Apostolicam Sedem; nostis quanta subinde scandala exstitere, quibus Senatus commotus, veteres leges gravioribus decretis in pristinum revocavit. Venetiis igitur, urbe religione veraeque pietatis studio inclytâ, schisma in ecclesiâ S. Georgii exultare, et haeresim propemodum triumphare, nullo modo ferre possumus. Si qua vero ratio sit, qua inter Graecos caritas et pax constabiliri posse videatur, nobisque clare demonstrentur mala, quae modo urgent, et quibus tandem remediis sanari possint, nos eadem remedia ut adhibeantur enixe operam dabimus, modo tamen catholica communio servetur incolumis, longe absit schisma, et Facea schismaticus homo et in schismate a schismaticis presbyter ordinatus, et ab eâ obedientiâ, quae debetur Romano Pontifici, alienissimus, et erroribus haeresibusque Graecorum foede imbutus, longissime ab ecclesiâ arceatur.

Minitatur Pontifex supremae suae auctoritatis exercitium, ne cath. Graeci cum pseudo-episcopo ulterius communicent.

§ 5. Alioquin auctoritas, quam a Christo Domino accepimus, ut christiani gregis oves ab ingruentibus lupis tueamur, adhibenda tandem nobis erit, et catholicis Graecis cogemur edicere, ne in divinis cum saepe memorato pseudo-episcopo Facea communicent, si schismatis nolint participes fieri et a catholicâ Religione seiungi. Verum ipsi vos, dilecti filii nobiles viri, ad hoc malum sanandum manum admoveatis oportet. Vestra laus semper fuit prudentiae sapientiaeque summa et praecipua; nec dubitandum, si modo huius virtutis nervos intendatis, quin rationem reperiatis Reipublicae liberandae ex iis incommodis, quae a Graecis, non illis quidem catholicis, Ecclesiaeque simul et Reipublicae fidelissimis, sed a schismaticis et nullius fidei hominibus illi evenere, et satisfaciendi verae pietatis officio, cui profecto deesse videamini, nisi tantam inclytae Reipublicae vestrae haerentem labem et maculam eluatis. Quam quidem vos propediem abstersuros in Domino confidimus, vestrâ potissimum freti religione et sapientiâ; vestrasque nobilitates obtestamur et obsecramus, ut ab hoc gravissimo negotio oculos ne deiiciatis, dum foedum ulcus huiusmodi omnino sanetur, et cicatrix illi solide obducatur; ne forte dum consanuisse videatur, in posterum recrudescat. Denique nobilitatibus vestris, quas eximiae caritatis paterno quodam sensu complectimur, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXII. ianuarii MDCCLXIII. pontificatus nostri anno V.

XXXIX.

Confirmat Decretum sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium super omnimoda observantia Constitutionum Ordinis Bethlemitarum auctoritate apostolica in Indiis Occidentalibus instituti, cum aliquibus declarationibus et provisionibus opportunis.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sacrosancti Apostolatus officium humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis, nullo meritorum nostrorum suffragio, creditum, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, ad ea, per quae felici prosperoque religiosorum virorum sub suavi religionis iugo divinis obsequiis mancipatorum regimini et gubernio, illorumque tranquillitati, ac ipsorum ordinum commodo et incremento consulitur, libenter intendimus, munerisque nostri pastoralis partes propenso desuper studio interponimus, sicut nos, locorum, personarum, rerum et temporum qualitatibus mature pensatis, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Dubia in Sacra Congregatione proposita a superioribus, aliisque religiosis huius Ordinis.

§ 2. Exposuit siquidem nobis dilectus filius noster Ioannes Franciscus S. R. E. Diaconus Cardinalis Banchieri nuncupatus, Ordinis fratrum Bethlemitarum nuncupatorum apostolica auctoritate in Indiis Occidentalibus instituti, apud nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem protector, quod alias pro parte et nomine dilectorum filiorum superiorum et fratrum dicti Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutorum supplex libellum Congregationi venn. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae porrectus fuit, quo postulabatur affirmativa resolutio horum trium dubiorum, nempe: Primi « *An religiosi presbyteri Ordinis Bethlemitici exercere possint munus Secretarii Reverendissimi Patris Generalis, et officium procuratoris generalis in Romana Caria, ita ut electiones factae substineantur?* » Secundi « *An electiones eorumdem presbyterorum, utcumque non factae per suffragia secreta, validae fuerint?* » Tertii « *An pendente controversia super validitate electionum praedictarum, liceat presbyteris Bethlemitis obtenta munera secretarii reverendissimi Patris Generalis in Romana Curia exercere?* ».

Aliae preces laudatae Congregationi porrectae nomine vice-praefecti generalis Mexici.

§ 3. Pro parte vero et nomine dilecti quoque filii tunc existentis Vice-Praefecti generalis Mexici et assistentium sui diffinitorii supplex alius libellus comprobatus literis venerabilis fratris Emmanuelis Archiepiscopi Mexicani, prius datis clarae memoriae Ferdinando, dum vixit, Hispaniarum Regi catholico, inde ad bonae memoriae Ioachimum dum pariter vixit, memoratae S. R. E. Cardinalem Portocarrero etiam nuncupatum, eiusdem Ordinis tunc protectorem, eidem Cardinalium Congregationi porrectus fuit, quo expositum fuerat, in novissimo generali ipsius Ordinis capitulo anno MDCCLVII. celebrato, omnino illegitime ac nulliter deventum esse ad electionem presbyterorum memorati Ordinis pro muneribus *secretarii generalis et procuratoris generalis ablegandi ad Curiam Romanam, et alias* quamplures invectas esse *novitates* constitutionibus dicti Ordinis auctoritate apostolica confirmatis adversantes; eapropter urgebatur, decernendam fore novi capituli generalis convocationem, ad hoc ut omnia rite recteque iuxta formam et tenorem ipsarum constitutionum perficerentur.

Sacra Congregatio statuit, servandas esse Ordinis constitutiones.

§ 4. Eadem vero Cardinalium Congregatio, exquisito prius voto ipsius Ioannis Francisci Cardinalis et protectoris, referente venerabili fratre nostro Friderico Marcello Episcopo Praenestino eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Lante nuncupato, re mature perpensa, rescripsit: « *Serventur constitutiones, et iuxta votum dicti Ioannis Francisci Cardinalis et protectoris in omnibus,* » cuius voto inhaerendo specialiter decrevit, « *religiosos presbyteros Bethlemitas exercere non posse munera secretarii generalis et procuratoris generalis in Curia Romana, ideoque electiones eorumdem presbyterorum non substineri.* » Cum autem, sicut dictus Ioannes Franciscus Cardinalis et protector nobis subinde exposuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, aliisque in praemissis per nos opportune provideri, et, ut infra, indulgeri summopere cupiat,

Supra relatum decretum Pontifex approbavit, novasque addidit declarationes pro u-

§ 5. Nos igitur felici prosperoque dicti Ordinis regimini et gubernio salubriter prospectum esse cupientes, supplicationis ipsius Ioannis Francisci Cardinalis et pro-

teriori constitutionum observantia.

tectoris nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, *decretum praeinsertum, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus*: ac dilecto filio moderno praefecto generali ipsius Ordinis auctoritate apostolica praefata committimus et mandamus, ut *ipse omnes novitates invectas contra tenorem et dispositionem earumdem constitutionum statim aboleat et aboleri faciat, ac illarum observantiam pristinumque vigorem restituat, ac restitui curet, et mandet*, ita tamen ut de huiusmodi *nostri sibi iniuncti mandati exequutione* ipse *praefectus generalis*, vel in casu sui obitus, dilectus etiam filius *Vicarius Generalis dicti Ordinis* apud eumdem Emanuelem modernum, seu tunc existentem, *Archiepiscopum Mexicanum*, antequam proximum generale saepedicti Ordinis capitulum inibi anno MDCCLXVI., benedicente Domino habendum, celebretur, *docere teneatur*, sub *indignationis nostrae, ac privationis iuris praesidendi in eodem capitulo generali proxime habendo, ut praefertur, ab alterutro id non adimplente, ipso facto incurrendis poenis;* quo casu idem *Archiepiscopus tunc existens*, eoque tunc impedito, illius *Vicarius in spiritualibus generalis*, seu officialis, et si sedes Archiepiscopalis Mexicana, quod Deus avertat, tunc vacans extiterit, illius *Vicarius capitularis* legitime deputatus, in dicto *capitulo generali*, sicut praemittitur, proxime habendo, *auctoritate nostra apostolica praesideat;* et circumscriptis abrogatisque omnibus innovationibus, ad novi *praefecti generalis* electionem ita deveniri faciat, ut ab eo exigatur *iuramentum in forma iuris valida*, super omnimoda *observantia* dictarum Ordinis huiusmodi *constitutionum*, praesertim de non admittendis *fratribus presbyteris* ad munia professoribus non presbyteris reservata, tam scilicet quoad *praelaturas*, ita ut *solummodo esse possint discreti conventuum, magistri novitiorum, et assistentes provinciae*, quam vicissim quoad alia *munera* seu *officia* solis ipsis *professoribus* non presbyteris *laicis* congruentia, ut sunt *ianitoris*, aut *clavigeri*, aut *vestiarii*, seu similia *materialia*, quae dignitati non conveniunt sacerdotali, ita ut *ad ea professores presbyteri non adigantur*. Ad quem effectum *exemplaria* earumdem *constitutionum* nuper in alma Urbe nostra typis edita cum additione *italae versionis*, ac textus *resolutionum* ac *literarum apostolicarum*, quibus ipsae constitutiones nituntur, tum *ad singulos* ipsius *Ordinis conventus*, tum ad *Archiepiscopum Mexicanum et Limanum* transmitti, auctoritate et tenore praefatis debere volumus, praecipimus et mandamus.

Clausula sublata, decretum irritans et derogatio contrariorum.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis: caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. iulii MDCCLXIII. pontificatus nostri anno V.

XL.

Quomodo procedendum sit ab Ordinariis in confirmando vel denegando religioso cultu iis quibus fuit aliquando ab universali consensione populorum praestitum, Syracusano Episcopo designat, nec non casus in quibus Romanae Sedis iudicium est requirendum (1).

Venerabili fratri Iosepho Antonio Episcopo Syracusano,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae enumerantur, quarum intuitu Sy-

§ 1. Efflagitari scribis ab optimatibus cleri et populi Syracusani restitutionem

(1) Vide Bened. XIV. lit. *Cum in Congregatione — Inter cetera — Beatus Andreas.*

racusanus populus religiosum cultum præstitit B. Friderico Campisano.

cultus iampridem exhibiti Friderico Campisano, qui isthic iam inde ab anno millesimo trecentesimo vigesimo quinto, cum mortalitatem explevit, ab omnibus Beati nomine appellatus, et in beatorum numero est habitus. Quod universi Syracusani populi iudicium plura, quae in epistola tua congeris, probare videntur non levia argumenta. Campanas enim narras, sua sponte edito sonitu, Urbem omnem de eius obitu monuisse; quo miraculo excitatum Episcopum, cum universo populo illuc proferre profectum, ubi Fridericus extremum diem obierat, sacrum corpus veneratum esse, et Syracusas solemni pompa translatum in arca marmorea prope portam maioris templi collocasse; supra sepulchrum appositam ipsius Friderici imaginem, faculas accensas, et hinc et hinc votivas tabellas circumiectas; esse qui in suis scriptis post duo saecula illi nomen Divi tribuerit, et adhuc aetate sua hunc cultum viguisse duo testari e Societate Iesu scriptores; baculum eiusdem Friderici cum caeteris Sanctorum reliquiis in sacrario Syracusani Collegii Societatis Iesu asservari, et in quadam tabula, quae in veteri Syracusarum extra moenia maiori templo divi Ioannis asservabatur, inter alia Sanctorum omnium Syracusanorum nomina, etiam B. Friderici nomen esse repertum.

Quum vero tractu temporis cultum alias praestitum, vel obsoleverit, vel intermissum fuerit, Ordinario de hisce inquisitio spectat iuxta decretum Urbani VIII.

§ 2. Cultum vero non interdictum, aut vetitum, sed aut vetustate obsolevisse, aut esse intermissum, quod Friderici corpus satis inconsulte cum aliis corporibus mixtum, per occasionem ecclesiae instaurandae, in Beatae Virginis Sacellum translatum fuerit. De his vero omnibus, et si quae sint alia, quae diligenter in epistola tua persequutus es, ordinaria auctoritate iuridicas probationes in acta publica redigat fraternitas tua, processumque constituat. Eo coniicias oportet legitimam et iudicialem imaginis Friderici recognitionem; vetustatem etiam inscriptionum rite examinandam; praeterea testium aetate seniorum dicta iuridice sumpta; tum auctorum, qui de Friderico memoriae prodiderunt, omnia, quae in literis tuis profers, testimonia: et si quidem his actis colligas, cultum Friderico fuisse exhibitum centum annis ante decreta praedecessoris nostri felicis record. Urbani VIII., tum poteris illi cultum restituere.

In qua sane inquisitione diligentia omnis servanda est, et praescriptum a Tridentina Synodo sess. XXV.

§ 3. In quo examine omnis adhibenda est diligentia, ne alterutrum contingat, vel ut Beato cultus aboleatur, quem iuxta decreta memorati praedecessoris nostri Urbani sublatum iri non oporteret; vel cultus retineatur, qui fortasse tollendus esset, quod non haberet vetustatem centum annorum a die, quo illa decreta sunt edita, retro computandorum. Quia vero, qui sapiens est, audit consilia; rem omnem antequam quidquam decernas, cum theologis virisque harum rerum intelligentibus communicabis. Quidquid autem egeris, id ordinaria tua facias auctoritate. Cum enim agitur de conservando cultu erga Dei servos, quem obtinuerint vel apostolicis indultis, vel ab immemorabili tempore, Ordinariorum solum est onus examinare, sint ne vere in aliquo ex casibus a memorato praedecessore nostro Urbano exceptis; et si viderint, cultum eis exhiberi, et casum esse inter exceptos, cultum abolere non debent; atque etiam servatis servandis, praesertim vero forma a Concilio Tridentino praescripta Sess. XXV. de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum, poterunt ferre sententiam, quae in his casibus apostolica confirmatione non indiget. Caeterum apostolicae auctoritati nostrae tantummodo tunc esset in hac re locus, cum causae de casu excepto afferendae ad Apostolicam Sedem, consueta via iniretur, et ratio: tibique, venerabilis frater, benevolentiae erga te nostrae pignus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVI. augusti MDCCLXIII. pontificatus nostri anno VI.

XLI.

Statuit sub poena suspensionis ab officio et dignitate, regulares, quibus concessa est facultas impertiendi benedictionem apostol., ea uti posse tantum licentia Ordinariorum, in scriptis obtenta (1).

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanos Pontifices, assiduas super dominicum gregem excubias divino

(1) Vide const. *Inexhaustum.*

praecepto agentes, quae ad fidelium pietatem fovendam diversis ecclesiasticis ordinibus pro eorum in Ecclesiam meritis a se vel a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis indulta sunt, si aliqua exinde minus congrua et eorum voluntati ac menti consentanea exorta comperiantur, providâ diligentia ac prudenti circumspectione ita coercere ac moderari, prout melius ad animarum salutem et catholicae Ecclesiae decorem in Domino putant salubriter expedire.

Recensetur quod in superioris anni Brevi dispositum fuerat quoad benedictionem papalem.

§ 1. Cum alias per nostras literas sub plumbo incipientes: *Inexhaustum:* datas tertio nonas novembris pontificatus nostri anno quinto, venn. fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque festo solemni eorum arbitrio designando, praelatis vero inferioribus usum pontificalium cum territorio separato et iurisdictione quasi episcopali habentibus semel in anno, in uno ex diebus, in quibus eorum singulis pontificalium usus ab Apostolicâ Sede permittitur, nempe in praefato solemni die Paschatis Resurrectionis Dominicae a nobis praefinito (1), populo in ecclesiâ congregato, apostolicâ summi Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate illiusque nomine, facultatem solemniter benedicendi cum elargitione plenariae Indulgentiae iuxta ritum et formam tunc traditam, concesserimus, in iisdem literis facultates similes impertiendi Romani Pontificis nomine apostolicam benedictionem aliquibus regularibus Ordinibus concessas praeservavimus; districte tamen dilectis filiis eorumdem Ordinum superioribus et professoribus, etiam speciali mentione dignis, facultate et indulto huiusmodi gaudentibus et qui in posterum gaudebunt, iniunximus ac praecepimus, ut quibus diebus Episcopi facultate huiusmodi uterentur, ab elargiendâ praedictâ solemni benedictione penitus abstinerent, prout in dictis literis plenius continetur.

Regulares Ordines nulla ab Episcopo implorata licentia facultate benedicendi populo, proprio arbitrio utebantur.

§ 2. Verum, cum ad nos perlatum sit, ex quo in concessionibus illis Ordinibus factis minime fuit expresse praescriptum, regulares personas ad impertiendam supra populum benedictionem a propriis superioribus designatas opportunam prius ab Archiepiscopo vel Episcopo aut Praelato respective loci illius licentiam exquirere debere, functiones huiusmodi absque Ordinariorum licentiâ et permissione, imo ipsis aperte dissentientibus, non semel sed pluries in anno, atque etiam contra nostrum expressum praeceptum et mandatum iisdem diebus, quibus a praedictis locorum praelatis peraguntur, non sine gravi christianae pacis perturbatione et fidelium scandalo, a regularibus peragi contigisse.

Ad talia removenda scandala, iubetur expresse, nullum regularem Ordinem facultate uti posse benedicendi populo, nisi prius Ordinarii licentia in scriptis obtenta, sub suspensionis poena.

§ 3. Quare, cum maxime dedeceat et tolerari ubique non debeat, apostolica iussa et mandata a religiosis praecipue viris negligi aut non servari, et omnino incongruum sit, solemnem super populum et sacram peragi actionem ignaris vel dissentientibus pastoribus, quibus eiusdem populi cura et solicitudo, divinâ disponente clementiâ, commissa est, huiusmodi non mediocri malo congrua apostolicae provisionis remedia adhibere volentes, ut in posterum Apostolicae Sedi et aliarum ecclesiarum pastoribus debitus honor ac reverentia habeatur, utque, cuiuscumque discordiae ac dissensionis fomite et causâ sublatâ, pax et concordia in procurandâ fidelium salute inter sacros Ecclesiae Dei ministros retineatur diligentius et exactius custodiatur; motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ in perpetuum valiturâ sanctione constituimus, decernimus ac declaramus, regulares Ordines etiam specialiter exprimendos, quibus facultas benedictionem elargiendi super populum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodocumque concessa et per nos in dictis nostris literis praeservata fuit, eorumdem Ordinum personas regulares ad id designatas ac superiores ipsos facultate et concessione huiusmodi respective uti non posse sine scientiâ et permissione Episcopi dioecesani, aut Praelati loci Ordinarii activam iurisdictionem in clerum et populum habentis, ab ipsis quidem ante in scriptis impetrandâ, quam per publica edicta seu enunciationes aut proclamationes populum de benedictione statâ die elargiendâ, ut se ad sacramenta confessionis et communionis eâ die suscipienda disponat, certiorem faciant, vel si edicta huiusmodi omitti contingat, triduo saltem ante ipsam diem benedictio-

(1) In const. *Inexhaustum* non exprimitur dies Paschatis cum agitur de Praelatis inferioribus. Ex hac tamen Constitutione declaratur quod de prima festivitate nominatim expressa Episcopis indictum fuerat, id de unica pro qua facultas his Praelatis conceditur intelligendum esse.

nis eadem licentia et permissio in scriptis impetrari omnino debeat, sub poenâ suspensionis ab omni officio et dignitate, aliisque arbitrio nostro inferendis.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes, praesentes nostras literas et in eis contenta ex quibusvis causis vel praetextibus de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, derogationibus, decretis, vel declarationibus, novisque privilegiis generalibus et specialibus pro tempore faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab iisdem Ordinibus regularibus, superioribus et personis quibuscumque, perpetuo et inviolabiliter absque declaratione aliquâ observari debere: sicque in praemissis omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, ac etiam privilegiorum eorumdem Ordinum conservatores, etiam quavis auctoritate et potestate fungentes, causarum quoque palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quorumvis praedecessorum nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque ipsis Ordinibus et eorum singulis in genere vel in specie a praedecessoribus praefatis, etiam quacumque causâ, ac sub quibusvis tenoribus et formis, ac quibuslibet derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie concessis, ac etiam pluries confirmatis et innovatis: quae omnia et singula, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, perpetuae firmitatis et observantiae praemissorum omnium et singulorum, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse moderamur, et quatenus opus sit, illis opportune et valide derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, declarationis, decreti, moderationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo tertio, tertio kalendas septembris, pontificatus nostri anno VI.

XLII.

Quantum periculi immineat catholicae Religioni ex matrimoniis inter catholicos et haereticos Argentoratensi Episcopo ostendit, licet in Alsatiâ ob catholicam totius prolis educationem indictam putaretur ea matrimonia fidei catholicae incremento et haeresis extirpationi inservire; eumque monet ut totis viribus adnitatur ne in Alsatiâ ea contrahantur (1).

(1) Ex Bul. de P. F. coll. cum Reg. Vatic.

Dilecto filio nostro Ludovico Constantino S. R. E. Presbytero Cardinali de Rohan Episcopo Argentoratensi,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Semper catholica Ecclesia abhorruit a matrimoniis inter catholicos et haereticos.

§ 1. Quantopere a connubiis inter catholicos et haereticos abhorreat catholica Ecclesia, et de aeternâ filiorum suorum salute vehementer solicita sit, ut emper eos absterruerit, ne cum haereticis matrimonii vinculum iungant, dilecte fili noster, profecto non ignoras. Nunc autem id agi comperimus, ut in posterum in Alsatiâ licitum sit talia coniugia contrahere, quae videtur in rem fore catholicae Religionis, si eâ tantummodo conditione permittantur, ut suscepta inde soboles in apostolicâ romanâ fide educetur: hac ratione non longe abesse aiunt, cum Deo gratulabimur, populum istius regionis universum ad veram religionem esse traductum.

Mater siquidem acatholica semper sobol. suae propriae religionis errores insinuare curabit.

§ 2. Nobis vero longe aliter videtur, et ex huiusmodi coniugiis existimamus, catholicae Ecclesiae magnam cladem allatum iri. Si enim mater, penes quam est prima sobolis educatio, a nostris sacris aliena sit, quid de liberorum religione non est timendum? Illa enim pro materno amore de aeternâ eorum salute solicite cogitans, nullam praetermittet occasionem, qua illos imbibat suae sectae doctrinâ, quam unice veram putat. Ac si virum vel in vigiliis ieiunantem et carnibus abstinentem, vel Poenitentiae sacramento animae suae sordes eluentem, vel ad sacram Eucharistiae mensam accedentem quasi inania sectantem, ut saepissime fiet, irrideat, id etiam certe fieri oportet, paullatim ut in animos puerorum illabatur sacratissimarum rerum contemptus. Quae vero a tenerâ aetate arripuerint, ea ex illorum animis difficillimum est evellere.

Maiora autem damna soboli obventura sunt ex paterna auctoritate, si is alicui sectae addictus sit.

§ 3. Et contra, si mater quidem catholicam religionem colat, pater vero alicui haereticae sectae addictus in puerorum conspectu dicta uxoris et facta, quae ad Religionem pertinent, ilocaliter illudat, annon puerilis animus liberorum, penes quos plurimum valet patris auctoritas, de veritate Religionis, quam sequitur mater, nonnihil dubitaverit? Quid si seria oboriatur inter virum et uxorem de Religione disputatio? Annon liberi, quorum mens, alternantibus in parentum disputatione momentis, hac illac impellitur, sensim in religionis prolabentur indifferentiam, qua nihil exitialius, nihil religioni inimicius, cum omnem religionem veram falsamve funditus tollat? Illud etiam perspicuum est, lutheranae haeresi per haec coniugia patentiorem aperiri campum, quo latius sese possit diffundere: etenim puellae lutherano imbutae errore, quibus nunc nonnisi certis quibusdam in locis cum viris suis licet constituere domicilium, si catholicis nupserint viris, illos sequantur necesse est ubicumque iis libitum fuerit habitare. Praeterea et nova nupta plures e suâ sectâ admittet in viri familiam; nec prohiberi poterunt ab eius domo falsae sectae ministri, qui salutandi gratiâ eam conveniant. Hi nimirum suo non deerunt ministerio, quo oves suas in errore confirment, artemque suggerent matri, qua in animis liberorum bonae doctrinae germina ab ipso tempore, quo incipiant erumpere, exarescant.

Adeoque omnis catholicorum sollicitudo semper adhibita ad haec impedienda matrimonia, evanescet, quoties in posterum licitum foret ad illorum celebrationem procedere.

§ 4. Frustra igitur fuerit catholicorum usque adhuc adhibitum studium, quo ex his regionibus, quas tenent, damnati ab Ecclesiâ errores eliminarentur, cum impune licuerit in posterum in medio eorumdem catholicorum eamdem veneficam doctrinam profiteri. Huc accedit, quod si alteruter coniugum, qui catholicus sit, vitâ functus, liberos in primâ aetate reliquerit, alteri coniugi haeretico liberum erit venenatis sectae suae sensibus filios inficere. Vides igitur, dilecte fili noster, quid de prole ex his coniugiis susceptâ polliceri sibi possit catholica Religio, et num vehementer timendum sit, ne, cum per haec connubia propagare intendunt catholicam fidem, latius propagetur haeresis et, quod omnium deterrimum, maiores in dies vires capiat religionis cuiuscumque indifferentia, qua plerumque ad impietatem aditus aperitur.

Argentoratensem hortatur Episcopum, ut ex adductis rationibus, huiusmodi matrimoniis obsistat.

§ 5. Haec vero paullo fusius uberiusque persequuti sumus, non quod ea prudentiam tuam fugere existimemus, sed ut ex harum prolixitate literarum solicitudinem nostram intelligas, qui de re gravissimâ et maximâ scribendi vix finem facimus. Sed ut sapientiae prudentiaeque tuae has rationes, quas supra tetigimus, quamobrem non sint permittenda haec coniugia, obscuras non fuisse arbitramur; sic religioni tuae, et zelo domus Dei, quo flagrantem animum geris, plurimum confisi, dilectionem tuam obsecramus et in Domino obtestamur, ut,

quantum auctoritate valeas, id efficias, ut his coniugiis nullus in Alsatiâ fiat in posterum locus; in qua provinciâ Ecclesiae leges suum robur recuperarunt ex edicto, quod anno MDCLXXXIII. cum tantâ sui nominis laude edidit gloriosissimae memoriae Ludovicus XIV. Quod si consequare, non haec ultima laus erit tuarum pro religione rerum praeclare gestarum, consilio et operâ tuâ catholicae Ecclesiae fidem e tam gravi periculo ereptam suam incolumitatem retinuisse. Tibique praecipuo quodam caritatis sensu, dilecte fili noster, quem unice amamus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVI. novembris MDCCLXIII. pontificatus nostri anno VI.

XLIII.

Duci et Reipublicae Venetiarum repraesentat, quanto ipsi dedecore Ecclesiam affici sinant, quod, pluribus additis expostulationibus, nondum expulerint ab ecclesia S. Georgii Episcopum schismaticum, eosque, commemoratis antiquis recentibusque Senatus Veneti decretis, et iure quod Sedes Apostolica in eam ecclesiam habet vehementer excitat ad eamdem a schismatico liberandam, secus officio supremae potestatis suae fungi non omittet (1).

Dilectis filiis Nobilibus Viris Duci et Reipublicae Venetiarum,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecti filii Nobiles Viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Praecedentes literae venetae reipublicae hac super re perscriptas, commemorat.

§ 1. Saepe antea per literas apud vestras nobilitates de Graecorum schismaticorum istic commorantium conquesti sumus audaciâ, qui in ecclesiam S. Georgii invadere sunt ausi, eamque schismatis foeditate polluere. Cumque id responsum semper a vobis tulerimus, quod quidem nobis de spectatâ iam satis omnium vestrum in catholicam Ecclesiam voluntate persuaderet, nihil tamen de efficaci aliquâ ratione afferret, qua eorumdem Graecorum, qui sunt apud vos, catholica fides et unitas conservari possit incolumis, adhuc ad vos scribere constituimus, nec unquam clamando finem faciemus, fidemque vestram usque adeo implorabimus, donec aspersam illi ecclesiae tam turpem maculam eluatis. Urget enim nos apostolici nostri necessitas ministerii; urget divini honoris tuendi, fideique et unitatis catholicae conservandae officium, a quo in animae nostrae perniciem recedere plane non possumus. Tempus teri videmus non sine magno animi nostri dolore, et ab eo, qui est Iudex vivorum et mortuorum, vehementer nobis metuimus, quod hac patimur cunctatione tam turpe dedecus in Ecclesiâ Dei tantamque indignitatem cum maximâ fidelium offensione propemodum inveterascere.

Valde confidit Pontifex in religione, sapientia atque prudentia Venetorum magistratuum.

§ 2. Quamquam dum in hac acerbâ, quae nos maxime territat, curâ et cogitatione versamur, multum animi nostri aegritudinem spes illa demulcet, quam in vestrâ ad quidvis Deo eiusque honori et gloriae praestandum paratissimâ voluntate, tum etiam in illâ sapientiâ et aequitate posuimus, cuius praecipuam laudem mirificâ sane omnium consiliorum vestrorum prudentiâ vobis peperistis. Quid enim a vobis petimus amplius, quam quod ab ipsis maioribus vestris, orthodoxae fidei inter Graecos conservandae, graecique ritus catholici in ecclesiâ S. Georgii unice exercendi maxime cupidis, sapientissimo consilio decretum fuit? Voluerunt enim, ecclesiam illam omnino esse in praecipuâ Sedis Apostolicae potestate, et ab eâ suspensas habere rationes suas, unde originem duceret; quam conditionem probe nostis, dilecti filii Nobiles Viri, Graecis extruendae illius ecclesiae cupidis a Senatu vestro disertis fuisse verbis impositam.

Ecclesia S. Georgii ex Pontificum voluntate pro Graecis catholicis aedificata, sub immediata Apost. Sedis potestate collocata fuit.

§ 3. Et praedecessor quidem noster fel. record. Leo X., qui videret Graecos rem divino cultui augendo et Religioni amplificandae utilem postulare, iis non modo potestatem dedit illius ecclesiae aedificandae, sed ipsam ecclesiam et presbyterum, qui sacramenta Graecis administraret, sibi seposuit, voluitque, ut in posterum essent sub immediato Sedis Apostolicae patrocinio. Graecos deinde, quod apostolico favore se praebuissent indignos, fel. rec. praedecessor noster Clemens VII. eo beneficio privavit; quos rursus praedecessor itidem noster Paulus III. in suam gratiam rece-

(1) Vide lit. *Ad assiduas.*

ptos in pristinum statum restituit. Ex quo perspicuum est, ecclesiam S. Georgii, quae Venetiis est, Graecosque istic commorantes in Apostolicae Sedis peculiari semper fuisse clientelâ, et pontificiâ gratiâ et favore floruisse. Quaenam autem, aut unde tam nova tamque inopinata rerum animorumque haec immutatio, ut non modo a Romani Pontificis potestate, sed a cuiuscumque catholici Episcopi iurisdictione eam ecclesiam quisquam istic moliatur subducere, et a catholicâ communione seiunctam, sacramentisque a schismatico homine administrandis foedissimâ violatione profanam velit?

Iterum sacrilegam schismatici viri electionem condemnat in Antistitem ecclesiae S. Georgii deputati.

§ 4. Atque ipsum id est, quod schismaticorum turbam quamdam Graecorum moliri perspicuum est, qui vestro patrocinio et auctoritate temere abusi, sacrilegum illum sacerdotem nomine Facea, ad presbyteratus ordinem promotus in schismate, et a schismaticis episcopalem consecrationem consequutum, sibi constituerunt Episcopum; quem propterea certo scimus apostolici ministerii divinâ carere missione, quem omnis legitimae auctoritatis expertem, quem ab Ecclesia extorrem, quem denique a Sedis Apostolicae, quae petra est et christianae unitatis fundamentum, certo novimus omni esse communione seiunctum. Annon igitur eiusmodi hominem commissum sibi gregem existimabimus proditurum? Annon illum ad pestiferae doctrinae pascua adducet, venenatisque animi sui sensibus imbibet? Annon quam longissime oves arcebit ab ovili Christi, quod est Ecclesia cum Capite suo coniuncta? Quid tali homine exitialius, qui summam animabus sibi concreditis perniciem afferat? Neque enim dubitari potest, qui extra Ecclesiam sit, ei spem salutis omnem esse ademtam.

Quantum damni sit catholicae religioni, si schismatic. antistes ulterius in Ecclesiae administratione tolleretur.

§ 5. Itaque homini aperte schismatico et ab Ecclesiâ catholicâ segregato in inclytâ vestra carissimâque patriâ nostrâ si spiritualis Graecorum tradita sit gubernatio, quantam inde censetis ad animas Iesu Christi sanguine redemptas perventuram esse perniciem? Profanum enim altare erigitur; dominico gregi pastor immo verius praeficitur lupus, cum quo quisquis communicet, et ab eo divinorum fiat particeps misteriorum, a verâ Iesu Christi Ecclesiâ desciscit, unitatemque abrumpit catholicae communionis. Quinam vero bonorum omnium, et quotquot cupidi sunt Veneti honoris et dignitatis, futurus est dolor, cum schisma in mediâ civitate exultans videbunt, et gestiens de Ecclesiâ catholicâ quodammodo triumphare?

Vetera decreta Venetae reipublicae commemorat, quibus consultum fuerat gubernio ecclesiae S. Georgii.

§ 6. Procul igitur sine cunctatione ullâ hominem istinc abigite, qui signum extulit divisionis; maiorumque vestrorum decreta in memoriam vestram revocate, quorum decemvirales leges tum veteres tum novissimae iubent, in ecclesiâ S. Georgii soli catholicae Religioni dari locum: amovendum quidquid religionis et fidei integritatem castitatemque maculare possit atque polluere: praedecessorum nostrorum, quae de illius ecclesiae fundatione prodierunt, constitutiones sancte servandas; ecclesiae cappellanos non aliunde sumendos quam ex catholicâ Ecclesiâ, et catholicae communionis participes: eosdemque non prius ad sacrum ministerium adhibendos, quam in manibus nostri et Sedis Apostolicae apud vestras nobilitates Nuncii, aut Venetiarum Patriarchae, catholicam fidem profiteantur: pellendos denique omnes, in quibus aliqua suspicio schismatis resideret. Has, dilecti filii nobiles viri, anno MDCCXX. leges tulistis, quibus ea, quae per duo saecula saepe maiores vestri constituerunt, sapienti religiosoque consilio confirmastis. Cum igitur propter vestram in veteribus retinendis conservandisque institutis et legibus gravitatem atque constantiam, Republicâ sitis usi usque ad hanc diem optimâ et florentissimâ; qua ratione, ubi de Religione agitur, cui veluti praecipuo fundamento ipsam existimatis positam esse stabilitamque Rempublicam, ab antiquis maiorum vestrorum scitis decretisque vobis fas esse existimabitis declinare? Sed ut per venas vestras, quem a maioribus duxistis, idem sanguis diffunditur, sic illorum spiritus eosdemque sensus omnes putamus vos in animo gerere, nec futurum suspicamur, ut ab eâ viâ, qua illi ad tantam gloriam et amplitudinem pervenerunt, ullo unquam tempore vos reflexisse videamini. Contra sperare nos iubet pietatis et religionis studium, quo alti educatique estis vos, ut in ceteris ita in hac re vestrorum maiorum pressuros esse vestigia.

Suum exprimit dolorem, quoties ad tot mala removenda, Apostolicae Sedis auctoritatem interponere cogeretur.

§ 7. Ceterum quis esset animi nostri dolor, si res eo deduceretur, ut apostolici nostri muneris cogeremur exequi officium, cuius partes sunt pestifera pascua gregi defendere, et bene valentes oves et corruptas a morbidis segregare, ut quae extra caulam Domini, et quae contra sint intra Ecclesiae septa, quivis quam facillime pos-

sit dignoscere? Quod pastoris praecipuum munus ne deseramus, assidue nos terret durissimum futuri saeculi iudicium, cum nostrae gubernationis summo Iudici rationes sumus reddituri; eodemque oportere vos esse in metu, dilecti filii nobiles viri, de omnium vestrum aeternâ salute soliciti paterno animo vos admonemus; reddenda enim itidem vobis est ratio eius potestatis, quam a Deo ad administrandam Rempublicam accepistis. Cogitate quae tum esset animorum vestrorum anxietas, si vos Deus argueret, in eâ positos potestate ad temporalia magis vos habuisse respectum, quam eius honori et gloriae inservisse. Igitur in hac re, quo demum vestrorum consiliorum redeat summa, a nobilitatibus vestris petimus plane et aperte fieri certiores, ut possimus inde nostra itidem consilia capere, quae nisi alterius ordinis rationibus deflectantur, ne dubitetis eo semper fore conversa, ut firmiora et illustriora extent in dies summae erga vos inclytamque vestram Rempublicam apostolicae benevolentiae et caritatis nostrae argumenta; cuius interea pignus paterno nostri cordis affectu vobis, dilecti filii nobiles viri, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXXI. decembris MDCCLXIII. pontificatus nostri anno VI.

XLIV.

Confirmat electionem Theodosii Archiepiscopi Berytensis in Patriarcham Antiochenum Graecorum-Melchitarum, ei praescribit iuramentum fidelitatis et professionem fidei, ac simul iubet ut documenta ad S. Congregationem mittat (1).

---

(1) Ex Reg. Vat. Epist. transcribimus seq. literas ad Praesules et Patriarcham.

Gratulatur Praesulibus Graeco-Melchitis de concordiâ inter eos restitutâ, eosque hortatur ut Patriarcham adiuvent, pacem servent ac puram in populis fidem custodiant.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis nationis Graeco-Melchitae,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Suum gaudium exprimit pro restituta concordia, veteribusque dissensionibus extinctis.

§ 1. Quam molestum nobis acciderit eas inter vos dissensiones ac turbas extitisse, quae magnum religioni periculum inducerent, et clerum ac populum in duas veluti partes discissum separarent, ex pluribus certe nunciis et non ambiguis apostolicae solicitudinis nostrae documentis intelligere potuistis. Nullum enim neque paterni amoris studium, neque pastoralis vigilantiae consilium praetermisimus, ut, quantocius fieri posset, ingruenti malo remedium adhiberetur, et antiqua pacis et caritatis unio, arctissimis inter vos concordiae vinculis redintegratis, tandem aliquando restitueretur. Id iam factum, divinâ misericordiâ opitulante, et plurimum laetamur et vobis intimo cordis gratulamur affectu.

Ut in communi reverentia erga novum Patriarcham persistant suadet, et intima inter sese coniunctione.

§ 2. Reliquum est ut, quemadmodum unanimiter ven. fratri nostro Theodosio Patriarchae debitum reverentiae praestitistis obsequium, ita omnem operam in id impendatis, ut, a praesentibus angustiis et difficillimis rerum circumstantiis sublevatus, novam hanc suam dignitatem tranquille tueri possit, et ad fidem orthodoxam per totum Patriarchatum promovendam facilius incumbere. Sed praecipue vos hortamur ac obsecramus in Domino, ut animorum concordiam praeclarâ cum laude pietatis ac religionis vestrae sancitam firmissime teneatis, nec unquam sinatis, ut praeteritae divisionis scandalum inter vos oriatur. Coniunctis igitur opibus consiliisque id unum satagite, ut catholica religio, in qua populi rectores ac magistri a Deo constituti estis, et in dies purior affulgeat, et a fidelibus pastorali officio vestro commendatis integerrime custodiatur. Quod, ut fortiter alacriterque peragatis, apostolicam benedictionem vobis, venn. fratres, vestrisque gregibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCCLXIV., pontificatus nostri anno VII.

Agit etiam cum Patriarchâ de concordiâ instaurata, de eâque omni nisu servandâ, et Pallium concessum nunciat, eumque sollicitat ad fidem inter suos fovendam, inter schismaticos excitandam.

Ven. fratri Theodosio Graecorum-Melchitarum Patriarchae Antiocheno,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Magnam nobis illustris Graecorum Ecclesia Antiochena curam iniecerat, ne, longius furente discordiae turbine, funestum aliquod vulnus acciperet, et schismaticorum insidiis viam sibi nocendi latissimam aperiret. Sed nuper acceptis a te literis mirifice recreati sumus, postquam intelleximus omnia in pristinam pacis tranquillitatem fuisse redacta, tibique legitimo Patriarchae a nobis confirmato Episcopos omnes cum clero et populo nationis debitum honoris ac reverentiae obsequium praestitisse. Qua de re maximas habemus agimusque Deo gratias, ac te simul hortamur ut, quamvis in angustiis positus et rerum temporalium difficultatibus circumventus, nequaquam animo concidas, sed onus patriarchalis dignitatis tuis humeris impositum alacriter suscipias, curamque omnem et vigilantiam adhibeas, ut recens inita concordia perfecte vigeat et coalescat, cum neque maius religioni incrementum, neque pulchrior tuo regimini splendor ac decus, quam inde sperare liceat. Haec sedulo praestans et gregi custodiendo solerter incumbens pro eâ, quam hactenus ostendisti, sincerâ fide et insigni erga Romanam Sedem observantiâ, uberrimam a Deo mercedem, et eximia quaeque amoris et benevolentiae argumenta de nostrâ poteris tibi

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Venerabili fratri Theodosio nuper Archiepiscopo Berytensi in Patriarcham Antiochenum nationis Graecorum-Melchitarum electo, salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor ille caelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi traditâ ecclesiis praetulit universis, solicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam, nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, atque ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, Ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac bona ecclesiae sibi creditae non solum gubernet utiliter, sed etiam multiplicibus efferat incrementis.

§ 1. Sane Ecclesia Patriarchalis Antiochena nationis Graecorum-Melchitarum, cui bo. me. Maximus, dum viveret, Patriarcha Antiochenus praeerat, per obitum eiusdem Maximi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta. Nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellectâ, ne dicta patriarchalis Ecclesia Antiochena longae vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae patriarchali Antiochanae personam utilem ac etiam fructuosam, cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Berytensem, quem venn. fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi et dilecti filii clerus et populus nationis Graecorum-Melchitarum, iuxta eorum morem, ad praefatam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam elegerunt, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et quod tu, qui Ecclesiae Berytensi hactenus laudabiliter praefuisti, dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam scies, voles, et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, dreximus oculos nostrae mentis.

§ 2. Intendentes igitur tam dictae patriarchali Ecclesiae Antiochenae, quam illius gregi dominico providere, teque a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; ac electionem ipsam de eorum fratrum consilio apostolicâ auctoritate approbantes et confirmantes, te iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotiorum de Propagandâ Fide praepositorum, emanatum et per nos approbatum, a vinculo quo ecclesiae Berytensi praefatae, cui tunc praeeras, tenebaris, de simili consilio ac apostolicae potestatis plenitudine absolvimus, et ad eamdem Ecclesiam patriarchalem Antiochenam de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine paribus transferimus; teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam transeundi licentiam tribuendo, firmâ spe fiduciâque conceptis, quod, dexterâ Domini tibi assistente, praefata patriar-

---

benignitate spondere. Tuis interim precibus per dilectum filium Demetrium Coimgi presbyterum monachum S. Ioannis in Soairo Ablegati munere fungentem nuper in Consistorio renovatis annuere cupientes, libentissime Pallium e D. Petri corpore sumptum tibi concedimus atque transmittimus, in quo plenitudo pastoralis officii continetur, quod nostro nomine venn. fratres Episcopi patriarchatus Antiocheni tibi tradent, dummodo prius coram eis catholicae fidei professionem emiseris iuxta formulam praescriptam a fel. rec. Urbano VIII. praedecessore nostro, ac solemni iureiurando fidelitatem nobis et Sedi Apostolicae promiseris. Utere venerabili dono ad memoriam fidei in tuae gentis oculis excitandam, quam Princeps Apostolorum nobis aeque ac tibi perpetuo servandam reliquit; unde veluti quadam cognatione adiuncti, quotquot in tuo Patriarchatu sacro Baptismate sunt regenerati, vel nobiscum firmiter perseverent, vel errorum nebulis discussis ad nos revertantur. In huiusmodi operam ut omnes intendas pastoralis vigilantiae curas, te rursus in Domino hortamur obsecramusque, ac dum pro gratiae atque effectus nostri pignore munusculum rerum ecclesiasticarum ad te deferri per Ablegati tui manus committimus, apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter largimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCCLXIV., pontificatus nostri anno VII.

chalis Ecclesia Antiochena sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

§ 3. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam cum gratiâ nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas, solicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, et tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur; ipsaque patriarchalis Ecclesia Antiochena gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam; tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; et ven. etiam fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis suffraganeis, ac dilectis etiam filiis clero et vassallis dictae patriarchalis Antiochenae Ecclesiae, et populo civitatis et dioecesis Antiochenae per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei, tibi tamquam membra Capiti obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas; ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare. Ac clerus te pro nostrâ et eiusdem sedis reverentiâ benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent: populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debitâ honorificentiâ prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant; ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praefati, te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam et consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Volumus autem, quod tu antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae te in aliquo immisceas, in manibus alicuius catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis et in illis partibus commorantis fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta unam, et fidei catholicae professionem Orientalibus praescriptam iuxta alteram formas praesentibus adnotatas expresse emittere, cui per praesentes committimus et mandamus, ut ipse a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum ac professionem huiusmodi recipiat, et sic a te praestiti iuramenti et emissae professionis formas huiusmodi ad eamdem Congregationem de Propagandâ Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, infra praefixum tempus transmittere omnino tenearis.

Forma autem iuramenti quod praestabis haec est:

Ego Theodosius nuper Archiepiscopus Berytensis in Patriarcham Antiochenum nationis Graecorum-Melchitarum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro D. Clementi Papae XIII., suisque successoribus canonice intrantibus; nec ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, seu iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Nec ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur; et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius potero commode significabo eidem Domino Nostro, vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata

apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles Domino Nostro, et successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quadrienniis personaliter et per me ipsum visitabo, et Domino Nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad Ecclesiae meae patriarchalis, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio capituli mei, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione sacri Concilii Tridentini, per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, aut aliquo modo alienabo etiam cum consensu capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo; et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Forma vero professionis fidei quam emittes, haec est:

Ego Theodosius, nuper Archiepiscopus Berytensis in Patriarcham Antiochenum nationis Graecorum-Melchitarum electus, firma fide credo et confiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem factorem Coeli et Terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. - Veneror etiam et suscipio omnes et generales Synodos, prout sequitur, videlicet: - Nicaenam primam, et profiteor, quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum Unigenitum, idest ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri; atque impias illas voces recte in Synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex iis, quae non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei; - Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non creaturam, sed Deum ac unam habentem cum Patre et Filio Deitatem; - Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, Divinitatem et Humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem veram esse Dei Genitricem; - Calcedonensem, quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Eutychen et Dioscorum ambos damnatae memoriae definitum est: unum eumdemque Filium

Dei Dominum nostrum Iesum Christum, perfectum esse in Deitate et perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, et eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Matre Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque substantiam concurrente, non in duas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum. Item eiusdem Domini Nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem: eumdem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et in epistola S. Leonis Romani Pontificis, cuius ore B. Petrum Apostolum loquutum esse patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui in Trisagio ab Angelis tradito, et in praefata Calcedonensi Synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis, *addebant,* qui crucifixus est pro nobis, *atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem; - Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefatae Calcedonensis Synodi definitio renovata est; - Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et confiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino Nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati; - Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, Imagines Christi, ac Deiparae Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam; - Constantinopolitam quartam, octavam in ordine, et profiteor, in ea Photium merito fuisse damnatum, et S. Ignatium Patriarcham restitutum. - Veneror etiam et suscipio omnes alias universales Synodos, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita sunt, videlicet: quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio, et unica spiratione, procedit. Item dictionem illam,* Filioque, *veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis, consuetudinem. Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmdi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta; illorumque animas, qui, post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Item S. Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro*

pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicae legis caeremonias, sacra sacrificia, et sacramenta, D. N. Iesu Christo adveniente, cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissentionis materia tolleretur, cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. – Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim: offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, iuxta fidem, quae semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima et Divinitate D. N. Iesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem *appellat, et sub unaquaque specie et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novae legis Sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse. Item Baptismum esse necessarium ad salutem; ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse; et a quocumque et quandocumque, sub debita materia, forma et intentione collatum, esse validum. Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. Pariter quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum librorum, tam veteris quam novi Testamenti indice et interpretatione in praefata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor. Cetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur S. Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et schismata, et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Insuper Romano Pontifici B. Petri Principis Apostolorum successori, et Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo et iuro. Hanc fidem Catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere ac confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem Theodosius Archiepiscopus in Patriarcham electus, spondeo, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCLXIV. septimo idus iulii pontificatus nostri anno VI.

XLV.

Eidem Theodosio Patriarchae Graeco-Melchitae concedit Pallium, quod per eius nuncium mittit, ei tradendum ab aliquo illarum partium Episcopo, praemisso iuramento iuxta formulam insertam.

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Ven. fratri Theodosio nuper Archiepiscopo Berytensi in Patriarcham Antiochenum nationis Graecorum Melchitarum electo, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos nuper Ecclesiae Patriarchali Antiochenae nationis Graecorum Mel-

chitarum certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de personâ tuâ nobis et venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de fratrum eorumdem consilio duxerimus apostolicâ auctoritate providendum, praeficiendo te illi in Patriarcham et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae patriarchalis Antiochenae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur: ac postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tuâ fuerit a nobis per dilectum filium Alexandrum Litta aulae nostrae concistorialis advocatum, cum eâ qua decuit instantiâ, postulatum; nos tuis supplicationibus annuentes Pallium ipsum de corpore beati Petri Apostoli sumptum, per venn. fratres nostros Episcopos in illis partibus degentes tibi assignandum, per dilectum etiam filium Demetrium Coimgi presbyterum monachum Ordinis S. Basilii expresse professum Congregationis S. Ioannis in Soairo duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel alter eorum illud sub formâ infrascriptâ assignent vel assignet, et a te, nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub aliâ etiam praesentibus insertâ formâ fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum. Tu autem eodem Pallio intra dictam Patriarchalem Eccclesiam tuam illis diebus dumtaxat uteris, qui expressi in eiusdem Patriarchalis Ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera largitur, observare studeas quae suum servant et promovent servatorem. Ac eamdem Patriarchalem Ecclesiam sponsam tuam cures solicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare.

§ 2. Quocirca praefatis Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare, et a te, nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub reliquâ formâ fidelitatis debitae, solitum recipiant seu recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocitius destinare procurent seu procuret.

Forma autem qua praefati Episcopi in assignaudo tibi Pallio utentur, haec est:

Ad honorem omnipotentis Dei ac B. Mariae Virginis et BB. Apostolorum Petri et Pauli, et Domini nostri D. Clementis PP. XIII. et Sanctae Romanae Ecclesiae, nec non patriarchalis Ecclesiae Antiochenae tibi commissae, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris infra tuam Ecclesiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolicâ Sede concessis.

Forma autem iuramenti, quod praestabis, haec est:

Ego Theodosius nuper Archiepiscopus Berytensis in Patriarcham Antiochenum nationis Graecorum-Melchitarum electus, ab hac horâ in antea fidelis et obediens ero B. Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, et Domino nostro, D. Clementi PP. XIII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatos Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonicâ praepeditione. Apostolorum limina singulis quadrienniis visitabo aut per me ipsum aut per meum Nuncium, nisi apostolicâ absolvar licentiâ. Possessiones vero ad mensam mei Patriarchatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium ad inferiores ecclesias spectantium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae, millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, septimo idus iulii, pontificatus nostri anno VI.

XLVI.

Collegio Sinensium Neapoli erecto super monasterio S. Petri a Colonnello Salernitanae Dioecesis pensionem concedit (1).

CLEMENS PP. XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Docendi omnes gentes christianaeque religionis propagandae zelus, et studium assiduum, quod divino erudita praecepto per evangelicos potissimum operarios Catholica Romana Ecclesia adeo impense fovet atque exercet, apostolicam nostram urgent sollicitudinem, ut collegia ad excolendos formandosque operarios ipsos instituta, iam a nobis aucta, amplioribus fulciamus subsidiis, unde alii recipiantur e remotissimis regionibus selecti alumni, qui subinde adversus superstitionem et errores ad regiones, in quibus ortum duxerant, reduces, eo portent nomen Domini, et in sanctitate, iustitia et caritate eas gentes ad veritatis ducant cognitionem.

Praedecessorum largitiones. § 1. Postquam siquidem Clemens Papa XII. praedecessor noster collegium sub titulo sacrae Familiae Iesu Christi, prope et extra civitatem Neapolitanam situm, ad Sinenses et Indos ex iis remotissimis regionibus adductos educandos iam pridem a bo. me. Matthaeo Ripa dum viveret presbytero Neapolitano fundatum sub directione et gubernio Congregationis presbyterorum saecularium eiusdem tituli a Sede Apostolica approbatae et confirmatae et cum regulis ab eadem Sede Apostolica pariter probatis primitus instituit, et successive Benedictus PP. XIV. etiam praedecessor noster monasterium abbatiam nuncupatum S. Petri de Ebumbo seu Eboli Ordinis Sancti Benedicti Salernitanae dioecesis, una cum illius annexis et bonis quibuscumque eidem collegio pro illius antea exiguae dotis augmento univit, ut in eo, iuxta ordinationem subinde explicatam, sexdecim adolescentes, eorum videlicet octo Sinenses et Indi, reliqui vero ex nationibus Turcarum dominio subiectis, reciperentur. Nos attendentes, prout fide dignis relationibus percepimus, quod alumni in eo collegio educati sacrisque literis imbuti et ad sacros Ordines promoti in patriis regionibus, ad quas reversi fuerunt, benedicente Domino, catholicam religionem mirabiliter propagarint et propagare pergerent, eorumdem alumnorum numerum ad alios quatuor, quorum duo Sinenses, ex bonis et reditibus sine cura Ecclesiae, seu cappella S. Petri a Colonnello, seu *la Petruccia* nuncupata dictae Salern. diec., quae a monasterio abbatia etiam nuncupata Sanctae Mariae Matris Domini Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis eiusdem Salernitanae dioecesis dependet, aut alias illi canonice erat unita, certis modo et forma auximus, prout in Clementis et Benedicti praedecessorum ac nostris respective literis apostolicis amplius exprimitur atque statuitur.

Pensionem assignat sub conditionibus. § 2. Cum autem nuper acceperimus in amplissimis Sinarum regionibus, tum ad instruendos confirmandosque catholicos qui plurimi sunt, tum vero ad annuntiandam evangelicam innumeris Infidelibus veritatem summopere desiderentur missionarii, pro Dei gloria et salute animarum, maximus obventurus foret profectus et incrementum, si, nova redituum accessione, augeretur ratione Sinensium numerus alumnorum, proindeque alii aeque accepti et ad eorum gentium conversionem apti adiici possent missionarii; Nos igitur ob praemissa et iuxta Congregationis venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum, a qua dictum collegium dependet, nobis oblata vota, ipsius collegii amplificationi, quantum in Domino possumus, consulere volentes, ipsosque modernos eiusdem Collegii et Congregationis praedictae superiorem ac presbyteros et alumnos eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu nostro proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine eidem collegio, ad infrascriptum tantum effectum, et non alios, ex nunc prout ex tunc et e contra, ac cum primum secundodictum Monasterium Sanctae Mariae Matris Domini ordinis et dioecesis praefatorum, quod venerabilis etiam frater noster Nicolaus Xaverius Sanctamaria

(1) Vide supra const. *Quanta Ecclesiae Dei*, et Ben. XIV. *In sacro Principis — Misericordia Dei* et infra Pii VI. *Prae caeteris*.

modernus Episcopus Cynensis in Commendam ad sui vitam ex concessione et dispositione apostolicis ad praesens obtinet, ex illius persona commenda huiusmodi cessante quovis modo vacaverit, pensionem annuam ab omni decima et quavis alia fructuum parte ac aliis quibusvis oneribus et impositionibus ordinariis et extraordinariis, etiam vulgo *Bonatenenza* et *Catasto* aut alias quovis modo nuncupatis, etiam pro reparatione et fabrica monasterii secundodicti, nec non cruciata sancta, expeditione contra Turcas, infideles et haereticos et pro Seminarii puerorum ecclesiastici Salernitani et classis Triremium manutentione et ex quavis alia urgenti, urgentissima et de necessitate iuris vel facti exprimenda causa, quamvis ad quorumque Principum instantiam, intuitum et contemplationem, et pro eorum ac Sedis Apostolicae necessitatibus vel alias canonice aut de facto nunc impositis, et pro tempore quomodolibet imponendis, et si in impositionibus huiusmodi pensiones ipsae specialiter vel generaliter onerentur; et caveatur expresse quod ad decimas et alia onera huiusmodi pensionarii ipsi pensiones suas quantumvis exemptas habentes pro rata pensionum suarum contribuere teneantur; sed onera huiusmodi pro tempore existentes secundodicti Monasterii abbates absque spe aliquid unquam a dicto Collegio repetendi aut ex terminis pensionis per praesentes reservandae, deducendae, integre subire debeant, ac peste, fame, bello, terraemotu, siccitate, sterilitate, alluvione, incursu militum, depopulatione agrorum et devastatione ac fructuum etiam omnium amissione ac quocumque alio casu fortuito et inopinato ac quibuscumque aliis in contrarium quomodolibet contingentibus non obstantibus, quibus omnibus et singulis pro renunciatis habeatur, ac etiam titulo donationis purae et irrevocabilis, quae dicitur fieri inter vivos, etiamsi praemissis et aliis similibus cautelis specialiter et expresse derogatum sit, vel in posterum derogare contingat, utque pensio per praesentes reservanda ex quavis causa etiam iuridica et legitima, pia ac privilegiata et speciali nota digna et de necessitate iuris vel facti omnino exprimenda, neque ad praetensum inadimplementum eorum quorum causa, ut infra, reservatur, ad minorem summam reduci, annullari, vel invalidari, neque adversus infrascriptum inadimplementum a pro tempore existente secundodicti Monasterii abbate, seu commendatario vel administratore quidquam excipi nullo iure nulloque modo possit, sed semper et omni tempore integre et absque ulla etiam minima diminutione debeatur, ac alias in omnibus et per omnia et omnino quovis modo vacaverit pensio annua quoad omnia libera, immunis et exempta mille et biscentum ducatorum monetae Regni Neapolitani super omnibus et singulis secundodicti Monasterii fructibus, reditibus et proventibus certis et incertis, etiamsi super illis aliae pensiones annuae aliis personis reservatae existant, quas praesentibus haberi volumus pro expresso, aut in posterum apostolica auctoritate reservari contingat, eidem Collegio et pro eo eiusdem Collegii et Congregationis praedictae superiori pro tempore existenti, aut illius procuratori ad hoc ab eodem superiore speciale mandatum habenti, per dicti Nicolai Xaverii Episcopi successores monasterium secundodictum pro tempore quomodolibet obtinentes, aut illius fructus subcollectores, seu administratores, etiam pro tempore existentes, annis singulis in civitate Neapolitana duabus aequalibus solutionibus: una videlicet in Domini nostri Iesu Christi et altera solutionibus huiusmodi in Sancti Ioannis Baptistae nativitatum festivitatibus; in altera ex tunc proxima dictarum festivitatum etiam hisce praesentibus pro tempore existenti secundodicti Monasterii abbati, vel commendatario, aut oeconomo, seu administratori minime intimatis, ac possessione per successores praedictos habita vel non habita ac lite quacumque desuper movenda dictorum successorum sumptibus et expensis omnino prosequenda, ac quorumcumque alio impedimento etiam legitimo aut de facto pro tempore quomodolibet praestito non obstante, et sic successive de anno in annum et termino in terminum, vigore tamen earumdem praesentium, nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit. Eo ipso integro, postquam tamen monasterium secundodictum ex persona eiusdem Nicolai Xaverii Episcopi eius commenda cessante vacaverit et non alias, nec antea persolvendam, apostolica auctoritate praedicta earumdem tenore praesentium perpetuis futuris temporibus reservamus, constituimus et assignamus, statim ac itaque monasterium secundodictum vacaverit, ut praefertur et reservationis huiusmodi locus factus fuerit, per easdem praesentes constituimus, praecipimus et mandamus quod, praeter nu-

merum viginti alumnorum per Benedictum praedecessorem et per nos respective statutum, alii octo non ex alia quam Sinensi natione, itaut ipsius Collegii alumnorum numerus usque ad viginti octo augeatur, in id Collegium sub regulis, directione et gubernio dictorum presbyterorum praedictae Congregationis, servata forma earumdem regularum et constitutionum ab Apostolica Sede, ut praefertur, confirmatarum, recipi, ali et sustentari, ac in eo educari, instrui et erudiri debeant per integrum et consuetum tempus, ac iisdem prorsus modo et forma etiam quo ad sumptus in itineribus subeundos et faciendos, quibus alii primaevi dicti Collègii alumni in eo permanserunt et permanent ac ducti et reducti fuerunt; ac propterea etiam expresse sancimus quod dicti moderni et pro tempore existentes ipsius Collegii superiores et presbyteri eidem Congregationi de Propaganda Fide, a qua Collegium ipsum uti praefertur dependet, non tamen cuiquam alteri personae de adimplemento praemissorum et de receptione, educatione ac profectu horum octo quemadmodum aliorum alumnorum ac alias in omnibus et per omnia rationem reddere teneantur. Decernentes pensionem per praesentes reservatam praedictam etiam ad Monasterii secundodicti abbatis, seu commendatarii, vel administratoris pro tempore existentis instantiam et ipsas praesentes, etiam ex eo quod dicti Nicolai Xaverii ad praemissa minime accedat assensus, monasteriumque secundodictum abbate et defensore careat, seu ex quovis alio praetextu, titulo vel colore de subreptionis, obreptionis ac nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, invalidari aut in controversiam deduci, vel adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari nunquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque Collegio suffragari debere perinde ac si pensio huiusmodi de dicti Nicolai Xaverii Episcopi et successorum suorum expresso consensu reservata fuisset. Sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos Vice-legatos Sedisque Apostolicae Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, decernendo irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac dicti Nicolai Xaverii Episcopi successores, seu administratores pro tempore existentes secundodicti Monasterii, ad integram solutionem pensionis per praesentes reservatae eidem Collegio faciendam iuxta reservationis, constitutionis et assignationis praefatarum tenorem, fore efficaciter obligatos; ac volentes, et eadem auctoritate statuentes, quod ille ex successoribus seu administratoribus praedictis qui in dictis festivitatibus vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem per praesentes reservatam praedictam per quemlibet eorum eidem Collegio tunc debitam non persolverit cum effectu, lapsis diebus, eisdem praesulibus quidem ingressus Ecclesiae interdictus existat, administratores vero praedicti sententiam excommunicationis incurrant, et donec eidem Collegio de pensione per praesentes reservata praedicta tunc debita integre satisfactum vel alias super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus, interdictus videlicet interdicti relaxationem, excommunicatus vero praedicti ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes, interdictus videlicet sub huiusmodi interdicto permanserit, excommunicatus vero praedicti sententiam excommunicationis huiusmodi animo, quod absit, substinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus, eisdem regimine et administratione perpetuo privati exsistant eo ipso. Quocirca dilectis etiam filiis modernis causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori et venerabilium quoque fratrum nostrorum Neapolitani et Salernitani Archiepiscoporum Vicariis in spiritualibus generalibus, eorumque in muneribus huiusmodi successoribus motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostra pensionem per praesentes reservatam praedictam eidem Collegio iuxta reservationis, constitutionis et assignationis praefatarum et decreti nostri huiusmodi continentiam et tenorem integre persolvi, et nihilominus quemlibet ex dicti Nicolai Xaverii Episcopi, successoribus seu administratoribus praedictis, quam interdi-

cti et excommunicationis respective sententias incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte dicti Collegii, aut illius Collegii et Congregationis superioris fuerint requisiti, tandiu dominicis et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum et excommunicatum publice nuncient et faciant ab aliis nunciari, ac excommunicatum ipsum ab omnibus arctius evitari, donec eidem Collegio de pensione per praesentes reservata praedicta tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque interdictus videlicet interdicti relaxationem, excommunicatus vero praedicti ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, non obstantibus Lateranensis Concilii postremo celebrati, pensiones annuas super mensarum episcopalium et abbatialium fructibus, nisi ex concessionis aut alia probabili causa, reservari prohibentis, ac nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de praestando consensu in pensionibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praesertim fel. record. Pii Papae IV. qua disponitur quod gratiae et donationes interesse Camerae Apostolicae quomodolibet concernentes in eadem camera registrari et insinuari debeant, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, secundodictique Monasterii et Ordinis, cuius illud existit etiam decreto et confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime, specialiter et expresse hac vice dumtaxat pari motu derogamus, contrariis quibuscumque, aut si dicti Nicolai Xaverii Episcopi successoribus, seu administratoribus praedictis vel quibusvis alias communiter aut divisione ab Apostolica sit Sede indultum, quod ad depraestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Demum, attento quod dictum Collegium ab eadem Congregatione de Propaganda Fide ut praefertur dependet, ad illius indemnitati consulendum, collegium ipsum ab annatae, quindenniorum aliorumque iurium Camerae Apostolicae ac etiam praedictae S. R. E. Cardinalium Collegio et Romanae Curiae officialibus de annatis, quindenniis et iuris huiusmodi participantibus, eorumque respective Collegii ratione reservationis, pensionis huiusmodi debitorum solutione et praestatione, auctoritate et tenore praedictis penitus et omnino eximimus et liberamus, liberumque et exemptum omni futuro tempore fore et esse volumus et mandamus.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae absolutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, praecepti, decreti, statuti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, idibus augusti, pontificatus nostri anno septimo.

XLVII.

Praevia confirmatione suarum literarum VII. *iulii* MDCCLXIII. *super observantia constitutionum Ordinis fratrum Bethlemitarum in Indiis, gesta in illius contemptum proscribit, novasque praebet ordinationes pro pace in ordine ipso restituenda.*

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Alias ad supplicationem bon. mem. Ioannis Francisci, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Banchieri nuncupati, Ordinis fratrum Bethlemitarum nuncupatorum in Indiis Occidentalibus auctoritate apostolica instituti, tunc apud nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem protectoris, emanarunt a nobis literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: *Reliqua vide supra pag.* **92**. Nuper vero exposuit nobis dilectus filius noster Antonius Andreas S. R. E. presbyter Cardinalis Galli nuncupa- Recensetur praecedens constitutio huius Pont., et quae in illius contemptum deinde evenere.

tus, eiusdem Ordinis fratrum Bethlemitarum apud nos et hanc Apostolicam Sedem modo protector, quod novissime allatum fuit nuntium obitus praefecti generalis dicti Ordinis in partibus Indiarum interea sequuti, hinc autem plurimas perturbationes, ac scandala exorta fuisse propter officium, ut asseritur, Vicarii generalis indebite ac illegitime assumptum a Priore conventus Guatimalensis civitatis, qui nulliter, utpote non servata forma constitutionum dicti Ordinis, ad id munus prioris electus fuisse perhibetur; quumque praefatus prior, sicut eadem expositio subiungebat, statim post assumptum Vicarii generalis officium huiusmodi, innovationes anno MDCCLVII. adversus Ordinis constitutiones invectas fovere, ac promovere, et nedum convocatorias, sed etiam prorogatorias literas pro habendo capitulo generali, non servata forma earumdem constitutionum, expedire attentaverit, aliaque, ut pariter asseritur, peregerit, quae maximum detrimentum, ac perniciem, et penitus ruinam dicto ordini inferre possent, nisi prompte gravissimis malis succurratur, et prompta atque opportuna adhibeantur remedia.

Preces porrectae pro removendis dissidiis exortis, et methodus habenda in nova Capituli generalis huius Ordinis convocatione.

§ 2. Propterea pro parte dicti Antonii Andreae Cardinalis et protectoris humiliter supplicatum fuit, ut, retentis et confirmatis praeinsertis literis nostris, die VII. iunii praeteriti anni MDCCLXIII. expeditis, in iis omnibus, quae earumdem substantiam respiciunt, nunc super illarum exequutione apostolicae auctoritatis nostrae partes interponere non renuamus, ut in novo generali capitulo, an. MDCCLXVI. benedicente Domino celebrando, ii dumtaxat intersint, qui legitimo suffragii iure fruuntur, et ut observantia constitutionibus Ordinis in pristinum restituatur. Ut autem haec omnia tutius ac facilius ad exequutionem et complementum perduci valeant, ius praesidendi dicto capitulo, quod in praeinsertis nostris literis venerabili fratri Emanueli Archiepiscopo Mexicano tributum fuerat sub conditione, et in casu, quo praefectus generalis, vel per sui obitum vicarius generalis dicti Ordinis, ante dictum capitulum non docuisset de abolitione omnium perniciosarum novitatum, ac restitutione observantiae constitutionum Ordinis in pristinum vigorem, hac sublata conditione propter mutatum deinde rerum statum, nunc libere et absolute eidem Archiepiscopo cum necessariis et opportunis facultatibus elargiri, atque alias in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere dignaremur:

Praecedens Constitut. confirmatur, et Mexicano Archiepiscopo facultates tribuuntur praesidendi futuro Capitulo generali, et inquirendi de gestis huc usque in praefatae Constitut. contemptum.

§ 3. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, dictas praeallatas nostras literas, emanatas die VII. iulii an. MDCCLXIII. et in eis contenta quaecumque, quae praesentibus similiter nostris non adversentur, denuo confirmamus et approbamus illasque observandas esse volumus et iubemus. Praeterea dicto venerabili fratri Emanueli Archiepiscopo, et quatenus, quod Deus avertat, Sedes Archiepiscopalis Mexicana tunc vacans extiterit, Vicario capitulari eiusdem Metropolitanae Ecclesiae legitimae deputato ius praesidendi auctoritate nostra apostolica dicto generali capitulo proxime habendo, veris existentibus narratis, eorumque veritate per certas et legitimas probationes comperta, concedimus; ac insuper, praeter alias facultates, auctoritates in praecedentibus nostris literis eisdem iam attributas, ut huiusmodi nostras in forma Brevis expeditas literas publicare ac promulgare; et suo decreto circumscriptis, et abrogatis omnibus novitatibus adversus tenorem et formam constitutionum dicti Ordinis invectis, idipsum superioribus, aliisque omnibus fratribus eiusdem Ordinis, tam in Urbe et provincia Mexicana, quam in Peruano regno existentibus significare, ac notum facere; ut etiam ante convocationem proximi generalis capituli cognoscere, examinare, pronunciare ac definire de iure ac legitima qualitate, et potestate superiorum, aliorumque obtinentium ea dicti Ordinis munera, quibuscumque in capitulo generali ius suffragii coniunctum esse solet, ac insuper supplere et sanare omnes et quoscumque defectus iuris, aut facti, si desuper intervenerint, quoad eos, qui huiusmodi iure dignos in servandis constitutionibus Ordinis, caeterisque christianis virtutibus exercendis se probaverint atque exhibuerint, e diverso contumaces atque inobedientes, aliosque indignos repellere ac removere, aliosque in eorum locum ac munera substituere, prout eis in Domino expedire videbitur; ac ulterius sanare et revalidare omnes et quascumque professiones a fratribus dicti Ordinis interea temporis emissas in manibus superiorum, quos nulliter ac illegitime electos fuisse constiterit.

Itemque facultates impertiuntur prae-

§ 4. Ut demum capitulum generale proxime habendum in civitate Mexicana con-

laudato Archiepiscopo prorogandi capitulum generale, aliasque provisiones capiendi.

vocare, et, si necessarium atque expediens fuerit, ad aliquod breve tempus pro prudenti eius arbitrio et conscientia prorogare, non obstantibus quibuscumque convocatoriis literis a priore conventus civitatis Guatimalae dicti Ordinis interea expeditis, imo non obstante etiam celebratione ipsius capituli, quae earumdem literarum vigore peracta fuisset, idem capitulum rursus ac de novo in eadem civitate indicere et congregare, ac in eo, pro eorum prudentia, pietate et zelo, providere in Domino iis omnibus, quae non solum respiciunt exactam in posterum observantiam constitutionum dicti Ordinis, sed etiam oeconomicam administrationem redituum, eleemosynarum ac redditionem rationis iuxta in dictis constitutionibus praescripta, caeteraque omnia, ex quibus earumdem constitutionum observantiam in pristinum restitui, decus ac quietem dicto Ordini reddi posse in Domino expediens esse iudicabitur, curare ac providere possint et valeant, eidem venerabili fratri Archiepiscopo Mexicano, et, eo non existente et viam universae carnis ingresso, Vicario capitulari praedicto, simili apostolica nostra auctoritate, tenore praesentium, ac de plenitudine potestatis, pro hac vice dumtaxat, et ad effectum praefatum, damus, tribuimus et elargimur.

Clausula sublata, decretum irritans et derogatio contrariorum.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus iis omnibus, quae in praecedentibus nostris praeinsertis literis non obstare voluimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. augusti MDCCLXIV. pontificatus nostri anno VII.

XLVIII.

Confirmat literas Urbani VIII. et Innocentii XI. nec non sententiam Ministri generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum, quoad officium procuratorum generalium provinciarum in Hispaniis et Indiis, et quoad religiosos ex Hispanicis provinciis ad regiam aulam Matriti se se conferentes pro agendis propinquorum vel coniunctorum negociis.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Urbanus VIII. praescripserat quod religiosi huius Ordinis ad aulam regiam Matriti se conferentes stato tempore dumtaxat diversare possent in conventibus Sancti Aegidii, et S. Bernardini.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Lutre frater expresse professus, et procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum, quod alias felic. record. Urbanus VIII. praedecessor noster, per suas in simili forma Brevis expeditas literas die XXVIII. iulii anno MDCXXXVI., motu proprio et ex certa scientia fratribus Discalceatis cuiusvis provinciae Hispaniarum dicti Ordinis, qui pro tempore de superiorum suorum licentia se conferrent ad aulam regiam Matriti pro rebus et negociis suis gerendis, praecepit, ne in alia quam S. Aegidii et S. Bernardini domibus Regularibus eiusdem Ordinis et Instituti in oppido Matriti, civitate nuncupato Toletanae dioecesis existentibus, arbitrio Ministri provincialis provinciae S. Iosephi eorumdem fratrum, diversarentur. Cum vero postmodum existens minister generalis dicti Ordinis frater Ioannes Merinero inter alia statuerit ac ordinaverit, quod religiosi Discalceati exteri aliarum provinciarum, qui in dies pro suis ac suorum parentum seu consanguineorum negociis ad Curiam Matritensem se conferrent, si negocia non admodum urgentia fuissent, per biduum tantum in alterutra ex dictis Regularibus Domibus Matriti commorari; si vero urgentia fuissent, moram viginti dierum ibidem trahere respective valerent; si denique intra viginti dies negocia huiusmodi nullatenus expediri possent, deberent nihilominus iidem exteri fratres e dicta curia migrare, et ad suas regredi provincias, relicta negociorum cura procuratori praefato conventus S. Aegidii:

Deinde idem Urbanus VIII. arbitrio Ministri generalis, vel Commissarii generalis reliquit praefiniendi tempus, quo in praefatis conventibus

§ 2. Statuta, et ordinationes huiusmodi idem Urbanus praedecessor noster confirmavit et approbavit, prout in aliis in dicta forma Brevis expeditis literis die X. decembris MDCXLII. uberius continetur. Sed exortis deinde discordiis, et litibus super enun-

commorare possent exteri religiosi Matriti accedentes.

ciatis Statutis et Ordinibus inter dictam provinciam S. Iosephi ex una, caeterasque Discalceatorum eiusdem Ordinis provincias ex altera partibus, eo quia in tam brevi temporis spatio fratres Discalceati exteri commorantes Matriti in altera ex dictis duabus domibus, non poterant negocia expedire, pro his dirimendis litibus et controversiis ad preces tunc existentis ministri generalis, idem Urbanus praedecessor noster, per alias suas literas in simili forma Brevis datas die v. octobris MDCXLIII., declaravit, quod per praefatam Statutorum et Ordinum confirmationem sublata non fuisset nec esset facultas ministro et commissario generalibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, quominus ipsi in praefatis dispensare possent, ipsorumque ministri et commissarii generalium dispositioni commisit et reliquit, ut pro temporum varietate, rerum exigentia, bonoque regimine, cum opus fuerit, super praemissis dispensarent, et prout plenius in dictis literis contineri dignoscitur.

Innocent. XI. dum Urb. VIII. literas confirmavit, nullam fecit mentionem de superiori facultate Ministro generali et Commissario generali indulta.

§ 3. Instantibus deinde fratribus praefatae provinciae S. Iosephi ac humiliter supplicantibus, fel. rec. Innocentius Papa XI. itidem praedecessor noster per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas die XVII. decembris MDCCLXXIX., primo et secundo super enunciatas dicti Urbani praedecessoris literas, earum tenoribus insertis, confirmavit et approbavit, nulla penitus facta mentione ultimo dictae declarationis dictarum literarum eiusdem Urbani praedecessoris expeditarum sub die v. octobris MDCXLIII. Quocirca ad praecavendas novas lites ac controversias, quae sine dubio inter provincias praefatas exoriturae timebantur, ad supplicationem fratris Petri Exporrin, tunc in Romana Curia existentis procuratoris generalis dicti Ordinis, idem Innocentius praedecessor per alias desuper in simili forma Brevis expeditas literas die VII. novembris MDCLXXIX. declarationem, in ultimo dictis literis Urbani contentam, renovavit, eamque ab omnibus ad quos spectaret, servari voluit, sicut in iisdem Innocentii praedecessoris posterioribus literis plenius habetur.

Dissidia subinde orta ex arbitraria destinatione Procuratoris generalis, qui cunctarum provinciarum in Hispaniis negocia Matriti agerent.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, non obstantibus praemissis, fratres dictae provinciae Sancti Iosephi dicti Ordinis ausi postmodum fuerint unum ex ipsis constituere procuratorem generalem omnium negociorum caeterarum provinciarum Discalceatorum in aula regia Matritensi, cui ab aliis provinciis praefatis committenda esse negocia contendebant, orta idcirco fuit lis, et causa universalis inter dictam provinciam S. Iosephi ex una, caeterasque provincias Discalceatorum eiusdem Ordinis ex altera partibus, coram tunc existente ministro generale dicti Ordinis fratre Ioanne Vermexo, qui suam in varia capita distinctam protulit definitivam sententiam, cuius quatuor praecipua capita sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor sententiae Ministri generalis, qua de enatis dissidiis ius dicitur in posterum servandum.

« Christi nomine invocato. In causa et causis, quae coram nobis versae fuerunt et vertuntur inter fratrem Bernardum a S. Maria procuratorem nostrae provinciae S. Iosephi ex una, et procuratores diversarum provinciarum Discalceatorum Hispaniae et Indiarum ex altera partibus, praevia consultatione et consilio nonnullorum patrum graviorum in Ordine pro exacta dictae causae et causarum definitione, per sequentia procedimus separata capita, videlicet: — I. Quoad subsistentiam et validitatem officii procurae generalis, seu de aula regia, nomine omnium nostrarum provinciarum Discalceatorum horum regnorum Hispaniae et Indiarum, quam suo officio procuratoris nostri conventus S. Aegidii infixam et consolidatam contendit frater Bernardinus a S. Maria, vigore literarum patentium sibi collatarum a R. P. F. Didaco a Portuplano ministro provinciali huius nostrae provinciae S. Iosephi et ea de causa ipsum fratrem Bernardum esse personam legitimam pro tractandis omnibus causis et negociis dictarum nostrarum provinciarum, tam agendo, quam defendendo, nec ad id indigere procura speciali, declaramus hac in parte fratrem Iosephum Torrubia et fratrem Emanuelem a Iesu Maria successorem fratris Bernardi a Trinitate, nomine quinque provinciarum Discalceatorum Hispaniae et Indiarum, pro quibus agunt, rite ac recte suam intentionem ac incumbentia probasse et pro probatis admittimus, dictum vero Bernardum a S. Maria nomine suo, et dictae nostrae provinciae S. Iosephi, hac in parte sibi incumbentia non probasse, proindeque absolvimus dictas nostras provincias in hac causa comparentes ab impetitis per dictum fratrem Bernardum a S. Maria, cui in hac parte perpetuum silentium imponimus, declarantes, ipsum non esse personam legitimam pro tractandis causis et negociis nostrarum provinciarum, earumque superiorum et religiosorum, tam agendo, quam

deferendo, dictasque literas patentes supradicti R. P. Fr. Didaci a Portuplano ministri provincialis provinciae S. Iosephi non fuisse nec esse titulum habilem, legitimum, et de iure requisitum, ad legitimandam dicti procuratoris personam, minusque vota consultiva Mediolanensis nuncupata, quia leges non sunt; mandantes praeterea dicto fratri Bernardo a Sancta Maria, sub poena privationis officii, actisque legitimis, ne a die intimationis huius nostrae sententiae se nuncupare, aut nuncupari facere, audeat, quovis sub praetextu, procuratorem generalem dictarum nostrarum provinciarum Discalceatorum, neque se immisceat, aut ingerat, sine speciali illarum procura, in tractandis earum causis et negociis, neque inquietet aut perturbet procuratores dictarum provinciarum, libero usu earum procurae et commissionum, quibus suffulti ad hanc aulam accedunt; alias praeter processum contra ipsum ad ea, quae iuris fuerint, irritum declarabitur quidquid absque procura agi contigerit. Mandamus quoque R. P. Fr. Didaco de Portuplano moderno provinciali dictae nostrae provinciae S. Iosephi eiusque in officio successoribus, nec non patribus Diffinitorii et Discretorii dictae nostrae provinciae, prout ad quemlibet illorum spectat, quod in posterum nullimode conferant literas patentes tituli procuratoris in aula Regia, ad caeteras provincias extensas; alias, ultra declarationem nullitatis, adversus contrafacientes toto iuris rigore procedemus; reservato tamen iure dictae nostrae provinciae S. Iosephi, ut, in tractandis suis negociis, iure sibi competente utatur, permittimusque ut procurator, quem ipsa provincia habuerit, tractare valeat tam agendo, quam definiendo quaecumque negocia quae a caeteris Discalceatorum provinciis sibi committi contigerit, quo casu commissionis specialis in instantiis et supplicibus libellis nuncupare se valeat procuratorem illius provinciae, a qua mandatum habuerit. – II. Quo vero ad Breve Apostolicum motu-proprio a san. memoriae Urbano VIII. expeditum Romae die XXVIII. iulii MDCXXXVI., confirmatum et insertum in alio Brevi felic. record. Innocentii Papae XI. die XVII. iunii MDCLXXIX., cum illud expresse disponat, de religiosis Discalceatis provinciae Hispaniae ad aulam regiam accedentibus, pro suis rebus negociisque tractandis; declaramus, eos praecise teneri ad hospitandum in altero ex duobus conventibus, aut nimirum S. Aegidii, aut S. Bernardini, iuxta seriem ac tenorem dicti brevis, nec hospitari posse in aliquo alio conventu, minusque in domibus saecularium, nisi ad id specialem habeant licentiam, seu indultum apostolicum, aut alicuius ex sacris congregationibus, quod antea nobis exhibere debeant, ut de illo constet; nobis nostrisque successoribus reservantes declarationem casuum, in quibus pro gravitate negociorum, Ordini aut eorum provinciis comunium, magis expediat, seu necessaria sit commoratio alicuius seu aliquorum religiosorum Discalceatorum dictarum provinciarum in hoc conventu Sancti Francisci, prout a nostris praedecessoribus inconcusse servatum est. – III. Pariter quoad aliud breve eiusdem Urbani VIII. datum die X. decembris MDCXLII. confirmatorium statutorum conditorum a Reverendissimo P. Fr. Ioanne Marinero praedecessore, et supradictum breve Innocentii XI. datum praefata die XVII. iunii MDCLXXIX. in quo de verbo ad verbum inserta leguntur praefata Urbani brevia et statuta, quae ibi denuo confirmantur ad instantiam nostrae provinciae S. Iosephi, mature considerantes, quod dicta statuta et brevia edita sunt pro provinciis Hispaniae, et pro fratribus Discalceatis exteris in dies accedentibus ad hanc aulam regiam pro suis aut suorum parentum et consanguineorum negociis, neque mentio eorum religiosorum, qui aliquando accedunt, seu accedere possunt, missi a suis provinciis cum procurae mandatis vel instructionibus pro communibus earumdem provinciarum negociis, declaramus, praefatos religiosos, qui accedere solent, et in dies accedunt ad hanc regiam aulam pro suis particularibus negociis, aut suorum parentum vel consanguineorum, in dictis statutis brevibusque re ipsa comprehendi, proindeque hospitari debere in alterutro ex conventibus S. Aegidii et S. Bernardini, iuxta formam et tenorem pro tempore, ac sub poenis in iisdem statutis et brevibus contentis, neque moram trahere posse ultra tempus ibi praescriptum, minusque aliquem superiorem dictorum duorum conventuum, aut provincialem nostrae provinciae S. Iosephi, et quemlibet alium eos retinere, aut ut detineantur quovis sub praetextu permittere valere, alias incurrant ipso facto in poenas inibi expressas, etiam unica vice contravenientes; nobis nostrisque successoribus reservantes facultatem, nobis tantum competentem vigore alterius brevis eiusdem Innocentii XI.

incipientis *Alias nos etc.* sub datum VII. novembr. MDCLXXIX. ut dispensare possimus quoad tempus permanentiae cum huiusmodi religiosis hospitibus ad hanc regiam aulam accedentibus pro suis negociis, prout expedire visum fuerit. – IV. Quo vero ad eos religiosos Discalceatos provinciarum Hispaniae huc accedentes, missos a suis respective provinciis, cum eorum mandatis vel instructionibus pro communibus ipsarum seu earum conventuum negociis, declaramus non esse compraehensos in dictis statutis et brevibus apostolicis, proindeque, si quando contingat, sic missos a provincia huc accedere, posse per se ipsos incipere, prosequi et terminare negocia, iuxta sibi mandata et instructiones quas habeant, neque teneri ad servandam formam temporisque praefixionem in dictis statutis et brevibus praescriptas, minusque ad committenda negocia, pro quibus a suis provinciis mittentur, procuratori provinciae S. Iosephi, seu procuratori conventus S. Aegidii, nisi eaedem Hispaniarum provinciae in decursu causarum aliter determinaverint; peractis autem negociis sibi commissis, eos quoque ex tum compraehendi inter illos de quibus in dictis statutis et brevibus disponitur, proindeque ad eorum exactam observantiam tunc teneri et subiici, sub poenis ibi contentis. Specialiter quoque declaramus, quod religiosi Discalceati exteri nullimode eleemosynas petere in hac regia aula, neque illis uti valeant directe aut indirecte in praeiudicium dictorum conventuum S. Aegidii et S. Bernardini: quin imo in hac parte mandamus, ut observentur statuta et laudabiles consuetudines Discalceatorum, quoad territorium et districtum conventuum pro exactione eleemosynarum communium. Et ita definitive pronunciamus, iudicamus atque mandamus. Matriti ex Cella habitationis commissariorum Indiarum die XXV. februarii MDCCXXXIX. — Fr. Ioannes Vermexo minister generalis — Fr. Bonagratia ab Alexandria Testis — Fr. Franciscus Martinez Testis — Fr. Ignatius Arbiel Testis — Loco ✝ Signi — Ita est Fr. Melchior Marquez Pro-Secretarius Generalis Ordinis. »

A qua relata sententia appellatione interposita, causa delata est ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium, et ibidem deserta.

§ 5. Appellatione vero interposita per procuratorem dictae provinciae S. Iosephi adversus eamdem sententiam, delata fuit lis, et causa contestata in secunda instantia coram VV. FF. nostris S. R. E. Cardinalibus, negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositis; ac, licet quoad alia et peculiaria capita lis ista fuerit continuata et definita, in iis tamen quae praeinserta capita respiciebant, interposita appellatio, ut asseritur, deserta inde remansit, dictaque sententia plenam habuit et omnimodam exequutionem. Praedictis omnibus tamen parvipensis, nuperrime existens tunc minister provincialis dictae provinciae S. Iosephi, nonnulla contra expressum eiusdem sententiae tenorem innovare praesumpsit; quapropter reassumpta causae cognitione a dilecto filio fr. Petro Ioannettio de Molina, hodierno dicti Ordinis ministro generali, praefatam sententiam sui praedecessoris, dictus Petrus Ioannettius de Molina minister generalis, quoad dicta capita in omnibus et per omnia, et quibuscumque non obstantibus, exequi mandavit per suum definitivum decretum, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor sententiae confirmatoriae praecedentis.

« Visis his actis a nostro Reverendissimo P. Ministro generali Fr. Petro Ioannettio de Molina, mandavit servari sententiam per Reverendissim. P. Fr. Ioannem Vermexo suum praedecessorem die XXV. februarii MDCCXXXIX. latam, prout hactenus servata est, et RR. PP. Provincialis S. Iosephi, guardianus regii conventus S. Aegidii, aut quilibet alius religiosus subditus, dictae sententiae nullatenus contravenire praesumant sub poena excommunicationis maioris et privationis officio respective. Ita decrevit atque mandavit paternitas sua reverendissima. In hoc conventu S. Francisci Matritensi die XIX. augusti MDCCLXIII. — Fr. Petrus Ioannettius de Molina Minister generalis — Ita est Fr. Christophorus Sanchez Secretarius generalis Ordinis. »

Preces porrectae pro confirmatione supra relata sententia.

§ 6. Ad dirimendas igitur super praemissis omnes controversias, ut praefertur, exortas, idem Ioannes Procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut sententiam et decretum huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire, ac alias opportune in praemissis providere dignaremur.

Pontifex previa confirmatione literarum Urbani VIII. et Innoc. XI., supradictam sententiam confirmat.

§ 7. Nos ipsius Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum in Domino possumus, annuere volentes, eumque a quibuslibet excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis

inclinati, de venerabilium eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii nostri Aloysii Mariae S. R. E. Diaconi Cardinalis Torregiani nuncupati, apud nos et Sedem Apostolicam dicti Ordinis protectoris, attenderunt, consilio, prima dumtaxat quatuor supra praeinserta capita enunciatae sententiae emanatae de anno MDCCXXXIX., auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen in praemissis auctoritate praedictae Congregationis praefatorum Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes literas et omnia et singula in eis contenta et expressa semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii nostri auditores iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quacumque aliter iudicandi et interpretrandi facultate; quod si secus factum fuerit, id omne irritum et inane ad pristinum statum reducere curabimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores pro insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. novembris MDCCLXIV., pontif. nostri anno VII.

XLIX.

Mexicano Archiepiscopo, vel, eo defuncto, Vicario capitulari, facultates speciales impertitur pro proxime convocando capitulo generali Ordinis fratrum Bethlemitarum.

Venerabili fratri Emmanueli Archiepiscopo Mexicano, seu Vicario capitulari, Metropolitana Ecclesia vacante, quod Deus avertat, legitime deputato,

CLEMENS PP. XIII.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Recensetur praecedens Constitutio edita pro futura convocatione Capituli generalis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus a Resurrectione, et Nicolaus a Sancto Francisco de Paula fratres expresse professi Ordinis fratrum Bethlemitarum nuncupatorum, eiusdemque Ordinis, ut ipsi asserunt, Procuratores Generales ad hanc Apostolicam Sedem deputati, nunc autem in Hispaniis commorantes, quod superiori anno emanarunt a nobis literae in simili forma brevis, quibus fraternitati tuae seu Vicario capitulari, metropolitana ecclesia vacante, quod Deus avertat, legitime deputato, ut capitulum generale dicti Ordinis proxime habendum in civitate Mexicana convocare, eique auctoritate nostra praesidere, atque in eo pro tua pietate, prudentia et zelo consulere iis omnibus, quae non solum respiciunt exactam in posterum observantiam constitutionum dicti Ordinis, sed etiam oeconomicam administrationem redditituum, eleemosynarum ac redditionem rationis iuxta in dictis constitutionibus praescripta, caeteraque omnia, ex quibus earumdem constitutionum observantiam in pristinum restitui decus ac quietem dicto Ordini reddi posse expediens esse iudicabitur, curare ac providere, et insuper ante convocationem eiusdem capituli cognoscere, examinare, pronunciare ac definire de iure ac legitima qualitate et potestate superiorum aliorumque obtinentium ea dicti Ordinis munera, quibuscum in capitulo generali ius suffragii coniunctum esse solet, ac insuper supplere et sanare omnes et quoscumque defectus iuris aut facti, si qui desuper intervenerint, quoad eos, qui huiusmodi iure dignos in servandis constitutionibus Ordinis caeterisque christianis virtutibus exercendis se probaverint atque exhibuerint, e diverso contumaces atque inobedientes aliosque indignos repellere ac removere, aliosque in eorum locum ac munera substituere possis et valeas, auctoritate nostra apostolica de plenitudine potestatis concessimus et elargiti sumus, prout latius in dictis nostris literis die XXVIII. augusti expeditis, quarum tenores praesenti-

bus pro expressis haberi volumus, noscitur contineri.

Exponitur quanta cum Ordinis utilitate Capitulum idem celebraretur, si in eo nonnulli designati religiosi interesse possent.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio continebat, summopere utile imo etiam necessarium foret, si eidem capitulo proxime celebrando interessent dilecti filii Ioannes Angelus a Sancto Ignatio, Sebastianus a Matre Dei, Ioachimus a Sancto Iosepho, Ioannes a Iesu et Ascentius a Doloribus, qui pro reparanda regulari disciplina, extirpandisque abusibus et corruptelis, plures labores ac molestias pertulerunt, et se tamquam murum pro domo Israel opposuerunt, et ideo de omnibus, quae ad statum et regimen praedicti Ordinis spectant, probe instructi ac periti ad omnia recte constituenda et bene in futurum disponenda plurimum opera et consilio suo iuvari possent; propterea nos humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra de benignitate apostolica indulgere dignaremur.

Pontifex Mexicano Ordinario facultatem facit admittendi ad futurum Capitulum generale quos utiliores in eo fore prospexerit.

§ 3. Nos igitur, qui prospero ac felici praedicti Ordinis gubernio, eiusque decori atque utilitati, et in pristinum statum restitutioni, quantum in Domino possumus, magis magisque consulere ac prospicere in paternae charitatis visceribus maxime desideramus, praedictos Ioannem Angelum a Sancto Ignatio, Sebastianum a Matre Dei, Ioachimum a Sancto Iosepho, Ioannem a Iesu et Ascentium a Doloribus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, arbitrio fraternitatis tuae, seu Vicarii capitularis, quod Deus avertat, sede metropolitana vacante, legitime deputati, dummodo superius exposita veritati nitantur, quod prius per te diligenter indagari et constatare volumus, ut eisdem Ioanni Angelo, Sebastiano, Ioachimo, Ioanni et Ascentio ius suffragii vel voti, intra aut etiam extra suffragantium aut vocalium a constitutionibus Ordinis praedicti praefinitum numerum, in proximo futuro generali capitulo, si, cum ad te huiusmodi nostrae pervenerint, ipsi vel eorum aliquis, eamdem suffragii seu voti praerogativam per alicuius muneris assequutionem, vel alio aliquo legitimo modo adepti non sint, arbitrio et prudentia tua, vel praedicti Vicarii, prout in Domino magis expedire existimabis, concedas et elargiaris, auctoritate apostolica committimus et demandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinis praefati etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. iunii MDCCLXV., pontificatus nostri anno VII.

L.

Metropolitam et Episcopos Ruthenos laudat de suscepto consilio celebrandi Synodum provincialem, eisque significat, Synodi Praesulem auctoritate apostolicâ constitutum fuisse Nuncium S. Sedis in Poloniâ (1).

Venerabilibus fratribus Feliciano Wolodkowic totius Russiae Metropolitano atque universis Ruthenis Episcopis ritus graeci in provinciali Synodo congregatis,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Magno praecipuoque cum animi nostri gaudio nuper accepimus, fraternitates vestras fidei orthodoxae et disciplinae ecclesiasticae studio, prout bonos vigilesque pastores decet, flagrantes in Synodum provincialem convenire statuisse, ibique opportunis rationibus et remediis operam

(1) Ex V. Monum. Poloniae a P. Theiner collec. etc.

dare, ut abusus, si qui forent in dioecesibus vestris vel temporum calamitate vel hominum fraude invecti, omnino extirpentur, ac purissima religionis facies sine labe aut maculâ ubique splendescat. Pro quo verae pietatis ac pastoralis officii zelo non solum debitas vobis laudes impense tribuimus, sed etiam petimus atque obsecramus in Domino, ut hoc egregium pieque susceptum negocium ad finem usque viriliter perducatis, et abusus praedictos sive inter populos irrepserint sive inter sacros ministros regimini vestro commissos, e medio tolli ac penitus eradicari faciatis. Quod quidem unicum atque ardens desiderium nostrum aperte magis ac fusius vobis explicabit ven. frater Antonius Eugenius Archiepiscopus Ephesinus noster et Sedis Apostolicae in regno Poloniae Nuntius, quem, ut intelligatis quantopere vos amemus, vestramque virtutem quanti faciamus, eidem Synodo adesse ac nostro nomine praesidere voluimus, quo facilius et spiritualibus vestris necessitatibus opem ferre, et caetera omnia sedulo agere ac promovere possit, quae divinae gloriae incremento, animarum saluti et communi vestro bono conducere atque expedire videbuntur. Vestrum igitur erit huic praesuli auctoritate nostrâ suffulto, tum eos honores et reverentiae significationes exhibere, quas praecellentibus eius dotibus et conspicuo quod gerit muneri deberi intelligitis, tum eiusdem monita et consilia benevole excipere in Ecclesiae et nationis vestrae ornamentum haud dubie cessura. Quae dum vos alacri promptoque animo ita praestituros confidimus, ut maiora in dies a nobis laudum praeconia et uberrimam in coelis mercedem consequi mereamini, Deum omnipotentem rogamus, ut sit in medio vestrum, quatenus ad illius iustitiam faciendam vestra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Et fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XV. iunii MDCCLXV., pontif. nostri anno VII.

LI.

Superioribus Ruthenis Ordinis S. Basilii M. praesidem Synodi provincialis a se constitutum manifestat, eosque hortatur ut Synodo intersint, eaque proponant sancienda quae sint cleri et populi moribus reformandis idonea (1).

Dilectis filiis Protoarchimandritae, Provincialibus et Consultoribus Ruthenis Ordinis S. Basilii Magni,

CLEMENS PP. XIII.

**Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.**

In summo apostolatus vertice collocati nihil magis prae oculis habemus atque animo concupiscimus, quam Ecclesiam catholicam, Iesu Christi Sanguine fundatam et sanctissimis legibus institutam, sincerâ fidei observantiâ morumque illibatâ florere disciplinâ. Quare, cum venn. fratres nostri Rutheni Episcopi, eiusdem fidei vinculo nobiscum arcte coniuncti, in Synodum provincialem convenire decreverint, ut propriis gregibus, si quis unquam abusus inter illos irrepserit, remedium afferant, atque orthodoxae religionis cultum integrum ab omni labe custodiant; nos eiusmodi egregium piumque consilium et valde probavimus et negocium dedimus ven. fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino, nostro et Sedis Apostolicae in regno Poloniae Nuntio, ut praefatae Synodo intersit, eique praesidens auctoritate nostrâ sedulo promoveat quaecumque cognoverit apprime utilia vel religionis bono, vel nationis Ruthenae commodo atque ornamento. Verum, dilecti filii, cum vestra quoque auctoritas, doctrina ac prudentia haud parum huic sancto operi conferre valeat, ideo vos in Domino hortamur ac petimus, ut, quemadmodum alias impigre fecistis, eidem Synodo adesse atque in medium proferre velitis quidquid opportunum videbitur tum Dei gloriae amplificandae, tum cleri et populi moribus reformandis, ne sordes neglectae in morbum evadant, et gravius inde discrimen oriatur. Cui desiderio nostro dum plane confidimus vos alacri obsequio satisfacturos, a Deo Patre luminum vobis interea caelestium donorum copiam precamur, et apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XV. iunii MDCCLXV., pontif. nostri anno VII.

---

(1) Ex Monum. Poloniae a P. Theiner collec. etc.

LII.

Ignatium Gioar Patriarchatus Antiocheni invasorem excommunicationis poena plectit (1).

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, nec non dilectis filiis clero saeculari et regulari, et populo catholico nationis Graeco-Melchitae,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Suum gaudium patefacit Pontifex pro restituta tranquillitate nationis Graeco-Melchitae.

§ 1. Inter plurimas, quibus distringimur curas in hoc supremi apostolatus officio divinitus nobis, licet immerentibus, demandato, non mediocre quidem ex eo solatium capiebamus, quod natio vestra catholica, gravissimis perfuncta discordiis, in pacem denique et spiritus unitatem coaluisset, ac legitimo suo Patriarchae Theodosio a nobis confirmato debitum filialis obedientiae obsequium, nemine prorsus repugnante, tribuisset.

Quod sane gaudium intermissum fuit arbitraria Ignatii Gioar patriarchalis Antiochenae dignitatis occupatione.

§ 2. Verum Ignatius Gioar Ecclesiae Sidoniensis Episcopus, qui et antea Patriarchatum Antiochenum illicite et contra canonicas sanctiones occupaverat, hanc nobis inopinato consolationem eripuit, et vos iterum in saevas et deplorabiles dissentionum procellas coniecit. Siquidem homo subdolus et vana arrogantia tumidus, non iudicium veritus Sedis Apostolicae, aut sententiam a nobismetipsis praevio maturo examine solemniter pronunciatam; neque benignitate nostra delinitus, qua tamquam filius prodigus et humaniter fuit acceptus, et nova stola coopertus, fidem verbis et scripto praestitam, ac bis etiam iuramento

---

(1) Electionem huius Patriarchae intrusi alias nulliter ab Antistitibus nationis Graeco-Melchitae factam cassavit et annullavit Pontifex hic per literas anni MDCCLX. die I. aug. relatas supra p. 49, Archiepiscopos et Episcopos huius nationis ad concordiam et pacem, nec non observantiam erga legitimum Patriarcham a S. Sede institutum hortatus est Pontifex per literas relatas in notis const. *Romani Pontificis*. Ex Reg. Vat. ep. ad Principes anni VIII., p. 41, collegimus seq. literas.

Sum. P. temporali in Graeco-Melchitas Principi excommunicationem Patriarchae intrusi participat, eiusque requirit auxilium favore legitimi Patriarchae a Sancta Sede instituti.

Nobili ac Potenti Viro Ali Gemblat,

CLEMENS PAPA XIII.

Nobilis et Potens Vir, salutem et lumen divinae gratiae.

Quae contra intrusum Patriarcham a S. Sede gesta sunt exponit.

§ 1. Compositis rebus Patriarchatus Antiocheni, atque omni e medio controversia sublata, quae populum Graeco-Melchitam huic Sedi Apostolicae unitum in partes distraxerat, nullum amplius dissentionibus et concertationibus locum relictum esse putavimus. Verum opinionem hanc nostram statim ex improviso fefellit Ignatius Gioar Episcopus Sidonensis, qui nefaria percitus ambitione in pseudo-patriarcham se rursus et erigere, flagitiosissimum schisma renovare non dubitavit, nihil veritus perfidiae culpam, qui de patriarchali dignitate non amplius ambienda fidem verbo datam et scripto, atque etiam iuramento sancte firmatam impudentissime frangeret. Itaque audito detestabili eiusmodi scelere vehementer commoti sumus, eamque rationem ineundam existimavimus, qua hominis amentis retundatur audacia iique omnes coerceantur, quos sui furoris socios habet et adiutores. Quamobrem anathematis poena districtos et a caetu fidelium separatos tum memoratum Ignatium, tum eius socios, fautores, atque electionis complices pro auctoritate nostra declaravimus; mandantes insuper omnibus et singulis Graeco-Melchitis, qui Romanae Ecclesiae fidem orthodoxam sectantur, ut ab eorumdem consortio abstineant, et vero legitimoque Patriarchae ven. fratri Theodosio solummodo adhaereant.

Potentis huius Principis auxilium requirit contra intrusum Patriarcham, et favore alterius a S. Sede instituti.

§ 2. Sed cum eiusmodi mandatis implendis auctoritas tua, nobilis et potens vir, maximum momentum possit afferre, propterea enixe rogamus, ut legitimo Patriarchae Theodosio praepotenti ope tua adesse velis, atque omni studio prohibere, ne pseudo-patriarcha Ignatius vel eius iuribus noceat, vel populi tranquillitatem et pacem perturbare praesumat. Quod ut confidimus te libenter facturum pro tua summa humanitate studioque iustitiae, quam te novimus colere magna tui cum laude, ita operam nostram pollicemur in rebus omnibus, quas tibi gratas acceptasque fore sciemus. Atque interim tibi a coelesti patre luminum verae felicitatis agnitionem adeptionemque precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLXV., pontificatus nostri anno VIII.

Eadem quae superius, scribit etiam Emiro Mansur Alceabi.

Illustri ac potentissimo Emiro Mansur Alceabi,

CLEMENS PAPA XIII.

Illustris ac potentissime princeps, salutem et lumen divinae gratiae.

Post compositas, ut existimabamus, discordias inter clerum et populum Graeco-Melchitam huic Sedi Apostolicae in fidei unitate sociatum, qui ven. fratrem Theodosium pro legitimo suo Patriarchâ iuxta sententiam a nobis solemniter prolatam agnovit, ecce iterum Ignatius Gioar Episcopus Sidoniensis, qui verbo et scriptis de patriarchali dignitate non ultra ambiendâ fidem obstrinxerat, ac semel atque iterum iuramento firmaverat, in pseudo-patriarcham seipsum erigit, et nonnullorum ope adiutus, quos habet sui sceleris socios et adiutores, Ecclesiae Antiochenae pacem et concordiam turbare conatur. Cuius incredibilis audaciae simul ac nuncium accepimus, et animi nostri dolorem testati sumus, et iis remediis utendum esse duximus, quae tam gravi facinori puniendo aptiora atque opportuniora videbantur. Itaque anathematis vinculo al-

firmatam de patriarchali dignitate non ulterius ambienda, et venerabili fratre Theodosio in suum et nationis caput agnoscendo per summum scelus perfidissime violavit et fregit; vaesanaque stimulante ambitione et effrenata dominandi libidine, nihil animae suae, nihil gregis universum interitum pertimescens, nullum non lapidem movit, ut cathedram patriarchalem contra omne ius fasque denuo invaderet, et sacrilegam de se renovari electionem curaret, quemadmodum per nonnullos, quos habet sceleris sui socios et adiutores, iam factum intelligimus, ac vobis omnibus luce clarius est manifestum.

Pontifex Ignatii electionem proscribit, eumdemque et illius electores excommunicatos vitandos declarat.

§ 3. Quo tam diro ac nefario scelere in publicam vulgi famam deducto, ac nobis renunciato, haud potuimus ex intima cordis nostri amaritudine non ingemiscere, cernentes hoc ausu temerario non solum leges humanas et divinas proculcari, sed in domum Dei etiam induci gravissimum scandalum cum ingenti animarum et fidei orthodoxae periculo. Ut igitur ingravescenti huic malo validis opportunisque remediis occurramus, primum tenore praesentium decernimus et declaramus, novam electionem Ignatii Gioar Episcopi Sidoniensis sub die v. februarii vertentis anni, seu alio veriori tempore factam, notorie esse nullam, illicitam, sacrilegam, schismaticam et contra Sedis Apostolicae et sacrorum canonum sanctiones nefarie attentatam; deinde ipsum Ignatium, nec non Episcopos et caeteros omnes, qui operam, consilium, auxilium, incitamentum huic execrando atque undique notorio facinori quomodocumque praebuerunt, in maiorem excommunicationem latae sententiae huic Sedi Apostolicae reservatam manifesto incidisse, statuimus et pronunciamus; et proinde pro excommunicatis anathematizatis, et ab Ecclesiae Catholicae sinu separatis, et solemniter segregatis eosdem ab omnibus haberi volumus et iubemus.

Ignatio eiusque fautoribus episcopalis et sacerdotalis dignitatis exercitium interdicit, et quamlibet cum illis spiritualem communication. prohibet.

§ 4. Mandantes praeterea, districteque prohibentes tam praedicto Ignatio, quam Episcopis illi adhaerentibus, ne ullo pacto aut chrisma conficere, aut clericos ordinare, aut virgines consecrare, aut alia quaelibet episcopalis et sacerdotalis Ordinis munera exercere audeant, donec sincera poenitentia ducti resipiscant, et necessariam absolutionem a praefatis censuris nobis tantummodo reservatam obtineant. Vobis autem, ven. fratres et dilecti filii, quotquot clerum et populum Graeco-Melchitam constituitis et fidem catholicam profitemini, serio iniungimus et vetamus sub poena maioris excommunicationis ipso facto incurrendae, et nobis ac S. Sedi reservatae, ne unquam Ignatium pro Ecclesiae vestrae Antiochenae Patriarcha habeatis, neve cum eodem, sive cum eius fautoribus, et nefariae electionis complicibus, ullo modo et praesertim in divinis communicetis aut ab ipsis, cuiuscumque sint gradus et dignitatis, Sacramenta et Ordines accipiatis.

Obedientes Episcopos obsecrat, ut in fide et observantia erga S. Sedem persistant.

§ 5. Noverint quippe omnes, qui deinceps Ordinibus vel ab ipso Ignatio, vel ab aliis quibuscumque, uti superius declaravimus, anathemate percussis initiati fuerint, suspensionis se vinculo adstrictos, atque irregularitati praeterea obnoxios fore, si contra ius fasque susceptos Ordines exercere praesumpserint. Reliquum est, ut sollicitudini et curae, qua pro paterno erga vos singulos et universam gentem vestram flagrantissimo amore nostro, de aeterna omnium vestrum salute suscepimus, omnia quoque fidei vestrae et obedientiae studia et officia respondeant, ita ut unquam a recto tramite declinetis, neque eorum vocibus aurem praebeatis, qui in ovile Dominicum non per ostium quod Christus est, sed aliunde per vim et scelus irrumpere conantur. Miserae namque ac prope incredibilis esset caecitatis, si propter insana molimina unius hominis ambitione aestuantis, et Dei Ecclesiam lacerare haud timentis,

---

ligatos et a fidelium coetu segregatos tam dictum Ignatium quam eius socios, fautores atque electionis complices pro auctoritate nostrâ declaravimus, iniungentes insuper omnibus et singulis Graeco-Melchitis cuiuscumque ordinis, qui Romanae Ecclesiae fidem orthodoxam sectantur, ut ab eorumdem consortio abstineant, et ven. fratri Theodosio, qui legitimus et verus Patriarchâ est, tantummodo adhaereant. Sed cum ad haec omnia recte adimplenda celsitudinis tuae plurimum conferre possit auctoritas, ideo te, quem iustitiae cultorem et optimae causae Theodosii valde propensum esse novimus, impense rogamus, ut eundem fovere atque in pleno suo iure conservare velis, tum Ignatii furorem coercendo, tum clerum ac populum Graeco-Melchitam adigendo, ut nullum alium nisi Theodosium pro suo Patriarchâ et legitimo Ecclesiae Antiochenae pastore agnoscere praesumat. Quod ut confidimus te libenter facturum pro perspectâ aequitate tua atque egregiâ animi indole, ita operam nostram haud defuturam promittimus in rebus omnibus, quas tibi gratas acceptasque fore sentiemus. Atque interim celsitudini tuae a caelesti Patre luminum veram felicitatis agnitionem adoptionemque precamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLXV., pontificatus nostri anno VIII.

spem vestrae felicitatis aeternae in discrimen vocare et animarum iacturam facere preoptaretis, ac vobis tandem, venerabiles fratres et dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLXV., pontificatus nostri anno VIII.

LIII.

Super observantia ieiunii peculiares declarationes pro christifidelibus in Indiis commorantibus praebet: apostolicas constitutiones hactenus editas in memoriam rediget, illarumque observantia praescribit.

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Universalis Ecclesiae cura ab omnipotenti Deo, qui mirabili dispositione infirma eligit, humilitati nostrae commissa, inter caetera officii nostri munera exigit praecipue, ut ad remotissimas catholici orbis regiones, earumque praesules in partem sollicitudinis nostrae vocatos, aliquando conversi, eos in exequendo pastorali debito confirmaremus, animumque illic addamus et robur, ut ipsi subditos fideles omni doctrina, qua eos ad aeternam salutem informari oportet, plene instruant, et ea quae ab Apostolica Sede circa ecclesiasticorum praeceptorum observantiam prodiere iudicia, illis annuntiari sedulo studeant.

Preces porrectae ad hoc, ut praecedenter evulgatae constitutiones super ieiunii observantia etiam in Indiarum regionibus ex Sanctae Sedis iussu publici iuris fiant.

§ 2. Nuper siquidem dilectus filius magister Thomas Azpuru unus ex auditorii causarum palatii nostri apostolici auditoribus, et cappellanus familiarisque noster, carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum Indiarumque regis catholici nomine nobis exposuit, eas canonicas sanctiones et declarationes adversus abusus, qui circa ieiunii quadragesimalis observantiam irrepserant, ac insuper de ipsius ieiunii disciplina conservanda, et dispensationibus concedendis, earumque usu, ab Apostolica Sede hactenus editas in amplissimis Indiarum illi subiectarum partibus minime fuisse publicatas, valdeque optabile fore, ut illas in ordinem redactas, novis nostris complecteremur literis, quaeque alias ex urgentibus causis ab Apostolica Sede elargita fuit, parem dispensandi facultatem in regione itidem sibi subiecta concederemus, atque instauraremus pariter, ut, quemadmodum a praedecessoribus nostris demandatum fuit, verbi Dei concionatores animarumque rectores palam in ecclesiis christianam doctrinam edoceant, et evangelicae veritatis institutiones explicent.

Pontifex praecedentes apostolicas constitutiones praesentibus inseri iubet, ut una cum hisce legem faciant.

§ 3. Quare nos, qui religiosi piique regis admirabilem erga subditas sibi gentes vigilantiam et zelum summum laudibus merito prosequi non desistimus, nulla interposita mora, et illius petitioni et supremi nostri pontificatus muneri plene cumulateque ducimus satisfaciendum. Et quoniam felicis record. Benedictus Papa XIV. immediatus praedecessor noster ab sui pontificatus primordio, et subinde iuxta opportunitates, tribus suis literis, quarum duae encyclicae sunt, nedum abusibus adversus ieiunii quadragesimalis observationem invectis providere sategit, verum etiam aliqua dubia tum circa unicam diebus ieiunii comestionem ab omnibus iis etiam, quibus ob iustas causas esus carnium et ovorum permissus foret, servandam, tum super debito non commiscendi epulas declaravit, nosque pariter per similes nostras literas alias obortas praevaricationes eliminare curavimus. Cum in eis abunde proscriptis abusibus catholicae Ecclesiae tradatur disciplina, dubitationesque sublatae comperiantur, satius esse arbitramur literas easdem hisce novis inserere. Tenor priorum literarum Benedicti XIV. talis est, videlicet:

Tenor literarum Benedicti XIV. die XXX. maii MDCCXLI.

« Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus Benedictus Papa XIV. Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Non ambigimus, venerabiles fratres, etc. *Reliqua vide in supplem. vol. III., pag.* 711. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die trigesima mensis maii millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pontificatus nostri anno primo. » *Sequuntur secundae literae.*

Tenor aliarum literarum Benedicti XIV. die XXII. augusti MDCCXLI.

« Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus Benedictus Papa XIV. Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. In suprema universalis Ecclesiae procuratio-

ne etc. *Reliqua vide in supplem. vol. III., pag.* 713. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. mensis augusti MDCCXLI. pontificatus nostri anno secundo. » — *Tertiae demum sic se habent:*

Itemque aliarum praelaudati Ben. XIV. die VIII. augusti MDCCXLIV.

« Venerabili fratri Archiepiscopo Compostellae Benedictus Papa XIV. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Si fraternitas tua etc. *Reliqua vide in supplem. vol. III., pag.* 714.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. iulii MDCCXLIV., pontif. nostri anno quarto. » — *Tenor nostrarum literarum.*

Tenor literarum huius Pontificis die XX. Dec. MDCCLIX.

« Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, Clemens Papa XIII. Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Appetente sacro quadragesimali tempore etc. *Reliqua vide supra pag.* 35.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, die XX. decembris anno MDCCLIX., pontificatus nostri anno secundo. » —

Pontifex Archiepiscopis et Episcopis in Indiis commorantibus praescribit relatarum literarum evulgationem et observantiam.

§ 4. Omnia itaque et singula in praeinsertis quatuor literis contenta novo apostolicae nostrae auctoritatis robore confirmantes, venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Sancti Dominici in Insula Hispaniola nuncupata dicto Caroli Regi subiecta, nec non alios in illius Indiarum regnis et dominiis Archiepiscopos et Episcopos enixe in Domino hortamur, et, quatenus opus sit, eorum singulis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et iniungimus, ut ipsi ea omnia, quae in singulis praeinsertis literis continentur, solemniter publicare, et pro eorum in pastorali munere exequendo commendata sollicitudine ab ipsorum respective subditis personis observari curent, si qui vero voce vel scripto contrarium assererent, eos auctoritate etiam nostra compescant, satis muneri nostro fecisse videremur, nisi aeque opportunum foret eisdem Archiepiscopis et Episcopis, quae constans sit Apostolicae Sedis disciplina in solvenda a cibis quadragesimalibus civitate aliqua vel dioecesi aut integra regione, specialiter tradere; et quamvis id in prioribus dicti Benedicti praedecessoris breviter attingatur literis, nihilominus cum in iis, quae aptae ac sufficientes ad dispensationem huius generis impetrandam penes Apostolicae Sedis iudicium censeantur causae, quique modus in illis concedendis adhibendus traditum minime fuerit, id praesentibus enunciare intendimus.

Enumerat causas cur dispensatio a ieiunio fuerit a Sancta Sede indulta, et carnium usus permissus.

§ 5. Compertum siquidem est, quod causae absolutae sufficientes habitae nunquam fuere, si forte pisces vel ova caro pretio venderentur, vel exercitu aliquo in ea regione stationem habente, milites infra abstinentiae leges minime se se continerent. Verum duae potissimum ad generalem dispensationem ab Apostolica Sede impetrandam sufficientes visae sunt causae. Prima nimirum fuit deficientia piscium, olei et herbarum, adeo, ut re ipsa non suppeterent ea, sine quibus quadragesima observari nequit. Itaque illius loci incolis, in quo nec pisces, nec oleum comparari potuerunt, defueruntque altera, permissum fuit, ut lacte et ovis uterentur. Verum quatenus ea omnia deficerent, tunc carnis edendae facultas concedi censuerit, interposita semper ieiunii servandi conditione. Altera censita fuit, si morbus in eo loco invaleret, ut medicorum iudicio assereretur illis ipsis, qui inter cives et incolas sani et integri enumerabuntur, perniciem imminere, plurimumque ad luem repellendam et evitandam proficuum futurum, si tum debiles tum sani a piscibus et oleo, et quandoque pariter a lacte et ovis, abstinerent. Vigente alterutra ex praemissis causis, loci Episcopus dispensationem ab Apostolica Sede expostulare, et de gravissima urgentique necessitate suum perhibere testimonium, et, si de ingruente morbo ageretur, praestantiorum medicorum iudicium scripto emissum accedere debuit. Neque id hactenus tanti fuit momenti, ut carnes permitterentur, quoties lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tunc vero facultas edendi carnes tribui consuevit, cum, interposito Episcopi testimonio, hoc omnino necessarium iudicaretur. Certi etiam dies praescripti fuere, quibus integra abstinentia servaretur, nempe die Cinerum, diebus quatuor temporum, vigiliis de praecepto servandis, maiorique hebdomada a Dominica Palmarum; aliquando itidem abstinentia praescripta fuit singulis feriis sextis et sabbatis, etiamsi facultas tradita ad lactis et ovorum usum solum extenderetur. Tandem ea semper in hisce addita comperitur conditio, ne lex unius quolibet die comestionis ullo modo violaretur, ac neque carnes et pisces simul ederentur.

Archiepiscopos et Episcopos in Indiis hortatur, ut ieiunii observantiae incumbant, et relaxatam fortasse hac de

§ 6. Reliquum nunc est, ut, quoad ieiunii quadragesimalis in illis Indiarum partibus observantiam ipsis Archiepiscopis et Episcopis, quos doctrinae laude et ecclesiastico spiritu praestantes probe commende-

re disciplinam pro viribus corrigant.

mus, quod ipsi huic institutioni servandae, et, quatenus opus esset, reparandae sedulas conferant curas et subiectos populos ad impositam illis disciplinam pie religioseque observandam inclinare contendant. Nec indulgenter petendae facultatis utendi lacticiniis vel carnibus quadragesimae tempore pro universa civitate et dioecesi, vel regione aliqua, negotium suscipiant. Verum cum illi ob praemissas vel alias aeque urgentes, causas eorum populos quadragesimali abstinentia solvi posse in Domino extimaverint, nos eorum petitiones, animique sensus, habita remotarum ratione regionum, a quibus annis singulis haberi nequit ad Apostolicam Sedem recursus, excipientes, rationumque momentis, quae nobis significata fuerint, serio perpensis, opportunas facultates, ut populorum indigentiis consultum sit, illis addere non omittemus.

Peculiares provenientiae imploratae a cathol. Rege pro Insula Hispaniol. super dispensatione a ieiunio.

§ 7. Interim autem quia pro parte ipsius Caroli Regis ad impetrandam in dicta insula Hispaniola illi in temporalibus subiecta generalem ab observantia ciborum quadragesimalium dispensationem nobis etiam expositum fuit, veneficam piscium in ea regione vigere qualitatem, et exiguum esse piscatorum numerum, qui longe ab Insula piscantes pisces deferunt, ob nimium calorem, aut fetentes aut corruptos, eas quoque gentes paupertate pressas ad oleum sibi ipsis comparandum impares esse, deficere demum olera et legumina, quae illic facile putrescunt, vel a vermibus absumuntur, neque in huiusmodi necessitatis eventum ab adeo remota regione haberi posse annis singulis ad Apostolicam Sedem recursum:

Pontifex peculiares facultates indulget Episcopo S. Dominici in Hispaniola super petita dispensatione a ieiunio.

§ 8. Nos eiusdem Caroli Regis votis hac quoque in parte obsecundare volentes, dicto Archiepiscopo Sancti Dominici in eadem Insula Hispaniola dicto Carolo Regi subiecta, eiusque successoribus pro tempore existentibus, facultatem concedimus per praesentes, ut quatenus in ea insulae parte, ubi ipse ordinariam ecclesiasticam et spiritualem exercet iurisdictionem, in casu verae et ineluctabilis necessitatis, ac de anno in annum tantum, praefataque vera necessitate durante, et non aliter, nec alio modo possit et valeat cum fidelibus populis eius regimini commissis dispensare super esu ovorum et lacticinorum, ac etiam carnium, tempore quadragesimali, indicta simul cum huiusmodi dispensatione observantia ieiunii per unicam comestionem, onerataque istius Archiepiscopi conscientia, si adamussim iuxta praescriptum concessa facultate non uteretur.

Archiepiscopis et Episcopis iniungit ut sedulo curent verbi Dei prædicationem, et evangelii populo explicationem quo firmius in fide persistant.

§ 9. Quoniam vero bonum semen sacrae doctrinae in Agro Dominico serendum est, ut exinde uberes fructus piorum operum, et sedulae divinorum et Ecclesiae mandatorum observantiae percipiantur, propterea, si christianae fidei mysteria, evangelica veritas, et catholicae Ecclesiae leges omnes assidue exponentur ab animarum rectoribus, fideles illos nedum quadragesimale ieiunium, sed et caetera praecepta prompto alacrique animo sub suavi Christi iugo servaturos esse confidimus. Etenim cum humana cogitatio prona sit ad malum ab adolescentia sua, murum opponere oportet verbi Dei. Idcirco inhaerentes quoque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et signanter Benedicti XIII. per eius literas in forma Brevis sub datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV. augusti, MDCCXXVIII., pontificatus sui anno quinto expeditas, dispositionibus, atque in id omnem sollicitudinem conferentes, ut fideles assidue divini verbi virtute excolantur, eisdem Archiepiscopis et Episcopis etiam iniungimus, ut sedulo curent atque praecipiant, quod animarum rectores palam et publice in ecclesiis singulis dominicis, aliisque festis diebus, populo inter missae sacrificium sanctum explicent evangelium, opportunisque quadragesimae maxime et adventus recurrentibus temporibus, ne messis, quam praeparavit Dominus, ob operariorum defectum arescat, in Agro concionatores abundent. Ac insuper statuant et mandent, quod ipsi rectores et concionatores omnes, etiam in panegyricis, absoluta expositione eorum, quae sibi ipsis proponant, rursum assumpto loquendi themate, aliquem christianae doctrinae articulum aut divinae legis praeceptum, prout animarum necessitatibus opportunius esse censuerint, simplici, plano apertoque stylo, ac iuxta catechismum ex decreto Concilii Tridentini, iussu Sancti Pii Papae V. praedecessoris et nostro iterum editum, tradant et explicent: inobedientes, si qui forent, coerceant non modo vetita eis praedicandi et ministrandi verbi Dei facultate, sed uti opus esset ecclesiasticis etiam adhibitis censuris.

Clausula sublata, et decretum irritans. Derogatio contrariorum, et fides transumptorum.

§ 10. Decernimus demum, praesentes nostras literas semper et perpetuo firmas et efficaces esse et fore, suumque plenarium et integrum effectum sortiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quo-

quam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus ac respective firmis et salvis remanentibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et omnibus illis, quae per praesentes non obstare ac respective firma et salva esse et fore declaravimus. Volumus autem, ut eaedem praesentes in locis singulis, ubi opus fuerit plene innotescant, quod ipsarum exemplis etiam impressis, a notario publico subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrum infringere, vel ei quovis ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCLXV., XIV. kalendas septembris, pontificatus nostri anno VIII.

LIV.

Demandat observantiam apostolicarum constitutionum, ne liceat defunctorum sepulturam permittere in caemeteriis ecclesiarum Monialium Cappuccinarum in civitate Guatimalae.

Venerabili fratri Episcopo Guatimalensi,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Preces porrectae pro observantia constitutionum apostolicar. quoad defunctor. sepulturas.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Moniales Ordinis Sancti Francisci Cappuccinae nuncupatae civitatis Guatimalensis, quod nonnulli devotionis causa de licentia suorum superiorum exoptant eorum cadavera sepeliri, non solum in caemeteriis sitis subtus earum ecclesiam, verum quoque sub inferiori choro, et in proprio caemeterio dictarum Monialium. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, haec omnia adversentur constitutionibus apostolicis et praesertim Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, ac inde plura, quae non conveniunt ipsarum regulari et strictae observantiae, et incommodum ipsis afferre solent, obveniant: Nobis propterea dictae Moniales humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex Episcopo Guatimalensi iniungit observantiam apostolicarum constitutionum quoad sepulturam defunctorum.

§ 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut dictas constitutiones exequi et omnino servari auctoritate nostra apostolica tenore praesentium praecipias, nec quidquam in contrarium attentari ac praesumi pro tua prudentia et Ecclesiae Dei zelo ac quiete et bona directione earumdem Monialium permittas.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque in contrarium generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti monasterii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis denique, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die X. ianuarii MDCCLXVI. pontificatus nostri anno VIII.

LV.

Designato Episcopo Quebecensi, qui plures postulationes Pontifici direxerat, respondet, postulationesque ipsas resolvit.

Dilecto filio Oliverio Du Briand Quebecensi Episcopo Designato,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Difficultates concrediti illi episcopatus designat Pontifex, eumdemque hortatur, ut alacri animo susceptum opus impleat.

§ 1. Si quantum aerumnarum sit perpessurus, cogitare illum oportet in primis, qui Episcopatum velit suscipere; tibi profecto gravissimum regendae Quebecensis Ecclesiae onus subeunti non mediocrem obiicere debuit sollicitudinem illa consideratio, id tibi muneris esse gerendum in magnis asperitatibus rerum et difficultatibus temporum; totoque tibi paratos esse labores corporis et animi contentiones, ut plus oneris quam pars virilis postulat, impositum tibi fuisse videatur. Sed egregia tua in Deum pietas, et procurandae proximorum salutis amor, et adsiduum precandi studium illam a Dei misericordia tibi gratiam eliciat, quae opportune tuas recreet vires, et, ubi intentiones tuae sint purae, ibi validiore praesto tibi fuerit Deus auxilio. Nobis quidem de eximia pietate et sapientia tua, et sanctificandarum animarum flagranti cupiditate, qua te mire incensum novimus, cogitantibus, magna spes est, episcopales labores tuos in Quebecensi Ecclesia christianae rei magno futuros emolumento, cuius ecclesiae conveniendae interea Deum precamur, ut, secundissima navigatione perfuncto, det tibi Deus celerem copiam.

Referuntur Episcopi postulata et pontificiae resolutiones.

§ 2. De tuis postulatis, illa quidem sunt eiusmodi, ut saluti animarum, et ecclesiasticae illius cum stabilitati tum dignitati congruere videantur. Et quod ad primum attinet, per Congregationem VV. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositam ad te mitti iussimus documentum facultatis, quam ob praecipuas causas a te nobis expositas tibi concessimus dispensandi in secundo consanguinitatis et affinitatis gradu. Deinde iubilei bullam, sub nostri pontificatus initium a nobis editam, iussu nostro memorata Congregatio curabit ad te perferri, ut Iubileum, cui nullus in Canadensi Regione proximo iactata bello esse potuit locus, in ecclesia et dioecesi Quebecensi denuo publicetur. Perplacuere tertium postulatum tuum et ultimum, et tertio quidem declarari nobis aequissimo rogas iure, capitulum, quod vectigalibus et redditibus, quibus antea fruebatur, eversum sit, idcirco non censendum esse deletum. Disertis igitur verbis edicimus et declaramus, capitulum Quebecense statum suum non amisisse, sed nihilo firmum minus quam antea etiam nunc retinere semperque in posterum retenturum; adeoque canonicos eiusdem capituli in Domino adhortamur ut eosdem habeant, quos antea soliti erant habere conventus, et saltem in solemnibus festis diebus adsint sacris functionibus quae vel in cathedrali, vel alia quavis ecclesia, si ita res ferat, ab Episcopo adsignanda, celebrabuntur. Postremo de coadiutore tibi constituendo, libenter tibi morem geremus, ubi nobis proposueris virum dignis eo munere virtutibus praeditum, quem praeterea Nuncius noster, qui Lutetiae Parisiorum Apostolicae Sedis gerit negotia, probaverit. Denique tibi, dilecte fili, benevolentiae erga te nostrae pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCCLXVI., pontificatus nostri anno VIII.

LVI.

Concessio indulgentiarum et privilegiorum pro religiosis Societatis Iesu in Indiis catholicam fidem praedicantibus, aliisque dictae Societatis religiosis in iis partibus immorantibus, et tandem pro singulis christifidelibus in regionibus ipsis degentibus.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Animarum saluti paterna caritate intenti, supplicationibus dilecti filii Laurentii Ricci Societatis Iesu praepositi generalis nomine nobis super hoc humilliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus Christifidelibus in quibuscumque orientalibus vel occidentalibus Indiis, aut Brasilia vel Sinarum, aliisque maris Oceani regionibus constitutis praesentibus et futuris vere poenitent., et confessis, ac sac. communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate et idololatria ad veri Dei cogni-

Enumerat Pontifex indulgentias tam plenarias, quam temporarias.

tionem reduxerint, plenariam; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis die S. Thomae Apostoli in Indiis praefatis aliquam ex certis dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu ecclesiis illarum partium Deo vel in honorem Sanctorum erectis; nec non omnes et singulas huiusmodi ecclesias collegiorum, domorum et residentiarum eiusdem Societatis regionum praedictarum saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas singulis annis quatuor diebus festis Domini nostri, B. M. Virginis, aut Sanctorum per dictae Societatis praepositum generalem designandis visitantibus, et inibi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumentibus, et pro gentilium et haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam; omnibus etiam et singulis tam presbyteris, quam aliis de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae regione, vel Oceani Insula, aut navigatione pro fidei negotio eundo vel redeundo mori contigerit, in cuiuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis et confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter.

Peculiares indulgentiae conceduntur scholaribus praefatae societatis in utraque India.

§ 2. Scholaribus vero in utraque India existentibus, ac confraternitati B. Mariae Virginis inibi canonice institutae adscriptis, qui in Annunciationis et Assumptionis ipsius B. Virginis festis dictum sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et coronam vel tertiam partem Rosarii recitaverint; nec non utriusque sexus christifidelibus aliquam ex confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in festivitate Sanctissimi Corporis Christi, et illius octava, poenitentes similiter et confessi idem sacrosanctae Eucharistiae sacramentum sumpserint, et in cuiuslibet eorum mortis articulo etiam poeniten. et confessis, ac sacra Communione refectis, aut saltem contritis, si confiteri et communicare non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis scholaribus eiusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis eiusdem B. V. Mariae, ac Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus confessi et contriti praemissa peregerint, decem annorum de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis; iisdem quoque scholaribus, qui in singulis diebus veneris cuiuslibet quadragesimae devote processionibus publicis in partibus et locis transmarinis ad orandum pro conversione gentilium et haereticorum praefatorum iuxta ritum Ecclesiae Romaae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus christifidelibus, eisdem processionibus praesentibus contritis et confessis, unius anni indulgentiam elargimur; quodque pro animabus eorum christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio fidei instituen. ab humanis in caritate Christo coniuncti decesserint confessi ac sac. communione refecti, tertiam partem Rosarii, aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictis animabus a poenis purgatorii liberari valeant. Quodque scholares utriusque Indiae huiusmodi, qui in scholis presbyterorum dictae societatis dant operam litteris, in presbyterorum eorumdem ecclesiis Missas vel alia divina officia tempore interdicti et cessationis a divinis audire, ipsique presbyteri iisdem scholaribus praesentibus ianuis clausis et non pulsatis campanis, et dummodo ipsi causam huiusmodi interdicto non dederint, ac interdictis et excommunicatis exclusis, celebrare respective possint, concedimus et indulgemus.

Extenduntur, et enucleantur indulgentiae pro singulis utriusque sexus Christifidelib.

§ 3. Insuper praefatis omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in Indiis et regionibus praefatis existen., qui contriti et confessi quamlibet ecclesiam et cappellam in eisdem partibus, dictorum presbyterorum Societatis Iesu cura et opera, ut supra, erectam, aut in futurum erigendam, devote visitaverint et, ut supra, oraverint, quadraginta dies, et semel quolibet anno aliquo die festo Domini nostri Iesu Christi, B. M. Virginis, aut Sanctorum, quem provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos et totidem quadragenas: eisdem, qui aliquam ex praefatis ecclesiis dictorum presbyterorum Societatis Iesu quadragesimae et aliis tamporibus stationum Urbis dominicis et feria sexta diebus visitaverint, easdem omnes et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur, si ecclesias et basilicas Urbis in diebus stationum huiusmodi visitarent; illisque, qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cuiuscumque mensis easdem ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro exaltatione fidei catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero Domini nostri Iesu Christi, ac

B. Virginis, Apostolorum, sub cuius titulo ecclesia consistet, decem annos. His autem, qui aliquam ex dictis ecclesiis, postquam confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos; ac iisdem christifidelibus utriusque Indiae et transmarinorum limitum, qui processionibus et precibus iuxta ritum S. R. E. a praefatis presbyteris de Ordinariorum licentia instituendis et agendis Indorum et Æthiopum, seu quorumvis aliorum neophytorum et aliorum christianorum interfuerint, et eas associaverint, christianam doctrinam cum eisdem presbyteris vel ab eis deputatis recitaverint vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum hospitalia, xenodochia, et alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint, vigintiquinque; qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta; eis etiam, qui coram B. Imagine Mariae ab alma Urbe ad collegium civitatis Limae in Perù (ut asseritur) delata tertiam Rosarii partem vel coronam recitaverint, centum similiter dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxamus, ac respective concedimus et indulgemus.

Privilegia provincialibus, vel presbyteris ab eis deputatis elargiantur dispensandi in matrimoniis quoad forum conscientiae.

§ 4. Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus, vel ab eis deputatis presbyteris, cum neophytis provinciarum utriusque Indiae aliarumque maris Oceani regionibus, in quibus inter infideles existunt fideles etiam aliunde profecti in quocumque seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen et iusta impellente causa, dispensandi; itemque in praefatis provinciis praesentia Ordinariorum similem facultatem habentium destitutis, vel ab eis ultra duas dietas non minus ducentis millibus passuum remotis, in iisdem gradibus, excepto tamen primo, etiam in utroque foro, et sine iudiciali processu, gratis et iustis concurrentibus causis, dispensandi, et eos, qui in his gradibus prohibitis etiam scienter contraxerint, ab excessibus excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, in utroque foro pariter absolvendi et prolem exinde susceptam legitimam decernendi; ac insuper eisdem provincialibus et presbyteris deputatis cum praefatis neophytis in primo etiam gradu rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis (dummodo nullum subsit dubium quod coniux possit esse proles ab altero contrahentium genita) sese attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, gratis etiam dispensandi, et eos, qui in gradibus huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in foro conscientiae tantum gratis pariter absolvendi facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impertimur; nec non ipsis presbyteris in eisdem Indiis, et locis praedictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutiae pro tempore interciderint, etiam post peractum sacrificium absque ullo conscientiae scrupulo, iuxta rubricas Missalis Romani reverenter sumendi.

Plura alia privilegia sacerdotibus huius Societatis concessa, referuntur.

§ 5. Insuper presbyteris eiusdem Societatis Iesu, quos in Saracenorum et aliorum infidelium terras, et alias utriusque Indiae et transmarinas regiones Maris Oceani, ad quas Hispani et Lusitani penetrant, ac in provincias remotissimas, ubi non est inquisitio, et fideles inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas dietas existunt huiusmodi facultatem habentes, praepositus generalis miserit, christianos in eisdem provinciis Indiis et regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, sententiis et censuris, etiam in Bulla Coena Domini contentis et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem; eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad praedicandum, confessiones audiendas, et missas celebrandas in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu praefatae pro ministeriorum huiusmodi exercitio ulterius licentiam et approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint. Si vero Episcopus ab Ecclesia, vel loco ubi praedicatur, vel confessiones audiuntur, non distet ultra praefatas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per epistolam etiam impetrari possit. Possint etiam extra ecclesias consecratas super al-

taribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubicumque non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem vel etiam post meridiem in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare; necnon in Maluco, Iappone, et aliis insulis, terrarum, provinciarum, et locorum praefatorum partibus, et locis a quibus valde remoti sunt Episcopi, oleis sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, libere uti possint. Necnon, ut quicumque ex praefatis presbyteris societatis praefatae tantum sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vita in caritate Christo coniuncti decesserunt, in singulis ecclesiis Societatis Iesu ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint, per modum suffragii, ut supra, iisdem animabus possint.

Tribuitur facultas dispensandi a voto castitatis in foro tamen conscientiae.

§ 6. Postremo iisdem presbyteris a praeposito generali ex dicta Societate deputandis, ut in praefatis regionibus, provinciis et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt Ordinarii, qui huiusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas, cum neophitis aliisque ad fidem redactis, ex rationabili causa et legitima super voto castitatis (non tamen solemni) quomodolibet etiam per ordinis sacri susceptionem, vel professionis regularis in religionem per sedem apostolicam approbata emissionem, facto dispensandi, gratis tamen, et in foro conscientiae tantum; ac super bonis male acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti et alii praefati incertis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel, si ipsi indigerent, in toto vel in parte remittendi; necnon cum Indis in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro, super ieiuniis, gratis tamen, dispensandi; necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis vel alia rationabili causa petere, in foro conscientiae tantum et gratis liberandi, licentiamque legendi libros infidelium ac haereticorum, necnon quorumcumque aliorum, tam in indice romano, quam alias quomodolibet prohibitos et damnatos, ad finem et effectum dumtaxat huiusmodi libros, vel haereses, vel errores in eis contentos, confutandi, ad breve templus, vel quousque huiusmodi librorum confutandorum lectio necessaria fuerit, personis dignis concedendi, facultatem et potestatem apostolica auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Indultum recitandi missas ubilibet per horam ante auroram.

§ 7. Missas quoque per horam ante auroram ipsi patres Societatis celebrare possint, et cum suis regularibus ut ad sacros etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus. Et insuper quia a nonnullis dubitatum seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum regionum oriundi et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, iure neophyti appellari possint, idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam orientalium quam occidentalium partium, imo etiamsi Aethiopi, Angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii, et in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis eiusmodi effectum esse et intelligi debere neophytos; dictosque presbyteros cum huiusmodi, ut vel matrimonio coniungi vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, et alias, ut supra, in quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus, ut supra, non exceptis, gratis tamen dispensare posse concedimus et indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, maius dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praefatis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare, eisdem presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 8. Decernentes, praesbyteros dictae Societatis super praemissis, et aliis iuxta facultates praedictas, et illarum vigore, servata tamen illarum forma, exequendis, et quovis alio praetextu vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios superiores et iudices ecclesiasticos et saeculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posset; sicque in praemissis per quoscumque iudices, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si se-

cus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad viginti annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos consimiles gratiae a fel. rec. Benedicto PP. XIV. praedecessore nostro concessae fuerunt inchoandos, tantum valituris. Volumus autem ut ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, vel secretarii dictae societatis, subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem societatis, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae, munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. septembris MDCCLXVI., pontificatus nostri anno IX.

LVII.

Quae Mexicano Archiepiscopo, vel, eo defuncto, Vicario capitulari facultates indultae fuerant, eas praevia praecedentium constitutionum confirmatione pro proxime convocando capitulo generali Ordinis fratrum Bethlemitarum extendit ad successorem in ipso Mexicano Archiepiscopatu (1).

CLEMENS PAPA XIII.
ad futuram rei memoriam.

Referuntur praeced. brevis dispositiones.

§ 1. Dudum nos per alias nostras in simili forma Brevis die VII. iulii MDCCLXIII. expeditas literas ad tollendas omnes novitates inter fratres Ordinis Bethlemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus apostolica auctoritate instituti, invectas contra tenorem et dispositionem constitutionum eiusdem ordinis dicta auctoritate confirmatarum, tunc existenti praefecto generali ipsius ordinis commisimus et mandavimus, ut omnes novitatis huiusmodi statim aboleret, ac earumdem constitutionum observantiam, pristinumque vigorem restitueret, ita ut de huiusmodi nostri sibi iniuncti mandati executione idem praefectus generalis, vel, in casu sui obitus, tunc existens Vicarius generalis apud pariter tunc existentem Archiepiscopum Mexicanum, antequam proximum generale capitulum eiusdem ordinis inibi currenti anno habendum celebraretur, docere deberet, sub indignationis nostrae, ac privationis iuris praesidendi in eodem capitulo generali ab alterutro id non adimplente ipso facto incurrendis poenis; quo casu idem Archiepiscopus tunc existens, eoque tunc impedito illius Vicarius in spiritualibus generalis, seu officialis, et, si sedes Archiepiscopalis Mexicana tunc vacans extitisset, illius Vicarius capitularis legitime deputatus, in dicto capitulo generali eadem auctoritate praesideret, et circumscriptis abrogatisque omnibus innovationibus, ad novi praefecti generalis electionem ita deveniri faceret, ut ab eo exigendum esset iuramentum super omnimoda observantia dictarum ordinis huiusmodi constitutionum, ac alias, prout in eisdem nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Ulteriores dispositiones per aliud breve praecedenti posterius.

§ 2. Subinde vero per alias pariter nostras in simili forma Brevis die XXVII. augusti MDCCLXIV. expeditas literas, cum allatum fuisset nuncium obitus praefecti generalis dicti ordinis, ac plurimarum perturbationum inde secutarum propter officium Vicarii generalis indebite, ut asserebatur, ac illegitime assumptum a priore conventus eiusdem Ordinis Guatimalensis civitatis, nulliter, utpote non servata forma constitutionum dicti ordinis, ad id munus prioris electo, qui nedum innovationes anno MDCCLVII. adversus ordinis constitutiones fovebat, sed alias etiam maiores promovebat: nos, ad mala huiusmodi avertenda, ius praesidendi dicto capitulo, quod in praecedentibus nostris literis Emmanueli tunc existenti Archiepiscopo Mexicano praedicto tributum fuerat sub conditione, et in casu, quo praefectus generalis, vel per sui obitum Vicarius generalis dicti ordinis ante capitulum huiusmodi non docuisset de abolitione omnium perniciosarum novitatum, ac restitutione observantiae constitutionum ordinis in pristinum vigorem, hac etiam sublata conditione, eidem Emmanueli Archiepiscopo, et, sede Archiepiscopali Mexicana vacante, Vicario capitulari Metropoli-

(1) Vide *Alias ad supplicationes — Exponi nobis.*

tanae Ecclesiae praedictae legitime deputato, veris existentibus narratis, eorumque veritate per certas ac legitimas probationes comperta, concessimus, et indulsimus, ac praeter facultates in praecedentibus nostris literis eisdem iam attributas, aliasque etiam de novo ipsis concessas, ut capitulum generale proxime habendum in civitate Mexicana convocare, et, si necessarium aut expediens foret, ad aliquod breve tempus pro eius arbitrio et conscientia prorogare posset dicto Archiepiscopo Mexicano, et, eo non existente ac viam universae carnis ingresso, Vicario capitulari praedicto facultatem dedimus, atque tribuimus, ac alias, prout in dictis nostris literis, quarum pariter tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectae ut facultates Archiepiscopo Mexicano tributae ad eiusdem successorem extendantur.

§ 3. Nuper autem nobis exposuit dilectus filius noster Antonius Andreas S. R. E. presbyter Cardinalis Galli nuncupatus, eiusdem Ordinis, et fratrum Bethlemitarum apud nos et hanc Apostolicam Sedem protector, quod posteaquam dictus Archiepiscopus Mexicanus vigore facultatum sibi in praedictis nostris literis tributarum memoratum priorem conventus Guatimalensis officio Vicarii generalis, per seipsum, ut praefertur, indebite ac illegitime assumpto, privaverat, ac in eius locum primum assistentem dicti ordinis iuxta Cap. IX. illius Constitutionum posuerat, viam universae carnis idem Emmanuel Archiepiscopus ingressus fuit, nosque Ecclesiae Mexicae praedictae, pastoris solatio destitutae, venerabilem fratrem Franciscum Antonium in Archiepiscopum praefecimus et pastorem. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in praedictis nostris literis diei XXVII. mensis augusti MDCCLXIV. ius praesidendi dicto capitulo, aliaeque facultates in eis contentae memorato Emmanueli tunc Archiepiscopo Mexicano, et, eius obitu eveniente, Vicario dictae metropolitanae ecclesiae capitulari legitime deputato tributae fuerint, nulla in eodem archiepiscopatu successorum facta mentione; hinc, ne dubitandi occasio aliqua unquam oriatur, atque ut perturbationes omnes procul ab ordine huiusmodi arceantur, idem Antonius Andreas Cardinalis et protector ius praesidendi memorato capitulo, et facultates omnes in praecedentibus nostris literis contentas, expressas et attributas, denuo ad cauthelam et ad omnem et quemcumque bonum finem et effectum dicto Francisco Antonio moderno Archiepiscopo Mexicano concedi et tribui, aliisque in praemissis per nos opportune provideri, et ut infra indulgeri, summopere desideret:

Porrectas preces Pontifex excipit, facultatesque extendit, atque confirmat.

§ 4. Nos, supplicationibus ipsius Antonii Andreae Cardinalis et protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati, ius praesidendi in praefato capitulo, ac omnes et quascumque facultates quomodolibet in praecedentibus nostris literis dierum VII. iulii MDCCLXIII. et XXVII. augusti MDCCLXIV. ut praefertur, eidem Emmanueli tunc Archiepiscopo Mexicano datas, concessas et attributas, quatenus opus sit, denuo praefato Francisco Antonio moderno Archiepiscopo Mexicano, ac pro tempore existenti eiusdem Mexicanae Ecclesiae Archiepiscopo successori, eoque impedito illius Vicario in spiritualibus generali, seu officiali, et quoties, quod Deus avertat, sedes Archiepiscopalis Mexicana vacare contigerit, Vicario capitulari eiusdem metropolitanae Ecclesiae legitime deputato, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, tribuimus, et indulgemus; eisdemque praeterea omnes et quascumque innovationes post obitum dicti Emmanuelis Archiepiscopi contra tenorem ac dispositionem constitutionum ordinis huiusmodi, omniaque et singula gesta, et contra eas, ac contra dispositionem earumdem nostrarum literarum quomodolibet facta circumscribendi, abrogandi, et abolendi facultatem pariter eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus et elargimur. Non obstantibus iis omnibus, quae in praecedentibus nostris dictis literis non obstare voluimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. septembris MDCCLXVI., pontif. nostri anno IX.

LVIII.

Ad triginta annos prorogat decretum sacrae Congregationis Consistorialis circa administrationem cathedralium in insulis Philippinis, nempe Nominis Iesu, Novae Segobiae *et* de Caceres, *quae capitulis carent, tempore vacationis sedis episcopalis.*

CLEMENS PP. XIII.
ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor decreti Sacrae Congregat. Consistorialis.

§ 1. Nuper emanavit a Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium rebus consistorialibus praeposito-

rum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: « Insularum Philippinarum prorogationis indulti administrationis sacra Congregatio rebus consistorialibus praeposita precibus indulgendo serenissimi regis catholici, censuit prorogandum esse ad alios annos triginta indultum ab hac sacra Congregatione die XXV. iunii MDCLXXVI. concessum, et die XXVII. septemb. an. MDCCIII. nec non die XXI. decemb. MDCCXXXV. ad alios triginta annos prorogatum, vi cuius, eveniente in aliqua ex tribus ecclesiis, nempe Nominis Iesu, Novae Segobiae et de Caceres, quae in Insulis Philippinis capitulo carent, quaeque Archiepiscopo Manilien. suffragantur, vacationis casu, ecclesia vacans ab Episcopo viciniore administrabitur. Factaque per me infrascriptum secretarium relatione, Sanctitas Sua sacrae Congregationis sententiam benigne approbavit. Datum Romae die XVI. septembris MDCCLXVI. »

Pontifex ad preces Regis Hispaniarum decretum confirmat et approbat.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum Regis catholici nobis nuper expositum fuit, ipse Karolus Rex decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos dicti Karoli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eiusdem Karoli Regis nomine nobis humiliter porrectis inclinati, decretum preinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregat. Cardinalium.

Clausula sublata, decretum irritans et derogatio contrariorum.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac in apostolicis et in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIII. septembris MDCCLXVI., pontificatus nostri anno IX.

LIX.

Praesulem vicesgerentem Urbis iudicem privativum in causis passivis neophitorum deputat, et eorumdem neophitorum privilegia confirmat.

Andreas SS. Viti et Modesti S. R. E. Diaconus Card. Nigronus SS. D. N. Papa pro-auditor iudex commissarius specialiter delegatus.

Exponit expeditionem chirographi pontificii.

§ 1. Cum Sanctissimus Dominus noster Clemens divina providendia Papa XIII. supplicationibus universitatis et nationis cathecumenorum et neophitorum almae Urbis benigne inclinatus, chirographum propria manu Sanctitatis Suae die XXVI. labentis octobris mensis subsignatum, nobis pro exequutione in eo contentorum direxit tenoris sequentis, videlicet:

Reverendissimo Cardinal Negroni nostro pro-uditore.

Refertur tenor chirographi, et primo agitur de veteribus neophitorum privilegiis.

1. Ci ha fatto rappresentare l' università, e nazione de' catecumeni e neofiti di questa nostra città di Roma, che, siccome eglino furono in ogni tempo creduti degni di una special protezione della nostra Sede Apostolica, e di parecchie esenzioni, privilegii e riguardi, così la fel. mem. di Paolo III. nostro predecessore stimò conveniente, e forse necessario ancora, che avessero un Cardinale protettore, e insieme giudice privativo delle loro cause criminali, civili e miste, come si legge nella di lui costituzione, *Illius qui,* de' 19 febbraro 1542., confermata poscia e ampliata da Paolo IV., da Pio IV. e da altri nostri predecessori, i quali tutti per uno stesso giusto riflesso di promuovere i matrimoni delle neofite con i cristiani originarii comunicarono i privilegi de' catecumeni e dei neofiti alli mariti delle neofite e delle figlie di primo grado delli neofiti, ma che per altro non si conobbero bastantemente utili gli effetti della privativa del giudice dei neofiti, se non in vista degli altri effetti troppo diversi, che vennero su gl' interessi della pia casa de' catecumeni, e sopra tutti i neofiti, quando l' antica giurisdizione del loro, unitamente con quella di tutti gli altri reverendissimi Cardinali

protettori de' luoghi pii di questa nostra città di Roma, restò soppressa e abolita per i decreti della congregazione della riforma de' tribunali del 1692. approvati da Innocenzo XII. similmente nostro predecessore, abbenchè dopo alcun tempo il suo uditore monsignor Ansaldi spiegasse con un decreto dei 5 giugno dell'anno 1697, che gli altri privilegii de' neofiti non erano stati compresi in quella riforma, mentre gl'istessi neofiti per lo più artisti, e ben poveri soffrirono allora maggiori ingiurie dalla nazione degli ebrei, ed esposti alle più lunghe contradizioni e vessazioni delli più ricchi, e potenti collitiganti, non riusciva sempre a ciascuno di assumere e sostenere presso di tanti e diversi giudici un'efficace difesa di quei privilegii avvegnachè preservati, che così andavano di giorno in giorno a rimettere dal loro vigore.

Clem. XI. singulas controversias Neophitos respicientes, tam praesens, quam futurae iurisdictioni Vicesgerentis ablegavit.

2. Laonde Clemente XI. altro nostro predecessore compassionando lo stato di questi novi germogli, per far conoscere la sua paterna pietà verso di detti luoghi pii fondati per la conversione degl'infedeli, e verso li catecumeni e neofiti, senz'alterare la massima di non permettere l'esercizio della contenziosa giurisdizione al Cardinal protettore de'medesimi luoghi pii, con suo chirografo de' 21 gennaro 1705. diretto a monsignor vicegerente d'allora, avocando a se tutte, e singole liti, e cause sì civili, che criminali e miste, attive e passive di detta casa di catecumeni stessi, e neofiti, figli di primo grado de' medesimi catecumeni e neofiti, e mariti di neofite, o figlie di primo grado de' neofiti, mosse o rispettivamente da muoversi in avvenire da qualsivoglia persona e contro qualsivoglia persona per qualunque causa in qualsivoglia tribunale avanti qualsisieno giudici ordinarii, delegati, ecclesiastici, e secolari, congregazioni, anche de' reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsisieno giudici, benchè privilegiati, e privilegiatissimi, e le medesime liti e cause, tanto attive, quanto passive, anco già instrutte nello stato e termine, nel quale allora si trovavano, e anco tutte le altre cause, che in avvenire ed in qualsivoglia tempo si fossero introdotte, attive e passive, civili, criminali e miste prò e contro detta casa di catecumeni, e luoghi pii annessi; catecumeni e neofiti, e loro figli di primo grado, o mariti di neofite, oppur delle loro figliuole di primo grado in prima istanza, delegò poscia a monsignor vicegerente d'allora, e ad altri vicegerenti pro tempore per gli atti del notaro del nostro Reverendissimo Card. Vicario, o di altri notari da deputarsi sempre da deputati di detta casa de' catecumeni privativamente, ed ogni altro giudice, e tribunale, anche collegiale e magistrato e notaro, con piena, ampia, libera ed assoluta facoltà et autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dipendenti, emergenti, annessi, connessi, ed anco colla clausola, *quam et quas*, conoscere, decidere, finire e terminare, ancorchè si trattasse o procedesse per vigore di obblighi camerali e giurati, e che le persone, che avessero interesse si attivamente, come passivamente in dette liti e cause, fossero basiliche, chiese, cappelle, e religioni, monasteri, conventi, spedali, confraternite e luoghi pii anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, privilegiatissimi, ed ancorchè fossero pupilli, vedove, e minori, anche per causa di mercedi, alimenti, e doti, e qualsisieno altre persone, che avessero privilegii tali, che per comprenderli avessero bisogno di special menzione, e di poter nelle dette cause procedere in ogni giorno, e ora, non però feriata in onor di Dio, senza servazione di termini sostanziali, confezioni di estratti e registri, ed ancora senza produzione d'istromenti, e scritture publiche, ma colle sole copie semplici e indicazione di quelle.

Neophiti artes exercentes ab statutis universitatum, et a solutione patentium eximebantur.

3. Ci hanno ancora fatto rappresentare, che tra gli altri privilegii ed esenzioni godute da essi neofiti, vi è pur quella da tutte le leggi e statuti delle università delle arti e professioni, nelle quali essi travagliano o si esercitano, e dal pagamento di qualunque tassa, patente e contribuzioni, che altri pagano alle medesime università, loro chiese e consolati, dalla custodia delle porte, e da altre funzioni civiche e militari di Roma, in vigore ancora dei decreti della congregazione particolare dei 3 maggio 1693 approvati dal suddetto nostro predecessore Innocenzo XII., e se presentemente non è permesso ai neofiti d'aprire nuove botteghe di barbiere, oltre il numero stabilito dallo statuto di quell'arte approvato per un chirografo di Clemente XII. nostro predecessore, accade questo soltanto in vigore di un simile chirografo segnato li 28 giugno 1743. dall'altro nostro immediato predecessore Benedetto XIV., che per motivi e ragioni, che non han luogo nelle altre arti, gli obbligò all'osservanza di tale statuto in quest'unica e sola parte, preser-

vando nel tempo stesso i detti neofiti, e quelli, che godono i privilegii de' neofiti dal pagamento delle tasse e di ogni altra contribuzione, che per lo passato a motivo de' loro privilegii o legittima consuetudine non hanno pagato all'università de' barbieri per l'apertura delle botteghe; con averci di più soggiunto, che nella non breve serie de' giudicati, che ammettono e canonizzano i privilegii dei neofiti, moltissimi ve ne sono, i quali rigettano le istanze in vari tempi promosse da varie università e consolati per obbligarli al pagamento di queste tasse, e voi medesimo dopo un maturo esame nell'udienza de' 14 aprile 1761 providamente decideste contro l'universtà de' casciari « *Neophitos esse exemptos a dispositione statutorum omnium universitatum Urbis, et signanter a solutione taxae per dictas universitates indictae* ». E che in parecchi decreti e giudicati si vedono bensì obbligati i neofiti a sottomettersi all'esame per dar buon conto della sufficienza loro in quell'arte, che intendono di esercitare, ma però sempre senza obbligo di qualsivoglia anche piccolo pagamento di patente, o di altra qualunque tassa, lo che pur volle il prefato nostro immediato predecessore nell'accennato chirografo rispetto ai barbieri.

Pariterque eximebantur a vectigalibus viarum quoad artium exercitationes.

4. In oltre ci han fatto rappresentare, esser stata provida e pia intenzione de' nostri predecessori di abilitare i neofiti a procacciarsi il vitto colla fatica et industria loro senza il più piccolo aggravio, e che perciò essi neofiti furono esenti dalle tasse del tribunale delle strade per le botteghe, licenze, banchi, banchetti e stuore, e che quantunque sia vero, che il nostro predecessore Innocenzo XII. nella costituzione dell'anno 1692 emanata 4 kalen. decembris, assoggettasse anche i neofiti ai chirografi, ordini e tasse delle strade, e la già detta congregazione particolare deputata per il decreto dei 3 maggio 1693 super assertis privilegiis neophitorum dichiarasse « quascumque immunitates et privilegia eis in praeteritum per summos Pontifices et alios quoscumque quomodolibet concessa suffragari non posse, neque debere quo ad solutionem taxarum tribunali viarum »; ciò ad ogni modo s'intese solo delle tasse imposte sopra le case, vigne e tenute, cioè di quelle, che per le strade si aggravano su i possessori de' beni stabili, o che s'impongono ai vetturini e carrettieri, non già per le altre troppo diverse, che gravano i soli artisti, mercanti e rivenditori di comestibili e robe, le quali tutte ricadono sopra il travaglio e sopra l'industria degl'istessi artisti, mercanti e rivenditori, e però a scanso di ogni questione una congregazione particolare deputata dal memorato nostro predecessore Clemente XI. ai 28 gennaio, e agli 8 febbraio 1704, « Inter alia, quae approbante sanctissimo statuit, decrevit etiam posse neophitis, filiis primi gradus eorumdem, maritis neophitarum, aut filiarum primi gradus eorumdem, concedi amplam et plenam a taxis viarum exemptionem, quae in Urbe solvi solent ab artificibus quotannis pro officinis vel tabernis, in quibus vel res venales exponuntur, vel ars aliqua, quomodocumque nuncupetur, exerceatur, ita ut in posterum personae, ut supra nominatae, libere et licite artes et mercaturas in dictis tabernis et officinis exercere valeant, et sine ulla solutione taxarum viarum, non obstante constitutione sac. mem. Innoc. XII. IV. kalend. decembris anno Incarnationis MDCXCII., quae est constitutio XIV. inter impressas. – Praeterea inhaerentes, addita tamen declaratione, quod dicta haec exemptio comprehendat tantum dictas personas artem et mercaturam exercentes, non autem rhedarios, similesque personas, qui rhedis bigis, seu quadrigis sibi victum quaerunt, nec minus extendi possit ad taxas viarum, quae solvuntur pro vineis, domibus, aliisque stabilibus, quae dictae personae possiderent, etc. ». In coerenza di che negl'istromenti degli appalti, che sogliono farsi dal tribunale delle strade, e fino in quello stipolato dell'anno 1760 fu pattuito il bonifico all'appaltatore. Per li neofiti esenti dal pagamento delle licenze, banchi, banchetti, foconi e stuore a tenore dei decreti della congregazione particolare deputata dalla san. mem. di Clemente XI. li 28 gennaio e 8 febbraio 1704.

Item aliis quamplur. donabantur privilegiis quoad passivorum nominum solutiones.

5. E similmente ci esposero, che oltre i suddetti e altri molti privilegii e riguardi, furono anche osservati ai neofiti poveri quello delle dilazioni a pagare i debiti loro a un tanto al mese o alla settimana, secondo le circostanze de' debitori e de' casi: quello di non soffrire l'esecuzioni reali *super pallio et pileo;* e quello pure di non portare il cappello verde, quando l'estrema miseria loro gli astrinse a ricorrere all'infelice beneficio della cessione de' beni, e di non essere convenuti come sospetti di fuga, ma che il lungo lasso di trentotto

anni fece tal volta obbliare i motivi, che diedero eccitamento alla destinazione del suddetto giudice privativo, onde la nuova congregazione prescelta per la riforma dei tribunali del ricordato nostro immediato predecessore Benedetto XIV. dell'an. 1742, e la di lui nota bolla de' 27 febbraio 1742 nel generale suggerimento di richiamare alla pratica quanto era stato stabilito nel pontificato d'Innocenzo XII. abolendo indistintamente qualunque giudice particolare posteriormente deputato, compreso anche il giudice de' neofiti, benchè per altro lo stesso nostro predecessore con suo rescritto de' 26 settembre dello stesso anno 1742 dichiarò espressamente « Privilegia, quibus gaudebant et gaudent neophiti, non esse comprehensa in abrogatione eorum iudicis privativi facta in nuperrima constitutione super reformatione tribunalium, sed illa esse servanda a quocumque iudice prout antea servari legitime solebant »; tal che tutti gli altri privilegii, alla riserva di quello d'avere il giudice privativo, vennero quindi posteriormente osservati e mantenuti ai neofiti dagli altri giudici della nostra curia di Roma, e taluni ancora da voi medesimo come nostro pro-uditore, allorchè questi sono stati difesi da qualche neofito men povero, e solamente si cominciarono a porre in dubbio rispetto a quei miserabili, e meno istrutti, che s'incontrarono in più potenti avversari, nè ebbero modo di sostenerli con sufficiente difesa, cosa, che al certo non accadeva a' neofiti, allora quando le loro liti, che, in quanto, massime all'inspezione de' privilegii della nazione vertono sempre su le medesime questioni, si conoscevano da un solo giudice, il quale appieno informato de' privilegii medesimi suppliva colle sue proprie cognizioni alla mancanza della difesa, e forse ancora non dava luogo alle dispute da lui più volte decise, dal che n'è poscia venuto e ne viene, che molti tornano a dubitare della sussistenza di tali privilegii, e i neofiti, e tutti gli altri, ai quali sono comuni le loro esenzioni e prerogative, si adattano di malavoglia al pagamento delle tasse e contribuzioni dovute alla loro università.

Preces Pontifici porrectae pro generica et specifica privilegiorum confirmatione.

6. Onde la chiesa e casa de' catecumeni, e luoghi pii ad esse uniti, e tutto il ceto de' medesimi neofiti hanno implorato la nostra paterna clemenza, umilmente supplicandoci, acciò mossi dal nostro zelo per la religione ci degniamo in primo luogo di confermare generalmente tutti i privilegii ed esenzioni concesse loro dalla pietà di tanti nostri predecessori, o avvalorate dall'osservanza massime giudiziale: in secondo luogo di restituire alla loro nazione l'istesso giudice privativo con le facoltà ad esso date per il chirografo del nostro predecessore Clemente XI. dei 21 gennaio 1705; in terzo luogo di dichiarare, che tutti i neofiti, figli di primo grado de' medesimi neofiti, e mariti di neofite o di figlie di primo grado di neofiti siano soggetti e obbligati all'osservanza degli editti e statuti che parlano de' neofiti, e in conseguenza tenuti alla frequenza dell'oratorio della nazione, e a corrispondere al medesimo oratorio, e rispettiva università le tasse e contribuzioni solite, e che in avvenire possono occorrere, abilitandoli tutti indistintamente al godimento e partecipazione dei privilegii ed esenzioni competenti ai veri neofiti.

Pontifex precibus annuit, et singula confirmata privilegia designat.

7. E noi sull'esempio de' nostri predecessori per far conoscere la paterna pietà, che abbiamo verso i detti luoghi pii fondati per la conversione degl'infedeli, la quale è il primo instituto dell'apostolato, e verso i catecumeni e neofiti, che sono venuti e in futuro verranno alla nostra santa fede, quali sono degni della nostra special protezione ed assistenza, e desiderando promuovere tutt' i mezzi, acciò quanto a quelli, che già abbandonarono l'errore, *de suscepto sanctae fidei proposito gaudium sit plenum et exultatio,* e quanto agli altri, che *foris sunt, et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad sanctae matris Ecclesiae gremium properandi desiderium excitentur,* come disse il nostro predecessore Clemente XI. nella sua costituzione, *Propagandae,* siamo venuti in proposito di consolare gli esponenti, prendendo sopra le loro rappresentanze i provvedimenti come in appresso. Avendo pertanto nel presente nostro chirografo per espresso, e di parola registrato il tenore di tutte e singole bolle, chirografi, decreti, e riforme tanto contrarii ed opposti, quanto conformi e coerenti a questa nostra suprema determinazione, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria da esprimersi: di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema potestà stabiliamo, dichiariamo e decretiamo:

Praevia evocatione causarum neophitorum, eas iuris-

8. Primo, che per l'avvenire ed in perpetuo il giudice delli neofiti e della loro casa di ricevimento, chiesa, e univer-

...dictioni perpetuae Vicesgerentis submittit.

sità e luoghi pii annessi, nelle cause civili passive mosse e da muoversi, sia monsignor Vicegerente pro tempore di questa nostra città di Roma, onde vogliamo, che avochiate a voi, siccome noi avochiamo tutte e singole liti e cause civili passive di detta casa de' catecumeni, e luoghi pii annessi, neofiti e catecumeni, ed altri, ai quali, come appresso, dovranno esser comuni i privilegii dei neofiti, mosse, e respettivamente da muoversi in avvenire da qualsivoglia persona per qualunque causa in qualsivoglia tribunale, e avanti qualsivoglia giudice ordinario, delegato, ecclesiastico e secolare, congregazioni, anche de' reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsisieno giudici, benchè privilegiati, e privilegiatissimi, e le medesime liti e cause passive, anco già istrutte, nello stato e termine, nel quale si trovano al presente, ed anche tutte le altre cause, che in avvenire, e in qualsivoglia tempo s'introdurranno contro detta casa de' catecumeni, e luoghi pii annessi, catecumeni e neofiti, ed altri, ai quali devono essere comuni i privilegii dei neofiti e catecumeni in prima instanza le commettiate, e respettivamente le rimettiate, conforme noi le commettiamo e rimettiamo al nostro vicegerente di Roma, ed altri vicegerenti, che saranno pro tempore per gli atti d'uno de' notari del nostro reverendissimo Cardinal Vicario di Roma, da scegliersi sempre dai guardiani dell'università dei neofiti, privativamente ad ogni altro giudice e tribunale, anche collegiale, e magistrato e notaro, con piena, ampla, libera e assoluta facoltà, ed autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dependenti, emergenti, annessi e connessi, ed anco con la clausola *quam et quas,* conoscere, decidere e terminare, ancorchè si trattasse e procedesse in vigore di obblighi camerali e giurati, e gli attori fossero basiliche, chiese, cappelle e religioni, commende e monasteri, conventi, spedali, confraternite e luoghi pii, anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, privilegiatissimi, e ancorchè fossero pupilli, vedove, minori, anche per causa di mercedi, alimenti e doti, e qualsisieno altre persone, che avessero privilegii tali, che per comprenderli avessero bisogno di special menzione, rimossa ogni qualunque appellazione e ricorso fuori che a voi, o altro uditore nostro, e de' nostri successori pro tempore, tanto nella seconda, che in altre istanze, anco per capo di restituzione in integrum e non ad altro tribunale, benchè supremo, dando perciò al detto monsignor vicegerente, e suoi successori piena ed ampla facoltà, ed autorità di riassumere le cause e liti suddette da qualunque giudice o tribunale come sopra, e a quelli inibire sotto le pene e censure a vostro arbitrio, che non ardischino porvi le mani, nè ingerirvisi in modo alcuno.

Regulae traduntur pro admissione Neophitorum ad artium exercitationem.

9. Secondo, vogliamo che i neofiti non possino essere ammessi all'esercizio di qualunque arte e professione, se non saranno prima stati esaminati ed approvati capaci ed abili, come prescrivono i statuti delle rispettive università, ma nel caso, che per parte dei medesimi neofiti o di altri, che godono e goderanno dei privilegii dei neofiti, venisse allegato qualche aggravio ricevuto prima o dopo l'esame, o nell'esame medesimo, possino ricorrere a voi ed ai vostri successori per qualunque provvedimento, e voi allora dovrete, siccome i vostri successori dovranno, deputare altro perito indifferente, che riconosca la capacità di quel tale ricorrente; ammettendolo a nuovo esperimento, e dalla relazione e giudizio di questo perito non sia lecito ad alcuna delle parti di reclamare.

Eximuntur a texis pro artium exercitione.

10. Terzo, che i neofiti siano esenti da qualsisieno tasse, contribuzioni, ed altri pagamenti prescritti dai statuti delle arti, e professioni, conforme dai pesi, e uffici, che ordinano essi statuti e che le patenti, che sogliono spedirsi prima dell'esercizio delle arti, si diano loro gratis, e senza il menomo pagamento sotto qualsivoglia pretesto.

De distantiis servandis quoad eorum apothecas.

11. Quarto, che nelle botteghe e officine da aprirsi ed esercitarsi debbano essi neofiti ad ogni modo osservare le distanze prescritte in tutto e per tutto come gli altri le osservano, e sono tenuti di osservare.

A taxis viarum immunes declarantur.

12. Quinto, che siano immuni dal pagamento delle tasse e licenze del tribunale delle strade con quell'ampiezza e respettiva limitazione di esenzione, che restò già dichiarata ne' surriferiti decreti della congregazione particolare deputata dal nostro predecessore Clemente XI. sotto li 28 gennaio e 8 febbraio 1704.

Statutis pro neophitis conditis subiiciuntur.

13. Sesto, che i medesimi neofiti sieno in tutto soggetti alle leggi e statuti fatti per li neofiti, e della loro chiesa, ed università.

14. Settimo, che quanto si è detto e stabilito di sopra, e si dirà e stabilirà da noi in appresso relativamente ai neofiti, così rispetto al godimento de' privilegi, esenzioni, e altre prerogative, come rispet-

to alla soggezione alle loro leggi e statuti e della loro Chiesa e università, s' intenda pur stabilito e decretato per i figli dei neofiti del primo grado, e per i mariti delle neofite e delle figlie di primo grado dei neofiti, di modo che siano tutti egualmente compresi sotto la presente nostra disposizione, come se in ogni parte di essa si fosse fatta di loro espressa menzione.

Singula alia privilegia specialiter non revocata, confirmat.

15. Ottavo, finalmente vogliamo che tutti gli altri privilegi delli neofiti finora non rivocati, e che sono in uso, restino fermi, e siano mantenuti e osservati, e perciò, in esecuzione del presente nostro chirografo, ne pronuncierete qualunque decreto, concederete qualunque inibizione e farete tutto altro, che pel totale adempimento, perpetua fermezza, e sussistenza di questa nostra grazia stimerete in qualsisia modo essere spediente e necessario; essendo così mente e volontà nostra espressa.

Clausula sublata et decretum irritans.

16. Volendo, e decretando, che al presente nostro chirografo, sebbene non esibito, o registrato in camera, e ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, nè di alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti, quantunque validi e validissimi, e giuridichi anche di ius quesito, e pregiudizio del terzo, possa esser impugnato, moderato, o rivocato, ridotto ad viam iuris, o concedersi contro di esso l'aperitione oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia giudice, e tribunale, benchè collegiale, congregazioni, anche de' Reverendissimi Cardinali, Camarlingo di S. Chiesa, Tesoriere, Ruota, Camera e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario: dichiarando noi sin d'adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, e scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma e disposizione del presente nostro chirografo, quale vogliamo, che vaglia e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, sebbene non vi sieno state intese o citate qualsisieno persone, ancorchè privilegiate e privilegiatissime, ecclesiastiche e luoghi pii, che vi avessero o pretendessero avervi qualunque interesse e che per comprenderle facesse bisogno di speciale ed espressa menzione.

Derogatio contrariorum.

17. Non ostanti le costituzioni d' Innocenzo VIII., Giulio II., Gregorio XIII., Gregorio XIV., Innocenzo XII. e specialmente la citata costituzione della fel. mem. di Benedetto XIV. nostro predecessore sopra la riforma de' tribunali di questa nostra città di Roma emanata nell'anno 1742 sotto li 27 febbraio, ed altre costituzioni dei sommi pontefici sopra le facoltà di qualsisieno giudici e tribunali, la bolla di Pio IV. similmente nostro predecessore, *de registrandis,* la regola della nostra cancelleria, de iure quaesito non tollendo, e qualsisieno altre costituzioni et ordinazioni apostoliche nostre, de' nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini e qualunque altra cosa, che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della nostra potestà pontificia ad ogni vizio e difetto, quantunque sostanziale e formale, che vi potesse intervenire, per questa sola volta, e per la piena e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente nostro chirografo, ampiamente ed espressamente deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo questo dì 26 ottobre 1766 Clemens PP. XIII.

Exequutio praecedentis chirographi.

§ 2. Volentes itaque iniuncta nobis ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa debitae exequutioni demandare: utendo facultatibus nobis in supradicto chirographo tributis, eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papae nomine decernimus, declaramus et constituimus, ut infra. Primum: Quod in futurum, ac perpetuis futuris temporibus neophitorum iudex, eorumque receptoriae domus, ecclesiae et universitatis ac locorum piorum annexorum in causis civilibus passivis motis et movendis, sit illustrissimus et reverendissimus dominus almae Urbis pro tempore Vicesgerens; quapropter ad nos avocando omnes et singulas lites, et causas civiles passivas dictae domus cathecumenorum, locorum piorum annexorum, neophitorum et cathecumenorum, aliorumque, quibus, ut infra, debebunt esse communia neophitorum privilegia, motas, et respective movendas in posterum a quavis persona pro quacumque causa in quovis tribunali, et coram quo-

cumque iudice ordinario, delegato, ecclesiastico, et saeculari, congregationibus, etiam eminentissimorum et reverendissimorum dd. Cardinalium, et generaliter coram quibuscumque iudicibus, licet privilegiatis et privilegiatissimis, easdemque lites et causas passivas, etiamsi instructas in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ac etiam omnes alias causas, quae in futurum et quandocumque forent introducendae contra dictam domum cathecumenorum, et loca pia annexa, cathecumenos et neophitos, aliosque, quibus neophitorum et cathecumenorum privilegia debent esse communia, in prima instantia committimus et respective remittimus praedicto R. P. D. Urbis Vicesgerenti, et aliis pro tempore RR. PP. DD. Vicesgerentibus per acta alterius ex notariis eminentissimi et reverendissimi D. Cardinalis Vicarii, semper seligendi a custodibus universitatis neophitorum, privative ad alium quemcumque iudicem et tribunal, etiam collegiale, magistratum ac notarium, cum plena, ampla, libera et absoluta facultate et auctoritate illas cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac etiam cum clausula quam et quas, cognoscendi, decidendi et terminandi, etiamsi ageretur, et actio oriretur ex obligatione camerali iuramento vallata, et actores essent basilicae, ecclesiae, cappellae et religiones, commendae, monasteria, conventus, hospitalia, confraternitates et loca pia, etiam insignia et quantumvis privilegiata, privilegiatissima, et quamvis essent pupilli, viduae, minores, ac etiam causa mercedis, alimentorum et dotium, et essent quaecumque aliae personae habentes privilegia talia, quae pro illis comprehendendis speciali nota indigerent, remota omni et quacumque appellatione ac recursu, excepto ad nos, et ad nostros pro tempore successores, tum in secunda, tum in aliis instantiis, etiam per viam restitutionis in integrum, haud ad aliud tribunal licet supremum: tribuendo propterea dicto R. P. D. Vicesgerenti eiusque successoribus plenam et amplam facultatem et auctoritatem reassumendi causas et lites praedictas a quovis iudice sive tribunali, ut supra, eisque inhibendi, ne sub poenis et censuris arbitrio nostro audeant opponere manus, minusque se in eis quoque modo ingerere. Secundo: volumus, ut neophiti, priusquam alicuius artis exercitium assumant, subiici debeant examini ad formam exercendae artis statutorum, ita tamen ut in casu reprobationis facultas eis fit ad nos et nostros successores provocandi pro deputatione non suspecti periti ad novum experimentum, cuius iudicio omnino standum erit. 3: Quod neophiti a quibusque censibus taxisque ab artium statutis praescriptis sint exempti, earumque artium ac universitatum onera atque munera subire minime teneantur, eiusque solitae litterae patentales gratis concedantur. 4: Quod in tabernis aut officinis aperiendis instituendisque statutam distantiam, sicut caeteri servare tenentur, omnino servent. 5: Quod sint immunes a taxis et licentiis tribunalis viarum cum illa amplitudine et respectiva limitatione exemptionis, quae fuit iam declarata in decretis congregationis particularis deputatae a san. mem. Clemente Papa XI. sub respective diebus XXVIII. ianuarii et VIII. februarii MDCCIV. 6: Quod iidem neophiti legibus statutisque editis pro neophitis, eorumque ecclesia, et universitate in omnibus subiiciantur. 7: Quod dictum est de neophitis, intelligas ut constitutum etiam pro neophitorum filiis primi gradus, et pro maritis neophitarum, filiarumque primi gradus neophitarum. 8, demum: quod caetera neophitorum privilegia nondum revocata, usque recepta, firma habeantur: iuxta, in omnibus et per omnia formam, seriem ac tenorem memorati chirographi: non obstantibus constitutionibus san. mem. Innocentii VIII., Iulii II., Gregorii XIII., Gregorii XIV., Innocentii XII., et signanter constitutione fel. record. Benedicti XIV. anno MDCCXLII. sub die XXVII. februarii, super reformatione tribunalium Urbis emanata, aliisque constitutionibus Summorum Pontificum super facultatibus quorumcumque iudicum et tribunalium, aliisque constitutionibus apostolicis, legibus, statutis et aliis, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Papa in praeinserto chirographo derogavit. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex palatio apostolico Quirinali, et ex aedibus nostris hac die XXVII. octobris MDCCLXVI.

LX.

Cunctis per catholicum orbem Archiepiscopis, Episcopis ceterisque dioecesum rectoribus encyclicam mittit ut credi-

tum sibi ipsis dominicum gregem a noxiorum librorum lectione avertant (1).

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis, universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta sint damna futura dominico gregi ex novis libris Pontifex designat.

§ 1. Christianae reipublicae salus, cuius causam a Principe pastorum et Episcopo animarum accepimus, vigiles nos esse compellit, ne insolens et teterrima librorum licentia, quae e latebris ad exitium et vastitatem emersit, eo fiat perniciosior, quo se in dies efferendo sit latior. Execrabilis erroris perversitas et inimicorum hominum audacia in medio tritici, qua scripto, qua verbo, superseminans zizania, his praesertim temporibus adeo excrevit, ut, nisi falcem ad radicem immittamus, et alligemus mala germina in fasciculos ad comburendum, parum absit, quin spinae pravitatis exortae plantationem Domini Sabaoth suffocare aggrediantur. Perditi enim homines ad fabulas conversi et sanam doctrinam non sustinentes, quaquaversum invadunt arcem Sion, et per pestiferam contagionem librorum, quibus fere obruimur, in christianae plebis interitum serpentina venena

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad Principes transcribere merito credimus literas quibus Pont. cum Maria Theresia Hungariae regina et imperatrice queritur quod a censura librorum amoverit Medionalensem Archiep., et liter. ad ipsum Archiep. pro defensione iuris Ecclesiae de librorum excudendorum censura.

Charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae, nec non Bohemiae reginae illust., in Romanorum imperatricem electae viduae,

CLEMENS PAPA XIII.

Charissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta cura studuerit Pontifex ut noxiorum librorum lecturam prohiberet.

§ 1. Ex multis gravissimisque curis, quae ab ipso die quo nobis impositum fuit apostolici muneris onus, animum nostrum urunt assidue illa nunc temporis omnium acerrima nos urget sollicitudo ex teterrimorum librorum foeda colluvie qua Europam propemodum universam inundavit impietas; unde nulla est christianae religioni clades et vastitas non pertimescenda. Adversus nefarios impiorum hominum conatus, qui cum eadem religione non iam per cuniculos, sed propalam et aperte nunc horrificum bellum gerunt, Episcopos universae catholicae Ecclesiae ante hos duos menses per epistolam nostram excitavimus eosque vehementer adhortati sumus, ut a suis quisque dioecesibus nefarios et flagitiosos libros prohibeant, et si qui forte illuc irrepserint, fideles Christi ab eorum lectione absterreant. Quae nostra epistola futurum in Domino confidimus, ut, Dei gratia adiutrice, episcopalem eorum zelum commoveat, cum videamus ex eius lectione regiae maiestatis tuae religionem exarsisse ad avertendam a regionibus tuae dictionis tantam perniciem non satis omnibus bonorum omnium lacrimis deplorandam.

Dolet de recenti decreto pro Mediolan. ducatu edito quoad imprimendorum, et introducendorum librorum censuram.

§ 2. Sed veremur, ut flagrantissimo quo incenderis christianae religionis et catholicae fidei conservandae studio, administri et consiliarii tui, charissima in Christo filia nostra, viam illam commonstrent, quae ducit ad religiosissima tua perficienda consilia. Legimus scriptum a regiae maiestatis tuae administris, dilecto filio nostro Cardinali Puteobonello, Archiepiscopo Mediolanensi, et illius civitatis inquisitori tradito, in quo scripto ratio et veluti quaedam forma describitur, qua libri censurae sint subiiciendi et in Mediolanensem ducatum introducendi. De quo scripto, quid ipsi sentiamus, libere et illo animi candore, qui nobis est proprius, et quo nunc maxime debemus uti, cum de re agitur omnium gravissima, regiae maiestati tuae exponemus. Urget enim nos paternae erga te, charissima in Christo filia nostra, vis caritatis, tuaeque studium gloriae; urget de integritate fidei, animarumque aeterna salute sollicitudo; urget nos denique caritas Christi, ut in hac re nihil prorsus dissimulemus.

Cuius decreti maximum fuit gravamen, laicam potestatem in iudicem censurae erigere, maxime in materiis ecclesiasticis.

§ 3. Itaque ne gravere, quaesumus, si libere maiestati tuae dicamus, videri nobis maximum inde proventurum religioni et ducatus mediolanensis publico bono detrimentum. Consideret enim regia maiestas tua, examinandorum et imprimendorum librorum negotium regiae deputationi tradi, eorumque iudicio et potestati totum permitti. Qui enim primas in hac re habent partes, laici sunt: his facultas erit varia librorum genera alia ab aliis secernendi: hi ad delegatos sive ecclesiasticos sive laicos censuram librorum iniungent: hi varias dissidentesque censorum sententias audient, ac de iis sententiis extremum et peremptorium ferent iudicium: hi denique, ut sibi visum fuerit, libros, qui censuram subierint, typis aut vulgari negabunt, aut excudi permittent; ac propterea deinceps in Ecclesia Dei penes laicos omnis erit de quocumque doctrina iudicandi auctoritas et potestas. Quo quid absurdius? si nimirum de libris agatur, ubi doctrinae tradantur, quae vel ad christianam religionem in universum, vel ad catholicam fidem spectent, vel ad mores, vel ad rem canonicam, vel ad ecclesiasticam pertineant disciplinam? Id vero esset Ecclesiae liberam, quae usque ad hanc diem illi fuit, in hac re potestatem adimere, et ut verius dicamus gravissimam sponsae Christi facere iniuriam, eique sacrum doctrinae depositum, quod accepit a Christo Domino custodiendum, eripere. Atqui cum Apostolis, non cum magistratibus saeculi, loquebatur Dominus Iesus cum dixit: *Qui vos audit, me audit.*

Quin gravamen tollatur per demandatam binorum ecclesiasticorum deputationem in censorum numero.

§ 4. Existimamus enim te, carissima in Christo filia nostra, satis intelligere pro tua praestanti prudentia, nulla via, quam per typographiam, longius latiusque manare doctrinas in vulgus, ac propterea in re typographica vigilantiam Ecclesiae partem esse maximam illius custodiae quam debet in servando fidei deposito adhibere. Illud etiam maxime velimus regia tua maiestas animadvertat, ubi examinandorum librorum qui praelo sint excudendi vel nihil vel parum Ecclesiae relictum est loci, christianam religionem et catholicam fidem a teterrimis et flagitiosissimis libris accepisse maximam cladem. At enim, qui novam hanc examinandorum librorum rationem excogitarunt, dicent fortasse, fidei incolumitati et christianae disciplinae morum-

pectoribus evomunt, illimes credendi fontes corrumpunt, et religionis fundamenta convellunt. Abominabiles facti in studiis suis, sedentesque in insidiis clam e pharetra iacula educunt, quibus in obscuro sagittent rectos corde. Quod est tam divinum, tam sanctum, et vetustissima omnium temporum religione consecratum, a quo impias continuerint mentes, et in quo oppugnando linguas suas tamquam gladium non exacuerint? Cucurrerunt primum adversus Deum erecto collo, et armati pingui cervice contra omnipotentem roborati sunt. Impiorum deliramenta toties fracta e cineribus excitantes, Deum ubique praedicantem, et quotidie in oculos incurrentem denegant, non ex obtusa ingenii acie, sed solo depravatae voluntatis consilio; vel Deum ipsum desidem et otiosum effingunt, cuius nec providentiam colant, nec

---

que integritati satis esse consultum, quod duo interveniant alter ab Archiepiscopo alter ab Inquisitore delegati ecclesiastici viri.

Semper enim praevalebit sententia laicorum censorum prae ecclesiast. opinione.

§ 5. Sed cuius roboris, quaesumus, erit eorum auctoritas? quid ab iis afferetur momenti ad reiiciendos, vel typis evulgandos libros, quibus doctrinae ad fidem et disciplinam spectantes contineantur? Quantumvis enim libere suam sententiam proferant, haec si adversetur sententiae saecularium censorum (quibus tamen de talibus doctrinis ne hiscere quidem liceret), semper tamen in deputatorum saecularium erit arbitrio laicorum potius censorum probare sententiam, et typis permittere librum aliquem imprimi, quem sacri ministri erroneum, et futurum fidelibus scandalo, contra saeculares ministri ab omni labe purum iudicaverint. Hinc inter utriusque potestatis ministros pro sua quosque sententia digladiantes, rixae et contentiones, sacerdotium inter et imperium amarae conquestiones atque discordiae magno cum religionis et ipsius quoque reipublicae detrimento.

Ad quae avertenda mala hortatur imperatricem reginam ne aliquid innovari sinat praescriptis in Conciliis Lateranensi et Tridentino.

§ 6. Quamobrem ad haec avertenda mala nihil praestabilius, carissima in Christo filia nostra, quam eorum quae usque ad hanc diem experte sumus bene consulta nihil prorsus movere in ditione Mediolanensi, ubi ad librorum examen atque censuram nihil opus est amplius, quam ut exacte serventur regulae iamdiu a duobus generalibus conciliis Lateranensi et Tridentino praescriptae, et ab eo Archiepiscopo, qui magnum est Mediolanensis Ecclesiae ornamentum, S. Karolo Borromaeo in provincialibus Synodis summopere commendatae. Iis enim regulis praesertim Principum praedecessorum tuorum quoque usque ad hanc diem patrocinio roboratis, ipsa docuit experientia nihil esse salubrius, nihil ad coercendam evulgandorum librorum licentiam accommodatius. Itaque existimamus numquam melius te, carissima in Christo filia nostra, tuo religionis et catholicae fidei conservandae zelo satisfacere posse, quam cum auctoritatem tuam impenderis, ut, quae de imprimendis libris prudentia summa sapientissimi Episcopi in memoratis conciliis constituerunt, sancte et accurate custodiantur. Nam nova moliri, incertum quo sint evasura et plerumque periculosum; vetera mutare, quae ipsa experientia conducilia et utilia quantam laudem habere possit, ipsa regia maiestas tua iudicaverit. Denique, ut in eo scribendi finem faciamus, quo in his literis nostris spectavimus; nullam quaesumus in hac re mutationem fieri patiatur regia maiestas tua; sic enim servatis Ecclesiae antiquis regulis tuum in religionem amorem expleveris, et a Christo Domino eiusque sponsa Ecclesia, quae sola est doctrinae meritorumque magistra, uberrimum gloriae meritorumque fructum retuleris. Tibique carissima in Christo filia nostra, quam paterni animi nostri praecipua caritate prosequimur, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. ianuarii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

Dilecto filio nostro Iosepho tit. S. Mariae supra Minervam S. R. E. presbytero Cardinali Puteobonello nuncupato Archiepiscopo Mediolanensi,

CLEMENS PAPA XIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Eum commonet de evulgato rumore erigendi Mediolani typographiam a laica tantummodo censura dependentem.

§ 1. Ingruentibus in dies atrocioribus Ecclesiae Dei calamitatibus et aerumnis, ille nos gravissime conficit dolor, quod ipsi S. Matris filii talia moliantur, e quibus oriantur omnino necesse est malorum omnium, quae luctuosissima habentur et maxima. Nunc enim quid apud vos designatur? Typographiam isthic a saeculari potestate institui non ex inani rumore sed certis auctoribus intelleximus: in qua omnis generis libri non amplius ab ecclesiasticis censoribus, sed ab iis tantum quos eadem laica potestas praefecerit, examinandi, te primario pastore, et haereticae pravitatis inquisitore inconsultis et insciis, imposterum excudantur.

Quantum periculosum religioni sit, ecclesiasticos censores in re typographica removere.

§ 2. Quo quid Ecclesiae contumeliosius, quid gregi dominico exitialius? cum a re typographica, unde doctrinae omnes longe lateque emanant in vulgus, illi amoveantur, quos orthodoxae fidei morumque custodes Ecclesia constituit. Postulare videbatur nostrorum iniquitas temporum, cum incredibili christianae religionis et catholicae fidei pernicie debacchatur quidvis opinandi effrenata licentia, ut ad luendam pietatis doctrinam ab Ecclesia duplicarentur excubiae. Ecce autem a saeculari potestate ipsa Ecclesia pellitur a custodia, et duo tantum censores adhibentur, quibus omnium approbandorum cuiuslibet argumenti librorum nullis circumscripta finibus datur facultas.

Archiepiscopum hortatur ut veterem in hac re Ecclesiae disciplinam custodiat et vindicet.

§ 3. Quamobrem, dilecte fili noster, tua nunc exprompta pietate opus est et animi fortitudine, tuumque zelum et tuendae ecclesiasticae potestatis in hac re flagrantissimum studium ab episcopali virtute tua maiorem in modum requirimus; ut tuo consilio et opere ad nihilum redigantur eiusmodi perniciosi conatus, quibus in extremum videtur adducta discrimen catholica fides, et universa christiana religio. Quid enim malorum non erit pertimescendum, si sacrum doctrinae depositum Romano Pontifici et primariis pastoribus traditum, vel ab eorum manibus laica potestas eripiat, vel iis adimat eiusdem sacri depositi custodiendi facultatem et copiam?

Quam sane disciplinam, regulis datis, defendere caverunt Concilia quamplurima, et praesertim Lateranense ac Tridentinum.

§ 4. De qua orthodoxae doctrinae incolumitate servanda, oecumenicae Synodi ac praesertim Lateranensis et Tridentina vehementer sollicitae, sapientissimas de edendis in publicum libris regulas providentia summa praescripserunt, quas omnes funditus deletas esse oportet, si censores et typographi a laica tantummodo potestate huic rei praeficiantur, quorum facultas neque ab Episcopo, neque ab inquisitore pendeat; qui quoslibet libros quamcumque tradentes disciplinam suo arbitratu probent; quorum denique auctoritate ac permissu, inscia et inconsulta ecclesia, et, quod haud ita raro contigerit, etiam invita, praelo excusi libri in publicum prodeant.

iustitiam vereantur. Animae vero nostrae originem et naturam ad imaginem supremi conditoris creatam, et paulominus ab Angelis minoratam, foeda prorsus et vesana opinandi licentia mortalem praedicant. Materiam sive creatam senserint, sive aeternam, et nulli causarum obnoxiam somniaverint, nihil tamen praeter illam in hac rerum universitate arbitrantur; vel coacti fateri spiritum cum materia existere, animam tamen ab hac coelesti conditione deturbant; nolentes intelligere, in hac ipsa, qua compacti sumus imbecillitate, spiritale quiddam et incorruptum inesse, cuius vi sapimus, agimus, volumus, quo et futura providemus, et intuemur praesentia, et praeterita recordamur. Alii vero, etsi probe sentiant, abigendam esse procul terrenarum caliginem rationum, et ab illuminatae fidei oculo depellendum mundanae sapientiae fumum; recondita tamen fidei mysteria, quae exuperant omnem sensum, humanis audent examinare ponderibus, et scrutatores facti maiestatis, opprimi non verentur a gloria. Irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quaestiones de altissimis rebus temere ventilantur; omnia sibi usurpat audax inquirentis ingenium, omnia scrutatur, fidei nihil reservans, et eidem detrahit meritum, dum in humana ratione quaerit experimentum. Nonne iis etiam necesse est indignari, qui turpissima et rerum et verborum obscoenitate severos et pudicos mores per summum scelus corrumpunt, execrabilem vivendi licentiam suadent mentibus incautorum, et pietati extrema inferunt dispendia? Quid, quod scripta sua conquisito quodam nitore et blanda orationis festivitate ac lenocinio inspergunt, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius veneno erroris inficiant? Sic imprudentibus fel draconis in calice Babylonis propinant, qui suavitate sermonis illecti et obcoecati, toxicum, quo pereunt, non agnoscunt. Quis demum acerbissimo non conficiatur moerore, cum viderit infensissimos hostes, praetergressos quoscumque modestiae ac debiti obsequii fines, editis, nunc certo, nunc ementito praelio, contumeliosis libris, irruere in ipsam Petri sedem, quam Redemptor fortis Iacob posuit in columnam ferream et in murum aeneum adversus principes tenebrarum; hoc perdito fortasse adducti consilio, ut, ubi caput afflixerint, liberius Ecclesiae membra discerpant?

Ad tam dira mala evellenda futuraque impedienda cunctorum Antistitum auxilium implorat.

§ 2. Itaque, venerabiles fratres, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, et de singulari sacramento humanae salutis edocuit, non possumus in tanta librorum depravatione, quin, quod nostrarum est partium, studia devotionis vestrae excitemus, ut, qui in partem pastoralis sollicitudinis vocati estis, in idem maiori quo potestis conatu conspiretis. Pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies; nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant. Dispensatores facti mysteriorum Dei, et armati illius potentia ad destructionem munitionum, satagite, ut creditae vobis oves, Christi sanguine redemptae, a venenatis hisce pascuis arceantur. Si enim necesse est a malorum hominum societate discedere, quod verba eorum multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; quam vastitatem pestilentia efficiet librorum, qui apte compositi, et artificii pleni, manent perpetuo, et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quae

---

Archiepiscopum a defendenda ecclesiastica hac disciplina haud desistere posse suadet ob iusiurandum ab eo emissum in pastoralis officii assumptione.

§ 5. Quanti vero intersit, ne libri evulgentur, quos ecclesiastica potestas non antea probaverit, illud exemplo esse potest, quod ubi examinandorum qui praelo sint excudendi, nullus Ecclesiae relictus est locus, maximam christiana religio et catholica fides a teterrimis et flagitiosissimis libris acceperit cladem. Supervacaneum ducimus, dilecte fili noster, commemorare, quid cum episcopalibus mysteriis initiarere, de servanda in dominico grege catholicae doctrinae incolumitate Christo Iesu Domino nostro eiusque sponsae Ecclesiae sanctae promiseris; nec acriores cohortationis nostrae stimulos pietati tuae admovendos existimamus, ut omnes zeli tui nervos intendas, ad hanc depellendam, quae Ecclesiae imminet, foedissimam tempestatem.

In proposita defensione praestanda, coniuncto labore cum inquisit. contra haereticam pravitatem, procedendum esse insinuat.

§ 6. Illud autem esse te monitum volumus, ut dilectio tua et inquisitoris sollicitudo in hac re ita procedant, ut neuter vestrum inscio altero et inconsulto quidquam consilii capiat, vel aliquid moveat; sed paribus et consentientibus utriusque vestrum voluntatibus omnia a vobis fiant, quae in hac re facienda esse existimabitis. Quod ad nos attinet, Deo adiutore nihil nobis reliqui faciemus ad nostram adversus huiusmodi exitialia molimina potestatem auctoritatemque apostolicam exercendam; nec quidquam a nobis vos desiderare patiemur studii nostri et officii; quo in hoc gravissimo negotio et maximo, vester zelus, vestra pietas, vestra sedulitas et industria quam maxime adiuventur. Tibique, dilecte fili noster, intimo nostri cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. maii MDCCLXVI., pontificatus nostri anno VIII.

improbo et occulto auctori aditus non pateret? Constituti ministri Christi in gentibus, ut sanctificetis Evangelium suum, perficite, laborate et, quantum in vobis est, opere et sermone succidite fallaciae stirpes, corruptos vitiorum fontes obstruite, insonate buccina, ne pereuntes animae de manu speculatoris requirantur. Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua insigniti estis; pro potestate, quam a Domino accepistis. Praeterea, cum nemo possit ac debeat, ab huius tristitiae participatione secerni, et in tanto fidei et religionis discrimine una omnibus dolendi, una iuvandi communis sit ratio; avitam catholicorum principum pietatem, ubi res postulat, implorate; gementis Ecclesiae causam exponite; et amantissimos eius filios, de illa tot nominibus egregie semper promeritos, ad opem ferendam excitate; ut, quoniam non sine causa gladium portant, coniuncta sacerdotii et imperii auctoritate, perditos homines contra phalanges Israel pugnantes strenue compescant et eliminent. Ad vos, venerabiles fratres, potissimum pertinet stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est, et tueri sanctissimum fidei depositum, cuius custodiae in solemni inauguratione sacramento vos addixistis. Detegantur fideli populo vulpes, quae vineam Domini demoliuntur; moneatur, ne capi se sinat splendidis certorum auctorum nominibus, ne circumferatur nequitia et astutia hominum ad circumventionem erroris; unoque verbo, libros execretur, in quibus aliquid resideat, quod lectorem offendat, fidei, religioni, bonisque moribus adversetur et christianam non sapiat honestatem. In quo quidem plerisque vestrum intimo gaudio gratulamur, quod apostolicis inhaerentes institutis, et ecclesiasticarum legum strenui vindices omnia studia sua in hac avertenda peste fortes vigilesque contulerint, nec siverint simplices tuto dormire cum serpentibus. Nos certe, qui sollicitudine omnium ecclesiarum et salutis populi christiani angimur et distinemur, nulli parcentes labori, vestro etiam in tam gravi periculo adiuvari pollicemur. Deum interim in humilitate cordis nostri rogare non desinemus, ut det vobis auxilium de sancto ad declinandam insidiantium hostium calliditatem, et ministerii vestri partes cumulate implendas; et in optati eventus auspicem vobis et gregi vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. novembris MDCCLXVI., pontif. nostri anno IX.

LXI.

Cum Mutinensi Duce queritur Pont. quod duo puellae iudaeae a proprio patre Ecclesiae oblatae, et iudaeus alter adultus ad Cathecumenorum domum migratus, mutinensis magistratus iussu fuerint ad iudaeorum septa redacta (1).

---

(1) Vide Ben. XIV. const. *Postremo mense, Probe te meminisse.* Cum Dux illico Pont. voci obtemperaverit, sequentem literam meritus est quae invenitur in Reg. lit. ad Principes.

Dilecto filio nobili viro Francisco Duci Mutinae,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Mutinensem ducem laudat pro eximia illius religione. § 1. Opinionem de te nostram tua non fefellit religio; et cum ad nobilitatem tuam proximas literas scriberemus, qui egregiam tuam voluntatem, et obsequentissimi filii devotum in S. Matrem Ecclesiam animum tuum abunde novimus, pro certo habebamus, ubi primum eas literas accepisses, te incunctanter de gravissimo illo scandalo amovendo cogitaturum. Itaque lectis literis tuis, noli quaerere, dilecte fili nobilis vir, quanto triumphavimus gaudio, cum pietatem tuam eiusmodi esse recognovimus, qualem semper fuisse et esse recte iudicavimus. Vidimus quae tua sit satisfaciendi Ecclesiae studiosa voluntas, et de tua ipsius aeterna salute quam sollicita cura; qui ut in hac re securo incedas gradu, a nobis ipsis te monitum velis, quid tibi faciendum censeamus.

Consilia eidem praebet quod laicos adigere magistratus possit. § 2. Itaque magistratum Mutinensem iubeas oportet, duas illas parvulas et adultum illum iudaeum sine ulla mora ad cathecumenorum domum remittere; et eas quidem, ut illico per sacrum regenerationis lavacrum christianae aggregentur Ecclesiae, illum autem, ut per 40 dies ven. frater regensis Episcopus eius animum diligenter exploret, et siquidem hominem comperiat cupidum esse christianae religionis et disciplinae, salutari baptismate illum abluat; sin minus, ad iudaeorum septa iubeat reduci. Ad hoc praescriptum Ecclesiae abunde nobilitas tua satisfaciet, omnemque tibi eximes scrupulum, qui te in posterum male habeat; quod quidem maxime tibi est providendum: nam in hac re, quae sane gravissima est, quidquid reliquum tibi erit scrupuli, nimio acrius quam existimaveris, animum tuum adsidue fodiet. Ceterum, dilecte fili nobilis vir, videto, quaesumus, ne te absente magistratus saecularis tales res iudicandas suscipiat, de quibus ad Ecclesiam unice spectat iudicium. Nunc autem quod sanctissimis Ecclesiae legibus tam prompto pareas animo, dici vix potest, id tibi tantopere gratulemur; et nobilitati tuae Deum precamur ut maxime sit propitius, iisque omnibus, quae optas, divinae gratiae suae numine obsecundet; tibique, dilecte fili nobilis vir, quem in nostrae caritatis gerimus sinu, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. martii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

Dilecto filio nobili viro Francisco Mutinae Duci,

CLEMENS PAPA XIII.

Dilecte fili nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

De binarum puellarum oblatione a parente facta sermonem instituit, deque arbitraria illarum ad iudaeos restitutione.

§ 1. Cum a ven. fratre Ioanne Maria Episcopo Regiensi, haud ita pridem accepissemus, iudaeum quemdam, cui nomen Elias Sonninus, considerato consilio certoque animo, parvulas duas filias S. Matri nostrae Ecclesiae sponte sua obtulisse, superabundavimus gaudio, manusque ad coelum sustulimus, gratias agentes Deo, quod acerbitatem quotidianae nostrae sollicitudinis et curae ex afflictis fere ubique catholicae Ecclesiae rebus ea lenire consolatione voluisset: quamquam gaudium nostrum itemtidem stupore quodam intermittebat ex incomprehensibili Dei iudicio: qua enim gratia parvulis puellis sacro regenerationis lavacro oblatis porta coeli quodam modo aperiebatur, eiusdem gratiae fructum idem pater non potuit capere: qui Deo ab iudaica illum superstitione ad Iesu Christi fidem vocanti, obstinato animo restitit. Iussimus autem duas illas infantes a memorato Episcopo baptizari; cumque anxie illius literas expectaremus, quae nobis afferrent, eas sacro ablutas lavacro ad christianam Ecclesiam fuisse iam aggregatas, inopinato ac plane horribili nuncio sumus perculsi. Nobis enim rescripsit idem ven. frater, se inscio, ex improviso parvulas illas, magistratus Mutinensis iussu, cathecumenorum domo noctu extractas, et ad iudaeorum septa asportatas, perfidi parentis curae et custodiae fuisse traditas.

Agit de iudaeo adulto ad cathecumenorum domum migrato, et ab eadem arbitratu Mutinensis magistratus electo.

§ 2. Quam indignitatem alia iudaeorum consequuta est, magistratu Mutinensi pariter adiutore, in Ecclesiam iniuria. Quidam enim iudaeus ad catechumenorum aedes confugerat, quem hebraei omnino mentis impotem dictitabant. Episcopus in eius dementiae, quam illi tantopere praedicabant, cognitione et examine versabatur, diligenterque hominem excutiebat, serio ne de amplectenda christiana religione cogitaret. Ecce autem, eodem pariter inscio et inconsulto Episcopo, magistratus Mutinensis ea nocte, quae noctem illam est proxime consequuta, cum memoratae duae parvulae infantes prope ab Ecclesiae sinu fuerunt abreptae, iudaeum illum ad hebraeorum habitacula reduci curavit.

Iniuriose ea facta fuisse christianae religioni demonstrat, et Mutinensis ducis auxilium expostulat.

§ 3. Quae iniquissima duo iudicia, disceptantibus hinc christiana Ecclesia, hinc iudaica sinagoga, qui a te, dilecte fili nobilis vir, existimasset esse profecta, atrocem praeclarae religioni tuae et aequitati iniuriam faceret, nobis quidem minime dubium est, te insciente Mutinensem magistratum tam nullam habuisse rationem Ecclesiae, tam studiose favisse iudaicae perfidiae. Huius autem facti, de quo nemini umquam vel exiguo religionis sensu praedito indignabunda satis suppeditare potest oratio, egregiae tuae pietatis erit funditus, si fieri potest, vel ipsam delere memoriam. Ad te confugimus, a te duas animas Iesu Christi sanguine redemptas, et per sacrum regenerationis lavacrum eidem sanctae matri, cui dono datae fuerunt, restituendas, quam maxime flagitamus. Qui tibi delectum facienti se exhiberet, et militiae vellet nomen dare, illum si quis malitiose a se suscepto consilio retraheret, cogitet, velimus, nobilitas tua, quam graviter ea de re iure quidem ac merito irasceretur. Ecclesiam pariter estimato, dilecte fili nobilis vir, iure indignare et conqueri, quod a suo sinu animae illae fuerint avulsae, quas vel ultronea sui ipsarum deditione, vel oblatione legitima suas propriasque iure censebat, iamiam per baptismatis sacramentum christianae militiae nomen daturas. At enim adulti illius iudaei cui mens integra non esset, improvida censenda est et inconsulta conversio: duarum itidem infantium oblationem inconsiderate factam inde quis recte iudicaverit, quod pater postridie quam filias Ecclesiae obtulit, factum mutavit, eamque oblationem infectam voluit. Ad hunc quidem modum in hac re disputant iudaei, iudaeorumque fautores, quibus magistratus Mutinensis omnem habuit fidem, nec prae sinagoga tanti esse christianam Ecclesiam estimavit, ut eius etiam rationes censuerit audiendas. Quo nihil iniuriosius, nihil absurdius, flagitante nimirum iudaica perfidia christianos iudices Ecclesiam indicta causa de sua quasi possessione deturbasse. Obstupescite coeli super hoc, et portae eius desolamini, verum de huiusmodi rebus solius est Ecclesiae iudicare.

Ecclesiae proprium erat iudicare tum de adulto iudaeo tum de puellis oblatis prout de similibus iudiciis plura habentur exempla.

§ 4. Illa enim iudaeum illum apud se diligentissime custodire debebat, ne cui fraudi aut subversioni esset locus, eiusque voluntatem accuratissime explorare. Eas vero parvulas infantes a parente dono acceptas, ac propterea suas et proprias Ecclesia iustissime possidebat, cui manus illud

contra ius et fas minime ereptum oportuit. Satis enim notae sunt ecclesiasticae leges, quae praescribunt quid facto opus sit talibus in rebus, et innumera pene proferri possunt exempla, quae probant parvulos infantes ab iudaeis parentibus Ecclesiae oblatos, ipsius laicae potestatis auctoritate apud eamdem Ecclesiam fuisse retenta, etiamsi parentes ad superstitionem iudaicam remigrassent. Quae quidem exempli in longinquis regionibus nihil est opus conquirere, sed eorum memoriam in ipsis ditionis tuae locis, neque altius quam ab aetate illustris parentis tui facile potest nobilitas tua repetere. Nam in eadem Regiensi civitate anno MDCCXXXV. iudaea quaedam mater fuit, quae plures habebat filios. In his erat filia adulta aetate, quam christianae religionis revera cupidam, ut a sancto proposito averteret nefaria mater, se quoque ad Christi Ecclesiam aggregari velle simulavit. Cui simulationi maiorem ut adstrueret fidem ad catechumenorum domum commigravit, sexque alios ecclesiae obtulit filios suos, partim puerulos partim adultos, quos apud patrem in iudaeorum septis reliquerat. Cum autem scelestae foeminae patefacta fuerit simulatio, parentibus frustra magno clamore suos reposcentibus filios, pronuntiatum fuit puerulos baptizandos, et qui adulta essent aetate, eorum esse animum explorandum, num et ipsi christianam religionem vellent amplecti.

Mutinensis Duces religionem excitat, ut is, exemplis etiam expositis, Ecclesiae illatam iniuriam vindicet.

§ 5. Sed cui verus inest christianae religionis amor, nihil est opus ecclesiasticas, quibus tenetur, leges commemorare, aut exempla adhibere, quibus tamquam stimulis excitetur. Summa huius rei huc tandem redit: animae sanguine Christi redemptae, adspirante divina gratia, dono dantur Ecclesiae, atque ita ex ore et faucibus inferni eripiuntur. Eas in potestate iudaeorum deserere, perinde est ac easdem aeternis poenis cruciandas ad inferos deturbare. Has a nobilitate tua nos summopere flagitamus, atque de religione tua ea est nobis opinio, ut de iis impetrandis arctam propemodum opem habeamus. Quod si postulata nostra (quod Deus prohibeat) repudiaveris, cogitato, quaesumus, dilecte fili nobilis vir, illum aliquando futurum diem, cum Iesus Christus Dominus gloriae, iudex vivorum et mortuorum, cuius nomen est super omnem principatum et potestatem, harum a te rationem animarum requiret quarum aeterna poena tibi imputabitur. Nos quidem cum de his nobilitatem tuam pro apostolico nostro munere admonemus, animam nostram liberavimus. Ipse autem videto apud aeternum iudicem quam excusationem sis allaturus, sed a pietate tua, dilecte fili nobilis vir, nihil nobis non pollicemur. Interea nobilitati tuae paterno animi nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. februarii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

LXII.

Praefectis missionum Ordinis Minorum S. Francisci in Indiis Occidentalibus inter discretos seminariorum missionum huiusmodi recensentur, eisque post primum discretum locus assignatur.

CLEMENS PP. XIII.

ad futuram rei memoriam.

Praefecti harum missionum nulla donabantur praerogativa, ex praecedentibus constitut. apostolicis et ordinis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni praefecti missionum seminariorum Ordinis Minorum Sancti Francisci, de observantia nuncupatorum, in partibus Indiarum Occidentalium erectorum, quod licet ipsi tamquam deputati a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis in dictis seminariis atque missionibus quoad spiritualia omnimodam gerant praefecturam, nihilominus neque a fel. rec. Innocentio Papa XI. praedecessore nostro in suis super statutis regimine ac gubernio seminariorum huiusmodi in simili forma brevis die VIII. maii MDCLXXXII. et die XVIII. iunii MDCLXXXVI., ac die XVI. octobris eiusdem anni expeditis literis, neque a constitutionibus generalibus ordinis huiusmodi apostolica auctoritate confirmatis, eisdem exponentibus ullus assignatus fuit locus standi ac incedendi, tam in casu, quo ipsi operam dant missionibus praedictis, quam quoties extra missiones huiusmodi moram faciunt.

Petitio Pontifici directa, ut praefecti hi peculiare distinctum locum obtineant, et inter discretos seminariorum accenseantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quam maxime conveniat muneri praefecturae huiusmodi, quod dicti exponentes, qui eisdem missionibus quoad spiritualia praesunt, certum incedendi et standi locum obtineant, et, eodem munere durante, inter discretos seminariorum huiusmodi numerentur: Nobis propterea hu-

militer supplicari fecerunt, ut tam in dictis missionibus, quam in seminariis huiusmodi ipsis locum sedendi, standi ac praecedendi, assignare, eosque in numerum discretorum, qui in quolibet seminario missionum huiusmodi sunt, referre, ac sibi in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, peculiaresque leges inducit queis gaudere indultis honoribus queant.

§ 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium, qui ministrum generalem dicti Ordinis prius audiendum esse censuerunt, consilio, dictos exponentes, eorumque in officio praefecturae missionum dictorum seminariorum successores, inter discretos seminariorum huiusmodi recensendos esse, eosdemque praefectos in omnibus consessibus, congregationibus, aliisque actibus communibus secundum locum post primum discretum eorumdem seminariorum obtinere debere, ita ut primus tantum discretus eos praecedere possit, apostolica auctoritate tenore praesentium volumus et mandamus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, ordinis et seminariorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesima tertia februarii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

LXIII.

Cum magni Ducis Etruriae confessario conqueritur de puella, iudaeis parentibus nata, deinde baptizata, et a saeculari potestate Florentiae parentibus reddita.

Dilecto filio Iosepho Summating Soc. Iesu Pbro. magni Etruriae sibi subiectae Ducis confessario,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Narrat quomodo puella, a iudaeis orta parentibus, fuerit sacro fonte abluta, et deinde parentibus reddita.

§ 1. De puella ista iudaeis orta parentibus, quae Pisis cum ante hos fere tres annos gravissimo correpta morbo versaretur in vitae periculo, a christiana femina eius nutrice sacro baptismate Ecclesiae Christi fuit adgregata, deinde a mortis limine restituta, dilectissimi in Christo filii nostri magni Ducis iussu patri reddita, in iudaeorum septis ab eo tempore commoratur, nostrum remordet animum gravis et assidua cura. Nosti, dilecte fili, nostro nos non defuisse tunc apostolico officio, et sedulo curasse, ut optimo principi plures rationes exponerentur, quamobrem nefas existimemus eamdem puellam cum summo Christi

nominis dedecore et probro inter iudaeos degere, eamque conditionem esse plane absurdam, ut, cum ad decimum tertium aetatis annum adoleverit, in hebraeorum contubernio educata et iudaicis superstitionibus probe imbuta libere profiteri queat ex christiana scilicet et iudaica quamnam denique religionem probet amplecti. Pietatem religionemque principis per venerabilem frat. Archiepiscopum Sidensem Nuncium nostrum inani querimonia imploravimus. Venerabilium quoque fratrum Archiepiscoporum Florentini et Pisani zelum ad hanc rem adhibuimus, quorum pii conatus nihil a magno Duce consequi potuerunt. Tua etiam opera, dilecte fili, ut probe nosti, frustra usi sumus; ac per hos annos, qui ab eo tempore defluxerunt, ea res nimio validius, quam possimus exequi verbis, nostram de aeterna illius puellae salute curam solicitavit.

Commemorat exemplum aliud huic simillimum in ditione Ducis Mutinensis, de quo querelas extollerat.

§ 2. Nunc vero sic, ut nunquam acrius animo urimus, cum ex imitatione perniciosissimi exempli fuerint, qui Ecclesiae eamdem fere iniuriam inferre sunt ausi, ut apostolicum officium nostrum deserere putaremus, si diutius taceremus, et in talibus rebus, hunc morem induci aequo animo pateremur, quo deterioris conditionis esse christiana videatur Ecclesia prae iudaica sinagoga. Nuper enim simile quid accidit in civitate Regiensi, ubi iussu magistratus Mutinensis duae parvulae infantes, quas iudaeus pater christianae Ecclesiae obtulerat, a cathecumenorum domo ad iudaeorum habitacula reductae fuerant; quamquam in hac re characteris baptismalis impressi nulla fuerat profanatio; neque enim sacro regenerationis lavacro ablutae fuerant. Nos ad dilectum filium nobilem virum Franciscum Mutinae Ducem magna cum fiducia confugimus, satis perspectam, requirentes pietatem eius et religionem, et ab eo statim impetravimus, ut parvulae illae ad catechumenorum domum reducerentur. Vides, dilecte fili, quae sit virtus exempli. Utinam, ut regii, de eo quod Pisis factum est, secularis magistratus sumpsit imitationem, ita dilectissimus in Christo filius noster, magnus Etruriae sibi subiectae Dux, Petrus Leopoldus, de Mutinensis Ducis religione, et in S. Ecclesiam reverentia capere velit exemplum.

Hortatur magni Ducis confessarium, ut illius religionem in subiecta materia excitet.

§ 3. Tu vero, dilecte fili, huc toto pectore incumbas oportet, ut magnus Dux sibi denique persuadeat, tamdiu eius animam de aeterna salute periclitari, quamdiu illius puellae anima apud iudaeos in summo versatur periculo subversionis. Hanc a te operam tuum praecipue flagitat ministerium, qui piissimum principem et egregia religione summopere praeditum in via Domini ducendum dirigendumque suscepisti. Quod si forte (quod Deus prohibeat) te nimio gesseris mollius, quam rei gravitas postulat, aut ille in eo, quod fecerit, sit obstinatior, videte quaesumus, quid respondendum habeatis reddituri rationem ei, qui paratus est iudicare vivos et mortuos, cum de manu tua animam principis, de manu principis animam puellae requiret. Quod ad nos attinet, in Domino confidimus, nos cohortando, monendo, obsecrando apostolatus nostri partes explevisse et animam nostram liberasse. Verum in iis, quae ad sublimem Ecclesiae divinamque pertinent potestatem, et quae praesertim ad aeternam animarum salutem spectant, non sinit omni spe nos destitui egregii principis in religionem devotissimus animus; imo vero non dubitamus, quin consiliis monitisque tuis permotus, S. Matris Ecclesiae legibus et institutis sit denique obtemperaturus. Tibique, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. aprilis MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

LXIV.

Concedit facultatem congregationi Oratorii S. Philippi Nerii civitatis Guadalaxarae promovendi alumnos ad sacros ordines, etiam presbyteratus, ad titulum missionis et mensae communis.

Venerabili fratri Episcopo Guadalaxaren.

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Describuntur incommoda derivantia ob tenue numerum operariorum, et necessitas novos alumnos quotannis promovendi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Laureanus de Oliban presbyter saecularis, et superior congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii istius Guadalaxaren. civitatis, quod iuxta eiusdem congregationis institutum ac consuetudines illius presbyteri gravantur pluribus oneribus saluti animarum maxime accommodatis, concionandi scilicet, audiendi confes-

siones, administrandi sacramenta, ac infirmis auxilium et assistentiam praestandi, quae quidem onera longe graviora sunt in istis partibus Indiarum, in quibus ob deficientiam operariorum frequentior est praedicatio, ac maiur populi concursus ad recipienda sacramenta; ac praeterea eiusdem congregationis presbyteri non solum coguntur spiritualem opem praestare infirmis in dicta civitate degentibus, sed illis quoque qui moram habent ab illa dissita, ac noviter conversos ad fidem erudire teneantur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, congregationi huiusmodi septem tantummodo presbyteri adscripti sint, quorum tres per aetatem atque adversam valetudinem a praedictis operibus vacare coguntur, reliqui quatuor ex presbyteris huiusmodi tantis ac tam multiplicibus oneribus pares non sunt, ac minime sufficiunt, et proinde dictus Franciscus Laureanus ad augendam Dei gloriam, et ipsius instituti incrementum, animarumque salutem promovendam, facultatem admittendi singulis annis in memoratam congregationem reddituum copia praestantem sex aut octo alumnos, qui ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum missionis et mensae communis promoveri possint, per nos concedi plurimum desideret:

Pontifex imploratam facultatem concedit sub aliquibus reservationib.

§ 2. Nos ipsius Francisci Laureani votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, tot alumnos supradictae congregationis idoneos tamen et probatos, quot putaveris necessarios pro sacramentorum administratione et pro exercitio instituti, ac intra vires reddituum eiusdem congregationis, titulo missionis et mensae communis congregationis praefatae, servatis caeteroquin servandis, ad sacros etiam presbyteratus ordines pro tuo arbitrio et conscientia, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium, promovere possis et valeas; ita tamen, ut si iidem alumni discesserint, vel dimissi fuerint a dicta congregatione, suspensi remaneant quatenus sufficienti beneficio vel congruo patrimonio iuxta taxam dioecesanam provisi non fuerint.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. iunii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

LXV.

Patriarchae Maronitarum nunciat, se electionem eius confirmasse ac Pallium misisse, eum excitat ad fidem populi fovendam, agit etiam de alumnis ad Collegium Maronitarum Urbis mittendis vel ab eodem Cellegio reducibus: casulam insuper ei donat ac facultatem largitur bis quotannis populo benedictionem apostolicam impertiendi (1).

---

(1) Ex Reg. Vat. Epistolar. ad Principes Viros et alios an. IX. p. 176.

Clero et populo Maronitarum confirmationem Patriarchae significat, et, commemoratâ antiquâ eorum fide, hortatur ut eam firmiter teneant, et ab obedientiâ Praesulum suorum non recedant; deterret etiam a litibus praesertim ecclesiasticis ad iudicem saecularem deferendis.

Venerabili fratri Iosepho Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Magnâ nos laetitiâ complevit gratissimus nuncius, quem nobis attulerunt literae tuae, summâ libertate animorumque consensione ab omnibus Archiepiscopis et Episcopis de gente Maronitarum fraternitatem tuam ad patriarchalem ipsam sedem fuisse evectam. Ipsae etiam literae tuae delectaverunt nos maiorem in modum, quod insignibus eas notis impresseris tuae erga hanc sacram Bmi Petri Apostolorum Principis Sedem obedientiae et devotionis, et erga nos egregiae voluntatis et singularis obsequii. Gaudemus igitur in Domino, ven. frater, tibique et istis Coepiscopis tuis, qui te ele-

---

Dilectis filiis clero et primoribus gentique universae Maronitarum,

CLEMENS PAPA XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Vix aliâ unquam ex re tantam cepimus voluptatem, quantam cum ex litteris ven. fratris Iosephi Petri Patriarchae vestri de eius electione cognovimus. Neque enim ullus est dubitandi locus Archiepiscopos et Episcopos nationis vestrae divino numine fuisse permotos, cum adeo pacate et tranquille, summâ omnium consensione, probatissimo et virtutum omnium praeclaro viro patriarchalem dignitatem detulerunt. Quis enim dubitet, ibi praecipuo quodam modo adfuisse praesentem Deum, qui non est Deus dissensionis sed pacis, ubi tanta inter illos caritas fuit animorumque coniunctio? Nos propterea electionem illam, unde ad universam ecclesiam vestram plurima eventura esse bona confidimus, libentissimo laetissimoque animo confirmavimus. Itaque paterno vobis animo gratulamur, tam bonum universae ecclesiae vestrae contigisse pastorem, et de laetitiâ vestrâ quam ex tam felici episcopalium comitiorum exitu vos accepisse oportuit, summopere ipsi laetati sumus. Vos enim, quamvis magno locorum intervallo a nobis disiunctos, tamen coniunctos vinculo caritatis semper complectimur, et veluti filios carissimos gerimus in corde et in visceribus Iesu Chisti: et merito; qui S. Romanae Ecclesiae, vestrae et omnium fidelium matri et magistrae, debitam semper praestitistis, et etiam nunc more institutoque maiorum vestrorum praestatis, omnimodam obedientiam, et magnâ divinae erga vos gratiae abundantiâ fidei integritatem ab eâdem Romanâ Ecclesiâ acceptam inter finitimas gentes infidelitatis tenebris obcoecatas et schismaticorum sectas, quibus circumsidemini, tenacissime retinetis. Ut autem recte et secundum caritatem digne Deo ambuletis, videte quaesumus ne vel tantillum a vestrorum Episcoporum, ac praesertim Patriarchae, obedientiâ recedatis; atque illa animo infixa semper habeatis, quae ad Smyrnenses scribebat martyr Ignatius: « Omnes, inquit, Episcopum sequimini ut Iesus Christus Patrem, et Presbyterium ut Apostolos – Si qua vero lis inter vos oriatur atque contentio, praesertim de re quae ad Ecclesiam pertineat, existimamus probe vos intelligere, quam indecorum et plerumque inutile sit et perniciosum ecclesiae et nationi vestrae causam ad iudicem saecularem dirimendam afferri. Id enim Corinthii ne facerent, vetuit Bmus Paulus: – Audet, inquit, aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud Sanctos? – et paullo post: – Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: et hoc apud infideles. » Denique, dilecti filii, vos in Domino etiam atque etiam rogamus et adhortamur, ut consideretis assidue, quantum prae ceteris debeatis Iesu Christo Domino nostro, qui in vero sui Deique Patris et S. Spiritus cultu, verâque pietate et fide, firmissimos perpetuo vos praestitit adhuc et praestat, et huic hactenus adhaerentes attinuit B. Apostoli Petri Sacratissimae Sedi, cum qua fidei petrâ tam multae sectae cum ab unitate catholicae Ecclesiae diversis erroribus distractae non cohaereant, a verâ salutis aeternae viâ quam longissime absunt. Peculiaris huiusmodi misericordis erga vos Dei gratia, satagite quaesumus, ne vacua in vobis sit. Gloriosa maiorum vestrorum vestigia sectemini, et quam illi vobis reliquerunt laudem et coronam, diligenter et caute tueamini. Corona enim vestra est in Domino, quod hanc S. Romanam Ecclesiam insigni et perpetuâ devotione semper prosequuti estis. Quod ad nos attinet, de vestrâ salute et tranquillitate solliciti quidvis libentissime impendemus, et superimpendemur ipsi pro animabus vestris. Gratia D. N. Iesu Christi sit cum omnibus vobis, quibus intimo paterni cordis nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. iunii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

Ex Reg. Vat. Epistolar. ad Principes Viros et alios an. IX., pag. 181.

Eadem de confirmatione Patriarchae scribit Praesulibus Maronitis, quos simul hortatur ut in eâ perseverent animorum concordiâ quam in electione Patriarchae ostenderant.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Patriarchatus Antiocheni nationis Maronitarum,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo maiore apostolicae nostrae caritatis affectu fraternitates vestras in Domino complectimur, eo nobis iucundiores sunt literae vestrae: quas vero ad nos attulit dilectus filius religiosus vir ex Ordine Minorum Observantium Dominicus Lucensis, omnium gratissimae nobis acciderunt. Novum enim Patriarcham a vobis electum afferebant unanimi omnium vestrum consensione summâque concordiâ, qua praesentissimum in eâ re Dei Numen vobis adfuisse nullum maius indicium. Hac animorum coniunctione et mutua inter vos caritate mirum quantum in Domino gaudemus. Spiritum sapientiae, ait scriptura, placitum esse in tribus, quae sunt probata coram Deo et hominibus, quorum primo ponit loco fratrum concordiam. Hanc retinete, quaesumus venn. fratres, omnesque causas, si quas forte vitio conditionis humanae suboriri contingat, unde aliqua incidere posset calamitas, qua mutuus inter vos amor dirimeretur, sine ullâ morâ quisque ve-

gerunt, pio gratulamur affectu, quod nobiscum tamquam membra capiti coniuncti, et ut filii obedientiae maiorumque vestrorum imitatores Romanam Ecclesiam vestram et omnium fidelium matrem et magistram agnoscitis et colitis, nosque vicissim fraternitatem tuam eosdemque Coepiscopos et nationem istam ut filios dilectionis amamus et gerimus in visceribus caritatis Christi. Quamobrem libentissime vidimus

---

strum studeatis extinguere. Quandiu enim fuerint omnium vestrum animi in Christi caritate conglutinati, tamdiu ab omnibus privatis studiis vacui, et nullâ aliâ curâ et aegritudine distracti, toti eritis in episcopali munere obeundo, ambulantes in domo Domini cum consensu, et ex laboribus vestris fructus capietis uberrimos, quorum ille praecipuus, et a sacris pastoribus omnium maxime expetendus, quod greges fidei et custodiae vestrae commissos disciplinae, qua illos instituere debetis, obaudientes et morigeros experiemini. Hanc vero cohortationem nostram non ita a vobis accipi volumus, quasi eâ vos egere existimemus; cum contra omni vos laude iudicemus esse dignissimos, quod in electione Patriarchae, in qua plerumque oriri solent dissidia, luculentissimum universae nationi vestrae exhibuistis mutuae inter vos caritatis argumentum. Sed ideo vobis haec scribimus, ut cautiores usque et vigilantiores sitis in conservando pacis bono, eoque maiorem adhibeatis curam et diligentiam, quo facilius est illud omitti: minimis enim ex rebus atque levissimis, quae plerumque negligi solent, maximas turbas saepe vidimus extitisse. Ceterum postulationi vestrae de confirmandâ Patriarchae electione obsequuti sumus libentissimo animo, tum vestri causâ, quos propter summam devotionem, qua Sacram B. Petri Sedem, egregiamque fidem vestram in S. Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram, impensissime amamus, tum etiam ipsius Patriarchae merito, quem praeclaris animi dotibus et pastoralibus imprimis virtutibus universae nationi vestrae novimus esse conspicuum, et a vobis in literis, quas ad nos dedistis, libentissime legimus omni laude cumulari. Quod quidem vestrum de praestantibus illius virtutibus testimonium non sinit nos dubitare, quin ei vos omnia praecipui obsequii semper praestituri sitis officia. Pallium nos illi mittimus de B. Petri corpore sumptum, aliaque munuscula quaedam adiecimus, quae volumus esse tamquam pignora apostolicae nostrae erga illum benevolentiae. Denique, venn. fratres, quos omnes in nostrae caritatis gerimus sinu, apostolicam vobis benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIX. iunii MDCCLXVII., pontificatus nostri anno IX.

Sequenti allocutione, quam ex act. consistor. depromimus Cardinalibus, in consistorio secreto coadunatis die VI. *aprilis* MDCCLXVII., *significat electionem Patriarchae Antiocheni, Maronitarum ab Episcopis illius nationis factam, quam Pontifex confirmat.*

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles fratres.

Ecclesiae Antiochenae merita commemorantur, et denuperrima Patriarchae electione rite facta agitur.

§ 1. Tristem haud ita pridem accepimus nuncium, bo. me. Tobiam Petrum Gazenium Patriarcham Maronitarum mortalis vitae suae cursum explevisse. Sed eam sane gravem iacturam abunde satis reparasse arbitramur eius nationis Episcopos, qui summa animorum consensione ven. fratri Ioseph Stephano Archiepiscopo Berytensi patriarchalem honorem detulerunt. In qua electione apparet piissimos antistites spectavisse Dei honorem et gloriam, et illius ecclesiae utilitatem, qui catholicae fidei zelo flagrantem virum, christianaeque studiosissimum disciplinae, tum eximia doctrina, et spectatissima prudentia praeditum et excelsum illius dignitatis locum sustulerunt. Deo igitur gratulamur, qui nationem illam catholicae fidei constantia, et praeclara in hanc Apostolicam Sedem fidelitate et obedientia inclitam adeoque praedecessoribus nostris eximie dilectam, nobisque egregie curam praecipuo quodam amore videtur respicere, qui eius custodiae tam bonum pastorem praefecerit. Ipse autem ven. frater patriarchalem dignitatem adeptus, caeterique omnes Episcopi procuratorem suum ad nos miserunt, dilectum filium religiosum virum Ioannem Dominicum e familia Min. Observantium de Terra Sancta, ut eius nomine debitam nobis et huic S. Sedi obedientiam profiteatur. Literas autem idem procurator ab eodem ven. fratre in Patriarcham electo, et ab eisdem pariter Episcopis ad nos attulit, omnibus obsequii et reverentiae notis distinctas; quibus literis a nobis enixe rogant, ut eam electionem apostolica auctoritate nostra confirmamus, et a Berytensi sede memoratum Iosephum Stephanum ad patriarchalem Antiochenam transferamus. Huius electionis acta religiosus vir, quem diximus, electi procurator congregationi VV. FF. nostrorum, qui rebus Propagandae Fidei praesunt, exhibuit. In ea Congregatione diligenti examine acta huius electionis fuerunt excussa, et eorumdem VV. FF. nostrorum iudicio nihil abest, quo minus valida et legitima electio illa censeri debeat. Itaque de confirmatione huius electionis, quam electi procurator episcoporum et cleri nationis Maronitarum nomine a nobis postulat,

Quid vobis videtur?

Pontifex huius Patriarchae electionem confirmat.

§ 2. Auctoritate omnipotentis Dei, Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra admittimus postulationem a praefatis Episcopis et clero nationis Maronitarum de more factam, de persona praedicti Iosephi Stephani, ipsumque absolvimus a vinculo, quo tenetur Ecclesiae Berytensis, et transferimus ad patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis Maronitarum, praeficientes eum ad Patriarcham et pastorem, iuxta decretum Congregationis de Propaganda Fide, cum decreto, quod fidei professionem orientalibus praescriptam emittere, et iuramentum fidelitatis praestare, illamque sic emissam ad Urbem infra praefixum tempus transmittere omnino teneatur:

In nomine Patris ✝ et Filii ✝
et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Cum Patriarchae procurator gratias egisset Pontifici pro accepto pallio, Pontifex illi respondit, ut sequitur.

§ 3. Gratum acceptumque habemus devotum erga nos officium hoc tuum, quo ven. fratris Iosephi Petri Patriarchae Antiocheni nomine gratias nobis agis pro eo quod illius electionem confirmavimus, eique pallii honorem concessimus. De illius pietate et in Romanam Ecclesiam devotione et fide omnia speramus, quae illius verbis modo pollicebare; et Antiochenam ecclesiam ob eius in hanc S. Sedem perpetuum obsequium nobis aeque ac praedecessoribus nostris carissimam egregio viro et eximiis virtutibus praedito commissam esse summopere gaudemus; eique etiam nunc gratulamur, quos ex amantissimi pastoris sapientia, cura et vigilantia fructus, Deo adiuvante, capiet uberrimos.

et benigne excepimus dilectum filium e sacrâ Minorum Observantium familiâ religiosum virum Dominicum Antonium Lucensem ad nos et hanc S. Sedem missum, qui tuo et Episcoporum nomine a nobis peteret, ut electionem et postulationem de te factam apostolicâ auctoritate nostrâ confirmaremus. Idque nos diligenter et accurate eiusdem electionis et postulationis serie inspectâ, ad Dei gloriam et nationis istius utilitatem re ipsa praestitimus. Confidimus enim in Domino, ven. frater, quam in archiepiscopali officio doctrinae, prudentiae, pietatis et pastoralis vigilantiae laudem es consequutus, te multo magis, gratiâ Dei adiutrice, eamdem patriarchali munere retenturum. Pallium quod a nobis postulasti fraternitati tuae mittimus de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii. Quod reliquum est, in id maxime incumbe, ven. frater, ut gregem istum gentibus impietatis labe corruptis undique circumseptum, et tamen singulari Dei beneficio integrum et ab omni errorum maculâ mirabiliter purum vigilanti et sedulâ custodiâ incolumem serves, et in unitate retineas catholicae Ecclesiae, quae una est, unius verae fidei confessione et divinorum Sacramentorum communione sub uno visibili Capite summo Romano Pontifice Christi Domini in terris Vicario, et B̃mi Petri Apostolorum Principis successore, cuius nunc auctoritatem ipsi tenemus et locum, nullis quidem meritis nostris, sed solâ Dei benignitate, qui humilitatem nostram in hac Apostolicâ Sede locavit, ut universalem Ecclesiam difficillimis hisce temporibus regeremus. Praeterea memineris velimus, in hoc gentis tuae Pontificio Collegio te hausisse Romae pietatem atque doctrinam: facito igitur talem ut te praestes, qualem te adhuc praestitisti, hoc est, qualem esse oportet hominem in hoc religionis domicilio altum et educatum. Et quoniam de hoc Maronitarum Collegio incidit sermo, videat, quaesumus, fraternitas tua, ut qui istinc ad nos mittuntur in eodem Collegio religione sacrisque literis instituendi, ingenio valeant et, quod caput est, moribus sint probatissimis. Qui vero, studiorum confecto cursu, ad vos revertuntur, eos tibi, ven. frater, summopere commendamus, eosque velimus ita respicias, ut appareat maximam te de illis habere curam. Ecclesiastica disciplina, summopere studeas, ut praescriptum Synodi Libanensis quam maxime vigeat. Pacem et tranquillitatem inter Coepiscopos tuos conserva; nihil enim Ecclesiae perniciosius praelatorum discordia. Ministerium tuum imple in omni patientiâ et doctrinâ, ut fructum multum afferas, benedicente Domino, qui solus plantationibus et irrigationibus nostris dat incrementum. Denique praecipuae nostrae erga te benevolentiae pignus casulam tibi dono mittimus, facultatemque concedimus, ut nostro nomine bis quolibet anno universo isti populo apostolicam benedictionem solemni ritu impertias. Et fraternitati tuae intimo cordis nostri affectu benedicimus, Deumque impense precamur, ut vobis omnibus maxime sit propitius.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX. iunii Beatorum Apostolorum Petri et Pauli martyrio consecratâ MDCCLXVII. pontific. nostri anno IX.

LXVI.

Rescripta quaedam approbat congregationis de Propaganda Fide, spectantia ad disciplinam praescriptam in synodo Libanensi pro clero Maronitarum.

Venerabili fratri Iosepho Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quamquam pro comperto habeamus te communibus suffragiis in Patriarcham inclitae Moronitarum nationis electum, et a nobis deinde confirmatum, omnem in eo curam atque operam impensurum, ut cum fide orthodoxa inter circumfusos hostes egregie servata, etiam disciplinae studium floreret, quo Ecclesiae dignitas et decus innititur, tamen haud modice laetati sumus simul ac intelleximus, tibi nil esse antiquius, quam ut Synodi Libanensis decreta a praedecessore nostro fel. rec. Benedicto XIV. approbata plenum exequutionis robur obtineant, et ab omnibus et singulis tam cleri saecularis et regularis quam populi fideliter adimpleantur. Haec enim aperte ostendunt ea postulata, quae pio laudabilique zelo commotus ad venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales Fidei Propagandae negotiis praepositos deferre voluisti, quaeque ab eisdem post maturam

Eius studium commendat, quo Eccl. dignitatem, et decus exoptat conservare, et ampliare Libanensis Synodi exequutione.

rei discussionem congrua et consentanea reperta in hunc modum se habent.

Referuntur postulata Patriarchæ, S. Congregationis Propagandae Fidei decreta, et eorumdem resolutiones.

I. Ut iuxta constitutionem s. m. Benedicti XIV. quae incipit *Apostolica,* sedes episcopales ad octo dumtaxat reducantur sub poena suspensionis et excommunicationis contra respective inobedientes.

II. Ut Episcopi, qui sunt adhuc in vivis, et quibus dioeceses ab antecessore Patriarcha distributae fuerunt in congregatione Bachatensi, ad easdem redire cogantur, utq. in illis quae nunc vacant modernus Patriarcha novos Episcopos constituat, quos magis idoneos utilesque putaverit.

III. Ut Patriarcha, Episcopi et clerus tam saecularis, quam regularis, nec non universa Maronitarum Natio decreta Synodi Libanensis omnino adimplere teneantur.

IV. Ut monasteria omnia et monachi, sive eremitae, quicumque tam Patriarchae pro tempore, quam respectivis locorum Episcopis subiaceant iuxta eorum regulas et Synodi Libanensis decreta.

V. Ut monachi et moniales non regulares ea omnia et singula diligentissime servent, quae ipsis in praedicta synodo praescribuntur. Itaque cum supramemorati venerabiles fratres nostri unanimi sententia rescripserint:

Ad I. *et* II. *servetur omnino decretum Synodi Libanensis quoad assignationem dioecesum iuxta instructionem Patriarchae mittendam, adiecta poena in casu contraventionis, si S. S. D. N. ita placuerit, suspensionis ab exercitio pontificalium quoad collatorem et ordinantem, et suspensionis a divinis quoad ordinatum, quo vero ad Episcopos titulares serventur praescripta eiusdem instructionis.*

Ad III. IV. *et* V. *serventur decreta praefatae synodi, et supplicetur Sanctissimo pro expeditione brevis hortatorii quoad omnia et singula in dicta instructione contenta.*

Pontifex hortatorium breve dirigit Patriarchae pro omnimoda exequutione resolutionis Sacrae Congregationis.

§ 2. Nos eorum voto et consilio inhaerentes, non solum eiusmodi rescripta auctoritate nostra apostolica confirmavimus, sed in omnibus etiam ratum habuimus et comprobavimus, instructionem adiungentes nostris his litteris in quibus pro summi atque universalis pastoratus officio fraternitatem tuam hortamur in Domino, ut susceptum semel tanto cum honoris tui cumulo negocium, ecclesiae disciplinae in utroque clero iuxta synodi regulas concinnandae, ac perpetuo stabiliendae, ad exitum optatum perducas, illudque in primis cures, et viriliter urgeas, ut, omni suspensione e medio sublata, reductio dioecesum in octo, secundum limites unicuique assignatos, et ad normam praescriptam in Synodo Libanensi antedicta, inter Episcopos, quos magis idoneos gregi Dominico utiliter pascendo compereris, quam celerrime perficiatur. Haec te solerter alacriterque praestiturum tua nobis perspecta virtus et religionis amor eximius abunde spem facit et pollicetur. Interim tibi, ven. frater, totique clero ac populo Maronitae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. augusti MDCCLXVII., pontificatus nostri anno X.

LXVII.

Alumnis collegii Anglorum Duacensis indulget, ut extra tempora ad ordines promoveri possint, et absolvi a censuris.

Dilecto filio Gulielmo Green moderno, ac pro tempore existenti, rectori collegii Anglorum Duacensis,

CLEMENS PP. XIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

De tua singulari fide, prudentia et doctrina plurimum in Domino confidentes, ea tibi concedenda duximus, quae infrascripti collegii ac alumnorum illius commodo et utilitati profutura esse cognoscimus. Itaque de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa republica christiana contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, tibi moderno, ac pro tempore existenti, rectori ad quinquennium proximum tantum et interim quamdiu rectoris munere in isto collegio Anglorum Duacensi fungeris, seu rector huiusmodi pro tempore existens fungetur. Quo ipsius scholares alumni post longos studiorum labores, sacerdotali ministerio pro loci ac temporis necessitate fungi, et functionibus sacris assuescere, ac ecclesiae dicti collegii officia divina praestare, seu uti operariis fructuosius mitti valeant, eisdem alumnis, ut de tuo con-

sensu, et examine praecedente, ac absque literis dimissoriis suorum Ordinariorum ac non obstante quocumque natalium defectu, super quo cum illis gratiose dispensamus, clericali militiae adscribi, et aliquibus quatuor etiam feriatis, ac continuis, vel interpolatis, seu unica diebus, ad quatuor minores, nec non tribus dominicis, seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio arbitrio tuo definiendo interpolatis) etiam absque ullo beneficii seu patrimonii titulo ad sacros etiam presbyteratus ordines extra tempora a iure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, ac absque eo, quod, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primoque suscepto ministrare, aut alicuius servitio ecclesiae adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, concedere et indulgere; nec non tibi, ut per te vel confessorem idoneum, quem eligendum duxeris, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione aut causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, a quibusvis peccatis et excessibus, ac delictis quantumque gravibus et enormibus, etiam in casibus die coenae Domini legi solitis consuetis (conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, falsitatis literarum et scripturarum apostolicarum, delationis armorum aliorumque prohibitorum ad partes infidelium, ac iniectionis manuum violentarum in praelatos dumtaxat exceptis) absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem, ac alia iniungere eis, et cum illis super irregularitate per eos quomodolibet (praeter quam occasione homicidii voluntarii, bigamiae, haeresis) contracta dispensare libere et licite valeas, dictusque rector pro tempore existens valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Praesentibus post lapsum quinquennii huiusmodi minime valituris. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. novembris MDCCLXVII., pontificatus nostri anno X.

LXVIII.

Prohibet sub poena excommunicationis ne figurae profanae ponantur in altaribus ecclesiarum dioecesis Pacensis in Indiis.

Ven. fratri Episcopo Pacensi in Indiis,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponitur abusus profanarum imaginum in ecclesiis Pacensis dioecesis, illaeque prohibentur in posterum sub censurarum poena.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in altaribus ecclesiarum, oratoriorum et cappellarum conventuum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum istius civitatis et dioecesis Pacen. abusus irrepserit ponendi, sive ornatus titulo, sive aliaquacumque de causa, formas seu figuras vere deridendas faunorum, avium sylvestrium, simiarum, aliasque immagines illis similes, quae loci huiusmodi sanctitati minime conveniunt, et in istis partibus, ut asseritur, nomine *Mamarrachos* vulgo appellari solent: Nos huic malo opportune remedium adhibere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, memoratas profanas imagines, formas, seu figuras non solum a dictis, sed etiam a quibuscumque aliis altaribus omnium ecclesiarum, oratoriorum et cappellarum totius dioecesis tuae praedictae omnino removeri, et ne in posterum ullo unquam tempore praefatae imagines, formae, seu figurae in altaribus huiusmodi ponantur et collocentur, prohiberi sub censurarum poena ipso facto in utroque casu per inobedientes seu contravenientes incurrenda, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium mandes, statuas atque decernas.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias

in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. februarii MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno X.

LXIX.

Ambitionem execrans cuiusdam monachi Syri, qui ab aliquot Damascenis se in Archiepiscopum eligi, et postea consecrari fecerat a duobus Episcopis graecomelchitis iam excommunicatis, Archiepiscopo Hierosolymitano Syrorum atque eius clero et populo denunciat, tam consecratum quam consecrantes excommunicatos esse, ab iisque cavere omnes debere (1).

Venerabili fratri Gregorio pro catholica Syrorum gente Archiepiscopo Hirosolimytano, dilectisque filiis clero et populo eiusdem nationis,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis frater et dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Magnum apud vos scandalum extitisse summo cum animi nostri dolore haud ita pridem accepimus, monachum quendam Michaelem nomine e monasterio S. Ephraem, quod a Damasco non longe abest, a tuâ, ven. frater, obedientiâ se subducere volentem, dementique ambitione obcaecatum, paucos aliquot Damascenos, quorum gratiam sibi collegerat, induxisse, ut se in Archiepiscopum Damascenum eligerent, et a duobus tantummodo Episcopis Melchitis Arsenio Carame et Francisco Sajaggi a factione Ignatii Gioar, iam excommunicationis et suspensionis vinculo innexis, consecratum fuisse. Itaque pro paternâ nostrâ de universâ Syrorum catholicâ natione sollicitudine et curâ, nequid ex eâ electione et sacrilegâ consecratione vestras animas contingat capere detrimenti, necessarium duximus, per has nostras literas vos universos admonere, memoratum Michaelem monachum ob nefariam eiusmodi consecrationem in excommunicationem et ab episcopalis ordinis exercitio supensionem et irregularitatem incurrisse; duos autem Episcopos, quos supra nominavimus, Arsenium Carame et Franciscum Sajaggi, iam excommunicatos, novo hoc execrando facinore, novae itidem excommunicationis laqueo se induisse. Quamobrem tibi ven. frater, vobisque, dilecti filii, sedulo iniungimus, ut praedictum Michaelem, et duos memoratos Episcopos eius consecratores tamquam excommunicatos, et ab iis, quae non modo sunt iurisdictionis, sed etiam, quae sunt ordinis, exercendis, suspensos habeatis; et ab iis sedulo caveatis. Et fraternitati tuae, ven. frater, vobisque omnibus, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLXVIII., pontificatus nostri anno X.

LXX.

Congregationi praesbyterorum saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii civitatis Sancti Michaelis Mechoanae dioecesis communicantur privilegia et gratiae spirituales praesbyteris saecularibus eiusdem Congregationis B. Mariae et Gregorii in Vallicella de Urbe, concessae a fel. rec. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. aliisque pontificibus.

CLEMENS PP. XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Congregationum praesbiterorum saecularium institutiones laudantur, privilegiisque et gratiis decorantur ad maiorem Dei gloriam.

§ 1. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae, atque bonitatis abundantiam praesidentes, presbyterorum saecularium congregationes in Ecclesia Dei pie sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue praeferre satagentes privilegiis et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Inter praeclara huiusce Congregat., laudatur oratorium S. Philippi Nerii oppidi S. Michaelis dioecesis Mechoacan. auctoritate Benedicti XIII. instituta.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri saeculares congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii oppidi Sancti Michaelis Mechoacan. dioecesis in Indiis, quod dudum eadem congregatio a fel. rec. Benedicto Papa XIII. praedecessore nostro approbata, et nonnullis gratiis, indultis et privilegiis decorata fuit,

(1) Clementis PP. XIII. Epist. ad Principes Viros et alios, an. X., pag. 111.

ipsiusque congregationis presbyteri sub eodem instituto Sancti Philippi Nerii, quod dilecti pariter filii praesbyteri saeculares congregationis oratorii eiusdem Sancti Philippi Nerii in ecclesia Sanctorum Mariae et Gregorii in Vallicella de Urbe erectae servant, hactenus vixerunt, et adhuc vivunt de praesenti.

Subiectam regulis et institutis oratorii SS. Mariae et Gregorii in Vallicella de Urbe, implorasse significat, frui posse et gaudere privilegiis, et gratiis huic oratorio concessis.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, regulae et instituta dictae congregationis Romanae subinde a rec. me. Paulo V., Gregorio XV. et Urbano VIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris specialiter approbata, ipsique Congregationi Romanae ac illius ecclesiae presbyteris et personis ab iisdem et forsan aliis Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus nostris multa privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae et indulta concessa fuerint, prout in ipsorum praedecessorum literis apostolicis desuper respective expeditis uberius dicitur contineri; ipsi vero exponentes regulas et instituta huiusmodi receperint, seu recipere, et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis et gratiis frui et gaudere posse plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris et interdictis, et participatio privilegior., et gratiar. omnium, sub certis conditionibus, et clausulis, excepta indulgentia perpetua a Benedicto XIII. indulta.

§ 4. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ac praefatarum literarum apostolicarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tunc existentis superioris congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe praefata eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, praefatae congregationi oratorii Sancti Michaelis Mechoacan. dioecesis, illiusque ecclesiae, ac presbyteris saecularibus et personis nunc et pro tempore existentibus, dummodo tamen simul convivant, ut omnibus et singulis privilegiis, favoribus, gratiis et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis et indultis memoratae Congregationis Romanae eiusque ecclesiae presbyteris et personis per praedictos Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessis, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, et quibus eadem Congregatio Romana eiusque ecclesia, presbyteri et personae ex memoratorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt (non tamen indulgentia perpetua a memorato Benedicto praedecessore praedictae ecclesiae Sanctorum Mariae et Gregorii in Vallicella sub certis modo et forma tunc expressis concessa), pari modo uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae et indulta huiusmodi ipsi congregationi dicti oppidi Sancti Michaelis Mechoacan. dioecesis, eiusque ecclesiae, presbyteris et personis specialiter concessa reperirentur, sine praeiudicio tamen gratiarum, indultorum et privilegiorum eidem congregationi praefati oppidi Sancti Michaelis a supradicto Benedicto praedecessore, sicut praefertur, concessorum, et dummodo ipsius congregationis oppidi S. Michaelis presbyteri et personae nunc et pro tempore existentes regulas et instituta pro dicta Congregatione Romana, ut praefertur, approbata observent, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Praeceptum literas perpetuo observandi, et ad tramites earumdem a quocumque iudice iudicandi.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus nostra et Cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis Sancti Michaelis, aliisque quibusvis, etiam iu-

ramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Revocatio concessionum eidem congregationi factarum a Clemente XII.

§ 7. Caeterum, per praesentes alias a fel. rec. Clemente Papa XII. praedecessore nostro in simili forma brevis die XVII. novembris MDCCXXXV. expeditas literas eidem congregationi sub nuncupatione tamen congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii civitatis Mechoacan. concessas revocamus et annullamus, ac revocatas et annullatas esse volumus, et decernimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. iunii MDCCLXVIII., pontificatus nostri anno X.

LXXI.

Iuxta disciplinam Ecclesiae a Concilio Lateranensi IV. confirmatam et mentem Bened. XIV. episcopatum graeci ritus in Hungariae regno erigi haud permittit (1).

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae nec non Bohemiae reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae viduae,

CLEMENS PP. XIII.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponitur libenter auditum fuisse, regiam maiestatem Hungaric. pronis auribus excepisse quidquid Agriensis Episcopus retulerat super incompatibilitate duorum rituum.

§ 1. Magno cum animi nostri gaudio accepimus regiam maiestatem tuam Agriensi Episcopo ad te humanissime admisso, et de retinendis Graecis Munkacensibus eorumque Vicario sub Episcopi Agriensis potestate apud te disserenti faciles aures praebuisse. Qua in re, quae catholicae Religionis et tua maxime interest, nostras quoque apud te, carissima in Christo filia nostra, coniunctas volumus preces, ut sinas te a praeclaro Antistite exorari. Quod etiam a

(1) Vide infra Clem. XIV. const. *Eximia regalium*. Maria Theresia Hungariae Regina an. MDCLXI. rogavit Pontif. de erectione episcopatus graeci ritus, cui Pont. respondit, se, in re tam gravi, consilium capturum, quod Ecclesiae bono profuturum iudicaverit; et Episcopo Agriensi indixit coram regina exponere rationes, quas contra erectionem Pontifici ostenderat, ut illam a studio erectionis removeret. Utramque lit. ex Reg. Vat. ep. Clementis, an. VIII., p. 173, et an. X., p. 50, pro historia transcribere curavimus.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, nec non Bohemiae Reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae viduae,

CLEMENS PAPA XIII.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

De Episcopo graeci ritus in Agriensi dioecesi constituendo, et sub titulo Munkacsiensis Episcopi deinceps in perpetuum consecrando, cui postulat regia maiestas tua ut clerum et populum sui ritus in territoriis Munkacsiensi et Maramarossiensi degentes iure dioecesano regendos tradamus et gubernandos, novum pietas tua nobis exhibet documentum de egregio amplificandi regni Dei studio, et catholicae religionis quam latissime longissimeque proferendae cupidissimâ tuâ voluntate. Ea enim episcopali cathedra constitutâ, futurum confidit regia maiestas tua, non modo ut catholicorum graeci ritus animi in vera fide et huius Apostolicae Sedis communione confirmentur, sed etiam multi e schismate ad S. Romanae Ecclesiae sinum subinde concurrant. Nos maiestatis tuae regiae eâ de re literas simul accepimus, collaudato, ut aequum est, zelo Dei, quo te, carissima in Christo filia nostra, palam facis flagrantem animum gerere, illico ad eiusmodi postulationem tuam adiecimus animum, atque ea incunctanter conquiri iussimus, quae prius nobis praecognita oportet, quam in hac re quidquam statuamus. Neque enim mediocris deliberationis est episcopatum graeci ritus erigere, eaque res est, quae magnam cautionem habet; quam cum probe consideraverimus, ne dubites, quin Ecclesiae bonum utilitatemque spectantes, quo potissimum regia tua maiestas itidem spectat, id capturi denique simus consilium, quod catholicae religioni omnium maxime profuturum esse iudicabimus: et regiae maiestati tuae, cui gaudemus tantae esse curae integritatem catholicae fidei et omnium, qui christiani sint nominis, cum Romana Cathedra communionem, omni animi nostri affectu apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. iunii MDCCLXVI., pontificatus nostri anno VIII.

Venerabili fratri Carolo Episcopo Agriensi,

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Dudum a fraternitate tuâ quaesivimus quaenam esset sententia tua de episcopatu graeci ritus Munkacsii erigendo, quam carissima filia nostra in

te ille postulat non modo ad catholicae Ecclesiae servandam integritatem, sed etiam ad rerum tuarum securitatem existimamus magnopere pertinere.

Constans Ecclesiae usus super unicitate ritus commemoratur, et praeceptum ab Lateranensi Concilio.

§ 2. In omnibus dioecesibus, ubi essent duo diversi ritus, diversaeque gentis populi, constans fuit Ecclesiae disciplina, ut ab unico Episcopo regerentur. Quam disciplinam confirmavit habitum sub Innocentio III. Concilium Lateranense; in quo sancitum fuit etiam civitatibus orientali Imperio ademptis, ubi Graeci et Latini promiscue commorabantur, latinus Episcopus vicarium sibi subiectum destinaret, qui Graecis iuxta eorum ritum sacramenta administaret (1).

Sanctio Concilii Lateranensis servata semper fuit tum in Italia, tum in Hungaria, et incommoda plurima obvenere ubicumq. contrarius usus fuit vel permissus, vel toleratus.

§ 3. Quae saluberrima celeberrimi concilii sanctio tota Hungaria et Italia, aliisque locis compluribus, ubi Latini cum Graecis essent permixti, servata fuit: Neque vero diffitemur vel concessione, vel tollerantia huius S. Sedis interdum ab eo, quod ea synodus constituerat, recessum fuisse. Sed utinam (fe. me. praedecessoris nostri Ben. XIV. utimur verbis) « utinam id nunquam indultum aut toleratum fuisset; inde enim factum est, ut Graeci initio catholici, Episcopum Graecum catholicum aliquando nacti in eamdem schismatis atque etiam haereseos labem adducti fuerint. Auctoque malis artibus numero subditorum Episcopi Graeci, Latinorum numerus ad nihilum fere redactus sit, nec hactenus Latinis Episcopis vires sufficiant ad Graecorum schismaticorum audaciam repellendam (2) ».

Hortatur itaque ut mala haec in Hungaria eliminentur, prohibita rituum duplicatione.

§ 4. Cui malo Deus prohibeat in Hungariam aditum patefieri. Sed impedimentum quo minus illuc possit irrepere nullum arbitramur opponi posse validius illo, quod et universalis Ecclesiae consuetudo probavit, et celeberrimum Concilium sanxit, et experientia aptissimum esse docuit pro retinenda Graecorum catholica fide et unitate. Nam quemadmodum in Agriensi dioecesi sola latinorum Antistitum opera et zelo factum est, ut sancta inter Graecos coepta sit unio, sumptisque procedente tempore viribus mirum in modum excrevit, et nunc maxime vigeat, ita si Graeci Agrienses e latini Episcopi potestate subducantur, non modo ipsi Episcopo ea facultas eripitur, qua sanctam unionem fecit adhuc florere, sed occasio etiam Graecis offertur, quae suae ipsorum inconstantiae indulgeant, et propensioni ad schisma sibi quodammodo inditae obsecundent. Neque enim ignorat maiestas tua, quod cum in Transylvania rogatu Caroli VI. inclyti parentis tui, Graecus Episcopus ab omni latini Antistitis potestate liber constitutus fuerit, adactam te tamen fuisse, rogare memoratum praedecessorem nostrum Benedictum XIV., ut eidem graeco Episcopo perpetuum Latinum assessorem deputaret abs te nominandum;

Christo Maria Theresia Hungariae regina apostolica summâ contentione et studio a nobis constitui flagitavit. Et accurate diligenterque nos docuisti quapropter episcopatum illum erigi non oporteat; quas rationes eidem reginae apostolicae pro nostro apostolico munere afferri quidem curabimus; quo regia eius maiestas constituendi illius episcopatus consilium omnino abiiciat. Sed ipse, ven. frater, longe praestabis efficaciores, si Viennam te conferas, et coram de eâ re apud eamdem reginam disseras, ut a suscepto consilio desistat. Quod iter ut suscipias, te in Domino vehementer hortamur et obsecramus. Qui enim gravius et uberius et luculentius haec exponere queat, quam fraternitas tua exposuerit, arbitramur omnino esse neminem.

§ 2. Ceterum de tua vigilantiâ, sedulitate et curâ in sanctâ promovendâ unione, plurimum tibi, ven. frater, profitemur catholicam debere Ecclesiam, tuoque studio referendum esse censemus acceptum, in istâ tuâ dioecesi plerosque graeci ritus homines cum catholicâ Romanâ Ecclesiâ esse coniunctos. Cuius unionis ut antecessoribus tuis tribuenda laus est fuisse auctores, sic fraternitati tuae tuoque zelo maximi debentur progressus. Atque, ut illuc revertamur, unde divertimus, in id toto pectore velimus incumbas, ut reginae apostolicae praesens praesenti ostendas, quam inutile sit et minime conducibile episcopatum graeci ritus ab omni Ordinarii latini iurisdictione exemptum constitui. Egregiae prudentiae studioque tuo in eâ re pertractandâ confisi, Deum precamur interea, ut divinâ ope suâ te adiuvet; quo, bona re gestâ, laetabundus et novâ cumulatus laude ad episcopalem tuam redeas sedem. Et fraternitati tuae intimo nostri cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. novembris MDCCLXVII., pontificatus nostri anno VIII.

(1) Concil. Lat. IV. an. MCCXV. Can. IX. disponens *De diversis ritibus in eadem fide,* sic statuit:

« Quoniam in plerisque partibus intra eandem civitatem atque dioecesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores, districte praecipimus, ut Pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesum, provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum divina officia illis celebrent, et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo.

« Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas, sive dioecesis, diversos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed, si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci catholicum praesulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in praedictis, qui ei per omnia sit obediens et subiectus. Unde si quis aliter se gesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum. Et si nec sic resipuerit, ab omni ecclesiastico ministerio deponatur, adhibito, si necesse fuerit, brachio saeculari ad tantam insolentiam compescendam. »

HARDUINI, Acta Concil. vol. VII., p. 27.

(2) Vide const. *Allatae* Vol. III., p. 598.

idque non alia de causa, quam quod verebare ne graecus Episcopus omni metu liberatus, et ab omni Latinorum cura ac vigilantia subductus, non satis retenturus esset debitam erga te fidem, et in sancta unione constantiam. Ideoque adiiciendus illi fuit eorum, quae subinde gererentur, veluti quidam inspector, cuius in te tuasque res, carissima in Christo filia nostra, tibi esset perspectissimum studium et probatissima fides. Quis igitur commodis tuarumque rerum securitati repugnat Graecam nationem non amplius Episcopis Agriensibus in posterum esse subiectam, qui in conservandae religionis zelo et erga suum regem egregia fide summam omnes laudem sunt consecuti. Contra si Graeca natio potestati graeci Episcopi subiiciatur, vide quaesumus, carissima in Christo filia nostra, ne a natione Latino nomini tantopere adversa perpetuus metus debeat animo tuo insidere.

Haec omnia fieri declarat absque iniuria Graecor., suamque apostolicam adhibituram spondet sollicitudinem, ne ullum inde incommodum exoriatur in regno.

§ 5. Qua in re nulla fit Graecis iniuria. Quamnam enim existimabimus facere iniuriam cum res, quo in loco sunt, in eodem volumus permanere? Quod si Graeci aliquando apud regiam maiestatem tuam quidquam habeant conqueri in quo se laedi arbitrentur, per quam facile est ipsi Agriensi Episcopo eorum sedare querelas, et ipsi Nos regiae maiestati tuae apostolicam sollicitudinem nostram et curam adhibituros promittimus, quo convenientioribus quibuscumque modis Graecorum in tua ditione degentium tranquillitati consultum sit; atque ita sancta unio firmiore quodammodo glutine coagmentetur in dies, et in eorum animis alacritas ad sibi parendum augeatur et fides. Huc enim denique in hac re spectant cogitationes nostrae. Tu vero, carissima in Christo filia nostra, si ad huius rei naturam attentum, et ab omni praeiudicio vacuum animum adiicias, profecto comperies, et catholicae Religioni et regiis rebus tuis multo fore conducibilius, si Graeci nulla nova, sed eadem, qua usque adhuc ratione, semper in posterum gubernentur. Et regiae maiestati Tuae, qua praecipua prosequimur caritate, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIII. iulii MDCCLXVIII., pontificatus nostri anno XI.

CLEMENS PP. XIV.

CONSTITUTIO I.

Confirmat decretum editum a definitorio generali Minoris Ordinis S. Francisci de Observantia super privilegiis fruendis a Missionariis degentibus in partibus Indiarum.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioseph Ampuero, frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ac praefectus et commissarius missionum in regno Peruano, quod, cum ipse alias a dilecto filio moderno ministro generali et definitorio generali dicti Ordinis petiisset, ut serio perpensis laboribus fratrum professorum Ordinis huiusmodi, qui munus missionariorum in Indiis exercent, quique tam propter longum iter terrâ marique peragendum, tam ob parcitatem ac etiam deficientiam victus in locis praecipue desertis, ac demum propter laboriosum eiusdem itineris genus, non sine gravi eorum incommodo illuc vitam ducunt, ipsi titulo praedicatorum generalium de iure nuncupatorum suarum respective provinciarum Ordinis eiusmodi decorandi essent, ne alias post tot incommoda et labores sine ullo penitus honoris gradu ad proprios conventus redire cogantur.

Tenor decreti. § 2. Idem minister seu definitorium generale huiusmodi die IX. iulii MDCCXLVIII. decretum edidit, cuius tenor est, qui sequitur, videlicet:

In hoc conventu S. Francisci Matriti die IX. iulii MDCCLXVIII. r̃mus P. N. minister generalis fr. Pasqualis de Varisio benigne annuens petitioni patrum missionariorum degentium in partibus Indiarum, et desiderans promoveri magis et magis huiusmodi sanctum ministerium, concedit privilegia praedicatorum generalium cum suis emolumentis et gratiis omnibus illis praedicatoribus, qui per quatuordecim annos inservierint laudabiliter Collegiis Missionum, dummodo per sex annos perfecerint missiones unoquoque anno sive inter fideles sive inter infideles; quod debeat constare per literas testimoniales patris guardiani et discretorum Collegii, cui inservierint. Quibus literis praesentatis provinciae respectivae, praecipit Rmus, ut serventur ista, uti conformia legibus et summorum Pontificum concessionibus. Id ipsum conceditur missionariis, qui degunt in conventibus. – Ita est, fr. Ioannes Baptista Galbis, secretarius generalis Ordinis.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioseph decretum huiusmodi, quo firmius subsistat ac servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos ipsum Ioseph specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Supplicatio porrecta pro obtinenda confirmatione decreti, quae conceditur.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eius respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Praecipitur ipsius decreti observantia.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis et consuetudinibus, privile- Et omnibus in contrarium facientibus derogatur.

giis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXI. iunii MDCCLXIX. pontificatus nostri anno I.

II.

Innovat et confirmat literas Urbani VIII. a plurimis Romanis Pontificibus confirmatas, per quas iniungitur Ordinariis et generalibus ordinum, ut necessitates terrae sanctae bis in anno proponi et commendari curent.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Necessitas exponitur consulendi indemnitati monumentorum, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis existunt, et in quibus mysterium redemptionis fuit operatum.

§ 1. Salvatoris et Domini Nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentia recolantur.

Quae fuerint ad id solicitudines romanorum Pontif. memoratur.

§ 2. Cum itaque alias fel. rec. Urbano PP. VIII. praedecessore nostro exposito, quod ecclesiae et alia loca pia in civitate Hierusalem et aliis locis terrae sanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno ob impiam turcarum, haereticorum et schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor noster, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus et singulis quorumvis ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno adventus et quadragesimae temporibus, tam per verbi dominici praedicatores, in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis necessitates eorumdem sanctorum monumentorum populo proponi et commendari curarent et facerent, et alias prout in ipsius Urbani praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die III. februarii MDCXXXIV. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur;

Expositio precum porrectarum pro obtinenda confirmatione literarum apostolicarum ad hoc editarum.

§ 3. Et, sicut pro parte dilecti filii moderni commissarii generalis terrae sanctae nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praedictae Urbani praedecessoris literae, quae a rec. mem. Innocentio X., Clemente X., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., Benedicto XIII., Clemente XII., Benedicto XIV. et Clemente XIII. Romanis Pontificibus pariter praedecessoribus nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos etiam confirmari et innovari desideret:

Confirmatio implorata conceditur, derogatis omnibus in contrarium facientibus.

§ 4. Nos eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris literas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus. Volumus autem, ut Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopique praedicti in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant, se praedictis Urbani praedecessoris literis paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Publicatio, et fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus insuper ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiatica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. iulii MDCCLXIX., pontificatus nostri anno I.

III.

Concedit Societati Iesu, ut suos Religiosos mittere valeat ad catholicam fidem praedicandam in partibus infidelium.

CLEMENS PP. XIV.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum.

§ 1. Caelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos pro suâ in Deum et proximos caritate et christianae religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus; quo in genere cum Societatis Iesu religiosos habeamus, eosque in primis, quos dilectus filius Laurentius Ricci eiusdem Societatis Iesu praepositus generalis ob hanc causam hoc ipso et consequentibus annis in diversas provincias christianae reipublicae mittere constituit.

Facultas expostulata conceditur, exceptis tamen locis, in quibus adsunt missionarii de Propaganda Fide.

§ 2. Nos sane eorumdem religiosorum pietatem et operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem ac devotionem spiritualibus gratiis confovere atque augere cupientes, eiusdem Laurentii praepositi generalis precibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dictae Societatis religiosis mittendis (ubi tamen non erunt missionarii Congregationis de Propagandâ Fide), et aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impertimur; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui pro S. Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, ac haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino, auctoritate apostolicâ tenore praesentium, pro unâ vice dumtaxat, pro unaquaque missione, concedimus et elargimur.

Hortantur Episcopi, aliique ecclesiarum rectores ut literas publicare faciant, et auxilium religiosis praestent.

§ 3. Hortantes ven. fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et alios ecclesiarum praelatos et rectores, ac verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes literas ac omnia in eis contenta publicent ac publicari faciant, et omnem iisdem religiosis favorem et auxilium in praemissis praestent. Volumus autem, quod praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici seu dictae Societatis secretarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae, seu praepositi generalis eiusdem Societatis obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. iulii MDCCLXIX., pontificatus nostri anno I.

IV.

Praevia avocatione causae, commissariis generalibus Indiarum Ordinis S. Francisci de Observantia in conventu eiusdem Sancti Francisci oppidi Matriti Toletanae dioecesis pro tempore commorantibus indulget communicare suos subditos feria V. in Coena Domini in cappella privata dicti conventus, quae publica declaratur.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sacrosancti apostolatus officium superni dispositione consilii nobis, nullo licet meritorum suffragio, impositum salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, exorta inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate et iustitia paceque fraterna reddere decet, animorum dissidia opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rursus quandocumque excitari valeant ansam mature praecidere studemus, sicut omnibus mature perpensis arbitramur in Domino expedire.

Exponitur quomodo conventus S. Francisci esset in possessione communicandi subditos quolibet anno feria V. in Coena Domini, et quomodo ea possessione expoliatus extiterit a ministro generali Ordinis.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel de la Vega frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupat., ac commissarius generalis Indiarum, quod licet omnes sui in officio huiusmodi pro tempore existentes praedecessores in conventu Sancti Francisci eiusdem Ordinis oppidi civitatis nuncupat. Matriti Toletanae dioecesis anno quolibet feria V. in Coena Domini sanctissimum Eucharistiae Sacramentum propriis subditis et familiaribus in cappella conventus praedicti, ad quam per scholas

eiusdem conventus aditus patet, spatio centum septuaginta annorum ministrare consuevissent, nihilominus dilectus itidem filius Petrus Ioannetius de Molina a. MDCCLI., quo tempore munere ministri generalis dicti Ordinis fungebatur, huiusmodi possessionem, in qua, ut praefertur, commissarius generalis Indiarum praedictus existebat, perturbare sategit, mandando, ut fratres omnes quacumque dignitate praediti feria V. huiusmodi de manu celebrantis in ecclesia dicti conventus communicari deberent, itaut decreto huic idemmet tunc existens commissarius generalis Indiarum ad quascumque contentiones vitandas, pro illa tamen vice dumtaxat, obtemperaverit.

Hispaniarum rex iussit ut super controversia exquireretur votum sacrae Congregationis sacris ritibus praepositae.

§ 3. Res deinde quievit usque ad annum MDCCLXVII. quo tempore dictus Petrus Ioannetius idem munus generalis ministri sibi bis commissum iam iam absoluturus erat, et in actoris figura eamdem praetensionem iterum excitare ipse non destiterit, super qua carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus sententiam venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum exquirendam esse censuit.

Exorta autem gravi lite coram eadem sacra Congregatione, ad illam extinguendam pontificia exquisita fuit auctoritas.

§ 4. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, huiusmodi lis coram eisdem Cardinalibus adhuc pendeat indecisa, dictus vero Emmanuel, ut pax et concordia inter religiosos potissimum viros quam maxime exoptabilis firma consistat, litem hanc per nos penitus extingui, ipsumque et suos in officio commissarii generalis huiusmodi successores praedicta possessione communicandi feria V. in Coena Domini suos subditos et familiares gaudere iugiter posse plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitatè apostolica dignaremur.

Et in re manus apposuit Pontifex, ad perpetuam religionis tranquillitatem servandam, et causam avocavit ad semetipsum in statu et terminis.

§ 5. Nos igitur perpetuae eorumdem christifidelium, qui ad tranquillum religionis portum confugerunt, quieti ac tranquillitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, eumdemque Emmanuelem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, motu etiam proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem causam, ac lites, et controversias quascumque super praemissis inter antedictas partes quomodocumque péndentes, quarum omnium et singularum statum et merita et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime specificatis, haberi volumus in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ad nos harum serie avocamus, illasque omnes et singulas supprimimus, perimimus, extinguimus et abolemus, atque perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus osque occludimus.

Iussit autem ut commissarii generales Indiarum in dicta feria V. in Coena Domini, subditos communicare possent in ecclesia conventus, quam quoque publicam declaravit.

§ 6. Praeterea earumdem tenore praesentium statuimus et ordinamus, ut in posterum perpetuis futuris temporibus nunc et pro tempore existentes commissarii generales Indiarum huiusmodi in dicto conventu commorantes anno quolibet feria V. in Coena Domini, ante tamen celebrationem missae conventualis in ecclesia memorati conventus peragendam, ipsi quoque in dicta cappella sacrosanctum missae sacrificium celebrare, et suis subditis ac familiaribus sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministrare libere et licite possint et valeant; atque insuper eamdem cappellam, licet illius ianua viae publicae minime adiaceat, sed ad eam per scholas praefati conventus aditus pateat, nihilominus publicam esse motu, scientia et potestatis plenitudine paribus decernimus et declaramus; nec non campanam desuper in publico loco, unde ab omnibus videri et eius sonitus audiri possit, pro usu cappellae praedictae apponendam esse volumus et mandamus.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 8. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et S. Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis alia iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus

super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito aliisque nostris et Cancellariae apostolicae regulis, nec non aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus quoque opus sit, ordinis huiusmodi aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. septemb. MDCCLXIX. pontificatus nostri anno I.

V.

Privilegia, gratias et indulta alias a summis Pontificibus Ordini S. Pauli primi Eremitae concessa, perpetuo confirmat et approbat.

CLEMENS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex iniucti nobis divinitus pastoralis officii debito illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in favorem eorum, qui sub suavi religionis iugo mancipati sunt, fideli dispensatione prudentique liberalitate emanarunt, ut firma semper atque stabilia persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Expositio precum porrectarum.

§ 2. Exponi siquidem nobis fecit nuper dilectus filius Paulus Eszterhazy prior generalis Ordinis fratrum Sancti Pauli primi eremitae, quod nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri, ac praesertim Ioannes XXII., Clemens VI., Urbanus V., Gregorius XI., Bonifacius IX., Martinus V., Eugenius IV., Pius II., Innocentius VIII., Clemens VII., Gregor. XIII., Urbanus VIII., Alexander VII. et Clemens X. praedicto Ordini eiusque fratribus nonnulla privilegia, gratias et indulta per suas, sive sub plumbo, sive in simili forma Brevis, respective expeditas literas concesserunt ac indulserunt et alias prout in eisdem literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, privilegia, gratias et indulta huiusmodi dictus Paulus per nos confirmari et approbari plurimum desideret, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio tributa.

§ 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum tenore absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefata privilegia, gratias et indulta eidem ordini, suisque fratribus a praedictis aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa et elargita, dummodo sint in usu, et sacris Canonibus, Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. dioecesis sub annulo Piscatoris, die XXVIII. septembris MDCCLXIX., pontif. nostri anno I.

VI.

Unit officium commissarii missionum collegiorum de Queretaro et de Zacatecas cum praefectura earumdem missionum; et concedit alternativam pro electione praefecti seu commissarii cum aliis collegiis nuncupatis de Guatimala et Mexicani.

CLEMENS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Expositio status rerum collegior. missionum.

§ 1. Alias pro parte dilecti filii Michaelis del Rosal fratris expresse professi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac procuratoris quatuor collegiorum missionum, de Queretaro nempe, de Zacatecas, de Guatimala et Mexicani in America septemtrionali, Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositae expositum fuit, quod usque ab initio erectionis huiusmodi collegiorum officium commissarii apostolici praedictarum missionum cum altero officio earum praefecti in una eademque persona unitum reperiebatur; postmodum vero, quamvis officia praedicta duabus distinctis personis fuerint concessa, nihilominus, cum totum id, quod prius curae dicti commissarii missionum a statutis fel. record. Innocentii Papae XI. praedecessoris nostri tributum fuerat eo tempore, quo omnia dicta collegia minime ibidem existebant, nunc a collegiis ipsis deinde erectis peragatur; inutilis prorsus reddebatur eiusdem officii commissarii continuatio: aut saltem ex quo illius functiones omnes cum praefectura missionum compatibiles sunt in una eademque persona, utrumque officium huiusmodi denuo uniendum esse, collegia praedicta eorumque fratres expostulabant. Atque praeterea cum ab erectione collegiorum huiusmodi usque ad haec tempora praefectura earumdem missionum a solis fratribus duorum dumtaxat collegiorum de Queretaro et de Zacatecas obtenta et exercita fuerit, neglectis iis aliorum collegiorum de Guatimala et Mexicani aeque caeteroquin dignis: hinc discretoria omnium quatuor collegiorum huiusmodi decernere putarunt, ut praefatae congregationi supplicandum esset pro constitutione alternativae, vi cuius in posterum nominatio trium fratrum ad praefecturam huiusmodi deputandorum, non amplius a praefecto actuali peragenda sit; sed, praevio canonico scrutinio et electione, expleri debeat ab illo collegio, ad quod per turnum seu alternativam, id pertineret. Super autem huiusmodi precibus memorata congregatio audiendum esse censuit votum dilecti filii Paschalis a Varisio ministri generalis eiusdem ordinis, qui tam unionem officiorum huiusmodi in una eademque persona, tamquam utiliorem, quam electionem commissarii simulque praefecti dictarum missionum alternatim una vice pro unoquoque ex collegiis praedictis, ut ita pax et tranquillitas in eis conservetur, peragendam esse duxit; ac propositionem trium personarum, ex quibus commissarius ac praefectus huiusmodi eligendus erit alternatim ab unoquoque collegio, canonico scrutinio peracto, pertinere putavit, quatenus ita eidem congregationi visum fuisset.

Resolutio Congregationis de Prop. Fide.

§ 2. Memorata itaque congregatio die quarta septembris proxime praeteriti edidit decretum, cuius tenor est, qui sequitur, videlicet: « Relato per R. P. D. Marium Marefuscum secretarium supradicto libello supplici, una cum voto patris generalis; eminentissimi Patres annuerunt iuxta votum praedictum, post vacationem praefecturae, quae exercetur vigore decreti sub die vigesima octava novembris MDCCLVII. expediti, non obstante confirmatione ad aliud duodennium a praesenti praefecto sub die decimatertia iunii MDCCLXIX. ob pendentiam praenotati recursus nulliter obtenta. Datum Romae ex aedibus sacrae Congregationis die et anno, quibus supra — Ioseph Maria Cardinalis Castelli praefectus. M. Marefuscus secretarius ».

Loco † sigilli.

Preces porrectae pro confirmatione decreti, quae fuit indulta.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Michael nobis nuper exponi fecit, ut decretum huiusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Michaelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostoli-

cae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans. § 4. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, ordinis et collegiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. novembris MDCCLXIX., pontificatus nostri anno I.

VII.

Episcopis Maronitarum facultatem largitur bis populo quotannis impertiendi benedictionem apostolicam (1).

Vcnrabilibus fratribus Episcopis Beryti Aeliopolis, Constantiae, Tripolis, Aleppi, Caesareae, Arcae, Lustrae et Cypri,

CLEMENS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Plurima paterni animi iucunditate accepimus epistolam vestram, quam unanimi gratulationis officio ad nos communiter transmisistis, ac in eadem perlibenter intelleximus pietatem in nos vestram, observantiam ac fidem et pastoralem praeterea sollicitudinem, qua de commisso vobis populo maxime estis affecti. Quae omnia tanto iucundiora fuere, quanto studia haec vestra opportunius nobis acciderunt. Partim enim pontificium hoc impositum nobis onus episcopali vestrâ diligentiâ valde sublevatum iri, partim etiam vestras pro nobis ad Deum obsecrationes praeclarae nobis utilitate futuras non dubitamus.

Quapropter, ven. fratres, et debitas vobis idcirco gratias habemus, et cumulatissimas, quas possumus, reddimus pietatis, studii atque amoris vices; vosque etsi locorum spatiis disiunctos, fide tamen et caritate nobiscum coniunctissimos esse et cognoscimus et gaudemus. Vestris itaque rebus omnibus perinde ac nostris afficimur; ac singulari curâ complectimur ea omnia, quaecumque ad vos vestrarumque ecclesiarum rationes pertinent; neque quidquam magis cupimus, quam ut reipsa ac pontificiâ operâ nostrâ testari vobis valeamus propensam erga vos vestramque nationem ac plane paternam, qua vos prosequimur, voluntatem. Quam ut uberius vobis comprobemus, postulatorum vestrorum rationem habentes, apostolicâ auctoritate facultatem singulis vobis benigne concedimus hisce nostris in formâ Brevis litteris, bis quolibet anno pontificiam benedictionem impertiendi populo vestrae cuiusque fidei commisso; alteram scilicet quavis Resurrectionis dominicae die, alteram vero aliâ solemni per annum festivitate, quam iudicio arbitrioque vestro deligendam relinquimus. Habete hoc, venerabiles fratres, in luculentissimae nostrae erga vos caritatis fiduciaeque indicium; neque minus ex prolixissimo in vos animo proficisci existimate apostolicae benedictionis salutare

(1) Clementis PP. XIV. Ep. ad Princ. et alios, an. II., pag. 329.

munus, quod fraternitatibus vestris vestraeque custodiae concredito gregi peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. aprilis MDCCLXX. pontificatus nostri anno II.

VIII.

Duos sacerdotes, quos e Collegio Neapolitano S. Familiae Manilam mittit ad instituendum ibi novum Sinensium Collegium a s. Congregatione excogitatum, Archiepiscopo Manilae commendat, eumque excitat ut et opem novae institutioni ferat et simul curet ut S. Congregationi reddatur ingens pecuniae summa illi a Card. de Tournon olim legata, in eodem Collegio instituendo adhibenda (1).

Venerabili fratri Basilio Archiepiscopo Manilae in Insulis Philippinis,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Profecturi isthuc propediem sunt dilecti filii sacerdos Nicolaus Simonetti ex aggregatis Neapolitani Sinensium Collegii, et Nicolaus Timoni eiusdem collegii alumnus nuper ad sacerdotii ordinem assumptus; quorum opera uti vult nostra haec Congregatio de Propagandâ Fide in eo Collegio, cuius eadem pro Sinensi iuventute isthic constituendi consilium iamdiu suscepit; ac nunc opportunum maxime ad perficiendum esse tempus existimat. Plurimum nos quidem cupidi eiusdem sumus, neque dubium nobis est, quin carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis Catholici pro egregiâ eius pietate ac religione luculentissimus tantam tamque praeclaram institutionem iuvandi ac provehendi consensus et ardor accedat. Te etiam, ven. frater, multo in eam rem studio propendere, ut relatum nobis est, magnopere gaudemus. Proinde eos sacerdotes dum apostolica benedictione discedentes a nobis prosequimur, tibi maiorem in modum commendamus, a teque vehementur petimus, ut eosdem et advenientes perhumaniter excipias; et, illius Collegii rem curantes, tuâ semper patrocinii gratiâ frui velis; quod et nobis et huic nostrae Congregationi fore a te gratissimum profitemur. Cumulatius vero tuam in nos observantiam comprobaveris, si, prout opus isthic erit, opem atque operam tuam Collegio isti praestare semper paratus sis: quem praesertim animum tuum eo nunc maxime officio declarare poteris, si contenderis industriâ atque auctoritate tuâ, ut eadem haec Congregatio ingentem illam exigere pecuniae summam possit a clarâ memoria Cardinalis Tournon sibi legatam; inde etiam expeditior multo fundandi et instituendi illius Collegii ratio ac facultas accederet. Eo pacto et hanc ipsam Congregationem de Propagandâ Fide mirifice tibi demereberis; et pontificiam, qua erga te sumus, amplificabis benevolentiam nostram; in cuius pignus apostolicam benedictionem, tibi, ven. frater, et tuae fidei concredito populo perhumaniter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XX. iunii MDCCLXX. pontificatus nostri anno II.

IX.

Confirmat acta et conditiones divisionis factae inter Monachos Maronitas, Aleppinos et Montanos Ordinis S. Antonii Congregationis Libanensis.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis officii munere, quae ad dirimendas inter religiosos viros animorum dissensiones, et pro eorum felici directione ac tranquillitate provide prodenterque constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, libenter, cum id a nobis petitur, apostolici muniminis nostri praesidio roboramus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Abbas generalis et definitores Congregationis monachorum Maronitarum Libanensium S. Antonii Aleppinorum nuncupatorum, quod dudum inter ipsos aliosque eiusdem Congregationis monachos Maronitas Libanenses Montanos propter partium studia animorum dissen-

(1) Clementis PP. XIV. Epist. ad Princ. et alios, an. II., pag. 35.

siones adeo excreverunt, ut ad eas sedandas componendasque tam ven. frater Iosephus Petrus Patriarcha Antiochenus, quam dilectus filius Aloisius a Bastia frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, a custode S. Sepulchri apostolicâ auctoritate deputati fuerint. Eorum itaque operâ et consilio pax, benedicente Domino, restituta est, atque solemniter, unanimi consensu die VIII. decembris MDCCLXVIII. divisae fuerunt res ac monasteria eiusdem Congregationis, et Aleppinis ac Montanis praedictis respective attributa, et alias prout ex actis eiusdem divisionis et assignationis, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Atti della divisione de' monasterii tra monaci Maroniti di S. Antonio Montagnoli e Aleppini, tradotti dall' originale Arabo.

Giuseppe Pietro Patriarca d'Antiochia e di tutto l'Oriente.

Luogo ✠ del sigillo

Fr. Luigi da Bastia Guardiano di Gerusalemme, Custode di Terra Santa e Delegato Apostolico.

Luogo ✠ del sigillo

Alli diletti nostri figliuoli li RR. Monaci Libanesi in genere, cioè Aleppini e Montagnoli insieme, superiori e sudditi, la pace e la benedizione a tutti voi. Amen.

Avendoci ordinato la S. Sede Apostolica e la S. Congregazione, e rimesso in nostra mano di terminare fra di voi il regolamento della partizione, per la quale da tanti anni siete in continui disturbi, bisbigli e dissensioni; in virtù di quest'ordine apostolico ci siamo portati al convento di Arissa, abbiamo chiamati avanti di noi i due supegiori generali e li definitori di ambedue le parti; quindi palesando loro gli ordini pontificii, e fatte con essi varie conferenze in alcune sessioni tenute insieme per lo spazio di quattro giorni continui, abbiamo loro presentato il piano della divisione mandatoci dalla S. Congregazione, e tutti d'animo concorde lo accettarono con ogni contentezza, e prestarono alla S. Sede Apostolica la dovuta obbedienza. Li nostri figliuoli monaci Aleppini, per il desiderio che hanno dell'amor fraterno e vera unione, e per ischivare ogni causa di dissensione, cedettero ai loro fratelli monaci Montagnoli i due monasteri assegnati loro dalla S. Sede, cioè quello di S. Giovanni Rosmaja e l'altro di S. Antonio Sir, e gli hanno ancora ceduto quello di S. Elia Ras delle monache, e ciò per ordine nostro. Quindi a' monaci Aleppini furono assegnati i monasteri seguenti, cioè di S. Eliseo Buscere, della Madonna di Loaise, di S. Pietro Carmeltin, e di S. Elia Sciuaia, di S. Antonio Magno in Roma, di S. Antonio di Padova Cafaramal, l'Ospizio di Derelcamar, e la metà dell'Ospizio di Berito, che possiedono. Alli monaci poi Montagnoli Libanesi furono assegnati li monasteri seguenti, cioè S. Giovanni Rosmaja, S. Antonio Cosaja, la Madonna de Tamisce, S. Antonio Sir, la Madonna di Mascimusciè, S. Giuseppe in Burg, la Madonna di Hubb, S. Giorgio Naame, S. Moisè Etiope, S. Michele Danabil, S. Marone in Birsenin, l'Ospizio di Tripoli, l'Ospizio di Saida, e la metà dell'Ospizio di Berito che possiedono, con tutti gli altri monasteri che hanno presentemente. E sono in ciò convenuti per via di concordia generale, assoluta e irrevocabile; e che nessuna delle due parti possa dall'altra pretendere nè causa, ne richiesta, nè debiti, nè conti, nè libri, nè lettere, nè beni, nè mobili, nè oro, nè argento, nè rame, nè piombo, nè verun'altra cosa del mondo; e inoltre, che ognuna delle parti abbia il perfetto uso e dominio de' suoi monasteri senza la minima contradizione. La concordia poi fu tra loro stabilita colle seguenti condizioni.

I. Che nessuno de' monaci ardisca di passare da un partito all'altro senza il consenso dell'Abbate generale di quella parte, da cui vuole uscire, e dell'Abbate generale sotto di cui vorrà passare, e senza la permissione di monsignor Patriarca in iscritto, e ciò affinchè non succeda quello che è accaduto nel tempo dello scisma.

II. Che i novizii possano liberamente entrare in quel partito che vogliono, o degli Aleppini o de' Montagnoli; e che ambidue i partiti abbiano la facoltà di ricevere o rimandare quelli, che si presentano per entrare nella Religione.

III. Sia proibito espressamente ai monaci d'una parte l'abitare ne' monasteri dell'altra per qualunque motivo e sotto qualunque pretesto, eccettuato il solo caso di mera necessità, cioè se un monaco si trova in viaggio; perchè in questo caso potrà trattenervisi per una sola notte, ma non già dimorarvi settimane o mesi con

pretesto di mutare aria o curarsi, ovvero di far la missione, confessare, predicare, insegnare, far gli esercizii spirituali, apprendere qualche professione, o maneggiare qualche negozio spettante alla sua Congregazione o ad altri, conforme è succeduto in tempo dello scisma.

IV. Che i monasteri di un partito, i quali si abbandonano per qualche tempo per giusti motivi, o per liberarsi dai danni, o per conseguire qualche bene, non possano essere occupati dall'altro partito sotto qualunque pretesto o motivo.

V. Non ardisca veruno de' due partiti usurpare alcun monastero, ospizio, luogo, scuola, tenuta, o beni spettanti all'altro, e ciò nè per mezzo de' governatori, dei popoli, o di qualunque persona ecclesiastica o secolare, nè con altra violenza, coazione, o in qualunque altra maniera.

Vedendo noi risanata questa già vecchia ferita, composta quest'antica differenza, e conciliata perfettamente la pace dopo tutto quello che è accaduto tra loro, e sradicati gli scandali che ne provenivano a' secolari; il nostro cuore fu riempito di allegrezza e di giubilo, ed abbiamo rese infinite grazie alla Maestà Divina di tanti beneficii, essendo tutto ciò finito nel giorno dell'Immacolata Concezione della Bma Vergine. Preghiamo Iddio, che conservi tra essi questa pace e concordia, affinchè ne provenga la sua gloria e la salute delle anime. Abbiamo loro ordinato in virtù di s. obbedienza di osservare tutte le suddette cose, ed abbiamo ancora comandato, che si astengano per l'avvenire dall'infamarsi o contradirsi l'uno all'altro, come pure dal lacerare la fama e la Religione, o dall'ingiuriarsi in veruna maniera circa la nazione o paese, o dall'impedirsi vicendevolmente li rispettivi vantaggi, beni e progressi, ma procurino di amarsi mutuamente per edificare il prossimo col buon esempio, e riparare con ciò il danno spirituale cagionato col loro passato procedere scandaloso. Chiunque ardirà di occupare qualche monastero, luogo o qualsivoglia altra cosa spettante all'altro partito, o pure di trasferirsi dal suo partito all'altro, contro ciò che si è di sopra stabilito, o monaco semplice o sacerdote che sia, incorra *ipso facto* nella scommunica maggiore, la di cui assoluzione è riservata a noi. Desideriamo e chiediamo da tutti, e vi preghiamo per amor del Cuore di Gesù Nostro Signore d'inchinarvi tutti all'osservanza della santa obbedienza, della perfetta povertà e degli altri santi vostri voti, e di vivere tranquillamente e con pace ne' vostri monasteri e fuori di essi, acciò siate di edificazione a tuti li fedeli, come richiede la santa vostra vocazione. Diamo a tutti voi la benedizione apostolica per la prima, seconda e terza volta. Dato alli 8 decembre l'anno 1768 in Arissa nell' ospizio di Terra Santa.

Noi sottoscritti abbiamo accettato quello, che si contiene in questo foglio *de verbo ad verbum,* e quello, che ha ordinato il Rmo Monsignor Patriarca Giuseppe e il Rmo P. Luigi da Bastia Delegato Apostolico e Guardiano di Terra Santa. Così è li 8 decembre 1768.

Montagnoli

Il servo tra li sacerdoti il Monaco Emmanuele Rusmani Abbate generale Libanese.

Loco ✠ Signi

Il servo Marco Kafai primo definitore Libanese.

✠

Il monaco Sceril Medlegi secondo definitore Libanese.

✠

Il monaco Antonio Salch procuratore del terzo definitore Libanese.

✠

Il monaco Gioacchino Haklani quarto definitore Libanese.

✠

Aleppini

Il Sacerdote Luigi Abbate generale Aleppino Libanese.

Loco ✠ Signi

Il servo Bernardino Rahi primo definitore Aleppino Libanese.

✠

Tommaso Aleppino secondo definitore Libanese.

✠

Tommaso Ruscalla terzo definitore Libanese.

✠

Mubarac Stamma procuratore del quarto definitore Libanese.

✠

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti Abbas generalis et definitores, quo firmius conventa in prae-

fatâ divisione et assignatione subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causâ latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praeinsertam divisionem et assignationem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque eas sub poenâ excommunicationis per violatores pactorum ipso facto absque ullâ declaratione incurrendae observandas esse, auctoritate et tenore praedictis volumus, praecipimus et mandamus, salvâ tamen in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX. iulii MDCCLXX., pontificatus nostri anno II.

X.

Praescribit alternativam in officiis et suffragiis ferendis in provincia sanctissimae Trinitatis regni Chilensis Ordinis S. Francisci de observantia.

Dilecto filio Emmanueli de la Vega Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum professori, et Indiarum commissario,

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ad pastoralis dignitatis fastigium licet immeriti per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti in id peculiari solicitudine incumbimus, ut prospero christifidelium divinis obsequiis mancipatorum statui et regimini providere, atque ab eis quaecumque animorum dissidia partiumque studia, quantum nobis ex alto conceditur, removere iugiter satagamus. Prooemium.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, quod alias anno nempe MDCCLXVII. Expositio precum porrectarum. tunc existentes procuratores provinciae sanctissimae Trinitatis nuncupatae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observentia nuncupatorum regni Chilensis Americae meridionalis ad aequalitatem servandam in suffragiis et aliis eiusdem provinciae officiis proposuerunt, ut alternativae regula inter fratres conventuum unius partis dictae provinciae, et fratres aliorum conventuum alterius partis provinciae huiusmodi locum obtinere deberet; verum quia agebatur de re totam provinciam respiciente, petitio seu instantia huiusmodi ad provinciam ipsam remissa fuit, ut illius primum ad id consensus accedere deberet. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in capitulo provinciali eiusdem provinciae habito anno MDCCLXIX. rationum momentis serio super re hac perpensis atque discussis, omnium fratrum interesse habentium

firma sententia fuerit pro omnimoda aequatione suffragiorum et aliorum officiorum huiusmodi illamque per nos confirmari et approbari fratres praedicti plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Deputatio executoris, qui gratiam indulgeat verificatis expositis.

§ 3. Nos igitur te et fratres eiusdem provinciae praedictos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, alternativae regulam in suffragiis et officiis in omnibus dictae provinciae inter unam et alteram illius partem, ut praefertur, in posterum omnino observandam ac exequendam esse, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium statuas, mandes atque praescribas.

Praeceptum de observanda constitutione.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, ordinis et provinciae huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris die XVI. martii MDCCLXXI., pontificatus nostri anno II.

XI.

Ecclesiarum reservatione commemorata, iuxta modum, metropolitanae ecclesiae Mardinensi Armenorum providet (1).

Dilecto filio Iosepho Balit presbytero Armeno electo Mardinen.

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus salubriter exequi adiuvante Domino iugiter satagentes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ipsarum ecclesiarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, et ecclesias sibi commissas in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, authore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare.

Ecclesiarum reservationes.

§ 1. Dudum si quidem provisiones ecclesiarum omnium tam vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque ecclesia metropolitana Mardinensis Nationis Armenae, cui venerabilis frater Ioannes Tasbas ultimus illius Archiepiscopus nuper praesidebat per liberam dimissionem regiminis et administrationis ipsius ecclesiae ab eodem Ioanne Archiepiscopo

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide

in manibus nostris sponte factam et per nos admissam Pastoris solatio destituta reperiatur. Nos ad celerem et felicem eiusdem ecclesiae provisionem in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus praedictis paternis ac sollicitis studiis intendentes, post deliberationam quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te Praesbyterum Armenum, qui olim in hac alma Urbe nostra Collegii Urbani alumnus fuisti, et Doctor in sacra Theologia, ac modo in civitate Alepensi Missionarius Apostolicus, et ex legitimo matrimonio procreatus ac in legitima aetate constitutus, omnibus aliis qualitatibus praeditus existis, et cui apud nos de vitae munditia, probitate ac honestate morum, pietate et catholicae religionis zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita consideratione pensatis, te a quibusvis excomunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eidem Metropolitanae Ecclesiae Mardinen. de persona tua nobis et fratribus nostris praedictis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem concilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum praeficimus, et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Mardinen. in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos Ecclesiam praedictam Mardinen. sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam, regimen et administrationem praedictas sic exercere studeas sollicite, fideliter ac prudenter, ut Ecclesia ipsa Mardinen. gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque, praeter coelestis retributionis praemium, nostram et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam exinde consequi merearis. Ac alia quae in tuae commoditatis augumentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, tibi, ut a venerabili fratre Michaele Petro III. Patriarcha Armenorum Ciliciae provinciae, Mesopotamiae ad beneplacitum huius Sanctae Sedis administratore accitis, et in hoc illi assistentibus duobus Episcopis, vel loco eorum duobus presbyteris secularibus, seu cuiusvis Ordinis et Instituti Regularibus, gratiam et communionem dictae Sedis habentibus, munus consecrationis recipere libere possis. Ipsique Patriarchae ut receptis a te fidei catholicae professione iuxta articulos pridem a Sede Apostolica propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, munus praedictum tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

Auctoritate apostolica providet iuxta modum.

§ 2. Volumus autem et auctoritate apostolica statuimus, atque decernimus, quod, nisi receptis a te per Patriarcham praedictum iuramento ac fidei professione praedictis, idem Patriarcha munus huiusmodi tibi impendere, ac tu illud sic suscipere praesumpseritis, dictus Patriarcha a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione, tam spiritualium quam temporalium, ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea volumus, ut professionis fidei a te sic emissae et iuramenti a te praestiti formas in publicam et authenticam formam sine mendis redactis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas ad nos per proprium nuntium quanto citius destinare procures. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XX. martii MDCCLXXI., pontificatus nostri anno III.

XII.

Separat, iuxta modum, a provincia S. Didaci Collegium missionum S. Francisci de Pachuca, regendum iuxta normam

aliis collegiis ab. Innocent. XI. praescriptam (1).

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sedula Romani Pontificis providentia omnium christifidelium quieti, paci ac tranquillitati consulere studet, et si inter eos praesertim qui divinis obsequiis mancipati sunt, animorum dissidia et contentiones suboriantur, pro illis penitus extirpandis eliminandisque apostolicae suae auctoritatis partes interponit, et catholicorum principum id anhelantium votis libenter annuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel de la Vega frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum et commissarius generalis Indiarum, quod alias recolendae mem. Innocentius PP. XI. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die XVI. octobris MDCLXXXVI. expeditas literas, nonnulla decreta et statuta a Petro Maria Somarne tunc temporis eiusdem ordinis ministro generali pro meliore regimine ac directione collegiorum, seu seminariorum, in provincia eiusdem Ordinis in Indiis occidentalibus existentium ad propugnandam catholicam fidem erectorum, apostolica auctoritate confirmavit et approbavit, praedictaque collegia seu seminaria iuxta eorumdem statutorum seu decretorum praescriptum, immediatae iurisdictioni pro tempore existentis ministri generalis dicti Ordinis subiecta esse voluit ac declaravit, et alias prout in ipsius Innocentii praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Continuatio expositionis, in qua memorantur providentiae captae pro recto regimine collegiorum.

§ 3. Postmodum vero felicis recordationis Benedicto PP. XIII. praedecessori itidem nostro, pro parte tunc existentis commissarii generalis curiae pro ultramontana familia dicti Ordinis, exposito, quod cum collegia praedicta propter locorum distantiam ab ipsis superioribus generalibus eiusdem Ordinis regi et gubernari facile non possent, idcirco tunc existentes S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi decretum ediderant, quo collegia et seminaria huiusmodi sive erecta sive erigenda in provinciis Hispaniae dominio regis catholici subiectis (aliquibus tamen exceptis) sub obedientia et regimine ministrorum provincialium reducebantur, decretum huiusmodi idem Benedictus praedecessor per suas in simili formâ Brevis die VI. septembris MDCCXXVII. expeditas literas apostolica auctoritate confirmavit et approbavit, et alias prout in eisdem literis, quarum pariter tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, fusius continetur.

Quae sane providentias immutatis circumstantiis emendatas postea fuisse animadvertitur.

§ 4. Subinde tamen instantibus guardiano ac discretis et aliis tunc existentibus missionariis collegii, seminarii, Sancti Spiritus de Monte nuncupati dicti Ordinis Valentini, memorati Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi, quibus expositum fuerat ab instantibus ipsis, quod regiminis methodo immutata per memoratas eiusdem Benedicti praedecessoris literas, non parum languebat missionum fructus, et ipsa regularis observantia, die XII. novembris MDCCXLVI. decreverunt, quod, eisdem literis non obstantibus, omnia collegia erecta in regnis Hispaniae pro missionibus Ordinis Minorum de Observantia restituenda essent in pristinum statum ad formam literarum alias, ut praefertur, in forma Brevis a memorato Innocentio praedecessore expeditarum: quod sane decretum piae memoriae Benedictus Papa XIV. etiam praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die I. decembris MDCCXLVI. expeditas literas eadem auctoritate apostolica approbavit et confirmavit, ac alias prout in suis literis huiusmodi, quarum similiter tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Concessio tributa erigendi unum collegium in unaquaque provincia.

§ 5. Interea vero ab eodem Bened. XIII. praedecessore per alias suas in eadem forma Brevis die III. aprilis MDCCXXVIII. literas expeditas, tributa fuerat facultas fratribus dicti Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum et Recollectorum strictioris Observantiae nuncupatorum erigendi unum collegium seu seminarium missionum huiusmodi in unaquaque ex eorum provinciis, cuius facultatis vigore, conventus Sancti Francisci de Pachuca in novo regno Mexicano ad provinciam S. Didaci nuncupatus, et ad eosdem fratres Minores Excalceatos spectans, in collegium seu semi-

(1) Vide vol. II., pag. 86. — Cetera acta citata non invenimus.

narium missionum huiusmodi erectus fuit et huiusmodi erectionem fel. rec. Clemens Papa XII. praedecessor pariter noster per suas in simili forma Brevis die III. iunii MDCCXXIII. approbavit et confirmavit, ac alias prout in eorumdem Benedicti XIII. et Clementis praedecessorum literis, quarum itidem tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Quomodo sensim gubernium provinciae a regulis Ordinis defecerit, et quae mala inde suborta fuerint memorantur.

§ 6. Quamvis autem iuxta legem in fundatione eiusdem collegii seu seminarii Sancti Francisci praescriptam, illud iuxta formam, privilegia et onera contenta in primodictis memorati Innocentii praedecessoris literis regi et gubernari deberet, excepta tamen immediata iurisdictione et electione guardiani, ac receptione novitiorum, quae intelligenda erant reservata ministris provincialibus dictae provinciae S. Didaci, cum expressa insuper conditione, ut fratres de uno seminario seu collegio missionum unius provinciae ad aliud seminarium seu collegium huiusmodi alterius provinciae transire minime possent, atque ut fratres aliarum provinciarum guardiani locum in iis collegiis seu seminariis acceptare et obtinere nequaquam valerent, firmis caeteroquin et illaesis integre remanentibus omnibus aliis praerogativis, auctoritatibus et superioritatibus debitis et competentibus superiori generali dicti Ordinis, ac alias prout a Benedicto XIII. praedecessore praedicto in suis literis praedictis statutum fuerat; nihilominus collegium seu seminarium praedictum S. Francisci de Pachuca ita deinde rectum gubernatumque non fuit, sed nonnullis arbitrarie exceptis, in reliquis omnibus pariformiter et aeque ac aliis conventus dictae provinciae regi et gubernari assuevit; in eo designatis aliis ex fratribus pro missionibus et aliis uti tantum conventualibus, ita ut nec esset collegium seu seminarium quemadmodum oportebat, neque conventus ad instar aliorum eiusdem provinciae, sed mixtum quoddam de utroque participans contra expressam fundationis legem praescribentem, ut collegiorum seu seminariorum huiusmodi fratres apostolicis missionibus unice incumbere deberent: indeque orta fuerunt innumera mala, contentiones, dissentiones et scandala tam intra quam extra dictum collegium seu seminarium S. Francisci, non solum intra fratres missionarios et memoratam provinciam S. Didaci, ac inter ipsos aliosque religiosos Conventuales eiusdem collegii, sed etiam in christianis populis illarum partium.

Et malis remedium affertur a commiss. generalibus Indiarum opportunas edentibus constitutiones.

§ 7. Ut igitur tot malis praedictis efficax adhibeatur remedium, nonnulli ex missionariis cordis dolore tacti recursum habuerunt ad tunc in humanis agentem Placidum de Pinedo commissarium generalem Indiarum, qui suis literis mandavit, ut guardianus dicti seminarii seu collegii Sancti Francisci de Pachuca semper ex missionariis eligendus esset, aliaque utilia et opportuna praescribere curavit. Verum praemissa non solum executioni mandata minime fuerunt, sed electus insuper deinde extitit in guardianum collegii praedicti unus ex fratribus, qui neque in eodem collegio morabatur. Vita postmodum functo memorato Placido, dictus Emmanuel exponens eius in officio commissarii generalis Indiarum successor, ut et ipse quoque necessarium tot malis remedium afferret, dicti Placidi sui praedecessoris literas praedictas confirmavit, atque insuper duos procuratores unum nempe pro collegio seu seminario huiusmodi, alterum, qui iura provinciae praedictae tueretur, cum opportunis facultatibus ad se venire permisit.

Ast cum non satis opportuna experta fuissent remedia, proposita fuit divisio et separatio collegiorum, pro cuius approbatione supplices porriguntur preces, ut lites et dissidia eliminentur.

§ 8. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, auditis omnibus per utrumque procuratorem huiusmodi hinc inde deductis et allegatis, dictus Emmanuel iuxta sensum quoque trium fratrum dicti Ordinis prudentia et in his rebus experientia ac virtute quoque praestantium, nullum aliud efficacius praemissis malis remedium excogitare et invenire valuerit, quam illud divisionis et separationis memorati collegii seu Seminarii S. Francisci de Pachuca a provincia praedicta S. Didaci, illiusque superiorum iurisdictione; et eiusdem provinciae procurator praedictus in casu, quo praedictum collegium, prout prius erat, non relinquatur, cuicumque iuri super collegio praedicto renunciaverit; hinc ipse Emmanuel, ut litibus et contentionibus omnibus motis ac movendis finis omnino imponatur, collegium huiusmodi a praedicta provincia per nos dividi ac separari plurimum cupiat, idque etiam carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, ex qua pollet singulari et vere eximia pietate, quam maxime desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Emmanuel, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Dismembrationem et divisionem indulget Pontifex, et unicuique ex collegiis privilegia et onera tribuit iuxta formam Innocentianae constitutionis.

§ 9. Nos igitur piis eiusdem Karoli regis votis annuere, ipsumque Emmanuelem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, collegium seu seminarium S. Francisci de Pachuca praedictum a memorata provincia S. Didaci, illiusque superiorum iurisdictione auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo dividimus, separamus et segregamus, idemque collegium seu seminarium in omnibus et per omnia ad instar aliorum collegiorum dicti Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, et iuxta formam, privilegia et onera in primodictis eiusdem Innocentii praedecessoris literis contenta et expressa in posterum perpetuis futuris temporibus regi et gubernari libere, auctoritate et tenore praedictis decernimus et mandamus.

Peculiares alias leges et providentias statuit Pontifex pro meliori ipsius provinciae gubernio.

§ 10. Praeterea volumus, quod tam fratres Hispani et Europei, quam alii illarum partium Criollos vulgo nuncupati eiusdem collegii seu seminarii, completo decennio sui apostolici ministerii, possint, si velint, remanere, vel in dicta provincia S. Didaci incorporari, itaut tamquam veri illius filii deinceps habeantur, eosque aptos ad omnia officia, iuxta cuiuscumque capacitatem et proportionem, sicuti statutum est in alternativae legibus pro Indiarum provinciis dicti Ordinis, declaramus; qua de causa conditionem in praedicta renunciatione super his a memorata provincia appositam cassamus, annullamus et irritamus, ac nullius roboris et momenti esse decernimus, et statuimus. Omnibus insuper eiusdem provinciae S. Didaci filiis, qui, divino spiritu et zelo salutis animarum ducti, transire velint ad dictum collegium seu seminarium ob apostolicum ministerium exercendum, plenam et liberam facultatem ad illud transeundi et decennio ibidem transacto, libere ad provinciam ipsam eodem ferme modo, sicut alii ipsius provinciae fratres, et non aliter redeundi, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Declaratur innovat. singulas locum habere debere tantummodo pro collegio S. Francisci de Pachuca.

§ 11. Caeterum per praesentes non intendimus facultati alias ab eodem Benedicto XIII. praedecessore per memoratas suas literas fratribus eiusdem Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum et Recollectorum strictioris Observantiae nuncupatorum erigendi, ut praefertur, in unaquaque ex eorum provinciis unum collegium seu seminarium missionum, in aliquo esse derogatum, sed facultatem ipsam in suo robore firmam omnino remanere debere, auctoritate et tenore praedictis sancimus, atque decernimus; ac praeterea volumus, quod omnia per praesentes statuta ac disposita, et quaecumque derogationes in illis contentae locum sibi vindicare debeant, et intelligenda tantummodo sint respectu collegii seu seminarii S. Francisci de Pachuca praedicti, neque ullo modo protrahi ac extendi possint ad omnia alia collegia seu seminaria missionum sive usque adhuc erecta sive in posterum erigenda in provinciis eorumdem fratrum Discalceatorum et Recollectorum in regnis Hispaniae existentia, quae quidem collegia seu seminaria iuxta leges a nostris praedecessoribus praescriptas in posterum quoque regi et gubernari debere pari auctoritate et tenore volumus ac iubemus.

Clausulae salutares pro plenaria observantia constitutionis.

§ 12. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§ 13. Sicque in praemissis in omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, provinciae et seminarii de Pachuca praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro

plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. iulii MDCCLXXI., pontificatus nostri anno III.

XIII.

Celebratis laudibus Regis Fidelissimi, nunciat reditum ad Ecclesiam Simeonis Patriarchae Chaldaeorum, qui etiam literis suis Sedis Apostolicae primatum et iura agnoverat (1).

SSmi Domini Nostri Clementis divinâ providentia PP. XIV.

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVII. IUNII MDCCLXXI.

Venerabiles fratres

Complures Lusitaniae ecclesias cum hodie propositur simus, ac de eisdem decreta facturi, rerum et locorum opportunitate admoniti, non possumus, ven. fratres, summa cum animi iucunditate non recordari carissimi in Christo filii nostri Iosephi Portugalliae et Algarbiorum regis fidelissimi, de quo saepe antea vos allocuti sumus, et commemorare nova et illustria suae erga nos atque hanc Apostolicam Sedem coniunctionis, amoris, pietatis testimonia.

Eadem nunc potissimum nobis declarat atque exhibet summa illa nostri erga se studii singularisque caritatis fiducia, qua petit a nobis, ut Bullam Cruciatae pro tuendâ propagandâque Religione institutam renovemus, atque auctoritate apostolicâ confirmemus. Acceptissimum quidem est nobis quidquid ab illius, quem eximie diligimus, sapientiâ proficisci unquam potest; cum vero idipsum, ut saepe fit, eiusdem religionem atque in nos pietatem praesefert, tum vero mirificâ in illum benevolentiae accessione incendimur.

Ac propterea huiusmodi praeclaros regiae virtutis sensus a nobis intime perceptos vobiscum communicamus, ven. fratres, quo eiusdem recentibus erga nos meritis, atque constanti erga Ecclesiam animo perinde ac re ipsos gaudere non dubitamus. Verum ut non inane ac infructuosum sit commune gaudium hoc nostrum, conari debemus ut illud ad ipsius gloriae ac felicitatis incrementum referamus. Quod praeclare a nobis fieri poterit, si a Deo optimo max. praesidia atque ornamenta omnia ipsi eiusque liberis ac universae domus regiae non intermissis precibus implorabimus.

Habemus praeterea, ven. fratres, alteram, cuius in partem vos advocamus, immensae iucunditatis causam ex faustissimo ad nos nuper ab Oriente atque a Chaldaeis allato nuncio; nimirum ab eorum Patriarchâ Simeone divinae gratiae lumine illustrato iamdiu receptos in illâ gente impii Nestorii errores fuisse reiectos atque om-

---

(1) Pluries S. P. per ep. gratulatur de reditu Patriarchae Simeonis, ex quibus seq. transcribimus ex reg. ep. an. III., p. 11.

Ven. fratri Simeoni Patriarchae Chaldaeorum,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Iamdudum ex fraternitatis tuae literis uberem tuam erga nos ac Apostolicam hanc Sedem observantiam atque obedientiam testantibus intelleximus egregium consilium divinae gratiae munere a te susceptum nobiscum in sanctitate fidei et unitate concordiae consentiendi. Et deinde a nostra Propagandae Fidei Congregatione ad nos fuit allatum, quam praestans tua sit in ea perlata perficienda voluntate constantia, quamque eximia opera in populo ad hanc ecclesiarum matrem et magistram reducendo. Nos certe propterea incredibilem laetitiae magnitudinem animo percipimus, et Deo Omnipotenti singulares gratias habemus, quod tanto beneficio vos et universam Ecclesiam affecerit. Te vero, venerabilis frater, ad nos advenientem et populum tuum tecum unâ adducentem intimo pontificiae caritatis sinu, et paterni amoris affectu complectimur, et tibi tuoque gregi atque adeo nobis ipsis mirum in modum et gratulamur et gaudemus. Quare persuasum te esse volumus nullum praesidii, nullum ornamenti genus proficisci a nobis posse, quod non tibi libentissime simus delaturi, cum post secundissimum, quem brevi expectamus, rerum exitum, pallii etiam concessione nostram eximiam tibi voluntatem simus palam facturi. Tu interim, venerabilis frater, egregium tuum factum amplioribus in dies laudibus cumulare, et de nobis et de Ecclesia benemereri perge: quod nulla re melius efficere poteris, quam cum in populo tuo in apostolicae petrae soliditate stabiliendo et confirmando, omnem tuam curam ac pastoralem sollicitudinem collocaveris. Id a te eo enixius postulamus, quo maiora tua de hoc studia futura scimus et confidimus. Demum pontificiae nostrae erga te benevolentiae tesseram apostolicam benedictionem tibi et universo tuo populo peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. decembris MDCCLXXII., pontificatus nostri anno IV.

nino repudiatos. Idem ipse plenas observantiae atque obsequii dedit ad nos litteras, in quibus luculenter suam nobis probat de SSma Trinitate fidem, divinam in Christo atque humanam naturam in unitate personae coniunctas profitetur; Mariam Christi Matrem Dei Genitricem appellat et colit.

Nos porro B. Petri successorem et Christi Vicarium, Romanamque hanc Sedem ecclesiarum matrem et magistram agnoscit; in apostolicae petrae, a qua fuerat abscissus, firmitate stabiliri postulat, pacis et caritatis tesseram a nobis expetit, decreta nostra, legesque, quas daturi sumus, expectat. Incredibilis laetitiae, quam propterea percipimus, magnitudo mirum in modum augetur illa gaudii ubertate, quod inde in universam Ecclesiam redundaturum videmus: quae quanto acerbiorem antea ex miserrimo filiorum dissidio dolorem hauserat, tanto ampliorem ex eorumdem inopinato reditu nunc animi iucunditatem capiat, nos sane in hac illorum accessione nullis paternae pietatis, studii, caritatis officiis deerimus. Interim Deo O. M. immortales gratias reddimus, quod pontificatus nostri tempora hoc felicissimo et optatissimo Ecclesiae successu exornaverit. Sed eumdem laetitiae nostrae ac praeclarissimi operis auctorem assidue deprecabimur, ut quod caepit, ipse perficiat; ac firmam et constantem faciat pastorum et populorum nobiscum in fidei et concordiae unitate consensionem. Vos aeque coniunctis nobiscum studiis nostram operam adiuvaturos confidimus, ven. fratres, ut quem ex huiusmodi divinae gloriae incremento communem capturi sumus laetitiae fructum, eumdem vestris etiam ad Deum obsecrationibus referamus.

XIV.

Facultatem priori generali Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini concedit super suppressione parvorum conventuum in regnis Hispaniarum et Americae partibus existentium.

CLEMENS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Exponitur status conventuum supprimendorum, ne regularis observantia detrimentum sentiat.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Xaverius Vasquez prior generalis Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod in provinciis eiusdem ordinis in regnis Hispaniarum, et in partibus Americae existentibus nonnulli reperiuntur ita parvi conventus, ut in eis unus, aut duo tantum, eiusdem ordinis fratres vivere possint. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, regularis observantiae vigor in conventibus praedictis propter tam exiguum eorumdem fratrum numerum sperari minime valeat; dictus exponens facultatem praefatos conventus dimittendi, eorumque bona aliis conventibus eiusdem ordinis, cum onere tamen missarum, aliorumque legatorum piorum, applicandi per nos concedi plurimum desiderat.

Preces porrectae pro opportuno remedio, quod indulgetur, deputatis commissar. qui ad suppressionem deveniant.

§ 2. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem exponenti, ut ipse in unaquaque ex provinciis eiusdem ordinis in regnis praedictis, et Americae partibus existentibus, ad praemissorum effectum vel priorem provincialem cuiusque respective provinciae, vel alium praefati ordinis professorem religionis zelo, doctrina, pietate et caritate praestantem eligere ac deputare libere possit ac valeat, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus; ipsis vero sic, ut praefertur, ab eodem exponente electis et deputatis facultatem tribuimus super dimissione conventuum huiusmodi cum Ordinariis locorum, in quibus dicti conventus respective existunt, iuxta datam sibi a Domino prudentiam agendi, tractandi, et conventus ipsos eorumque ecclesias dimittendi, ita tamen, ut ecclesiae eiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et onera infixa eisdem ecclesiis, vel ex iurepatronatus vel alia legitima causa ibidem in posterum quoque remanere debeant, et adimplenda sint.

Consulitur distributioni onerum impositorum super bonis conventuum supprimendorum.

§ 3. Reliqua vero onera quae super bonis tantum dictorum conventuum imposita esse comperiantur, una cum bonis ipsis ad alios eiusdem ordinis conventus, quos vel attenta locorum proximitate, vel eorum

paupertate, praedicti electi ac, ut praefertur, deputati iudicabunt in Domino opportuniores, pertranseant. Nos enim ipsis prioribus provincialibus seu electis, ac deputatis huiusmodi facultatem eadem bona iuxta praemissa una cum suis oneribus aliis conventibus praedictis assignandi et applicandi pari auctoritate et tenore concedimus et impertimur.

Praeceptum servandi literas apostolicas.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula qua omnibus aliter iudicandi adimitur potestas.

§ 5. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et conventuum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VII. septembris MDCCLXXI., pontificatus nostri anno III.

XV.

Erigit episcopatum Munkacsiensem graeci ritus in Hungaria; eius extensionem et dotem assignat; presbyteros vel monachos constitui decernit, qui officio Canonicorum, si desint, fungantur; ius nominandi Episcopum Regibus Hungariae concedit; episcopatum subiicit iuri Metropolitico Archiepiscopi Strigoniensis, cui etiam peculiarem inspectionis curam committit; Episcopum tandem iubet quotannis emittere professionem fidei ad S. Congregationem per Nuncium Apostolicum Viennensem transmittendam (1).

---

(1) Ex reg. epist. hanc an. x., pag. 225, desumimus literam qua, anteriori anno,

Reginae Hungariae declarat periculum, quod secus imminere ipsa indicavit unioni catholicae Graecorum, animum pontificium movere ad constituendum Episcopum Munkacsiensem graeci ritus. Huic tamen Metropolitano Strigoniensi subiiciendo, bis quotannis coram eo professionem fidei emittendam se praecepturum denunciat, ab eâque petit propositionem personae eligendae.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae, nec non Bohemiae reginae illustri in Romanorum imperatricem electae viduae,

CLEMENS PAPA XIV.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi in gravissimam deliberationem inducti essemus postulato apostolicae maiestatis tuae de Munkacsiensi Vicariatu in episcopatum erigendo, magnasque dubitandi causas haberemus, quas litteris die x. octobris ad te datis, attulimus, tamen quid ipsa postremo sensura pro tuâ sapientiâ ac religione esses, cupidissime nos expectaturos esse iisdem litteris declarabamus. Cum itaque isthinc certiores nunc facti sumus de non intermisso eiusmodi studio tuo, quod a te retineri sine maximâ ratione non potuit; quam quidem ab imminenti rerum a te perspecto periculo, et ab ipsâ unionis Graecorum cum catholicâ Romana Ecclesia retinendae necessitate repeti praecipue ac deduci intuemur, statim omnem dubitationem abrumpere tibique obsequi decrevimus. Vicit igitur in nobis sapientiae tuae ac religionis existimatio: atque ita vicit ut praeteritae quidem tuae experientiae, optimae, ut scribis, rerum magistrae, innitamur; sed potissimum tamen ponamus spem in vigilantiâ ac sollicitudine a te exinde ad unionis incrementum conferendâ.

§ 2. Quod itaque a nobis tantopere flagitas, carissima in Christo filia nostra, efficere parati iam sumus, in eam scilicet nos venisse sententiam tibi significamus graecanico populo, qui dioecesis Agriensis fines incolit ac latinae Ecclesiae per unionem est addictus, graeci ritus Episcopum largiendi. Eidem tamen hanc imponemus legem, ut Episcopi Strigoniensis Metropolitani sui auctoritati iurique subiectus sit; et ad cetera ab eo praestanda officia,

illud etiam adiungemus, ut bis quotannis circa solemniora Domini festa ad eumdem, ac, in ipsius defectu, ad viciniorem Episcopum accedere debeat, totiesque in eiusdem manus professionem fidei rite emittendam renovare. Quam cautionem nos in tam gravi re adhibendam esse ducimus, ut hoc maiore religionis vinculo illius conscientiam ad confirmandam nobiscum fovendamque unionem magis magisque constringamus. Quam quidem ad publicam etiam populorum regnique tui securitatem vehementer conducere cum tibi persuasissimum esse certi simus, minime ambigimus, quin ad consequendum utriusque pariter incrementum, sis omnem regiam curam, operam atque auctoritatem tuam maxime collatura. Atque haec de tuâ pietate, religione ac virtute fiduciâ summopere nos in suscepto consilio confirmat: quodque faciendum decrevimus, id multo cupidius alacriusque praestituri sumus, ut etiam luculentissimam erga te voluntatem nostram novis eiusmodi uberioribus pontificiae caritatis argumentis magis testatam faciamus.

§ 3. Superest nunc, ut eum ipsa proponas nobis, ac nomines virum, quem magis idoneum esse ad illud pastorale munus iudicaveris, ut eumdem nos in Episcopum clero populoque Munkacsiensi praefuturum eligamus. Ac apostolicam benedictionem regiae maiestati tuae totique augustae nobis carissimae domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur.

Datum Romae, die XVII. novembris MDCCLXX., pontificatus nostri anno II.

Ex eodem reg. et anno. Episcopo Agriensi multum in negotio Munkacsiensi laboranti asseverat, se in eo negotio diligenter omnia expensurum, praesertim vero quae Regina responderit, ac decreturum id quod aequius et opportunius de re perspiciet.

Ven. fratri Carolo Episcopo Agriensi,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras fraternitatis tuae die XXII. augusti proxime praeteriti datas, ex quibus ea omnia intelleximus, quae de rerum Munkacsiensium statu defers, quaeque isthic egeris, ac quo studia tua omnia, consilia, curam operamque direxeris. Unde perlibenter videmus atque cognoscimus pastoralem sollicitudinem tuam, teque pro commissi tibi gregis salute adeo laborantem meritissimis laudibus prosequimur. Nos quidem in huiusmodi rerum deliberatione ita comparatos esse tibi persuade, ut nihil temere decreturi simus, ex quo posset fidelium animis ullum detrimentum aut discrimen inferri; certusque sis ad eam nos deventuros sententiam, quae (perspectis ac expensis omnibus, ac plurima praesertim habitâ ratione eorum, quae carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Hungariae regina apostolica postremo pro suae religionis studio sensura erit) aequior esse ac opportunior videbitur. His tibi de universa re per nos rescriptis, cetera ex ven. fratre Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino nuncio nostro cognosces. Ac in plurimae pontificiae benevolentiae pignus apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi albanensis dioecesis die X. octobris MDCCLXX., pontificatus nostri an. II.

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Eximia regalium principum erga catholicam fidem sinceritas et devotio, qua ipsi in apostolici ovilis unionem et firmitatem etiam cum proprii peculii impendio eniti procurant, ita urget cor nostrum, ut ad ea quae ab iis pie religioseque petuntur, utpote ad divini cultus incrementum tendentia, aures nostras ad exauditionis gratiam declinare non possimus, quin imo protinus apostolicâ dignitate prosequimur, prout tantorum principum id exigunt preces, et Apostolicae Sedi ad illas gratas habendas convenit inclinatio.

Necessitas erectionis evincitur.

§ 1. Cum itaque alias, sicut nobis innotuit, in dioecesi Agriensi ob Ruthenorum graeci ritus uniti frequentiam ibidem cum Latinis commorantium a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris Vicarius Apostolicus eiusdem ritus apostolicâ auctoritate fuisset designatus, qui in oppido Munkacs dictae diocesis degens, ac episcopali titulo ecclesiae in partibus infidelium consistens insignitus sacros ordines Graecis unitis conferre, aliasque sui episcopalis ministerii partes iuxta Graecorum unitorum huiusmodi consuetudinem, privilegia et indulta eidem Vicario a Sede Apostolica concessa obire posset: cumque Deo dante illius gentis numerus schisma deserentis adeo succreverit, ut ipsi a catholico sui ritus Antistite regi et gubernari, ac proprii pastoris solatio frui et praesidio tueri adversus schismaticorum versutias, qui e sanctae matris Ecclesiae sinu eos divellere et in suos errores traducere saepe numero adnituntur, maxime desiderent:

Hungariae et Bohemiae regina eamdem erectionem anxie exoptavit.

§ 2. Et proinde carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Hungariae et Bohemiae Regina Apostolica, cuius temporali ditioni iidem subsunt, pio religionis in dies augendae studio incensa et solicita, ut ipsi orthodoxae fidei firmius inhaereant, ac schismatici ad eam amplectendam facilius alliciantur, loco et vice Vicariatus Apostolici huiusmodi in eodem oppido Munkacs episcopatum graeci ritus uniti per nos pari apostolicâ auctoritate erigendum vehementer exoptet, quemadmodum ipsa Maria Theresia Regina Apostolica regiis suis literis ad id nobis datis luculentius exposuerit:

Post maturam deliberationem erectio

§ 3. Nos, maturâ prius deliberatione habitâ, dictae Mariae Theresiae Reginae Apo-

indulgetur, eaque committitur Nuntio Apostolico.

stolicae precibus indulgere, ac Ruthenorum graeci ritus uniti nationem, quantum in Domino licet, specialibus favoribus et gratiis prosequi, tum eorum spirituali bono animarumque saluti prospicere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium Vicariatus Apostolici eiusdem ritus alias in dicto oppido Munkacs dictâ apostolicâ auctoritate, ut praefertur, designatum, eâdem apostolicâ auctoritate perpetuo supprimimus et extinguimus, ac praedictum oppidum iuxta canonicas sanctiones civitatis episcopali titulo et honore dictâ apostolicâ auctoritate etiam perpetuo decoramus, ac ecclesiam inibi sitam, et a dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae Nuntio Viennensi designandam in ecclesiam cathedralem Munkacsiensem graeci ritus uniti nuncupandam pro uno Episcopo Munkacsiensi eiusdem graeci ritus uniti etiam nuncupando, qui omnibus episcopalibus insigniis et privilegiis eisdem modo et formâ, quibus caeteri Episcopi graeci ritus uniti perfruuntur et gaudent, cum omnimodâ iurisdictione episcopali in Graecos omnes unitos in prescriptâ civitate Munkacsiensi aliisque locis et terris dictae dioecesis Agriensis existentes etiam perfruuntur et gaudent, apostolicâ auctoritate praefatâ similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Providetur ecclesiae episcopalis dote quinque millium florenorum, et habitatio decens pro Episcopo.

§ 4. Et pro dictae Ecclesiae episcopalis Munkacsiensis dote et ad episcopalem dignitatem decenter tuendam, summam quinque millium florenorum monetae illarum partium a dictâ Mariâ Theresiâ Reginâ Apostolicâ constitutam annuatim perpetuo absque ullâ diminutione persolvendam; ita tamen, ut semper et quandocumque eiusdem Mariae Theresiae Reginae Apostolicae in Hungariae regno successores pro tempore existentibus Episcopis Munkacsiensibus graeci ritus uniti de huiusmodi summâ integre providere, vel eis aequivalentes fundos assignare teneantur; eâdem apostolicâ auctoritate perpetuo quoque constituimus et assignamus, ac quod in praedictâ civitate Munkacsiensi per nos episcopali titulo, ut praefertur, decoratâ domus pro decenti pro tempore existentis Episcopi Munkacsiensis graeci ritus uniti huiusmodi habitatione; nec non quod in dictâ Ecclesiâ cathedrali Munkacsiensi per nos, ut praefertur, erectâ presbyteri seculares seu monachi eiusdem graeci ritus uniti, dummodo ad praesens non adsint qui inibi Capituli et canonicorum aliorum eidem Ecclesiae cathedrali Munkacsiensi per nos, ut praefertur, erectae in divinis inservientium invicem impleant officioque fungantur, instituantur dictâ apostolicâ auctoritate itidem perpetuo statuimus et decernimus.

Ipsi reginae conceditur ius nominandi Episcopum a S. Sede approbandum.

§ 5. Et nominationem a dictâ Mariâ Theresiâ Reginâ Apostolicâ nobis de personâ ad dictam Ecclesiam cathedralem Munkacsiensem per nos, ut praefertur, erectam a primaevâ illius erectione et institutione huiusmodi, ut petitur, vacantem factam, et ad illam per nos propediem dictâ apostolicâ auctoritate promovendam, prout etiam nominationem quae ab eius in praedicto Hungariae regno successoribus praedictis Romano Pontifici pro tempore existenti infra tempus a iure praefixum de personâ idoneâ ad dictam Ecclesiam episcopalem Munkacsiensem per nos, ut petitur, erectam et pro tempore vacantem fieri debebit, pari prorsus modo, quo ad nominationem huiusmodi Episcopi aliarum cathedralium Ecclesiarum in dicto regno existentium a Sede Apostolicâ praefatâ praefici consueverunt, eâdem apostolicâ auctoritate nunc ac etiam perpetuo admittimus; cum eâ tamen lege, quod tam Episcopus in dictâ Ecclesia cathedrali Munkacsiensi per nos, ut praefertur, erectâ, et a primaevâ illius erectione huiusmodi, ut praefertur, vacante, primo instituendus, quam eius in Ecclesiâ cathedrali per nos, ut praefertur, erectâ huiusmodi successores omnes nullo umquam tempore ordinariae iurisdictioni ven. fratris nostri moderni et pro tempore existentis Episcopi Agriensis praeiudicium aliquod inferre praesumant.

Praefinitur iurisdictio novi Episcopi.

§ 6. Sed iurisdictionem suam ordinariam in clerum dumtaxat et populum Ruthenorum graeci ritus uniti aliosque qui eosdem ritus et unionem sequuntur, et degunt tam in civitate Munkacsiensi praedictâ per nos episcopali titulo, ut praefertur, decoratâ, quam in aliis praedictae Agriensis dioecesis partibus, simpliciter exercere valeant, exacte servantes et adimplentes decreta omnia Congregationis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium de Propagandâ Fide hactenus edita vel edenda quoad Graecos qui cum Latinis immixti vivunt, quique huic novae provisioni non obstent. Et insuper non solum in dictâ Ecclesiâ cathedrali Munkacsiensi per nos, ut praefertur, erectâ, et a primaevâ illius erectione huiusmodi vacante primo, ut praefertur, instituendum Episcopum, verum etiam omnes alios ad eamdem Ecclesiam

Munkacsiensem graeci ritus uniti huiusmodi per nos, ut praefertur, erectam dictâ apostolicâ auctoritate ad nominationem huiusmodi promovendos, tam in eorum institutione, quam in singulis quibusvis annis, vitâ comite, fidei professionem a fel. rec. Urbano PP. VIII. etiam praedecessore nostro pro Graecis unitis praescriptam emittere coram personis sui cleri aut capituli in dignitate ecclesiasticâ insigniori constitutis, eamque scriptis traditam propriaeque manus earumdem personarum subscriptione et sigillo munitam ad pro tempore existentem Viennae Nuntium Apostolicum transmittere omnino teneri; quamque sic emissam ipse Nuntius Apostolicus ad Congregationem venn. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium rebus consistorialibus propositam perferri curabit, eâdem apostolicâ auctoritate pariter perpetuo statuimus et decernimus.

Reservatio iurium Archiepiscopi Strigoniensis; praecipiturque observantia erectionis modis et clausulis efficacissimis, ac amplissimis adhibitis derogationibus.

§ 7. Ac demum pro tempore existentibus Archiepiscopis Strigoniensibus, ut ipsi iurisdictionem omnem, quo iure metropolitico in Ecclesias suffraganeas illius provinciae eis competit, in dictam Ecclesiam cathedralem quoque Munkacsiensem dicti graeci ritus uniti per nos, ut praefertur, erectam plenarie exerceant, cum facultate etiam, toties quoties eis placuerit, ea inquirendi cognoscendique, quae ad fidei puritatem animarumque spirituale bonum noverint pertinere, apostolicâ auctoritate praedictâ similiter perpetuo committimus et mandamus.

§ 8. Decernimus, praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac ullo umquam tempore ex quocumque capite et qualibet causâ quantumvis iuridicâ et legitimâ, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vel invalidationis vitio, aut intentionis nostrae, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex eo quocumque alio capite, iure vel facto, seu statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissima, totalisque laesionis aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ etiam quantumvis iusta, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato vel emanato, quempiam uti seu se iuvari in iudicio vel extra illud nunquam posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apstolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum ad summi Apostolatus apicem ut motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialis, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de iisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, editas et in posterum edendas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse:

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 9. Sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri

debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum et sanctio poenalis.

§ 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae praedictae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in synodalibus provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus, vel ordinibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis et concedendis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse, nec non opportune et valide, hac vice dumtaxat, harum quoque serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, constitutionis, assignationis, statuti, decreti, admissionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo primo, tertiodecimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno III.

XVI.

Concessio favore catholicorum Armenorum Ancyrae indulgentiae plenariae et remissionis peccatorum aliquibus annualibus praecipuis festivis diebus consequendae.

Dilecto filio Malachiae Seniserchis sacerdoti armeno,

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quae sint praestanda praelinitur, ut gratia obtineatur, et dies describuntur in quibus concessio suas exercere vires debeat.

Libenter intelleximus, dilecte fili, quae ad nostram hanc Congregationem de Propaganda Fide nuper scripsisti de apostolicis laboribus tuis, quos in excolenda istic vinea Domini, Deo incrementa dante, sedula assiduaque opera impendis, ac de ea praesertim fidelium utilitate, quam universalis iubilaei istic promulgati opportunitas intulit, Deoque ipsi propterea plurimas egimus gratias, cuius benignitate fructus prodierunt uberrimi, tibique eas dedimus laudes, quae egregio muneri, quo fungeris, convenire maxime debeant, cum in eo exercendo evangelicum animarum zelum ac in proximum caritatem cum prudentia doctrinaque coniunxeris. Quapropter deesse nobis videremur, si novas istic exercendae operae tuae, ac inflammandae in isto fideli populo pietatis opportunitates non suppeditaremus. Itaque per hasce nostras in forma Brevis literas, quas ad te, dilecte fili, transmittimus, plenariam peccatorum indulgentiam sollemnioribus per annum diebus, videlicet resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, pentecostes, epiphaniae, assumptionis beatae Mariae Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac seraphici patris S. Francisci lucrandam ab omnibus Armenis Ancyrae catholicis, quicumque prius confessi ac sacra communione refecti pro exaltatione Ecclesiae, pro infidelium conversione ac pro haeresum extirpatione Deum oraverint, ad septennium duraturam apostolica auctoritate concedimus. Deum vero ipsum nos precamur, ut consilium hoc nostrum ad suam magis magisque augendam gloriam conversum suae bonitatis ubertate foecundet, tibique, ut ad eam curandam maiori divinae gratiae incremento confirmeris, caelestis benedictionis auspicem apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVIII. decembris MDCCLXXI., pontificatus nostri anno III.

XVII.

Iuxta Ben. XIV. const. Demandatam *concedit custodi S. Sepulcri sacramentum confirmationis conferre* (1).

Dilecto filio Valeriano a Prato Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupator. professori,

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus, vitae et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, frater expresse professus Ord. Minorum S. Francisci de Observantia nuncupator. existis, a tuis superioribus in custodem et guardianum S. Sepulchri D. N. Iesu Christi electus et deputatus fueris, cupiasque propterea facultatem conferendi sacramentum Confirmationis ex speciali huius S. Sedis delegatione, prout aliis custodibus seu guardianis huiusmodi concessum fuisse memoraris, per nos tibi concedi, nos te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc., supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi ut durante tuo custodis seu guardiani S. Sepulchri huiusmodi officio, iuxta tamen praescriptum ac dispositum in quibusdam fel. rec. Benedicti XIV. praedec. nostri die XIV. decembris MDCCXLIII. expeditis litteris quarum initium est: *Demandatam coelitus* etc., in Civitate Hierosolymitana, et in locis Terrae Sanctae ubi non erunt Episcopi ritus latini in propria residentes dioecesi et Episcopus graecus catholicus iure suo et in propria dioecesi non resideat, potestatem et facultatem conferendi Sacramentum confirmationis huiusmodi Oleo et Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis nostrae habentem benedictis, sub conditione tamen, ut Graecis a simplici sacerdote confirmatis ac sponte a te confirmari petentibus, ubi vero sit Episcopus catholicus residens, huiusmodi Sacramentum non conferas nisi de eiusdem Episcopi consensu, eo autem dissentiente abstinere omnino debeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, non obstantibus etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIV. ianuarii MDCCLXXII. pontificatus nostri anno III.

XVIII.

S. R. E. Cardinali Marefusco, confirmatis facultatibus ipsi ut visitatori apostolico Collegii Hibernorum Urbis, concedit facultatem derogandi ultimae voluntati Card. Ludovisii collegii fundatoris quoad regimen committendum presbyteris Soc. Iesu, et Collegium subiicit eidem Cardinali et Cardinali pro tempore Protectori regni Hiberniae.

Dilecto filio nostro Mario S. R. E. Presbytero Cardinali Marefusco nuncupato,

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Alias nos pro pastoralis officii nostri debito consulere volentes utilitati et progressui alumnorum existentium in Collegio Hibernensi, quod dudum in hac almâ urbe nostrâ bonae memoriae Ludovicus, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Ludovisius erexerat, quodque fel. record. Innocentius Papa X. praedecessor noster (2) per suas in simili formâ Brevis die XXII. maii MDCXLVII. expeditas literas de iurepatronatus tunc in humanis agentis Nicolai Ludovisi principis Plumbini et Venusae eiusque descendentium esse declaraverat, motu proprio atque ex certâ scientia et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te per alias nostras in pari formâ

Providentiae alias captae pro utilitate et progressu alumnorum existentium in Collegio Hibernensi.

(1) Ex Tab. Congr. de P. F.

(2) Vide vol. I., pag. 246.

Brevis die VI. martii MDCCLXXI. expeditas literas eiusdem Collegii Visitatorem Apostolicum deputavimus cum facultatibus necessariis et opportunis, collegium praedictum, eiusque rectorem, superiores et alumnos in capite et in membris visitandi, in illorum statum, vitam, mores et disciplinam diligenter inquirendi, nec non, sacrorum canonum et generalium conciliorum decretis inhaerendo, quaecumque mutatione et revocatione indigere cognovisses, mutandi et revocandi, abusus quoscumque tollendi, regulas et dicti Collegii statuta observari faciendi et, quatenus opus esset, de novo condendi, ac redituum bonorum eiusdem Collegii rationem petendi, rectorem aliosve superiores et officiales haud idoneos removendi, et alios habiles et capaces subrogandi, alumnos quoque inobedientes dimittendi, et quidquid statuisses observari faciendi, obedire recusantes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia compescendi, contra delinquentes quoscumque processus, secreto tamen et sine strepitu et formâ iudicii formandi, aliaque in praemissis, et pro huiusmodi munere rite et recte explendo necessaria et opportuna mandandi et exequendi.

Alias providentias opportuniores sumendas sibi Pontifex reservavit.

§ 2. Voluimus autem ut, si quae graviora in visitatione huiusmodi reperisses, nobis referres, ut, quid desuper statuendum foret, maturâ consideratione adhibitâ decerneremus, ac alias prout in eisdem nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Posteaquam igitur demandatam tibi eiusdem Collegii visitationem laudabiliter, indefessâ curâ et singulari prudentiâ peregeras, omnium rerum et circumstantiarum visitationem huiusmodi quoquo modo respicientium seriem nobis quam diligentissime retulisti.

Derogatur testamento Cardinalis Ludovisii, in ea parte, qua curam Collegii concessit presbyteris regularibus Societatis Iesu.

§ 3. Nos itaque, illis omnibus mature perpensis consideratisque, praeter quascumque alias facultates in eisdem nostris literis tibi, ut praefertur, attributas atque concessas, quas per praesentes, quatenus opus sit, confirmamus et approbamus, ac de novo etiam concedimus, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus tibi facultatem quoque derogandi ultimae voluntati ac testamento condito ab eodem Ludovico Cardinali Ludovisio anno MDCXXIX. seu alio veriori tempore, in eâ parte dumtaxat, qua ipse commisit et tradidit fidei et curae presbyterorum regularium Societatis Iesu gubernium dicti Collegii ab ipso erecti, nec non sententiae Rotali deinde favore eorumdem presbyterorum regularium editae XXIV. ianuarii MDCXXXV. seu alio pariter veriori tempore adversus memoratum Nicolaum principem Ludovisi, ac fratres Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum conventus S. Isidori de urbe, ac omni et cuicumque alii titulo quomodolibet ad ipsos presbyteros regulares eorumque praepositum generalem et Societatem spectanti et pertinenti, cuius vigore in gubernio et administratione dicti Collegii perseverare ipsi quomodolibet possent, eosdemque presbyteros regulares, praepositum generalem ac quemcumque alium ex eis, a gubernio et administratione ac aliâ qualibet directione ipsius Collegii removendi, ceteraque in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et decernendi, tribuimus et impertimur.

Iuspatronatus Collegii reservatur favore principis Plumbini, illiusque haeredum.

§ 4. Volumus autem, ut, quoad titulum iurispatronatus, quod super Collegio praedicto sibi asserere possent haeredes memorati principis Nicolai Ludovisi, nihil penitus innovetur nec quidquam novi constituatur, sed res in eo statu, in quo de praesenti sunt, ac prout de iure et quatenus de iure manere debeant, ac praeterea dictum Collegium auctoritati et immediatae iurisdictioni tuae, ac pro tempore existentis S. R. E. Cardinalis apud nos et Sedem Apostolicam regni Hiberniae Protectoris, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, perpetuo subiicimus atque supponimus.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus.

§ 5. Non obstante memorati Ludovici Cardinalis etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, nec non nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac aliis omnibus et singulis, quae in dictis nostris literis concessa sunt non obstare. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVIII. septembris MDCCLXXII. pontif. nostri anno IV.

XIX.

Petrum Franciscum Viguier presbyterum Congregationis Missionis constituit Vicarium Apostolicum Algerii et Tunetis, ita tamen ut Tunete iurisdictionem exerceat per praefectum pro tempore

missionis Capuccinorum tamquam pro-vicarium generalem cui omnes communicet facultates, reservata tantum sibi appellatione in devolutivo.

Dilecto filio Petro Francisco Viguier presbytero saeculari Congregationis Missionis,

CLEMENS PP. XIV.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. Pro commissâ nobis divinitus pastoralis officii curâ, spiritualibus catholicorum in Africâ sub Turcarum ditione degentium necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, teque, qui (ut asseris) presbyter secularis Congregationis Missionis existis, ac de tuis fide, doctrinâ, prudentiâ, pietate, caritate et catholicae Religionis zelo plurimum in Domino confisi, ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causâ latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te in Vicarium Apostolicum Algeriensem loco dilecti filii Philippi Iosephi le Roy eiusdem Congregationis Missionis presbyteri, qui officium Vicarii Apostolici huiusmodi sponte dimisit, cum extensione ad civitatem Tunetanam, cum facultatibus solitis et consuetis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

§ 2. Attento vero itineris intervallo, quo tu Algerii residens longe distas a Tunete, ut opportune christifidelium in praedictâ civitate Tunetanâ seu ad eam appellentium spiritualibus indigentiis prospiciatur, et statim ac receperis praesentes nostras literas, per tuas patentes literas in tuum Pro-vicarium generalem pro missione Tunetanâ dilectum filium modernum praefectum eiusdem missionis Tunetanae ex Ordine fr. Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, et in posterum dictas patentes literas in personam cuiuscumque pro tempore successoris in praedictâ praefecturâ ab eâdem Congregatione Cardinalium de more eligendi reiterare debeas, in quibus quidem patentibus literis dicto praefecto Pro-vicario concedatur facultas omnia et singula, quae etiam specialem potestatem requirunt, exercendi, absque ullâ tui restrictione seu limitatione, ita ut idem praefectus Pro-vicarius exercere valeat quamcumque iurisdictionem ordinariam in dictâ missione Tunetana tam supra laicos quam supra ecclesiasticos et regulares cuiuscumque Ordinis ibidem degentes seu advenientes, tam liberos quam captivos, servatâ tamen tibi appellatione in devolutivo tantum a decretis et provisionibus, quas a dicto praefecto Pro-vicario fieri contigerit. In casibus autem, in quibus tu procedas pro aliquâ gratiâ vel indulto favore alicuius personae in missione Tunetanâ existentis, quascumque provisiones praefecto Pro-vicario praedicto dirigere debeas cum clausulâ, veris existentibus narratis, et dummodo idem praefectus Pro-vicarius non habeat causam in contrarium pro executione patefaciendam tibi, cui ipse praefectus Pro-vicarius, ut tuus minister, quoscumque actus officiosos et reverentiales exhibere omnino teneatur. Salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis christifidelibus earumdem civitatum, ceterisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant, teque recognoscant, et tibi in omnibus, quae ad officium praedictum pertinent, respective pareant, faveant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie,

ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. decembris MDCCLXXII., pontif. nostri anno IV.

XX.

Erectionem Monasterii Corcagiae in Hiberniâ fundati a nobili matronâ ad instar Monasterii Parisiensis S. Ursulae confirmat; concedit novo Monasterio indulgentias et privilegia Parisiensi impertita, et biennium probationis ad unum coarctat annum, ac in novo Monasterio duodecim habeantur Moniales votis solemnibus obstrictae (1).

Venerabili fratri Episcopo Corcagiensi,

CLEMENS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Dilectus filius Stephanus Borgia nostrae Congregationis de Propagandâ Fide a secretis cum nobis luculenter atque accurate, ut solet, de pastorali tuâ sollicitudine in apostolico gerendo munere multa commemorasset, ad nos literas fraternitatis tuae retulit, quibus exponis, a piâ atque illustri Hibernensi matronâ erectum esse ac suo aere dotatum Corcagiae monasterium ad exemplum Parisiensis S. Ursulae monasterii et a nobis confirmari huiusmodi erectionem postulas, et novo monasterio easdem indulgentias ac privilegia concedi ab Apostolicâ Sede Parisiensi monasterio concessa: itemque flagitas ut, cum in regulis Parisiensium S. Ursulae monialium constitutum sit, ut nonnisi post biennii moram in monasterio religiosae ad votorum solemnium professionem admittantur, exigui hactenus monialium numeri causâ ad unum annum hoc ante professionem morae tempus pro Corcagiensi monasterio tamdiu reducere velimus, quoad eae quae professionem emiserint duodecim religiosarum numerum conficiant.

§ 2. Nos itaque postulatis tuis annuentes et ex hac Corcagiensi S. Ursulae monasterii institutione magnum sanctitatis fructum ad ceterorum etiam utilitatem et animarum salutem redundaturum sperantes, novi huius monasterii erectionem auctoritate apostolicâ his nostris in formâ Brevis literis confirmamus, eidemque monasterio ac illius monialibus privilegia omnia atque indulgentias Parisiensi S. Ursulae monasterio a praedecessoribus nostris concessas concedimus atque impertimur: et quo faciliore atque expeditiore incremento idem monasterium augeatur, morae in monasterio sive probationis ante professionem tempus ad unum annum tantummodo reducimus, quousque moniales, quae professionem votorum fecerint, ad duodecim religiosarum numerum pervenerint; hoc enim numero completo, ad instar Parisiensis S. Ursulae monasterii, in Corcagiensi etiam monasterio morae ante professionem tempus ad biennium ut reducatur volumus. Hae concessiones nostrae manifesto pontificiae erga novum istud monasterium caritatis iudicio esse poterunt; idque nos invicem a pietate in eodem degentium monialium, atque a filiali earumdem in nos obsequio consecuturos confidimus, ut non intermissis illarum ad Deum precibus in gravissimo nostro substinendo ministerio sublevemur. Demum nostrae in te benevolentiae pignus, ac caelestis gratiae auspicem tibi, ven. frater, tuoque universo gregi apostolicam benedctionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. ianuarii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno IV.

XXI.

Cardinalem Corsini eligit protectorem collegiorum nationis Anglicanae (2).

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

In supremo Ecclesiae regimine, divina providente clementia, nullis nostris me-

---

(1) Ex Reg. Vatic. Epist. ad princ. vir.

(2) Ex Tabul. de Propag. Fide. Scritture riferite nei congressi — Collegio Inglese dall'an. 1621-1845, pag. 164.

ritis, constituti, et potissimum pastoralis nostrae sollicitudinis cogitationes dirigimus ut catholica religio, ubi collapsa est, quamprimum restituatur, ac ubique, benedicente Domino, propagetur. Cum itaque Angliae regnum, quod non sine maximo animi nostri dolore commemoramus, olim catholicae religionis laude florentissimum, dudum instigante humani generis adversario, eo pervenerit, ut omni S. R. E., extra quam non est salus, et Romano item Pontifici, Christi in terris Vicario, debita obedientia ex eo prorsus sublata sit, nos paterno erga regnum praedictum eiusque populos aspectu commoti, non solum assiduis precibus a Deo misericordiarum Patre petimus, verum etiam, quantum cum Domino possumus, humanis quoque rationibus procuramus, ut quicumque in dicto regno ea impietate detinentur, veritate agnita, convertantur, ac summam eiusdem Ecclesiae ac Pontificis potestatem agnoscant.

Cum itaque secuto nuper obitu b. m. Friderici Ep. Portun. S. R. E. Cardinalis Lante nuncupati dum vixit, eiusdem regni apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, regnum ipsum protectore destitutum sit, nos itaque dicto regno eiusque populis alium prudentia, fidei catholicae zelo, ac generis nobilitate praestantem S. R. E. Cardinalem in demortui protectoris locum sufficere volentes, te plurimis ac maximis virtutibus ab illarum Largitore Altissimo insignitum, generisque nobilitate praestantem, ad hoc munus duximus eligendum firma in Domino spe ac fiducia freti, te, pro tuo catholicae religionis propagandae studio, ita rebus dicti regni, iis praesertim, quae ad restituendam in illo orthodoxam fidem pertinent, atque catholicorum, qui ibi sunt, commodis consulturum, ut sperati fructus in Ecclesia Dei quamprimum percipiantur.

Te igitur totius regni Angliae illiusque populorum et ecclesiasticorum et saecularium quorumcumque, nec non omnium collegiorum et seminariorum nationis anglicanae, Romani, Rhemensis aliorumque ubicumque existentium, in quibus adolescentes e dicto regno profugi in literis et ecclesiasticis disciplinis etiam ex redditibus ab Apostolica Sede illis attributis instituuntur et aluntur, protectorem ac defensorem apud nos dictamque sedem cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, iurisdictionibus, privilegiis honoribusque, et oneribus solitis et consuetis, ac quae similibus protectoribus de iure usu et consuetudine aut ex concessione apostolica vel alias quomodolibet competunt et competere possunt et debent, quaeque praedictus Fridericus Card. aliique ante eum praedictae nationis Anglicanae, praesertim vero b. m. Ioannes Episc. Ostien. Maronus, Philippus Dyrti ac Gulielmus Alanus, et Henricus Caetanus San. Rom. Ecclesiae Cardinales Protectores vigore quarumcumque litterarum etiam in forma Brevis per Romanos Pontifices praedecessores nostros tam erectionis Collegii Anglorum de Urbe, quam aliarum etiam a fel. rec. Clemente PP. VIII. praedecessore nostro expedit., quarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, dum viverent, habebant, auctoritate apostolica tenore praesentium ad tui vitam facimus, constituimus et deputamus, tibique, ut eisdem facultatibus omnibus et singulis, non solum pro dicto Collegio Anglorum de Urbe, sed etiam pro aliis quibuscumque nationis Anglicanae collegiis et seminariis ubivis locorum ac gentium erectis, aut in posterum erigendis, necnon pro iuvanda Anglia atque missionibus Catholicorum ad praesentes Angliae et alias regno praedicto subiectas regiones, haeresibus infectas, faciendis; et propterea facultatibus ordinandi regulas et ordinationes, illasque iam ordinatas tua subscriptione confirmandi pro omnibus seminariis et collegiis praedictis per d. Clem. praed. d. Henrico Cardinali et piae mem. Paulo PP. V. similiter praedecessori nostro tunc S. R. E. Cardinali coniunctim concessis, uti possis et valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim tibi concessae fuissent, concedimus et indulgemus, teque in locum dicti Friderici Cardinalis, quoad munus protectoris, et facultates huiusmodi substituimus et subrogamus. Mandantes propterea omnibus, ad quos spectat, praesertim dictorum collegiorum et seminariorum rectoribus, ministris, ac scholasticis, ubique existentibus, in virtute S. Obedientiae, ut te in eorum protectorem honorifice recipientes, tibi obedientiam debitam exhibeant, inque omnibus officium protectoris et facultates huiusmodi concernentibus pareant atque obtemperent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Circumspectionem tuam in Domino hortamur, ut protectoris et defensoris huiusmodi munus, quod maturo iudicio pruden-

tiaeque tuae demandamus, alacri animo suscipiens, illud ad catholicae fidei exaltationem, et populorum dicti regni salutem solerter, diligenter, et circumspecte administrare studeas. Qua in re non solum desiderio ac expectationi de te nostrae respondebis, sed apud bonos omnes laudem et commendationem, et a bonorum operum retributore Domino coelestia quoque praemia consequeris.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. martii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno IV.

XXII.

Confirmat concordiam initam inter Metropolitam Ruthenum Russiae et Episcopos Uladimiriensem ac Brestensem, eisque partem redituum assignat.

CLEMENS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ea omnia, quae ad pacem concordiamque fovendam, firmandam conservandamque inter christifideles, et praesertim illos, qui episcopali dignitate insigniti suae ac aliarum animarum aeternae saluti consulere debent, provide ac prudenter constituta ac praescripta dignoscimus, libenti animo apostolicae confirmationis robore communimus, prout, omnibus mature perpensis, in Domino salubriter expedire conspicimus.

De inita concordia laetatur Pontifex.

§ 2. Nuper sane, magna animi nostri laetitia accepimus, quod opera ac studio ven. fratris Iosephi Archiepiscopi Berytensis nostri et Apostolicae Sedis Nuntii in regno Poloniae, et magno ducatu Lituaniae, concordia inita fuerit inter venn. fratrem Felicianum Wolodkowicz totius Russiae Metropolitanum et simul quoque Episcopum Uladimiriensem ac Brestensem ex una, et ven. quoque fratres Leonem Szeptycki Episcopum Leopoliensem, ac Antonium Strus Mtodowski Episcopum Brestensem eiusdem Metropolitani respective coadiutores cum futura successione apostolica auctoritate deputati ex altera parte cuius quidem concordiae articuli sunt tenoris, qui sequitur, nempe:

Ex tenore primi articuli concordiae Nuntius Apost. Metropolitam reintegrat in plenaria administratione dioecesum tam in spiritualib., quam in temporalibus.

I. Excellentissimus et reverendissimus Dominus Nuntius Apostolicus promittit, se reintegraturum illustrissimum et reverendissimum dominum Metropolitam in universa plenaria et libera administratione tum spirituali utriusque dioeceseos, tum bonorum temporalium, ad earumdem mensas metropoliticam et episcopalem respective competentium, ad normam decreti sacrae Congregationis de Propaganda Fide editi die II. aprilis anni MDCCLXX., nec non epistolae secretariae status Sanctissimi Domini nostri Clementis Papae XIV. datae die XXVIII. augusti, ac demum decreti excellentissimi ac reverendissimi Domini Angeli Durini Archiepiscopi Ancyrani tunc temporis Nuntii Apostolici in hoc regno expediti die XIX. septembris eiusdem anni. Quae reintegratio habebit effectum eo ipso, quo illustrissimus et reverendissimus Metropolita officia et obsequia sua exhibuerit serenissimo Regi iuxta mandata summi Pontificis.

Tenor secundi articuli, vi cuius rescinditur complanatio facta inter Metropolitam ac suos coadiutos.

II. Cum illustrissimum et reverendissimum Metropolitam poenituerit complanationis dudum factae inter ipsum et eosdem suos coadiutores, die XVI. ianuarii anno MDCCLXVIII., praedicti coadiutores in obsequium ac venerationem, quam ex toto corde profitentur erga coadiutum, plena, libera ac deliberata voluntate renuntiant omni iuri ac actioni ex dicto contractu sibi quomodolibet competentibus: adeo ut ex utraque parte dicta complanatio haberi debeat ac si nunquam facta, aut effectum ullum sortita fuisset.

Tenor tertii articuli, quo, deletis actis, cuique liti renunciatur.

III. Retractantur ex utraque parte quaecumque occasione litium et praetensionum super administratione, tam spirituali, quam temporali utriusque dioeceseos, ab ipsis partibus vel earum agentibus et procuratoribus contra alterius honorem, famam, existimationemque tam in iudicio, quam extra, dicta, prolata, vel scripta fuisse constaret; eaque ab actis publicis ac privatis deleri mandantur: sine praeiudicio tamen iurium utrique partium competentibus super praetensis resarcitionibus damnorum, de quibus in sequenti articulo cavetur.

Tenor quarti articuli in cuius sequelam præcipitur concordia super resarcitione damnorum; vel ea non secuta electio arbitrariorum suadetur.

IV. Unicuique parti reservantur illaesa et integra omnia et singula iura, et actiones (si quae, vel quas habent) ad agendum in iudicio contra alteram pro resarcitione damnorum et violentiarum (si quae, vel quas aut sustinuerit, aut se sustinuisse praetendat) tam in personis propriis, quam pro officialibus et curialibus aulicis, caeteris alterius partis servitio addictis, nec non pro quibuscumque aliis interesse habentibus, tam occasione administrationis spiritualis vel temporalis ab illustrissimis et

reverendissimis dominis coadiutoribus susceptae, quam occasione revindicationis et occupationis secutae ex parte illustrissimi et reverendissimi Metropolitani; super quibus omnibus primum concordia procurabitur amicabiliter, qua non secuta, unus iudex compromissarius nominabitur ab illustrissimo et reverendissimo domino Metropolitano, alius vero ab illustrissimis et reverendissimis coadiutoribus, qui ambo iudices compromissarii debeant in termino quatuor mensium a die nominationis computandorum, et nullo modo ulterius prorogando, suum laudum vel arbitramentalem sententiam pronunciare. Iis vero non plenarie et uniformiter in omnibus et singulis punctis concordantibus vel intra praedicti temporis spatium suum arbitrium vel sententiam non proferentibus, tunc totum negotium devolvetur ad iudicium sacrae nuntiaturae apostolicae, quae summarie, simpliciter, de plano, ac omni appellatione remota, quia sic inter partes fuit specialiter et expresse conventum, ad finalem sententiam procedet.

Tenor quinti articuli reservat Metropolitae ius consequendae redditionis rationis a coadiutoribus

v. Reservat sibi illustrissimus et reverendissimus metropolita actionem adigendi illustrissimos et reverendissimos coadiutores ad reddendam rationem administrationis bonorum temporalium ad easdem mensas spectantium, nec non proventuum ab ipsis perceptorum vigore decreti sacrae Congregationis de Propaganda Fide editi die XXVIII. augusti anni MDCCLXVIII. In qua quidem re, quidquid investigationem redditiuum perceptorum concernet, eadem servabitur methodus, quae supra num. 4. superius est expressa. Quoad vero eorumdem adiudicationem, vel divisionem, si quae fieri debeat, unaquaeque partium se submittit iudicio excellentissimi Nuntii, qui similiter procedat, ut supra num. 4.

Tenor sexti articuli, vi cuius ipsi coadiutores ad speciales administrationes deputantur.

vi. Cum illustrissimus et reverendissimus Metropolita propter labores hucusque susceptos, et ob gravem suam aetatem, nec non valetudinis incommoda, vix se sufficere in posterum posse credat regimini utriusque dioeceseos, multoque minus eas personaliter (ut decet et canonicae, nec non Zamosciensis synodi sanctiones prsaecribunt) visitare, eosdem suos coadiutores in partem solicitudinis suae pastoralis ex nunc vocare constituit. Proindeque reservata sibimetipsi, suaeque propriae administrationi, ea dioecesis metropoliticae parte, quae totum magnum ducatum Lituaniae comprehendit, reliquam, quae nempe per Userainam, ac palatinatum Braclaviensem, aliasque adiacentes regiones protenditur, committit et assignat illustrissimo et reverendissimo domino Szeptychi Episcopo Leopoliensi cum plena, libera et absoluta ac irrevocabili administratione spirituali: pari quoque modo et forma illustrissimo et reverendissimo domino Mtodowski Episcopo Brestensi regendas et gubernandas ac administrandas committit, et assignat dioeceses sibi invicem unitas Uladimiriensem et Brestensem. Ad quem effectum illustrissimus et reverendissimus Metropolita patentes dictarum respective administrationum literas eisdem modo, forma, facultatibus, conditionibus et clausulis, quae in aliis vicariatus literis die XX. decembris MDCCLXVII. expeditis continentur, a se ipso subscriptas tradet, et deponet infra tres dies in manus excellentissimi et reverendissimi domini Nuntii Apostolici, publicandas deinde et executioni demandandas tempore eisdem beneviso, postquam tamen praesens concordia fuerit beneplacito summi Pontificis roborata et confirmata.

Tenor septimi articuli quo consulitur administrationi et curae bonorum temporalium utriusque mensae.

vii. Idem tamen illustrissimus et reverendissimus Metropolita reservat sibi plenam et liberam administrationem et curam bonorum temporalium utriusque mensae, quocumque nomine censeantur, et ubicumque sita sint: quorum redditus in sui usum ac in utilitatem ecclesiarum suarum, ad normam canonicarum sanctionum, fideliter procurare et administrare promittit, eorum statum hodiernum per commissarium suum, una cum commissario ab ipsis coadiutoribus designando, describi quam primum curabit intra quatuor mensium spatium, a die publicatae administrationis suorum coadiutorum, de quibus duo similia inventaria et commissariorum praedictorum iuramento firmata, legaliter conficientur, quorum unum etiam a respectivo coadiutore subscriptum illustrissimus Metropolitanus apud se retinebit; alterum vero illustrissimo coadiutori, ad quem spectabit, tradet et reddet, eaque illustrissimus Metropolitanus, ut quotannis ad instantiam suorum coadiutorum renoventur, minime detractet.

Tenor octavi articuli quo coadiutoribus necessaria ad vitam adsignantur.

viii. Quia vero monet Apostolus eum, qui altari inservit, de altari vivere debere, volens illustrissimus et reverendissimus Metropolita coadiutoribus suis se se etiam liberalem exhibere, sponte dimittit illustrissimo et reverendissimo domino Mtodowski, praeter obventiones illas, quae ex

actuali exercitio iurisdictionis tam contentiosae, quam gratiosae per universam Uladimiriensem et Brestensem dioecesim provenire possunt ac debent, etiam cathedraticum assignat, quod sacri canones episcopis permittunt, ut annuatim a subiectis sibi presbyteris exigat; quia vero dicta cathedratici exactio vix, si etiam plenariae fieri posset, ad summam quatuormillium florenorum Polonicalium ascendet, nec etiam aequum est, quod calamitosis hisce temporibus clerus huiusmodi exactione praeter vires suas gravetur; ideo illustrissimus et reverendissimus Metropolita summam decem millium florenorum Polonicalium in parata pecunia quotannis (sed ratione nempe 2500. singulis trimestribus postecipate) se soluturum promittit, vel si illustriss. coadiutori magis placuerit, tot villas ad mensam Uladimiriensem spectantes, a suo coadiutore vel Episcopis residentiae magis commodas et vicinas, ex quibus aequa extimatione facta, et iudicio excellentissimi Nuntii absque ulteriori recursus aut appellationis remedio, approbanda possit, tam in rebus, quam in pecuniis summam decem millium florenorum Polonicalium similium quotannis percipere, administrationi et curae eiusdem coadiutoris irrevocabiliter committet, ut idem illustriss. coadiutor possit necessitatibus suis commodius consulere et providere. Haec autem villarum designatio, quatenus loco assignationis pecuniariae adoptetur, fieri debebit statim a publicatione literarum administrationis spiritualis, ac iudicio et aucteritate excellentissimi Nuntii confirmari; adeo ut ab eo die in potestatem coadiutoris transeat una cum fructibus pendentibus et inexactis, absque eo, quod pro expensis et laboribus antea factis aliquid vel minimum praetendere possit illustrissimus metropolita.

Tenor noni articuli obventiones distribuit provenientes ex iurisdictione contentiosa et gratiosa

IX. Pari modo illustrissimus Metropolita illustrissimo domino Szeptychi pro suo assignamento praeter obventiones ex iurisdictione contentiosa et gratiosa in parte dioeceseos sibi commissae provenientes, etiam exactionem cathedratici committit, quod felicioribus annis ad vigintiquinque millia et amplius ascendebat, florenos; hac tamen adiecta conditione, quod ipse pro suo congruo assignamento quindecim millia florenorum dumtaxat sibi reservet, reliquam vero summam in tuto loco, et apud fidam personam deponat, non inde amovendam, nisi ex dispositione illustrissimi Metropolitae, qui pro eo, quo flagrat, zelo erga ecclesiam sibi commissam, nequaquam vult eos in usum proprium derivare aut convertere, sed omnino ex nunc consecrat et devovet bono et utilitati ecclesiarum suarum, expendendos nempe in processibus, vel continuandis, vel incipiendis, pro recuperatione bonorum ecclesiarum praedictarum, pro stipendiis gentium et procuratorum, ubicumque existentium, vel pro aliis utilibus seu necessariis causis inter dominum Metropolitam et unum vel alterum ex suis coadiutoribus in ea re interesse habentem concordandis et iudicio excellentissimi Nuntii approbandis.

Tenor decimi articuli quo alteri ex visitatoribus dioecesim consulitur de apta et congrua domo.

X. Praeterea, ut idem illustrissimus et reverendissimus dominus coadiutor Szeptychi visitando dioecesim sibi commissam habeat domum aptam et congruam, in qua residentiam figere possit, illustrissimus et reverendissimus dominus Metropolita assignabit ei domum et locum ad dictum effectum idoneam, nempe domum metropoliticam de Radomysl nuncupatam, absque tamen perceptione fructuum et reddituum ex adnexis bonis provenientium, eidem tamen dimittit ac cedit bona dicta Barachty, iam per decretum recuperata vel recuperanda; si quae tamen aliae expensae in eam causam essent faciendae, relinquuntur arbitrio et oneri illustrissimi coadiutoris.

Tenor undecimi articuli vi cuius metropolita sibi reservat iura in literis patentibus exprimenda.

XI. Demum reservat sibi illustrissimus et reverendissimus Metropolita omnia iura etiam honorifica suae metropoliticae iurisdictionis in literis patentibus vicariatus superius enunciatis, nempe de data XX. decembris MDCCLXVII. anno expressa et nunc in novis literis administrationis spiritualis iterum exprimenda.

Tenor duodecimi articuli mandat concordiam a rege et Sancta Sede esse confirmandam, ut suum sortiatur effectum.

XII. Postquam unaquaeque partium contrahentium huic concordiae pro suo peculiari interesse consensum praestiterit, eamque sua subscriptioue firmaverit, eius effectus in suspenso habeantur, donec constet de serenissimi Regis satisfactione, et Sancta Sedes Apostolica beneplacitum et approbationem impertiri dignata fuerit.

Actum Varsaviae die XXVIII. novembris anno MDCCLXXII.

Omnia laudat, et confirmat Pontifex etiam de consilio venerabil. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum.

§ 3. Nos igitur, qui pacem et quietem inter Metropolitanum et Episcopos praedictos paterno desideramus affectu, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, insertos articulos concordiae, una cum omnibus et singulis

in eis contentis et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis ac perpetuae firmitatis robur adiicimus, omnesque iuris et facti ac solemnitatum defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concordiam servandam esse praecipit per clausulas salutares, et dempta cuique iudici aliter iudicandi potestate.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sedis praedictae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatis etiam omnibus in contrarium facientibus, ac etiam speciali mentione dignis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XX. martii MDCCLXXIII. pontificatus nostri anno IV.

XXIII.

Confirmat et renovat prohibitionem alias a Clemente XI. factam, ne quaelibet persona sub poena excommunicationis ingredi possit in monasterium monialium Carmelitarum civitatis Sanctae Fidei in Indiis etc.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum pro consequenda revocatione ad observantiam constitutionis Clementinae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Moniales Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatae nuncupatae civitatis Sanctae Fidei de Bogota in Indiis occidentalibus, quod cum regularis earum vivendi ratio in eo potissimum versetur, ut a mundanis rebus alienae in silentio vitam solitarie ipsae ducant, neque puellae educationis causa illarum monasterium ingrediantur; hinc alias anno nempe MDCCXIX. felic. record. Clemens PP. XI. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas ad preces tunc existentium monialium dicti monasterii sub certis tunc expressis poenis prohibuit, ne quaecumque persona monasterium huiusmodi ingredi valeret, ac alias prout in eiusdem Clementis praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictarum literarum dispositio in desuetudinem abiisse nunc dignoscatur, ipsae vero exponentes, ut clausura et monasterii disciplina rigorose observetur, et religiosae earum quieti consultum sit, omnisque distractionis praecidatur occasio, opportune a nobis in praemissis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent,

Confirmatur constitutio, et etiam novae adiiciuntur cauthelae.

§ 2. Nos piis earumdem exponentium votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, easque specialis favore gratiae prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas praedicti Clementis praedecessoris literas prohibitionem huiusmodi continentes, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et innovamus, illisque apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus, ac literas praedictas, et in eis contenta quaecumque, adversus quemcumque non usum, seu desuetudinem, et inobservantiam, nec non quemvis abusum et contrarium usum, contrariamque observan-

tiam, etiam forsan publicam, ac notoriam, ac quantolibet tempore tolleratam, in integrum et pristinum statum restituimus et plenarie reintegramus, illasque perpetuo inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus et, quatenus opus sit, ne de caetero absque speciali Sedis Apostolicae facultate ulla persona cuiusvis status, gradus, aetatis et conditionis monasterium praedictum sub quovis praetextu, quaesito colore, occasione, et causa etiam educationis et expectandi tempus suscipiendi habitum regularem, neque quisquam quavis superioritate, officio aut dignitate fungens, ullam personam etiam ex nobili sanguine procreatam, sive coniugatam, sive innuptam, in monasterium huiusmodi introducere seu ut introducatur permittere audeat, seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendae poena, a qua nemo absolutionis beneficium, nisi a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, auctoritate apostolica, tenore praesentium prohibemus et interdicimus.

Sanctio poenalis. § 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae dictus Clemens praedecessor in suis literis praefatis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII. aprilis MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno IV.

XXIV.

Alumnis collegii Urbani de Propaganda Fide assignatur dies Pentecostes pro recitatione orationis in cappella pontificia ab aliquo eorum faciendae.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Ad summum apostolatus fastigium ineffabili Dei clementia, licet immerentes, evecti, nihil potius habendum nobis esse intelligimus, quam ut fidei catholicae lumen ubique splendescat, et evangelicae sonus doctrinae ad eas quoque gentes perveniat, quas adhuc circumfundi errorum caligine ac tenebris, intimo cordis nostri dolore, ingemiscimus. Profecto vas illud quasi linteum e coelo demissum in ea mirabili, quam habuit Petrus, visione, et vox audita *occide et manduca,* quid aliud voluit, nisi ut princeps Apostolorum eiusque futuri successores perpetuum humani generis in unum ovile congregandi curam haberent? et hi quidem ab Ecclesiae initio quam fortiter huic negotio peragendo incubuerint, omnes norunt quot quot historiae sacrae monumenta percurrentes nullam prope orbis extremi partem relictam conspiciunt, quam evangelici praecones a Romana Sede ablegati non adierint, et Christi regno lucri facere non fuerint conati. Sed nunquam clarius divini verbi praeconium inter gentes enituit, quam post erectam a fel. record. Gregorio PP. XV. praedecessore nostro Congregationem de Propaganda Fide nuncupatam, quae pontificiae administrationis praecipuum opus vocari potest, cuiusque est munus idoneos operarios in vineam Domini immittere, et rem catholicam sartam tectamque ab hostium incursibus ubique servare.

§ 2. Huius inter egregia molimina religioni orthodoxae apprime utilia Collegii Urbani de Propaganda Fide fundatio praesertim est recensenda, quod iure ac merito tamquam seminarium Ecclesiae universalis haberi debet. In eo siquidem nationum soboles a diversis mundi plagis accita, pietate ac literis imbuitur, proprios ritus ac linguas ediscit, et omnia demum praesidia comparat, quibus instructos esse oportet Dei ministros, vel spargendo in haereticos evangelico semini, vel haereticae labi impugnandae selectos ac deputatos. Longum nimis esset hic verbis prosequi, quot viri insignes doctrina et morum sanctitate, quot eximii praesules e dicto collegio prodierint, quantoque studio ac benevolentia Romani Pontifices praedecessores nostri ipsum foverint, ornaverint, et indultis apostolicis in illud, quod nunc obtinet, splendoris et celebritatis culmen provexerint. Aequum est igitur, ut nos etiam in peculiaris argumentum amoris, quo praecellens hoc opus complectimur, et ipsi collegio novum addamus dignitatis incrementum, et eiusdem alumnos filios nostros, qui Praestantia Congregat. de Propag. Fide.

in eis contentis et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis ac perpetuae firmitatis robur adiicimus, omnesque iuris et facti ac solemnitatum defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concordiam servandam esse praecipit per clausulas salutares, et dempta cuique iudici aliter iudicandi potestate.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sedis praedictae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatis etiam omnibus in contrarium facientibus, ac etiam speciali mentione dignis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die xx. martii MDCCLXXIII. pontificatus nostri anno IV.

XXIII.

Confirmat et renovat prohibitionem alias a Clemente XI. factam, ne quaelibet persona sub poena excommunicationis ingredi possit in monasterium monialium Carmelitarum civitatis Sanctae Fidei in Indiis etc.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum pro consequenda revocatione ad observantiam constitutionis Clementinae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Moniales Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatae nuncupatae civitatis Sanctae Fidei de Bogota in Indiis occidentalibus, quod cum regularis earum vivendi ratio in eo potissimum versetur, ut a mundanis rebus alienae in silentio vitam solitarie ipsae ducant, neque puellae educationis causa illarum monasterium ingrediantur; hinc alias anno nempe MDCCXIX. felic. record. Clemens PP. XI. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas ad preces tunc existentium monialium dicti monasterii sub certis tunc expressis poenis prohibuit, ne quaecumque persona monasterium huiusmodi ingredi valeret, ac alias prout in eiusdem Clementis praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictarum literarum dispositio in desuetudinem abiisse nunc dignoscatur, ipsae vero exponentes, ut clausura et monasterii disciplina rigorose observetur, et religiosae earum quieti consultum sit, omnisque distractionis praec[illegible] datur occasio, opportune a nobis in praemissis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent,

§ 2. Nos piis earumdem exponen[illegible] votis, quantum cum Domino possum[illegible] vorabiliter annuere, easque specialis [illegible] gratiae prosequi volentes, et earum [illegible] lares personas a quibusvis excommun[illegible] tionis et interdicti, aliisque eccle[illegible] censuris, sententiis et poenis quovi[illegible] et quacumque de causa latis, si qu[illegible] incurrerunt, huius tantum rei [illegible] solventes et absolutas fore censen[illegible] plicationibus earum nomine nobi[illegible] ter porrectis inclinati, memorata[illegible] Clementis praedecessoris literas [illegible] nem huiusmodi continentes, [illegible] apostolica tenore praesentium [illegible] mus et innovamus, illisque a[illegible] mitatis vim, robur et efficac[illegible] mus, ac literas praedictas, [illegible] tenta quaecumque, adversus [illegible] non usum, seu desuetudine[illegible] vantiam, nec non quemvis [illegible] trarium usum, contrariam [illegible]

et delegatos,
et auditores,
e irritum et
quam, quavis
anter, conti-

stitutionibus et ceterisque con- Derogatio contrariorum.

Mariam Maio-
die XVIII. iunii
tri anno V.

*istriensi, nec
ditioni locis
itatibus sine
o consulat, a-
munere decer-*

**iscopo Tybe-
o et decano**

XIV.

r.

nedictionem.

stifideles om-
e, illud maxi-
ut eorumdem
rum rationem
illi ad spiri-
pensiores ala-
enim ita com-
it altera abesse
a inter se tem-
est, maxime pro-
praecipue ad di-
aque salutem, no-
ii sollicitudo con-
ium ex minime ne-
rerum opportunitate,
nta, si qua sint, averti,
ora ad eum finem adiu-
t posse cognoscimus. Ex
elligere potes, ven. fr., quo
erimus tuas litteras, quae et
ga S. hanc Sedem devotionis
vantiae significationibus sunt re-

de longe venerunt, aliquo singulari favore adauctos, et condecoratos esse velimus.

Ratio et tenor concessionis.

§ 3. Quare cum nemo ignoret, quod prima fidei promulgandae contentio a sacro incoepit Pentecostes die, quo Spiritus Sanctus illapsus Apostolis eorum corda inflammavit, cumque exinde, veluti signo dato, Apostolorum coriphaeus et princeps Petrus adeo feliciter suae praedicationis cursum auspicatus fuerit, ut uno sermone tria hominum millia in Christi legem attraxerit; nihil aptius censemus atque opportunius, quam si recurrente quotannis hoc ipso die festo praerogativam et locum dicendi coram nobis, uti mos est, de Spiritus Paracliti adventu alumnis iam dictis concedamus; sic enim fiet, ut omnes et singuli suae vocationis memores, atque iuramenti, quod praestiterunt, alacriores evadant ad ministerium apostolatus quandoque obeundum, eosque uberes fructus reddendos, quos mater Ecclesia ab ipsis suo in gremio nutritis atque educatis cupide multum ac sollicite expectat. Volumus tamen, ut eorum nullus hanc sermocinandi provinciam assumat in sacello nostro pontificio, nisi quem dilectus filius magister Stephanus Borgia, modernus, et pro tempore existens dictae Congregationis de Propaganda Fide secretarius, tamquam praelibati collegii superior ac moderator, ad hoc officium elegerit et voce vel scripto eiusmodi facultatem tribuerit.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Confirmat decret. Congregationis Rituum super recitatione officii et missae Sanctae Rosae Limanae.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Preces primitus porrectae pro obtinenda facultate recitandi missam, et officium S. Rosae.

§ 1. Alias venerabilis frater Didacus Antonius Archiepiscopus Limanus supplices nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet officium ac celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius regni Peruviani patronae ab universo clero eiusdem regni; auditaque desuper relatione dilecti filii nostri Marii S. R. E. Cardinalis Marefuschi Congregationis venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum praefecti, petitae gratiae nos annuendum esse censuimus, editumque fuit decretum tenoris, qui sequitur, nempe:

Regni Peruviani, seu Limana.

Tenor primae concessionis.

§ 2. Cum reverendissimus Archiepiscopus Limanus Sanctissimo Domino nostro Clementi PP. XIV. humillimas preces porrexerit pro facultate singulis annis recitandi ab universo clero regni Peruviani officium, et celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius dicti regni patronae, Sanctitas Sua ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Marii Marefuschi Sacrae Rituum Congregationis praefecti censuit annuendum pro gratia concessionis officii et missae translationis dictarum reliquiarum de communi virginum cum lectionibus secundi nocturni approbandis sub ritu semiduplici pro die a dicto reverendissimo Archiepiscopo designanda, servatis breviarii et missalis romani rubricis. Die XXVII. februarii MDCCLXXIII.

M. Card. MAREFUSCUS praefectus.

Loco ✝ Signi.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Aliae preces pro obtinendis lectionib. propriis et oratione.

§ 3. Deinde vero idem Didacus Antonius Archiepiscopus iterum nobis humiliter supplicari fecit, ut orationem ac lectiones proprias secundi nocturni in praefato officio recitanda approbare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque orationem et lectiones huiusmodi ab eodem Mario Cardinali et praefecto revisas atque correctas alio decreto approbavimus, easque ab utro-

que clero dicti regni recitare posse censuimus; tenor vero orationis, ac lectionum huiusmodi et secundi huius decreti est qui sequitur, videlicet:

Lectiones cum oratione praetermittimus.

Approbatio dictarum lectionum et orationis.

§ 4. Concessis iam a Sm̃o Domino nostro Clemente PP. XIV. die XXVII. februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semiduplici pro die a reverendissim̃o Archiepiscopo designanda; idem reverendissimus Archiepiscopus iterum SSm̃o Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime supplicavit. Et Sanctitas Sua suprascriptas orationem et lectiones proprias ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Marefusco sacrae Rituum Congregationis praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit, easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit. Die XXIII. aprilis MDCCLXXIII.

Confirmantur decretum. et concessiones.

§ 5. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus, praemissa omnia, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, nos eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae efficacissimae, et irritantes.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXVI.

In urbe, atque dioecesi Wratislaviensi, nec non in ceteris Borussicae ditioni locis subiectis, ut fidelium utilitatibus sine aeternae salutis dispendio consulat, aliquos festivos dies imminuere decernit (1).

Venerabili fratri Mauritio Episcopo Tyberiadensi Vicario Apostolico et decano Wratislaviensi,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Paternae charitati, qua christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorumdem temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus praesertim illi ad spiritualia consectanda fieri propensiores alacrioresque possint. Utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter etsi praecipue ad divinum cultum, animarumque salutem, nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ex minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si qua sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adiumenta comparari posse cognoscimus. Ex quo facile intelligere potes, ven. fr., quo animo exceperimus tuas litteras, quae et eximiis erga S. hanc Sedem devotionis et observantiae significationibus sunt re-

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

de longe venerunt, aliquo singulari favore adauctos, et condecoratos esse velimus.

Ratio et tenor concessionis.

§ 3. Quare cum nemo ignoret, quod prima fidei promulgandae contentio a sacro incoepit Pentecostes die, quo Spiritus Sanctus illapsus Apostolis eorum corda inflammavit, cumque exinde, veluti signo dato, Apostolorum coriphaeus et princeps Petrus adeo feliciter suae praedicationis cursum auspicatus fuerit, ut uno sermone tria hominum millia in Christi legem attraxerit; nihil aptius censemus atque opportunius, quam si recurrente quotannis hoc ipso die festo praerogativam et locum dicendi coram nobis, uti mos est, de Spiritus Paracliti adventu alumnis iam dictis concedamus; sic enim fiet, ut omnes et singuli suae vocationis memores, atque iuramenti, quod praestiterunt, alacriores evadant ad ministerium apostolatus quandoque obeundum, eosque uberes fructus reddendos, quos mater Ecclesia ab ipsis suo in gremio nutritis atque educatis cupide multum ac sollicite expectat. Volumus tamen, ut eorum nullus hanc sermocinandi provinciam assumat in sacello nostro pontificio, nisi quem dilectus filius magister Stephanus Borgia, modernus, et pro tempore existens dictae Congregationis de Propaganda Fide secretarius, tamquam praelibati collegii superior ac moderator, ad hoc officium elegerit et voce vel scripto eiusmodi facultatem tribuerit.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Confirmat decret. Congregationis Rituum super recitatione officii et missae Sanctae Rosae Limanae.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Preces primitus porrectae pro obtinenda facultate recitandi missam, et officium S. Rosae.

§ 1. Alias venerabilis frater Didacus Antonius Archiepiscopus Limanus supplices nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet officium ac celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius regni Peruviani patronae ab universo clero eiusdem regni; auditaque desuper relatione dilecti filii nostri Marii S. R. E. Cardinalis Marefuschi Congregationis venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum praefecti, petitae gratiae nos annuendum esse censuimus, editumque fuit decretum tenoris, qui sequitur, nempe:

Regni Peruviani, seu Limana.

Tenor primae concessionis.

§ 2. Cum reverendissimus Archiepiscopus Limanus Sanctissimo Domino nostro Clementi PP. XIV. humillimas preces porrexerit pro facultate singulis annis recitandi ab universo clero regni Peruviani officium, et celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius dicti regni patronae, Sanctitas Sua ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Marii Marefuschi Sacrae Rituum Congregationis praefecti censuit annuendum pro gratia concessionis officii et missae translationis dictarum reliquiarum de communi virginum cum lectionibus secundi nocturni approbandis sub ritu semiduplici pro die a dicto reverendissimo Archiepiscopo designanda, servatis breviarii et missalis romani rubricis. Die XXVII. februarii MDCCLXXIII.

M. Card. MAREFUSCUS praefectus.

Loco † Signi.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Aliae preces pro obtinendis lectionib. propriis et oratione.

§ 3. Deinde vero idem Didacus Antonius Archiepiscopus iterum nobis humiliter supplicari fecit, ut orationem ac lectiones proprias secundi nocturni in praefato officio recitanda approbare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque orationem et lectiones huiusmodi ab eodem Mario Cardinali et praefecto revisas atque correctas alio decreto approbavimus, easque ab utro-

que clero dicti regni recitare posse censuimus; tenor vero orationis, ac lectionum huiusmodi et secundi huius decreti est qui sequitur, videlicet:

Lectiones cum oratione praetermittimus.

Approbatio dictarum lectionum et orationis.

§ 4. Concessis iam a Sm̃o Domino nostro Clemente PP. XIV. die XXVII. februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semiduplici pro die a reverendissim̃o Archiepiscopo designanda; idem reverendissimus Archiepiscopus iterum SSm̃o Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime supplicavit. Et Sanctitas Sua suprascriptas orationem et lectiones proprias ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Marefusco sacrae Rituum Congregationis praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit, easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit. Die XXIII. aprilis MDCCLXXIII.

Confirmantur decretum, et concessiones.

§ 5. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus, praemissa omnia, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, nos eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae efficacissimae, et irritantes.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXVI.

In urbe, atque dioecesi Wratislaviensi, nec non in ceteris Borussicae ditioni locis subiectis, ut fidelium utilitatibus sine aeternae salutis dispendio consulat, aliquos festivos dies imminuere decernit (1).

Venerabili fratri Mauritio Episcopo Tyberiadensi Vicario Apostolico et decano Wratislaviensi,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benediotionem.

Paternae charitati, qua christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorumdem temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus praesertim illi ad spiritualia consectanda fieri propensiores alacrioresque possint. Utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter etsi praecipue ad divinum cultum, animarumque salutem, nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ex minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si qua sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adiumenta comparari posse cognoscimus. Ex quo facile intelligere potes, ven. fr., quo animo exceperimus tuas litteras, quae et eximiis erga S. hanc Sedem devotionis et observantiae significationibus sunt re-

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

de longe venerunt, aliquo singulari favore adauctos, et condecoratos esse velimus.

Ratio et tenor concessionis.

§ 3. Quare cum nemo ignoret, quod prima fidei promulgandae contentio a sacro incoepit Pentecostes die, quo Spiritus Sanctus illapsus Apostolis eorum corda inflammavit, cumque exinde, veluti signo dato, Apostolorum coriphaeus et princeps Petrus adeo feliciter suae praedicationis cursum auspicatus fuerit, ut uno sermone tria hominum millia in Christi legem attraxerit; nihil aptius censemus atque opportunius, quam si recurrente quotannis hoc ipso die festo praerogativam et locum dicendi coram nobis, uti mos est, de Spiritus Paracliti adventu alumnis iam dictis concedamus; sic enim fiet, ut omnes et singuli suae vocationis memores, atque iuramenti, quod praestiterunt, alacriores evadant ad ministerium apostolatus quandoque obeundum, eosque uberes fructus reddendos, quos mater Ecclesia ab ipsis suo in gremio nutritis atque educatis cupide multum ac sollicite expectat. Volumus tamen, ut eorum nullus hanc sermocinandi provinciam assumat in sacello nostro pontificio, nisi quem dilectus filius magister Stephanus Borgia, modernus, et pro tempore existens dictae Congregationis de Propaganda Fide secretarius, tamquam praelibati collegii superior ac moderator, ad hoc officium elegerit et voce vel scripto eiusmodi facultatem tribuerit.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Confirmat decret. Congregationis Rituum super recitatione officii et missae Sanctae Rosae Limanae.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Preces primitus porrectae pro obtinenda facultate recitandi missam, et officium S. Rosae.

§ 1. Alias venerabilis frater Didacus Antonius Archiepiscopus Limanus supplices nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet officium ac celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius regni Peruviani patronae ab universo clero eiusdem regni; auditaque desuper relatione dilecti filii nostri Marii S.R.E. Cardinalis Marefuschi Congregationis venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum praefecti, petitae gratiae nos annuendum esse censuimus, editumque fuit decretum tenoris, qui sequitur, nempe:

Regni Peruviani, seu Limana.

Tenor primae concessionis.

§ 2. Cum reverendissimus Archiepiscopus Limanus Sanctissimo Domino nostro Clementi PP. XIV. humillimas preces porrexerit pro facultate singulis annis recitandi ab universo clero regni Peruviani officium, et celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius dicti regni patronae, Sanctitas Sua ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Marii Marefuschi Sacrae Rituum Congregationis praefecti censuit annuendum pro gratia concessionis officii et missae translationis dictarum reliquiarum de communi virginum cum lectionibus secundi nocturni approbandis sub ritu semiduplici pro die a dicto reverendissimo Archiepiscopo designanda, servatis breviarii et missalis romani rubricis. Die XXVII. februarii MDCCLXXIII.

M. Card. MAREFUSCUS praefectus.

Loco † Signi.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Aliae preces pro obtinendis lectionib. propriis et oratione.

§ 3. Deinde vero idem Didacus Antonius Archiepiscopus iterum nobis humiliter supplicari fecit, ut orationem ac lectiones proprias secundi nocturni in praefato officio recitanda approbare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque orationem et lectiones huiusmodi ab eodem Mario Cardinali et praefecto revisas atque correctas alio decreto approbavimus, easque ab utro-

que clero dicti regni recitare posse censuimus; tenor vero orationis, ac lectionum huiusmodi et secundi huius decreti est qui sequitur, videlicet:

Lectiones cum oratione praetermittimus.

Approbatio dictarum lectionum et orationis.

§ 4. Concessis iam a Sſño Domino nostro Clemente PP. XIV. die XXVII. februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semiduplici pro die a reverendissiño Archiepiscopo designanda; idem reverendissimus Archiepiscopus iterum SSño Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime supplicavit. Et Sanctitas Sua suprascriptas orationem et lectiones proprias ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Marefusco sacrae Rituum Congregationis praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit, easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit. Die XXIII. aprilis MDCCLXXIII.

Confirmantur decretum et concessiones.

§ 5. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus, praemissa omnia, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, nos eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae efficacissimae, et irritantes.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXVI.

In urbe, atque dioecesi Wratislaviensi, nec non in ceteris Borussicae ditioni locis subiectis, ut fidelium utilitatibus sine aeternae salutis dispendio consulat, aliquos festivos dies imminuere decernit (1).

Venerabili fratri Mauritio Episcopo Tyberiadensi Vicario Apostolico et decano Wratislaviensi,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Paternae charitati, qua christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorumdem temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus praesertim illi ad spiritualia consectanda fieri propensiores alacrioresque possint. Utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter etsi praecipue ad divinum cultum, animarumque salutem, nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ex minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si qua sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adiumenta comparari posse cognoscimus. Ex quo facile intelligere potes, ven. fr., quo animo exceperimus tuas litteras, quae et eximiis erga S. hanc Sedem devotionis et observantiae significationibus sunt re-

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

de longe venerunt, aliquo singulari favore adauctos, et condecoratos esse velimus.

Ratio et tenor concessionis.

§ 3. Quare cum nemo ignoret, quod prima fidei promulgandae contentio a sacro incoepit Pentecostes die, quo Spiritus Sanctus illapsus Apostolis eorum corda inflammavit, cumque exinde, veluti signo dato, Apostolorum coriphaeus et princeps Petrus adeo feliciter suae praedicationis cursum auspicatus fuerit, ut uno sermone tria hominum millia in Christi legem attraxerit; nihil aptius censemus atque opportunius, quam si recurrente quotannis hoc ipso die festo praerogativam et locum dicendi coram nobis, uti mos est, de Spiritus Paracliti adventu alumnis iam dictis concedamus; sic enim fiet, ut omnes et singuli suae vocationis memores, atque iuramenti, quod praestiterunt, alacriores evadant ad ministerium apostolatus quandoque obeundum, eosque uberes fructus reddendos, quos mater Ecclesia ab ipsis suo in gremio nutritis atque educatis cupide multum ac sollicite expectat. Volumus tamen, ut eorum nullus hanc sermocinandi provinciam assumat in sacello nostro pontificio, nisi quem dilectus filius magister Stephanus Borgia, modernus, et pro tempore existens dictae Congregationis de Propaganda Fide secretarius, tamquam praelibati collegii superior ac moderator, ad hoc officium elegerit et voce vel scripto eiusmodi facultatem tribuerit.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Confirmat decret. Congregationis Rituum super recitatione officii et missae Sanctae Rosae Limanae.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Preces primitus porrectae pro obtinenda facultate recitandi missam, et officium S. Rosae.

§ 1. Alias venerabilis frater Didacus Antonius Archiepiscopus Limanus supplices nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet officium ac celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius regni Peruviani patronae ab universo clero eiusdem regni; auditaque desuper relatione dilecti filii nostri Marii S. R. E. Cardinalis Marefuschi Congregationis venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum praefecti, petitae gratiae nos annuendum esse censuimus, editumque fuit decretum tenoris, qui sequitur, nempe:

Regni Peruviani, seu Limana.

Tenor primae concessionis.

§ 2. Cum reverendissimus Archiepiscopus Limanus Sanctissimo Domino nostro Clementi PP. XIV. humillimas preces porrexerit pro facultate singulis annis recitandi ab universo clero regni Peruviani officium, et celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius dicti regni patronae, Sanctitas Sua ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Marii Marefuschi Sacrae Rituum Congregationis praefecti censuit annuendum pro gratia concessionis officii et missae translationis dictarum reliquiarum de communi virginum cum lectionibus secundi nocturni approbandis sub ritu semiduplici pro die a dicto reverendissimo Archiepiscopo designanda, servatis breviarii et missalis romani rubricis. Die XXVII. februarii MDCCLXXIII.

M. Card. Marefuscus praefectus.

Loco ✝ Signi.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Aliae preces pro obtinendis lectionib. propriis et oratione.

§ 3. Deinde vero idem Didacus Antonius Archiepiscopus iterum nobis humiliter supplicari fecit, ut orationem ac lectiones proprias secundi nocturni in praefato officio recitanda approbare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque orationem et lectiones huiusmodi ab eodem Mario Cardinali et praefecto revisas atque correctas alio decreto approbavimus, easque ab utro-

que clero dicti regni recitare posse censuimus; tenor vero orationis, ac lectionum huiusmodi et secundi huius decreti est qui sequitur, videlicet:

Lectiones cum oratione praetermittimus.

Approbatio dictarum lectionum et orationis.

§ 4. Concessis iam a S̃mo Domino nostro Clemente PP. XIV. die xxvii. februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semiduplici pro die a reverendissimo Archiepiscopo designanda; idem reverendissimus Archiepiscopus iterum SS̃mo Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime supplicavit. Et Sanctitas Sua suprascriptas orationem et lectiones proprias ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Marefusco sacrae Rituum Congregationis praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit, easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit. Die xxiii. aprilis MDCCLXXIII.

Confirmantur decretum. et concessiones.

§ 5. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus, praemissa omnia, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, nos eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae efficacissimae, et irritantes.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xviii. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno v.

XXVI.

In urbe, atque dioecesi Wratislaviensi, nec non in ceteris Borussicae ditioni locis subiectis, ut fidelium utilitatibus sine aeternae salutis dispendio consulat, aliquos festivos dies imminuere decernit (1).

Venerabili fratri Mauritio Episcopo Tyberiadensi Vicario Apostolico et decano Wratislaviensi,

CLEMENS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Paternae charitati, qua christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorumdem temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus praesertim illi ad spiritualia consectanda fieri propensiores alacrioresque possint. Utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter etsi praecipue ad divinum cultum, animarumque salutem, nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ex minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si qua sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adiumenta comparari posse cognoscimus. Ex quo facile intelligere potes, ven. fr., quo animo exceperimus tuas litteras, quae et eximiis erga S. hanc Sedem devotionis et observantiae significationibus sunt re-

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

de longe venerunt, aliquo singulari favore adauctos, et condecoratos esse velimus.

Ratio et tenor concessionis.

§ 3. Quare cum nemo ignoret, quod prima fidei promulgandae contentio a sacro incoepit Pentecostes die, quo Spiritus Sanctus illapsus Apostolis eorum corda inflammavit, cumque exinde, veluti signo dato, Apostolorum coriphaeus et princeps Petrus adeo feliciter suae praedicationis cursum auspicatus fuerit, ut uno sermone tria hominum millia in Christi legem attraxerit; nihil aptius censemus atque opportunius, quam si recurrente quotannis hoc ipso die festo praerogativam et locum dicendi coram nobis, uti mos est, de Spiritus Paracliti adventu alumnis iam dictis concedamus; sic enim fiet, ut omnes et singuli suae vocationis memores, atque iuramenti, quod praestiterunt, alacriores evadant ad ministerium apostolatus quandoque obeundum, eosque uberes fructus reddendos, quos mater Ecclesia ab ipsis suo in gremio nutritis atque educatis cupide multum ac sollicite expectat. Volumus tamen, ut eorum nullus hanc sermocinandi provinciam assumat in sacello nostro pontificio, nisi quem dilectus filius magister Stephanus Borgia, modernus, et pro tempore existens dictae Congregationis de Propaganda Fide secretarius, tamquam praelibati collegii superior ac moderator, ad hoc officium elegerit et voce vel scripto eiusmodi facultatem tribuerit.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Confirmat decret. Congregationis Rituum super recitatione officii et missae Sanctae Rosae Limanae.

CLEMENS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Preces primitus porrectae pro obtinenda facultate recitandi missam, et officium S. Rosae.

§ 1. Alias venerabilis frater Didacus Antonius Archiepiscopus Limanus supplices nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet officium ac celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius regni Peruviani patronae ab universo clero eiusdem regni; auditaque desuper relatione dilecti filii nostri Marii S. R. E. Cardinalis Marefuschi Congregationis venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum praefecti, petitae gratiae nos annuendum esse censuimus, editumque fuit decretum tenoris, qui sequitur, nempe:

Regni Peruviani, seu Limana.

Tenor primae concessionis.

§ 2. Cum reverendissimus Archiepiscopus Limanus Sanctissimo Domino nostro Clementi PP. XIV. humillimas preces porrexerit pro facultate singulis annis recitandi ab universo clero regni Peruviani officium, et celebrandi missam translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae totius dicti regni patronae, Sanctitas Sua ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Marii Marefuschi Sacrae Rituum Congregationis praefecti censuit annuendum pro gratia concessionis officii et missae translationis dictarum reliquiarum de communi virginum cum lectionibus secundi nocturni approbandis sub ritu semiduplici pro die a dicto reverendissimo Archiepiscopo designanda, servatis breviarii et missalis romani rubricis. Die XXVII. februarii MDCCLXXIII.

M. Card. MAREFUSCUS praefectus.

Loco † Signi.

M. Gallo S. R. C. Secretarius.

Aliae preces pro obtinendis lectionib. propriis et oratione.

§ 3. Deinde vero idem Didacus Antonius Archiepiscopus iterum nobis humiliter supplicari fecit, ut orationem ac lectiones proprias secundi nocturni in praefato officio recitanda approbare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque orationem et lectiones huiusmodi ab eodem Mario Cardinali et praefecto revisas atque correctas alio decreto approbavimus, easque ab utro-

que clero dicti regni recitare posse censuimus; tenor vero orationis, ac lectionum huiusmodi et secundi huius decreti est qui sequitur, videlicet:

Lectiones cum oratione praetermittimus.

Approbatio dictarum lectionum et orationis.

§ 4. Concessis iam a Sm̃o Domino nostro Clemente PP. XIV. die XXVII. februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum Sanctae Rosae a Sancta Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semiduplici pro die a reverendissim̃o Archiepiscopo designanda; idem reverendissimus Archiepiscopus iterum SSm̃o Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime supplicavit. Et Sanctitas Sua suprascriptas orationem et lectiones proprias ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Marefusco sacrae Rituum Congregationis praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit, easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit. Die XXIII. aprilis MDCCLXXIII.

Confirmantur decretum, et concessiones.

§ 5. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus, praemissa omnia, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, nos eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae efficacissimae, et irritantes.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXVI.

In urbe, atque dioecesi Wratislariensi, nec non in ceteris Borussicae ditioni locis subiectis, ut fidelium utilitatibus sine aeternae salutis dispendio consulat, aliquos festivos dies imminuere decernit (1).

Venerabili fratri Mauritio Episcopo Tyberiadensi Vicario Apostolico et decano Wratislaviensi,

CLEMENS PAPA XIV.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Paternae charitati, qua christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorumdem temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus praesertim illi ad spiritualia consectanda fieri propensiores alacrioresque possint. Utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter etsi praecipue ad divinum cultum, animarumque salutem, nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ex minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si qua sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adiumenta comparari posse cognoscimus. Ex quo facile intelligere potes, ven. fr., quo animo exceperimus tuas litteras, quae et eximiis erga S. hanc Sedem devotionis et observantiae significationibus sunt re-

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

fertae, et pastoralem curam, sollicitudinem ac vigilantiam tuam maxime praeseferunt: in iis enim diligenter exponis non mediocria, quae a dierum festorum numero in commissum tibi per Apostolicam Sedem populum emanant incommoda. Capere exinde grave dammum fideles cum acatholicis commixtos ais, atque in id magis etiam eos incidere quod ipsi pauperes sunt, atque opera ac labore in colendis praesertim agris vitam aegre sustentant; distantia enim plerumque loca sunt, ad quae ut intersint sacro accedere non sine gravissimo incommodo necesse est. Quae pariter rerum difficultates in alios aeque praeter istam dioecesim catholicos populos extenduntur, quibus supremus Borussiae dominator temporaliter praeest, cuius etiam de hac re sollicitudo ad nos est perlata. Quare huiusmodi permotus istius gregis incommodis, postulas a nobis, ut commisso tibi populo opportuna dierum festorum imminutione ex apostolica benignitate consuleremus. Nos itaque, et illius dignitatis et voluntatis, qua populorum suorum commodis studet, maximam rationem habentes, et postulationum tuarum aequitate permoti, ut fidelium utilitatibus absque aeternae salutis dispendio consulamus, per praesentes in forma Brevis litteras, fraternitati tuae committimus ac mandamus, ut in ista civitate ac dioecesi Wratislaviensi, ac in aliis etiam Borussicae ditioni subiectis, ad quos aliter hoc nostrae concessionis beneficium pervenire non possit, hanc de festis diebus legem, in qua maturo consilio ac expensis omnibus descendimus, auctoritate apostolica tamquam noster specialis, ad hunc effectum tantummodo taxative praestandum, delegatus enuncies ac edicas. Retineantur nempe ac celebrentur festivi dies Resurrectionis cum sequenti et Pentecostes item cum sequenti, aliique per annum dies Dominici, nec non Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Ephiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, tum quinque dicati B. Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, praeterea ut SS̃morum Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, S. Stephani Proto-martyris, et unius tantum principalioris Patroni. Sed si alicubi plures patronos aeque principales haberi contigerit, diligenter inquiras necesse est, ven. fr., quinam ex dictis principalioribus patronis potiorem cultum ac venerationem in ea vel civitate vel oppido vel pago habent, et in eius tantum propria die festivitatis praeceptum designes. In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiae Catholicae instituto christifideles sacris adesse, a servilibus operibus abstinere, et ieiunium in eorumdem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant ac teneantur. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera permittimus et indulgemus, sed insuper eosdem christifideles a quocumque vigiliae seu ieiunii diebus praecedentibus, dummodo abunde, vel ratione quadragesimae, vel ratione Quatuor Temporum, non praecipiatur, et audiendi Missam, in praedictis festis obligatione absolvimus et liberamus. Sed quoniam dum populorum conscientiae consulimus et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, Sanctorum venerationem et salutare christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo Sanctorum ac solemnitatum Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis, a clero retineri et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus. Sacrum vero ieiunium, quod in praedictis vigiliis habebatur, ad quartas et sextas ferias Adventus transferendum, ibidemque servandum edicimus et constituimus. Ut autem non solum clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festivis sacrosancto Missae Sacrificio, ac divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum Apostolorum ac martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent ac venerentur; volumus ac praecipimus, ut die XXIX. iunii, ultra praecipuam Sanctorum Petri et Pauli solemnitatem, etiam aliorum Apostolorum, et die XXVI. decembris, ultra praecipuam S. Stephani, festum etiam aliorum Sanctorum Martyrum memoria celebretur. Quare die XXIX. iunii in calendariis ecclesiasticis ita festum inscribendum erit – Sanctorum Petri et Pauli, et Commemoratio omnium Apostolorum – ac tam in Officio, quam in Missa addetur – Commemoratio de Communi Apostolorum –; die vero XXVI. decembris ita notetur – Festum S. Stephani Protomartyris, et Commemoratio Omnium Sanctorum Martyrum – ac tam in Officio, quam in Missa addenda erit – Commemoratio de communi plurimorum Martyrum – Haec nos, ven. fr.,

non minus spiritualem, quam temporalem istius populi utilitatem intuentes sancienda esse iudicavimus, in quo plurimum sollicitudini, ac pastorali vigilantiae tuae confidimus, qui illud profecto sedulitate studioque tuo efficies, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, eo maior sit in populorum animis pietatis fervor ac devotio. Cupimus autem ac in Domino magnopere hortamur, ut fraternitas tua populos tibi per Apostolicam Sedem commissos quam saepissime edocendos curet quae ad iustam legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore quaqua humilitate spiritus adstare SSmo altaris Sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis Officiis, sacris Concionibus et Christianae Doctrinae institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies Christifidelium corda graventur crapula, et ebrietate et saecularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis, ut profana quaeque ludrica; et minus religiosa a publicis locis amoveantur; contra vero in conspectu illa sint, abundeque suppetant, quae ad fovendam devotionem pietatemque plurimum prodesse possint. Illud postremo curae tibi erit, ven. frater, ut Borussicae ditionis fideles populi per te intelligant eum, cui temporaliter subiecti sunt, plurimam dedisse operam, ut nos hoc apostolicae concessionis beneficium ipsis largiremur, atque hoc etiam re perspicue declarasse, quantum suorum commodis ac utilitati studeant, tanto proinde magis eosdem excitari debere, non solum ut alacriter debitam illi obedientiam fidemque praestare pergant, verum etiam assidue Deum obsecrent, ut eis illum cumulet donis quae ad veram ac solidam felicitatem conferre possint. Quae quidem cuncta a perspecta pastorali vigilantia tua nobis maxime pollicentes, in pontificiae charitatis pignus apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, tuaeque fidei commisso populo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIV. iunii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno IV.

XXVII.

Mandat domino Cardinali Aquaviva capiendi possessionem bonorum spectantium tam ad collegium Germanicum et Hungaricum in ducatu Urbini, quam ad collegium Societatis Iesu erigendum in civitate Senogallia.

Dilecto filio nostro Paschali S. R. E. diacono Cardinali Aquaviva de Aragonia nuncupato in Urbinatensi, Eugubina, Pisaurensi, et reliquis civitatibus et oppidis apostolico incorporationis decreto comprehensis et ad Apostolicam Sedem devolutis pro-praesidi,

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum super bonis, rebus ac iuribus tam ad collegium Germanicum et Hungaricum almae urbis spectantibus, et in castro montis Radii aliisque locis ducatus Urbinatensis existentibus, quam ad collegium clericorum regularium Societatis Iesu in civitate nostra Senogalliensi erigendum pertinentibus nonnullae provisiones, ordinationes atque dispositiones praescribere intendamus, hinc, ut haec omnia commodius et facilius suum consequantur effectum, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut per te, vel alium, seu alios corporalem, realem et actualem possessionem dictorum bonorum ad utrumque collegium huiusmodi tam erectum quam erigendum spectantium et pertinentium, et illis forsan annexorum, iuriumque, et pertinentiarum suarum quarumcumque nostro et Sedis Apostolicae nomine, omnibus mora et dilatione postpositis, apprehendas, atque quoscumque clericos saeculares dictae societatis ad custodiam seu regimen eorumdem bonorum, seu alios quomodolibet deputatos amoveas, aliosque probitate et integritate praestantes viros in eorum locum pro recta bonorum huiusmodi administratione eligas ac deputes, nec non archivia, libros et scripturas praedicta bona eorumque administrationem quovis modo respicientia in tuto ponere et conservare cures et facias. *Praeceptum de capienda possessione bonorum.*

§ 2. Ut autem praemissa omnia et singula debitae executioni demandentur, omnibus et singulis locorum Ordinariis, gubernatoribus, locumtenentibus, praetoribus, et aliis quocumque nomine nuncupatis officialibus et ministris civitatum, terrarum et locorum nobis et S. R. E. subiectorum quavis potestate, auctoritate et privilegio *Omnibus committitur ut necessaria praebeant pro plena literarum executione.*

suffultis, nec non communitatibus ac universitatibus earumdem civitatum, terrarum et locorum, omnia et quaecumque occasione praemissorum, quae tibi necessaria et opportuna visa fuerint, et quoties volueris, iniungendi, mandandi, iubendi et imperandi; ac mandatis tuis obtemperare recusantes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia cogendi et compellendi plenam, liberam, absolutam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem tenore praesentium tibi concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praedictae societatis et collegiorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxv. iunii MDCCLXXIII., pontif. nostri anno v.

XXVIII.

Episcopatus Sirmiensem et Bosnensem aeque principaliter in perpetuum unit per unum Episcopum regendum, qui Archiepiscopo Coloczensi suffraganeus sit; iubet ut redditus ecclesiae Sirmiensis applicentur etiam Bosnensi.

CLEMENS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Universi orbis ecclesiis, eo disponente, qui cunctis imperat, et cui omnia obediunt, meritis licet imparibus praesidentes, in omnes agri Dominici partes oculos nostrae mentis vigilis more pastoris intendimus, inspicientes quid ecclesiarum ipsarum praesertim cathedralium statui et decori maxime conveniat, atque hoc quidem tanto liberalius promptiusque curandum censemus, quanto magis sublimium personarum vota id exposcunt, et nos in Domino salubriter expedire cognoscimus.

Expositio precum porrectarum.

§ 2. Sane pro parte carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae apostolicae et Bohemiae reginae illustris expositum nobis fuit, quod propter tenuitatem reddituum cathedralis ecclesiae Syrmiensis, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad eamdem Mariam Theresiam reginam ratione regni Hungariae ex fundatione vel dotatione spectat et pertinet, quaeque per translationem bon. mem. Ioannis Baptistae Paxy, olim illius Episcopi, ad ecclesiam Zagabriensem, de praesenti vacans existit, non solum canonicis et capitulo caret, verum etiam seminario, episcopali residentia, et cathedrali quoque ecclesia penitus destituta reperitur. Ut autem tot tantisque huiusmodi necessitatibus consultum sit, eadem Maria Theresia regina pro sua eximia, qua pollet, pietate et singularis religionis zelo praefatam ecclesiam Syrmiensem alteri finitimae ecclesiae Bosnensi, ad quam, dum illa etiam pro tempore vacat, nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad ipsam Mariam Theresiam ratione regni Hungariae huiusmodi ex fundatione vel dotatione, aut privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, quae insuper decenti episcopali domo atque cathedrali ecclesia ornata reperitur, apostolica auctoritate aeque principaliter et in perpetuum unire plurimum desiderat.

Concessio gratiae iuxta petita.

§ 3. Nos igitur, omnibus mature perpensis, ac laudabilibus enixisque ipsius Mariae Theresiae reginae votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati, dictas Syrmiensem et Bosnensem ecclesias auctoritate apostolica tenore praesentium aeque principaliter et in perpetuum unimus, ita quod dictarum unitarum ecclesiarum unus praesul et episcopus sit; dioeceses vero harum respective ecclesiarum, ut antea, sic et in posterum perpetuis futuris temporibus separatae ac illaesae remaneant, et iurisdictioni

venerabilis fratris Archiepiscopi Coloczen. uti suffraganeae subiectae existant.

Speciales provalentiae quoad redditus bonorum.

§ 4. Volumus autem, ut redditus quicumque ad dictam ecclesiam Syrmiensem spectantes (comprehensis etiam iis, qui ab aerario regio persolvuntur) integre et absque ulla diminutione applicentur praefatae Ecclesiae Bosnensi, cuius propterea taxa respectu applicationis huiusmodi augeatur in florenis centum triginta tribus, ac uno tertio, ad quos memorata ecclesia Syrmiensis taxata apparet, salvisque praeterea iuribus, si quae habet ecclesia Quinqueecclesiensis, in posterum episcopum pro tempore Bosnensem etiam Episcopum Syrmiensem nuncupari debere auctoritate et tenore praedictis praecipimus et mandamus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respectice inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostolicae nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis in contrarium facientibus derogatur.

§ 6. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes, citatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, nec non felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictarumque ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, spefica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut aliqua exquisita forma ad id servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. iulii MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXIX.

Indulget ut alumni collegii Scotorum Vallisoletanae de consensu rectoris ad omnes sacros Ordines promoveri valeant.

Dilecto filio Ioanni Gaddes moderno et pro tempore existenti rectori collegii Scotorum Vallisoletanensis,

CLEMENS PP. XIV.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Ratio concessionis et conditiones, quibus gratia alligata est.

§ 1. De tua singulari fide, prudentia et doctrina plurimum in Domino confidentes, ea tibi concedenda duximus, quae infrascripti collegii et alumnorum illius commodo et utilitati profuturum esse cognovimus. Itaque de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi moderno, et pro tempore existenti rectori, ad triennium proximum tantum, et interim quamdiu rectoris munere in isto collegio Scotorum Vallisoletanae fungeris, seu rector huiusmodi pro tempore existens fungetur, quo ipsius scholares alumni post longos studiorum labores sacerdotali ministerio pro loci et temporis necessitate fungi, et functionibus sacris assuescere, ac ecclesiae dicti collegii officia divina praestare, seu uti operarii fructuosius mitti valeant, eisdem alumnis, dummodo ipsi iuramentum praestari solitum ab alumnis collegiorum pontificiorum huiusmodi, ac praesertim redeundi in Scotiam, praestent, de tuo consensu et examine praecedenti, ut absque literis dimissoriis suorum Ordinariorum cle-

ricali militiae adscribi, et aliquibus quatuor etiam feriatis, ac continuis, vel interpolatis, seu unica, diebus ad quatuor minores, nec non tribus dominicis, seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, arbitrio tuo definiendo, interpolatis) ad titulum missionis ad sacros etiam presbyteratus ordines extra tempora a iure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, et absque eo, quod, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo suscepto ministrare, aut alicuius servitio ecclesiae adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, concedere; et indulgere nec non tibi, ut per te, vel confessorem idoneum, quem eligendum duxeris, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, ac quibusvis peccatis et excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus die Coenae Domini legi consuetis (conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, falsitatis literarum et scripturarum apostolicarum, delationis armorum, aliorumque prohibitorum ad partes infidelium, ac iniectionis manuum violentarum in praelatos dumtaxat exceptis) absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem, et alia iniungere eis, et cum illis super irregularitate contracta, vel quia ex parentibus haeretici nati sint, vel quia alias ipsimet haeretici fuerint, dispensare libere ac licite valeas, dictusque rector pro tempore existens valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Praesentibus post lapsum triennii huiusmodi minime valituris.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVIII. augusti MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXX.

Cardinali protectori Hiberniae iuxta modum confirmat privilegia et indulgentias ab Urbano VIII. et Inn. X. collegio Hibernorum Urbis concessa.

CLEMENS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Urb. VIII. de eadem re constitutio memoratur.

§ 1. Emanarunt dudum a felicis recordationis Urbano PP. VIII. praedecessore nostro literaè sub plumbo anno Incarnationis dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo primo pridie idus aprilis, pontificatus sui anno octavo, quarum tenor est, qui sequitur, videlicet:

Tenor dictae constitut. Urbani VIII.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei: Ad futuram rei memoriam. Sacrosanctae Romanae Ecclesiae. *Reliqua vide volum. I, pag. 128.*

Innocentius X. iisdem alumnis dispensationem pro consequendis ordinibus etiam extra tempora concessit.

§ 2. Postmodum rec. me. Innocentius Papae X. pariter praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die XXII. maii MDCXLVII. expeditas literas, (1) omnibus et singulis alumnis pro tempore existentibus dicti collegii concessit et indulsit, ut etiam absque literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, sed cum solis rectoris eiusdem collegii testimonialibus literis de eorum vita, moribus, et idoneitate etiam absque titulo beneficii vel patrimonii a quocumque, quem maluissent, catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, in sua dioecesi residente vel in aliena de dioecesani loci licentia pontificalia exercente, clericali charactere insigniri, et ad quatuor minores, etiam unico festivo, vel feriato, nec non ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis continuis, vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac non servatis interstitiis a Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi antequam de uno ad alterum ordinem promoverentur, in primo quoque suscepto ordine se non exercuissent, dummodo essent aetatis legitimae, nullumque aliud eis canonicum obstaret impedimentum, servatisque alias servandis, promoveri, et promoti in susceptis sic per eos ordinibus huiusmodi in altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent.

---

(1) Vide vol. I., p. 246, *Inscrutabilis.*

Indulsit quoque indulgentiam plenariam tam in articulo mortis invocantibus Iesum, quam in Paschate satisfacientibus praecepto.

§ 3. Ac praeterea eisdem alumnis in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, utque in paschate, praevia sacramentali confessione, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in cappella dicti collegii sumendo praecepto Ecclesiae satisfacerent, indulsit, ac alias prout in iisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Alia indulta concessa collegio ab visitatore apostolico.

§ 4. Nos itaque bono ac utilitati eiusdem collegii consulere volentes, per alias nostras in pari forma Brevis die XXVI. martii MDCCLXXI. expeditas literas, dilectum filium nostrum Marium S. R. E. Cardinalem Marefuscum nuncupatum in eiusdem collegii visitatorem apostolicum elegimus ac deputavimus, assumptaque per eum visitatione huiusmodi, nonnullas desuper decrevit opportunas provisiones tam mittendo illius alumnos ad scholas collegii Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, quam super oeconomico dicti collegii Hibernensis gubernio, ac deinde vigore aliarum facultatum sibi in peculiari audientia die XIV. aprilis eiusdem anni per nos tributarum, liberavit ipse et absolvit alumnos praedictos a vinculo iuramenti per eos praestiti, quodque antea praestari assueverat, eos tamen obligando alteri iuramento, quod praestari solet in memorato collegio dictae congregationis iuxta formulam praescriptam a felicis recordat. Alexandro PP. VII. praedecessore itidem nostro per suas literas incipientes — Cum circa iuramenti vinculum — die XX. iulii MCLX. expeditas, atque a posteriori decreto die XX. decembris MDCLXVIII. edito a piae memoriae Clemente PP. IX. quoque praedecessore nostro adprobatam, quorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius dicitur contineri (1).

Exemptum fuit collegium a iurisdictione Societatis Iesu.

§ 5. Nuper autem nos quoque per alias in eadem forma Brevis die XVIII. septembris MDCCLXXII. expeditas literas (2) collegium praedictum Hibernense immediatae iurisdictioni et auctoritati eiusdem Marii Cardinalis nunc et pro tempore in perpetuum existentium eiusdem S. R. E. Cardinalium regni Hiberniae apud nos et Sedem Apostolicam protectorum subiecimus, ipsique Mario Cardinali facultatem tribuimus amovendi ab illius gubernio et administratione clericos regulares tunc existentis Societatis Iesu, cuius quidem facultatis vigore, suo decreto edito die XXIII. septembris eiusdem anni MDCCLXXII., amotis clericis tunc regularibus praedictis, idem Marius Cardinalis eis presbyteros saeculares substituit. Ingenti praeterea labore, studio ac diligentia memoratus Marius Cardinalis et visitator apostolicus restituit ac restauravit antiquas constitutiones bo. me. Cardinalis Ludovisi dicti collegii fundatoris, eas praesentibus temporibus ac circumstantiis aptando, superaddita ibidem formula praedicti iuramenti, ac omnia praedicta una cum relatione peractae suae visitationis nobis exhibuit.

Tenor novarum precum porrectar. pro ampliatione indulti ab Urbano VIII. concessi.

§ 6. Cum autem, sicut nobis nuper exposuit idem Marius Cardinalis, animadverterit, quod idem Urbanus praedecessor iuxta praeinsertas suas literas facultates praedictas concesserit alumnis memorati collegii in suscipiendis sacris ordinibus cum solis literis testimonialibus rectoris pro tempore existentis dicti collegii, easque deinde memoratus Innocentius X. etiam praedecessor suis literis praedictis ampliaverit, atque extenderit non solum ad pro tempore existentem almae Urbis Vicarium, sed ad quoscumque alios Episcopos gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, non servatis etiam interstitiis a sacro Concilio Tridentino praescriptis; hinc attenta rerum ac status dicti collegii mutatione, easdem facultates dicto rectori alias, ut praefertur, attributas, idem Cardinalis Marius sibi ac pro tempore existenti protectori praedicto, cum potestate quoque concedendi easdem testimoniales literas iis alumnis, qui curandae valetudinis, aliave iusta habita de causa a collegio praedicto ante assuetum tempus discesserint, atque ad illud collegium extra urbem praedictam pro absolvendis eorum studiis se contulerint, per nos indulgeri plurimum desideret:

Extensio dictae concessionis.

§ 7. Nos igitur laudabilibus eiusdem Cardinalis Marii votis, quantum cum Domino

(1) Vide suo loco vol. I.

(2) *Alias nos* sup. pag. 180.

possumus, favorabiliter annuere volentes, suis supplicationibus inclinati, praedictas facultates per memoratas literas eorumdem Urbani et Innocentii praedecessorum tunc existenti rectori regulari dicti collegii Hibernensis concessas, atque gratias omnes illius alumnis, ut praefertur, attributas confirmantes, per praesentes decernimus et mandamus, ut in posterum idem Cardinalis Marius nunc et pro tempore existentes dicti collegii protectores, testimoniales literas praedictas tam iis alumnis, qui ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines in urbe praedicta promoveri se cupiant, quam ad eosdem etiam sacros et presbyteratus ordines extra illam, et a quocumque Antistite praedicto promovendi sint, etiam interstitiis a memorato concilio praescriptis minime servatis, libere et licite concedere possit, et respective possint et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus; eamdemque facultatem per praesentes, ut praefertur, concessam et indultam, ad casum quoque, quo aliquis ex dictis alumnis ante assuetum tempus e praedicto collegio valetudinis curandae, sive alia iusta ex causa ab eo discedat, et ad aliud collegium extra urbem praedictam se conferat, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti collegii Hibernorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XX. septembris MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXXI.

Societate Iesu suppressa, adimit facultates et privilegia concessa missionariis eiusdem Societatis in Tunkino et Cocincina, ac Vicariis Apostolicis committit, ut communi assensu quae necessario in missionibus mutanda sunt mutent, aliosque missionarios illis sufficiant. Iisdem vero Vicariis districte praecipit, ut quisque relationem status Vicariatus sui quotannis Romam mittat (1).

CLEMENS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Super familiam Domini Caelestis Patris ordinatione constituti, ad omnes nationes et gentes, quae catholicâ societate continentur, solicitudinis nostrae curas intendimus, atque in iis omnibus, quae ad earum aeternam salutem procurandam obtinendamque pertinent, ita advigilare adnitimur, ut opportunas apostolicae caritatis potestatisque nostrae partes in dissitis praesertim regionibus et provinciis, quoad nobis integrum est, desiderari minime patiamur.

§ 1. Dudum siquidem, sicut nuper accepimus, in regnis Tunkini et Cocincinae, in quibus catholicorum numerus, benedicente Domino, in dies magis magisque augetur, nonnulli Vicarii Apostolici ab hac S. Sede respective deputati reperiuntur. Cum autem inter ceteros, qui sacris missionibus ibidem operam dabant, numerarentur quoque presbyteri regulares Socie-

---

(1) Vide infra Pium VII. *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, et Leonem XIII. *Dolemus inter alia.*

tatis Iesu, quae per alias nostras in simili formâ Brevis die XI. iulii currentis anni expeditas literas suppressa atque extincta fuit; hinc est, quod nos motu proprio atque ex certâ scientia et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis eiusdem sic per nos, ut praefertur, extinctae Societatis presbyteris, iampridem in dictis regnis missionariis, omnia et singula privilegia, facultates, gratias et indulta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Sede praedictâ quandocumque, quomodocumque et qualitercumque eidem extinctae Societati suisque presbyteris concessa, tributa et elargita revocamus, tollimus et abolemus.

§ 2. Ne autem ex praemissis quidquam detrimenti spiritualibus necessitatibus catholicorum in eisdem regnis degentium unquam obveniat, pro pastoralis muneris nostri debito paternâ caritate providere volentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus per praesentes committimus et mandamus eisdem Vicariis Apostolicis in regnis praedictis existentibus, ut, quatenus propter Societatis praedictae extinctionem et suppressionem huiusmodi aliquâ opus sit variatione in distribuendis applicandisque missionibus, quae in eorum respective districtu reperiuntur, communi assensu hoc ipsi faciant et exequantur, piisque ac iustis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici Francorum Regis christianissimi et Caroli Hispaniarum Regis Catholici, aliorumque christianorum principum de eisdem missionibus adeo benemeritorum desideriis inhaerentes, id totum in re hac Vicarii praedicti unanimiter agant atque constituant, quod ad maiorem facilioremque catholicae fidei propagationem, aeternamque animarum salutem obtinendam in Domino magis expedire putaverint. In primis vero pro eo, quo iidem Vicarii pollent, zelo, pietate, caritate ac diligentiâ, alios, qui spiritualibus earumdem animarum necessitatibus occurrere possint in locis, in quibus dicti presbyteri sacris missionibus operam dabant, in eorum locum subrogare ac deputare omnino curent et teneantur; opusque hoc sibi iniunctum mutuâ invicem caritate ita consummare satagant, ut debitam eorum laboribus mercedem in caelis a iusto retributore Deo recipere valeant. Quod si antequam praesentes nostrae literae ad eosdem Vicarios perveniant, aliquid contra earumdem literarum formam et dispositionem interea gestum, praescriptum atque statutum sit, id totum motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus cassamus, tollimus et abrogamus, nulliusque roboris et momenti fuisse et esse decernimus et declaramus.

§ 3. Praeterea volumus, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis Vicariis Apostolicis praedictis iubemus et praecipimus, ut quisque ex eis anno quolibet relationem status suae respectivae missionis modo ad dilectum filium nostrum Andream S. R. E. presbyterum Cardinalem Corsini nuncupatum, et deinde ad alium eiusdem S. R. E. Cardinalem pro tempore in eius locum et a successoribus nostris Romanis Pontificibus ad id designandum et deputandum transmittere omnino debeant, ut inde quid in earumdem missionum maiorem utilitatem et incrementum statuendum sit, maturâ deliberatione adhibitâ per nos et eosdem successores nostros praescribatur.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XX. novembris MDCCLXXIII., pontificatus nostri anno V.

XXXII.

Indulgentiae concessae a sanctissimo domino nostro Clemente XIV. monachis et monialibus congregationis SS. Salvatoris in Soria, necnon omnibus Christifidelibus ecclesias supradictae congregationis visitantibus (1).

(1) Ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide.

Ex audientia sanctissimi domini nostri domini Clementis Papae XIV. habita per infrascriptum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Secretarium Stephanum Borgia, die XXII. martii MDCCLXXII.

Inclitum S. Basilii Magni institutum, quod profitentur monachi Graeco-Melchitae congregationis Sanctissimi Salvatoris, eorumque pium in virtutibus proficiendi studium, et erga supremam Sancti Petri Principis Apostolorum cathedram devotio, postulare videntur, ut Romani Pontifices, illius successores et potestatis heredes, ipsorum precibus se faciles praebeant: praesertim cum ea, quae exposcunt, Dei cultum et animarum respiciant salutem. Cum itaque reverendus pater Athanasius Debbas praefatae congregationis generalis procurator sanctissimo domino nostro domino Clementi divina providentia PP. XIV. humillime supplicaverit, ut Apostolica Sedes monachis et monialibus eiusdem congregationis, nec non universis Christifidelibus visitantibus ecclesias, cappellas seu oratoria ad eosdem monachos et moniales pertinentia, nonnullas indulgentias tum plenarias, tum partiales pro quibusdam diebus concedere dignaretur; Sanctitas Sua eius petitioni benigne annuendum censuit, infrascriptas indulgentias perpetuis valituris temporibus elargiens modo, quo sequitur:

Ex primo quidem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis et sacra Communione refectis, devote visitantibus ecclesias, cappellas seu oratoria ut supra, tam hactenus erecta, quam imposterum quandocumque et ubicumque erigenda, ibique per aliquod temporis spatium pro infidelium et haereticorum conversione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione sincero corde orantibus, plenariam indulgentiam in infrascriptis diebus misericorditer concedit:

I. In festivitatibus tituli uniuscuiusque ex praedictis ecclesiis, cappellis seu oratoriis,

II. In Epiphania Dñi nostri Iesu Christi,

III. In Assumptione in caelum Sanctae Mariae Virginis,

IV. In festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli,

V. Item Sancti Basilii Magni,

VI. Et in iis diebus, in quibus occasione orationis quadraginta vel vigintiquatuor horarum in memoratis ecclesiis, cappellis seu oratoriis publicae venerationi erit expositum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

Concedit insuper eisdem Christifidelibus corde saltem contritis, sacras praedictas aedes visitantibus, indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum:

I. In omnibus festivitatibus Domini Nostri Iesu Christi,

II. Beatae Mariae Virginis,

III. Exaltationis Sanctae Crucis,

IV. Nativitatis Sancti Iohannis Baptistae,

V. Similiter in festo Sancti Iosephi Beatae Mariae Virginis Sponsi,

VI. Sanctorum Apostolorum,

VII. Sancti Antonii Abbatis,

VIII. Sancti Gregorii Nazianzeni,

IX. Sancti Nicolai Myrensis, cognomento Thaumaturgi,

X. Tandem Sanctarum Macrinae tum Aviae, tum Sororis Sancti Basilii Magni.

Praeter has omnes et singulas indulgentias monachis et monialibus praedictis plenariam impertitur indulgentiam in die, qua primo religiosum habitum in memorato instituto induent, in die, qua in eo professionem solemnem emittent, et cum per decem vel saltem octo dies spiritualibus exercitiis vacabunt, dummodo tamen in iis diebus, praemissa peccatorum exomologesi et sacra Communione, suorum respective monasteriorum ecclesias, cappellas seu oratoria devote visitaverint, et ad Deum preces effuderint, non tantum ex caussis superius expositis, sed etiam, ut ipse spiritum fundatoris in inclito Ordine Sancti Basilii Magni Graecorum Melchitarum conservari, et latius diffundi permittat.

Quam plenariam indulgentiam eisdem monachis et monialibus subscriptas conditiones adimplentibus etiam elargitur:

I. In Nativitate, Paschate et Ascensione Domini Nostri Iesu Christi,

II. In Dominica Pentecostes,

III. In festivitatibus Purificationis, Annunciationis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis,

IV. Exaltationis Sanctae Crucis,

V. Nativitatis Sancti Iohannis Baptistae,

VI. In festo Sancti Iosephi Sponsi eiusdem Beatae Mariae Virginis,

VII. Sanctorum Gregorii Nazianzeni,

VIII. Athanasii,

IX. Iohannis Chrysostomi,

X. Iohannis Damasceni,

XI. Antonii Abbatis,

XII. Nicolai Myrensis,

XIII. Gregorii Magni Romani Pontificis,
XIV. Et utriusque Macrinae, de quibus supra.

Insuper, ne monachi et moniales praefatae in ultimo vitae discrimine constitutae iis spiritualibus auxiliis destituantur, quae catholica pia mater Ecclesia filiis suis ad extremum agonem illum redactis solet peramanter conferre, idem sanctissimus dominus noster abbatibus generalibus praedictae congregationis Sanctissimi Salvatoris, et superioribus localibus pro tempore quorumcumque monasteriorum et hospitiorum, quae ad eamdem congregationem pertinent seu pertinebunt, (ut superius de ecclesiis et oratoriis dictum est). Item confessariis ordinariis memoratarum monialium facultatem tribuit suis respective subditis impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis; eamque facultatem uni vel pluribus monachis in suis monasteriis seu hospitiis nominatim deputandis, communicandi; quo vero ad monialium confessarios, quatenus per se talem benedictionem eisdem monialibus impertiri non valeant.

Sanctitas Sua declarat eos posse illam alteri sacerdoti sive cleri saecularis, sive regularis cuiuscumque Ordinis, instituti et etiam ritus, dummodo catholicus exsistat, delegare. Praecipit tamen, et mandat omnibus et singulis, qui benedictionem huiusmodi erunt impertituri, ut formula a sa. me. Benedicti XIV. praescripta in constitutione, quae incipit *Pia Mater,* inferius registranda, omnino utantur.

Quoniam autem, non obstante hac salubri Summi Pontificis providentia, contingere potest, ut nonnulli ex ipsis monachis et monialibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae Sacramentis fuerint muniti, et absque ullius sacerdotis, qui praedictam benedictionem eis impertiatur, assistentia, eadem Sanctitas Sua de uberi apostolicae caritatis fonte, illis, qui in tali statu erunt constituti, plenariam indulgentiam relaxat, si contriti corde saltem nomen Iesu invocaverint, et mortem de manu Domini in spiritus humilitate susceperint.

Ad haec septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam concedit ipsis monachis et monialibus corde saltem contritis, ecclesiasque, cappellas seu oratoria suorum, ut supra, monasteriorum visitantibus

I. In die Inventionis Sanctae Crucis,
II. In die Decollationis Sancti Iohannis Baptistae,
III. Et in festivitatibus Sanctorum Hilarionis, Sabbae, Eutymii, Eliae Prophetae et Sanctae Barbarae.

Quoniam autem inter eximia christianae pietatis opera, quibus praefati monachi congregationis Sanctissimi Salvatoris sedulo incumbunt, fervens illorum in sacris missionibus peragendis studium eminet; ideo sanctissimus dominus noster ad tam pium opus magis promovendum, Christifidelium unicuique, qui semper vel saltem pro maiori parte, missionibus praedictis interfuerint, et in illarum ultimis diebus conscientia per Poenitentiae Sacramentum expiata, ad sacram Synaxim accesserint, plenariam indulgentiam impertitur centum dierum iis, qui saltem corde contritis praecipuis earumdem missionum, tempore peragi solitis exercitiis toties quoties adstiterint.

Denique ut monachorum eorumdem et monialium animae, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita decedent, et aliquid eis de mundano pulvere in piacularibus Purgatorii poenis expiandum supererit, de indulgentiarum thesauro participare valeant, Sanctitas Sua omnes et quascumque missas infra annum ab obitu pro eisdem particulariter celebrandas a quocumque sacerdote sive saeculari sive regulari, privilegiatas fore et esse statuit, declarans omnes et singulas indulgentias, ut supra concessas applicari posse per modum suffragii tam monachis et monialibus praedictis, quam omnibus Christifidelibus, qui in somno pacis dormierunt.

Datum Romae, die et anno quibus supra (1).

STEPHANUS BORGIA
Sacr. Congr. de P. F. Secretarius.

MODUS

A san. mem. Benedicto XIV. adprobatus, et pro opportunitate temporis servandus, ut infra in rubricis notatur, impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis, ab iis qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae,

(1) Die XXII. martii MDCCLXXII.

Eucharistiae et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi iacet infirmus, dicat: ***Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea,*** ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, si commode haberi poterit, dicendo antiphonam: ***Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.***

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem exigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* Ancillae tuae), neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* Ancillam tuam),

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem (*vel* Ancillam tuam N., quam) tibi vera fides et spes christiana commendant. Visita eum (eam) in salutari tuo, et, per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut eius anima in hora exitus sui Te iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tum dicto a Clerico, si praesens sit, vel ab ipso sacerdote, Confiteor, *idem sacerdos prosequatur:*

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Deinde:

Dominus noster Iesus Christus filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis Mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut omnium praemissarum precum recitandarum tempus non suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

PIUS PP. VI.

CONSTITUTIO I.

Abbati Einsidlensi in Helvetiâ consentiente Episcopo Costantiense facultatem largitur conferendi sacramentum Confirmationis catholicis Helvetiae occultis, qui sine periculo se conferre nequeunt ad Episcopum Constantiensem, et consecrandi ecclesias in definitis quibusdam regionibus consensu eiusdem Episcopi erectas.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Etsi iuxta sacrosancti Tridentini Concilii definitionem in sess. VII. de Confirmat. can. III. solus Episcopus sit ordinarius tanti huius sacramenti minister, interdum tamen iustis ac gravissimis urgentibusque de causis solet Sedes Apostolica simplici sacerdoti tamquam extraordinario ministro facultatem tribuere illud conferendi.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Beatus modernus abbas regularis monasterii S. Mariae de Einsidlen Constantiensis dioecesis sub ditione Rerumpublicarum Helvetiorum protestantium occulte commorantibus, qui sine gravi periculo palam catholicam religionem profiteri nequeunt, ac sacramentum Confirmationis quominus publice suscipiant rationabiliter praepediti sunt, non raro pro administratione sacramenti eiusmodi adeatur, ac ab Episcopo Constantiensi suum praestitum fuerit consensum, ac subinde inter eos stipulata concordia, quae in contemporaneis nostris literis super confirmatione transactionis, quoad alia capita inter Episcopum Constantiensem ex unâ et Abbatem Einsidlensem ex alterâ parte initae in articulo separato de collatione sacramenti Confirmationis continetur, qua Abbati Einsidlensi ab Episcopo Constantiensi administratio sacramenti huiusmodi permittitur, sub hisce tamen pactis et conditionibus, quod nempe hisce desuper a moderno Abbate Einsidlensi a nobis novum et speciale indultum impetretur sibi et futuris Abbatibus valiturum; quod sacramentum hoc nonnisi in loco occulto et clausis ianuis, ac nonnisi iis tantum personis conferatur, quae sub dominio protestantium vicinorum in Helvetiâ degunt, occulte religionem Catholicam profitentur, atque sine vitae aut bonorum gravi periculo Episcopum Constantiensem aut eius suffraganeum adire nequeunt, quodque in aliis casibus quibuscumque Abbas Einsidlensis a collatione praefati sacramenti Confirmationis, utpote ad iura ordinis episcopalis unice pertinente, omnino abstineat, neque etiam indultum a Sede Apostolicâ desuper impetratum ulterius extendere fas sit, prout in praedictâ concordiâ, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur; quodque etiam in articulo quinto dictae concordiae constitutum fuerit, ut Abbas Einsidlensis in parochiis et locis Einsidlensibus cum Au, et Fahr, Feysisberg Freyenbach et Sarmensdorf ecclesias tam modo existentes, quam illas quas in posterum praevio consensu episcopali erigere contigerit, una cum altaribus consecrare possit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ad tramites huius conventionis memoratus Abbas sibi suisque successoribus novum ac speciale indultum huiusmodi per nos concedi summopere desideret; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur: Nos igitur, qui paterne omnes omnino christifideles complectimur illorumque spirituali bono providere tenemur, cum ex conventione huiusmodi et catholicis in terris heterodoxorum commorantibus, quibus vel maxime divinum afflantis Spiritus auxilium necessum est, ut fieri potest consultum sit, et iuribus episcopalibus nihil derogatum, ipsum modernum abbatem Einsidlensem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causâ latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratiâ absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter por-

rectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacri Tridentini Concilii interpretum consilio dicto Beato moderno ac pro tempore existenti abbati Einsidlensi sacramentum Confirmationis catholicis occultis in terris Helveticorum protestantium commorantibus et ad tramites in omnibus dicti articuli separati dumtaxat, dummodo tamen sacrum Chrisma ab Episcopo pro tempore Constantiensi recipiatur, administrandi et conferendi, ac ecclesias iuxta articulum quintum praedictae concordiae consecrandi, plenam et amplam facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac in universalibus conciliis editis generalibus et specialibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I. februarii MDCCLXXV. pontific. nostri anno I.

II.

Facultatem concedit eligendi in superiorem congregationis Oratorii S. Philippi Nerii civitatis Guatimalensis etiam eum qui defectum natalium patiatur.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus et presbyteri saeculares congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii civitatis Guatimalensis in Indiis, quod dicta eorum congregatio, cum recenter fundata sit, hinc presbyteris non admodum abundat: evenire autem quandoque potest, ut inter eos aliquis recenseatur, qui defectum natalium ex soluto tamen et muliere soluta illegitime genitus patiatur, qua de causa licet caeteris qualitatibus praeditus sit, ad munus tamen praepositi eiusdem congregationis assumi et eligi nequeat, indeque fiat, ut electio huiusmodi admodum cohibeatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. § 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem nunc et pro tempore existentibus presbyteris saecularibus praefatae congregationis civitatis Guatimalensis huiusmodi, ut ipsi quoties ad commune bonum maioremque spiritualem utilitatem dictae congregationis expedire in Domino iudicaverint, quemcumque presbyterum, qui eidem congregationi nomen dederit, quique caeteroquin ad id idoneus reperiatur, licet ipse defectum natalium ex soluto tamen et soluta patiatur, defectu huiusmodi non obstante, si nullum aliud canonicum et hac in re obstet impedimentum, servatisque aliis servandis, praepositum seu superiorem nuncupatum eiusdem congregationis libere et licite eligere ac assumere possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. martii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmat privilegia congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii civitatis Guatimalensis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus et alii presbyteri saeculares congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii civitatis Guatimalensis in Indiis, quod eorum ecclesia et domus vespere diei XXIX. iulii MDCCLXXIII. ex terraemotu omnimodam ruinam passae fuerunt, ita ut dicti exponentes in valle *dell' Eremita* vulgo nuncupata, et per decem leucas ab eadem civitate dissita confugerunt, ibique modo commorantur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, privilegiis, gratiis et indultis, quibus dicti exponentes in eorum ecclesia veteri huiusmodi ac domo fruebantur, potiebantur ac gaudebant, in nova quoque ecclesia et domo sub eadem denominatione, sive interim erecta, sive in posterum erigenda, frui, potiri et gaudere posse plurimum desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia privilegia, gratias et indulta memoratae antiquae ac dirutae ecclesiae et domui congregationis Oratorii S. Philippi Nerii civitatis Guatimalensis praedictae quomodolibet concessa, tributa et elargita, ad novam ecclesiam et domum sub eodem titulo seu denominatione vel interim denuo aedificatam respective atque constructam, seu in posterum aedificandam et construendam, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium transferimus et, quatenus opus sit, illa de novo auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cumquibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV. martii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

IV.

Facultatem concedit sepeliendi cadavera Christifidelium in ecclesia S. Mariae de la Cabeza, *vulgo nuncupatae, Limanae dioecesis.*

Venerabili fratri Archiepiscopo Limano,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis, nuper fecit dilectus filius Michael Emmanuel de Arrieta presbyter istius civitatis, vel dioecesis Limanae, quod ipse, ut asserit, secretarius Limanae inquisitionis adversus haereticam pravitatem et cappellanus existit antiquae ecclesiae sub titulo seu invocatione Sanctae Mariae *de la Cabeza* vulgo nuncupatae, quae a fundatione sua duo et ultra saecula enumerat, et cuius, ut pariter asserit, patroni sunt pro tempore existentes inquisitores seu officiales praedictae inquisitionis. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in hac ecclesia augustissimum

Eucharistiae sacramentum asservetur, atque illa posita reperiatur in viciniis magni rivi civitatis Limanae, et admodum distet ab ecclesia parochiali; hac de re non solum magna est in ea Christifidelium frequentia, plerumque pauperum et nigrorum, qui in numero septem et ultra milium circum illam habitant, et ad illam confluunt, sed etiam pro tempore existens cappellanus memoratae ecclesiae Sanctae Mariae in spiritualibus eorumdem Christifidelium necessitatibus supplet vices parochi, qui propter praemissa tanto Christifidelium numero praesto esse non potest, hincque facultate et indulto ibidem sepeliendi Christifideles, qui in ea sepulturam eligant, sine ullo iurium parochialium praeiudicio, per nos eamdem ecclesiam insigniri idem Emmanuel plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, petitam facultatem sepeliendi in dicta ecclesia Sanctae Mariae cadavera Christifidelium defunctorum, qui in ea sepulturam sibi elegerint, sine tamen ullo iurium parochialium praeiudicio, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium pro tuo arbitrio et prudentia concedas atque indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII. martii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

V.

Episcopis in Transilvania et Hungaria graeci ritus facultatem largitur imminuendi dies festos in propriis dioecesibus, nonnullis tamen exceptis, et transferendi ieiunia (1).

---

(1) Reginae Hungariae imminutionem dierum festorum petenti duas misit S. P. literas quarum optionem ipsi detulit: prima earum Episcoporum sententiam de petita imminutione petebat; secunda ipsis potestatem imminuendi dies conferebat: secundam vero regina elegit, quam in textu retulimus. Ex reg. vero ep. ad principes an. I., p. 82 primam in nota transcribimus cum lit. ad Reginam qua epistolarum optionem ipsi concessit.

Postulat sententiam Episcoporum graeci ritus circa modum imminuendi dies festos et ieiuniorum in eorum dioecesibus vigentes.

Venerabilibus fratribus Episcopis Fogaracsiensi, Munkaciensi, Schidvicensi ritus graeci uniti,

PIUS PAPA VI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Usus S. Sedis minuendi dies festos si ita expediverit necessitatibus spiritualibus Christifidelium.

§ 1. Assueto paternae caritatis affectu, quo Romani Pontifices praedecessores nostri Christifidelium omnium spiritualibus simul ac temporalibus necessitatibus consulere semper studuerunt, dies quoque festos ad preces carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae et Bohemiae reginae illustris in romanorum imperatricem electae viduae in civitatibus et dioecesibus eius dominio subiectis primum imminuit fel. rec. Benedictus Papa XIV., deinde vero temperata etiam ieiunii lege, eorumdem festorum numerum rec. mem. Clemens Papa XIV. magis quoque cohibendum esse decrevit. Quocirca per suas cuique ex Archiepiscopis et Episcopis earumdem civitatum in simili forma Brevis expeditas literas, quid ab ipsis statuendum exequendumque propterea esset, idem Clemens praedecessor uberrime patefecit, nec non omnes dies, in quibus firma adhuc praecepti obligatio retinenda foret, distincte enumeravit.

Imminutio facta pro Christifidelibus latini ritus non valet pro aliis graeci ritus.

§ 2. Cum autem non una eademque festorum celebrandorum ratio inter latinos vigeat ac graecos ritus uniti; hinc eadem carissima in Christo filia nostra pro eximia, qua pollet, pietate, et erga omnes sibi subiectos populos singulari studio enixe a nobis postulat, ut necessitatibus quoque Graecorum huiusmodi, qui sub suo felici dominio reperiuntur, de apostolica benignitate opportune providere dignaremur. Ut igitur in re tanti momenti sanctorum venerationem, animarumque aeternam salutem respiciente, quid statuendum sit matura deliberatione adhibita, praescribere valeamus, fraternitatibus vestris, de quarum integritate, doctrina, ac religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habemus, per praesentes committimus, ut iuxta vobis datam a summo luminum patre prudentiam serio perpendatis, quot dies festi in unaquaque ex vestris respectivis dioecesibus imminuere magis congruum atque expediens vobis in Domino videatur. Postmodum vero, ne salutaris ieiuniorum medela animabus eorumdem Graecorum unitorum umquam deficiat, modum ac tempus quo ieiunia in posterum statuenda sint perscrutetis, ac denique ne festorum diminutorum celebritas a memoria excidat Christifidelium huiusmodi, quibus diebus festis tum Apostolorum, cum Martyrum commemoratio in missa peragenda sit, nobis proponite. His enim omnibus assueta prudentia, caritate et religionis zelo fraternitatum vestrarum consideratis, et a vobis intellectis id adiuvante Domino praescribemus, quod venerationi Sanctorum, et istarum animarum vestrae curae commissarum maiori spi-

Venerabilibus fratribus Episcopis Fogaracsiensi, Munkaciensi, Schidvicensi ritus graeci uniti,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Assueto paternae caritatis affectu, quo Romani Pontifices praedecessores nostri Christifidelium omnium spiritualibus simul ac temporalibus necessitatibus consulere semper studuerunt, dies quoque festos ad preces carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae et Bohemiae reginae illustris in romanorum imperatricem electae viduae in civitatibus et dioecesibus eius dominio subiectis primum imminuit fel. rec. Benedictus Papa XIV., deinde vero temperata etiam ieiunii lege, eorumdem festorum numerum rec. mem. Clemens Papa XIV. magis quoque cohibendum esse decrevit. Quocirca per suas cuique ex Archiepiscopis et Episcopis earumdem civitatum in simili forma Brevis expeditas literas, quid ab ipsis statuendum exequendumque propterea esset, idem Clemens praedecessor uberrime patefecit, nec non omnes dies, in quibus firma adhuc praecepti obligatio retinenda foret, distincte enumeravit.

§ 2. Cum autem non una eademque festorum celebrandorum ratio inter latinos vigeat ac graecos ritus uniti; hinc eadem carissima in Christo filia nostra pro eximia, qua pollet, pietate, et erga omnes sibi subiectos populos singulari studio, enixe a nobis postulat, ut necessitatibus quoque grae- Preces porrectae a regina Hungariae, pro obtinenda imminutione festor. pro Christifidelibus regni sui, qui servant graecum ritum.

---

rituali bono magis expedire putabimus. Interea vero fraternitatibus vestris, ac ovibus sollicitudini vestrae concreditis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die VIII. aprilis MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

Imperatrici Romanorum petenti ut Episcopis graeci ritus in Hungariâ et Transilvaniâ daretur potestas imminuendi dies festos in propriis dioecesibus prout quisque eorum expedire putasset, respondet, id dissentire a regulis a Sede Apost. hactenus servatis. Morem tamen illi gerens, binas ad eam mittit apostolicas literas, quarum obiectum proxime sequentes exhibent, eamque rogat ut postremis tantum utatur, permittens tamen ut, si id necessarium cognoverit, primas adhibeat.

PIUS PAPA VI.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus literas apostolicae maiestatis tuae die IX. martii ad nos datas, in quibus diligenter nobiscum agis de imminutione festorum dierum faciendâ pro graeci ritus ecclesiis, quae in tuo sunt Hungariae regno, pro Fogorasiensi nimirum, Muncacsiensi et Suidnicensi. Eam enim dierum festorum legem, quae per fel. rec. praedecessorum nostrum Clementem XIV., te petente, pro regnorum ac provinciarum tuarum ecclesiis est constituta, in illis, licet unitae cum latinis sint, graeci ritus ecclesiis promulgari non potuisse scribis, cum apud eas alia in festorum retinendorum delectu ratio haberi debeat.

Itaque, cum ibidem etiam ex festorum dierum copiâ existere plurima incommoda atque abusus videas, nec proinde remedia esse differenda, cumque ea caute adhibenda cognoscas cum illis populis, qui ad deserendam cum latinis unionem ob schismaticorum propinquitatem proclives sunt, vehementer petis a nobis, carissima in Christo filia nostra, ut iis trium ecclesiarum Episcopis, quos unice graeci ritus homines audiunt et verentur, concedatur per nos facultas dierum festorum numerum eâ ratione diminuendi, quam in suâ quisque dioecesi pro rerum statu et conditione magis congruam et opportunam esse censuerit. Nos sane eo excepimus animo hanc tuam postulationem, qui maxime et singulari, qua erga Maiestatem tuam sumus, paternae caritati et certissimae nostrae de tuâ sapientiâ ac religione opinioni est consentaneus. Etsi nova ea nobis visa sit ratio, ac a servatis hactenus ab Apostolicâ Sede regulis et usu dissentiens, ut tam amplum ullis Episcopis in re tam gravi concederetur statuendi sine praevia cognitione nostrâ arbitrium, tamen, ne voluntati tuae, cui plurimum a nobis merito deferendum esse statuimus, in hoc nostri pontificatus initio adversari videamur, duas damus ad illos graeci ritus Episcopos literas, primas eo tenore perscriptas, qui tuae postulationi respondet; eo vero alteras, qui Apostolicae Sedis regulis et consuetudini congruit: quibus eos venn. fratres Episcopos hortamur, ut qualem suae quisque dioecesi opportuniorem esse imminutionis festorum rationem existiment, ad nos diligenter perscribant, ut eamdem ex pontificio iudicio nostro et apostolicâ auctoritate consequi valeant. Utrasque has literas ad te transmittimus, carissima filia nostra in Christo: teque vehementer rogamus, ut hisce alteris uti velis, tuâque regiâ auctoritate efficere ut, quem optamus, exitum sortiantur. Habes vero primas eas literas quas, si necesse esse cognoveris, exhiberi facias, atque ita exequendi consilii tui difficultatem, si quam pro tua regnandi intelligentiâ extituram certo praevideris, amovere hac nostrâ concessione possis. Amplam ibidem Episcopis pro dioecesium conditione imminuendorum festorum potestatem damus; nisi quod ea tantummodo festa excipimus, quae nullo modo tolli atque aboleri posse tu ipsa pro tuâ religione facile intelligis. Ex his omnibus constare tibi perspicue potest, carissima in Christo filia nostra, quam de sapientiâ, de pietate, deque tuo in nos et Apostolicam Sedem studio fiduciam habeamus, quamque iis rebus, quae ad te tuaque regna pertinent, perinde ac nostris affecti simus. Hanc paternae in te summae voluntatis declarationem confirmamus apostolicâ benedictione, quam regiae maiestati tuae ad felix etiam rerum peragendarum auspicium amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII. aprilis MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

corum huiusmodi, qui sub suo felici dominio reperiuntur, de apostolica benignitate opportune providere dignaremur.

Facultates opportunas ad rem concedit Pont., singulis Ordinariis locorum, cum opportunis legibus et declarationibus.

§ 3. Nos igitur ipsius votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ut ipsi Christi fideles graeci in unione, qua, propitiante Deo, cum latina ecclesia nunc sunt, in posterum quoque indesinenter alacriterque perseverent, fraternitatibus vestris facultatem, ut in vestris respective civitatibus et dioecesibus Austriacae ditioni subiectis, retentis tamen ac celebratis festivis diebus Resurrectionis et Pentecostes, aliisque per annum diebus dominicis, nec non Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, nec non quinque dicatis Beatae Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, ac etiam festis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, reliquos dies festos per eosdem graecos celebrari solitos, prout magis congruum atque expediens vobis in Domino videbitur, minuere, ac praescripta pro eis ieiunia transferre, nec non aliorum Apostolorum et Martyrum commemorationem in alicuius diei festi celebritate peragere valeatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Commissum tamen opus, venerabiles fratres, ita absolvere curabitis, ut quoad fieri poterit, et cuiusque respective dioecesis necessitates ac rationes postulabunt, graecorum huiusmodi indigentiae et salutari animarum medelae ex ieiunio percipiendae prudentia et caritate vestra pie sancteque a vobis consultum fuisse omnes agnoscant et fateantur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum et dioecesum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annùlo Piscatoris, die VIII. aprilis MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

VI.

Exaltat merita Directorum et Vicariorum Apostolicorum ad Collegium Missionum ad exteros pertinentium, approbat erectionem Collegii generalis prope Pudicherium factam, quod suscipit sub suae et S. Congregationis tutela: eosque hortatur illud curent ut Collegia habeantur peculiaria in ipsis missionibus ad instituendum ubique clerum indigenum, ne unquam sacri desint ministri (1).

Venerabilibus fratribus Petro Episcopo Tabracensi Vicario Apostolico Siamensi, Bertrando Episcopo Gabalensi Vicario Apostolico Tonquini Occidentalis, Francisco Episcopo Agatopolitano Vicario Apostolico Sut-Chuen in Sinis, et Georgio Petro Episcopo Adranen. Vicario Apostolico Cocincinae, Camboiae et Ciampae, necnon dilectis filiis modernis Directoribus Missionum ad Exteros Seminarii Parisiensis,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. In ipso pontificatus nostri primordio magnam nobis in Domino laetandi causam attulit dilectus filius Stephanus Borgia nostrae Congregationis Propagandae Fidei a Secretis, cum pro egregiâ in fungendo suo munere sedulitate atque industriâ nobis diligenter exposuisset, plurima vestra de S. hac Sede merita et praeclaram ve-

(1) Coll. cum Reg. Brev. ad Princ. viros.

stram operam ac labores in conservando isto generali Collegio pro animarum salute a vobis susceptos. Gaudii huius nostri magnitudinem mirum in modum gravissimo suo testimonio auxit ipsa Propagandae Fidei Congregatio, ac praecipue dilectus filius noster Ioseph Maria S. R. E. presbyter Cardinalis Castelli eiusdem Praefectus, qui summo studio atque animi ardore, quo in Christi fide ac divinâ gloriâ propagandâ accenditur, vos omnes et Collegium vestrum maximis laudibus ornavit, nobisque suo et totius Congregationis nomine magnopere commendavit. His vestrae virtutis praeconiis gavisi atque excitati ad vos, venn. fratres ac dilecti filii, dare has nostras literas voluimus, quibus singularem in vos animum et pontificiam caritatem vobis significaremus, vosque inde et praemium praeteriti et incitamentum novi ineundi laboris haberetis. Pergratam igitur nobis esse declaramus eximiam operam quam, in nostrae solicitudinis partem vocati, Iesu Christo, Ecclesiae ac nobis navatis; et propterea approbamus generale Collegium vestrum, quod nunc in Virampatnam prope Pondichery posuistis, quodque, prout opportunum fuerit, in quacumque aliâ regione collocaturi estis, illudque a nobis suscipi in peculiare nostrum et Apostolicae Sedis ac memoratae congregationis patrocinium et tutelam profitemur.

§ 2. Sed dum haec vobis nunc damus, et alia etiam nos daturos spondemus, quibus opus fuerit, nostrae auctoritatis praesidia et benevolentiae argumenta, vos una cohortamur, ut animarum salutem, quam inquiritis, pari studio et contentione operari pergatis. Labores et molestiae, quas in remotissimis terris toleratis, leves vobis videri poterunt, dum ministerii vestri nobilitatem intuemini, vosque pro Christo legatione fungi, atque animas Satanae tyrannide oppressas ad redemptionis fructus recipiendos a vobis reduci consideratis. Quare ob poenas atque aerumnas, quae hactenus in Collegio conservando perpessi estis, animum non despondete; sed praeclarum opus constantissimâ voluntate sustinete. Hoc efficere optime poteritis, si Collegium generale assiduis incrementis suppleri curabitis, et si alumnos Sinenses, Tonquinenses, Cocincinenses, Camboienses, Siamenses e suis quisque vestrum missionibus accurate submittetis. In his supplementis faciendis praecipuum vestrum officium positum esse putate, et nihil a vobis fieri posse, quod S. huic Sedi et Congregationi Propagandae Fidei praepositae acceptius sit, quam si huius muneris vestri partes diligentissime satagatis.

§ 3. Illud etiam et vestro ministerio consentaneum et nobis gratissimum erit, si, praeter hanc Collegii generalis supplendi sedulitatem, unusquisque e Vicariis Apostolicis in missionibus suis habebit, quantum temporis ac rerum rationes permittent, peculiaria Collegia ad formationem cleri saecularis ad instar eorum, quae in missionibus Tonquini et Cocincinae erecta sunt. Hunc enim in modum, multiplicatis Collegiis et distributis alumnis, magis ac magis incremento ac securitati cleri consuletur: neque timendum erit (quod in Iaponicâ missione misere accidit) ne, si quae vicissitudines aliquam missionem, ut frequenter accidere solet, affligant atque opprimant, omnis apostolici ministerii in istis regionibus exercendi ratio una intercidat. Haec habuimus, venn. fratres et dilecti filii, quae vestri zeli commendandi, et eiusdem incitandi causâ ad prosequendam egregiam vineae Domini colendae operam ad vos scriberemus. Deum omnipotentem precamur, ut vestros conatus ac labores ad suam divinam gloriam augendam, et animarum aeternam salutem curandam directos suâ coelesti gratiâ adiuvet et promoveat; et apostolicam benedictionem vobis, venn. fratres et dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x. maii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

VII.

Confirmat decretum editum super baptismo clam puero Hebraeo collato (1).

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Alias emanavit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium in tota In causa acta pro baptismo puero hebraeo

(1) Vide Bened. XIV. vol. III. *Postremo mense, Probe te meminisse, A quo primum, Singulari nobis consolatione.*

collato sac. generalis Inquisitio per suum decretum consuluit.

republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolica deputatorum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

« Feria V. die IX. februarii MDCCLXIV.

Tenor decreti.

In congregatione generali Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino nostro Clemente divina providentia Papa XIII., ac eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Proposita causa Avenionensis Carpenctoratensis circa baptismum clam puero Hebraeo collatum a cathecumeno Ain de Cavaillon, et circa recursum quatuor universitatum Hebraeorum provinciae Avenionensis super minis, quae quotidie inferuntur a pravis et otiosis hominibus, conferendi baptismum infantibus Hebraeis invitis parentibus ad finem extorquendi pecunias ab Hebraeis divitibus, relatis scripturis desuper pro parte Hebraeorum distributis, aliisque omnibus iuribus deductis: Sanctissimus Dominus noster Papa, praedictis auditis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum Cardinalium generalium inquisitorum suffragiis (proviso tamen quoad baptismum supradicti pueri Hebraei, quam quoad minas et instantias matris et sororis de Cavaillon in Hebraeorum claustro civitatis Carpenctoratensis commorantium) decrevit, scribendum esse, tum r. p. d. Episcopo Carpenctoratensi, ut nullo modo permittat accessum ad suam dioecesim Hebraeis fratribus de Cavaillon absentibus; tum r. p. d. vice legato Avenionensi, ut poenam exilii a toto comitatu Venesino, debitis formis, praedictis Hebraeis fratribus de Cavaillon sub gravibus poenis, in casu etiam primae contraventionis, intimet.

Baptizantes invitis parentibus infantes Hebraeos damnantur ad triremes si mares, ad fustigationem si mulieres.

Item Sanctitas Sua eidem Carpenctoratensi Episcopo ac patri inquisitori Avenionensi scribendum statuit, ut nomine Sanctae Congregationis publicent novum edictum, comminatis poenis gravioribus, etiam afflictivis et corporalibus (scilicet triremium quoad homines, fustigationis vero quoad mulieres) irremissibiliter incurrendis contra baptizantes, ut supra, invitis parentibus, infantes Hebraeos, et minas eisdem respective inferentes ad supradictum effectum.

Petrus Pauluccius, Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius. »

Preces porrectae pro confirmatione decreti.

§ 2. Nunc autem nomine praedictarum quatuor universitatum Hebraeorum nobis expositum fuit, quod ipsae, ut decretum huiusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae etiam nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderant.

Confirmatio apostolica conceditur, salva auctoritate eiusdem congregationis.

§ 3. Nos igitur praeinsertum decretum a memorata congregatione, ut praefertur, editum, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis auctoritate nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem congregationis.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac respective ab eis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV. maii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Ad preces regis Poloniae committit, iuxta modum, Ordinariis imminutionem dierum festorum et commutationem ieiuniorum (1).

---

(1) Eadem adscripta die iisdem verbis istam facultatem concessit dioecesibus Vladislaviensi, Luceoriensi, Cracoviensi, Culmensi, Camenecensi, Plocensi, Livoniensi, Kelmensi, Gnesnensi, Samogitiensi, Kioviensi.

Venerabili fratri Ignatio Massalski Episcopo Vilnensi,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Temporalia Christifid. commoda maxime conferunt, ut promptiores fiant ad spiritualia consectanda.

§ 1. Paternae caritati, qua Christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorum temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus praesertim illi ad spiritualia consectanda fieri promptiores alacrioresque possint; utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri poterit, maxime provehantur; quapropter si praecipue ad divinum cultum animarumque salutem nostra apostolici ministerii solicitudo conversa sit, tamen ea interdum minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si quae sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adiumenta comparari posse cognoscimus.

Hac de causa Bened. XIV. saepius indulsit, ut etiam festivis diebus, laboriosae artes exerceri possent, audita tantum missa, et servato ieiunio

§ 2. His inductum rationibus felicis recordationis Benedictum Pp. XIV. sapientissimum praedecessorem nostrum fuisse scimus, qui nonnullorum catholicorum principum et Ordinariorum sibi porrectis precibus annuendo indulsit, ut fideles populi plurium civitatum et dioecesum quibusdam festivis diebus, servato in eorumdem festorum vigiliis, in quibus praeceptum erat, ieiunio, ac audita tantum in iisdem festis missa, laboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus vacare possent.

Sed inde occasio surrexit transgrediendi praecepta.

§ 3. Sed ex eadem dispensatione, illud postmodum, sicut accepimus, evenisse deprehensum est, ut alii in suo artificio nimis occupati praeceptum audiendi missam omnino negligerent, alii vero ex obligatione ieiunandi in vigiliis et audiendi sacrum in festis occasionem caperent a laboribus abstinendi, et otio indulgendi.

Poloniae rex preces porrigit pro dispensatione a praecepto ieiunandi, et audiendi missam.

§ 4. Quae incommoda agnoscens charissimus in Christo filius noster Stanislaus Augustus Poloniae rex illustris pro eximia, qua pollet, pietate obviam iisdem ire nunc statuit, proindeque a nobis enixe flagitat nomine etiam inclytorum reipublicae Polonae ordinum in generalibus comitiis congregatorum, ut eosdem Christifideles etiam a praecepto ieiunandi et audiendi missam iis diebus, quibus operi vacare permittitur, solutos esse apostolica auctoritate velimus.

Pontifex Ordinario committit imminutionem festorum, declarans qui dies festivi omnino retineri debeant.

§ 5. Nos igitur eiusdem votis, quantum in Domino possumus, obsequendum et populorum conscientiae consulendum esse iudicantes, fraternitati tuae committimus et mandamus, ut in ista civitate ac dioecesi praedicta existentibus de diebus festis legem, in quam maturo consilio et expensis omnibus descendimus, auctoritate apostolica denuncies et edicas.

Enumeratio dierum festivorum servandorum.

§ 6. Retineantur nempe ac celebrentur festivi dies Resurrectionis cum sequenti, et Pentecostes item cum sequenti, aliique per annum dies dominici, nec non Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, tum quinque dicati B. Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis; praeterea retineantur festa Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum, Sancti Stephani protomartyris et unius tantum principalioris patroni.

Ubi plures patronos haberi contigit, praeferendus ille qui potiorem cultum et venerationem obtinet.

§ 7. Sed si alicubi plures patronos aeque principales haberi contigerit, diligenter inquiras, necesse est, venerabilis frater, quinam ex dictis principalioribus patronis potiorem cultum et venerationem in ea vel civitate, vel oppido, vel pago habeat, et in eius tantum propria die festivitatis praeceptum designes.

Quae praestanda sint in diebus festis servatis.

§ 8. In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiae catholicae instituto Christifideles sacris adesse, a servilibus operibus abstinere, et ieiunium in eorumdem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant et teneantur.

Absolutiones et liberationes pro diebus festis deletis.

§ 9. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera permittimus et indulgemus, sed insuper eosdem Christifideles a quacumque vigiliae seu ieiunii diebus praecedentibus, dummodo aliunde vel ratione quadragesimae vel ratione quatuor temporum non praecipiatur, et audiendi missam in praedictis festis obligatione absolvimus et liberamus.

Praeceptum de celebrandis missis et recitando officio in ecclesiis, tam pro servatis, quam pro abrogatis festis.

§ 10. Sed quoniam dum populorum conscientiae consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, sanctorum venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo sanctorum et solemnitatum officia et missas tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum vi-

giliis retineri, et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus.

Commutatio ieiuniorum.

§ 11. Sacrum vero ieiunium, quod in praedictis vigiliis habebatur, ad quartas et sextas farias adventus transferendum, ibidemque servandum edicimus et constituimus.

Commemoratio de abrogatis festis, statutis diebus, facienda.

§ 12. Ut autem non solum clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festivis sacrosancto missae sacrificio et divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum Apostolorum et Martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent et venerentur, volumus ac praecipimus, ut die XXIX. iunii, ultra praecipuam Sanctorum Petri et Pauli solemnitatem, etiam aliorum Apostolorum, et die XXVI. decembris, ultra praecipuum Sancti Stephani festum, etiam aliorum sanctorum Martyrum memoria celebretur. Quare die XXIX. iunii in kalendariis ecclesiasticis ita festum inscribendum erit – Ss. Petri et Pauli, et Commemoratio omnium Apostolorum – ac tam in officio, quam in missa addatur – Commemoratio de communi Apostolorum –, die vero XXVI. decembris ita notetur festum – S. Stephani protomartyris, et Commemoratio omnium sanctorum Martyrum – ac tam in officio quam in missa addenda erit – Commemoratio de communi plurimorum Martyrum.

Monitum populo faciendum super observantia dierum festorum servatorum.

§ 13. Haec nos, venerabilis frater, non minus spiritualem, quam temporalem istius populi utilitatem intuentes, sancienda esse iudicavimus, in quo plurimum solicitudini ac pastorali vigilantiae tuae confidimus, qui illud profecto sedulitate studioque tuo efficies, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, eo maior sit in populorum animis pietas, fervor ac devotio. Proinde vehementer cupimus, ac in Domino fraternitatem tuam hortamur, ut populos tibi commissos diligenter edocendos cures, quae ad iustam legitimamque festorum dierum celebritatem pertinent, quo ardore, quave humilitate spiritus adstare sanctissimo altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, ac christianae doctrinae institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies Christifidelium corda graventur crapula et ebrietate, ac saecularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis, ut profana quaeque, ludrica et minus religiosa a publicis locis amoveantur, contra vero in conspectu illa sint abundeque suppetant, quae ad fovendam devotionem pietatemque plurimum prodesse possint. Quae quidem cuncta a perspecta pastorali sedulitate tua nobis maxime pollicemur.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII. maii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

IX.

Confirmat erectionem Congregationis presbyterorum saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii villae de Orizava Mexicanae dioecesis.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex quo divina maiestas ad pastoralis officii fastigium nos quamquam immeritos evexit, quantum in nobis fuit, superno auxilio freti, conati sumus, ut divinus cultus, et catholicae fidei propagatio, et animarum salus opportunis mediis augeatur, et propterea clericorum congregationes id operam cupientes, intensis studiis promovemus et instituimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Laudatur erectio congregationis, et plurimum ad divini cultus augumentum conferre declaratur.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, in villa de Orizava nuncupata Mexicanae dioecesis congregatio clericorum saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii canonice, ut asseritur, erecta et instituta sit, iidemque clerici sacerdotes Christifidelium confessiones audire, Ecclesiae sacramenta administrare, exhortationes ad populum habere, infirmos visitare, et alia pietatis et caritatis opera, non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione, divinique cultus augumento, iuxta pium eorum institutum exercere cupiant; et de praesenti exerceant. Pro erectionis autem et institutionis huiusmodi subsistentia et validitate plurimum desiderant, illas apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Erectio confirmatur praevia absolutione a

§ 3. Nos presbyteros et clericos praedictos, ut ad pia et sacra onera huiusmodi e-

censuris, si quae forte exiterint, et dummodo erectio canonice facta fuerit.

xercenda promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus Domino obtulerunt, eosdem uberiores in posterum afferant, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibus excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, erectionem et institutionem praedictas, quatenus illae canonice factae fuerint, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; et nihilominus in eadem villa una praedictorum presbyterorum et clericorum saecularium in illa pro tempore recipi volentium congregationem ad instar congregationis oratorii huiusmodi in Ecclesia S. Mariae et Gregorii in Vallicella de urbe dudum apostolica auctoritate erectae, dummodo tamen presbyteri et clerici huiusmodi ordinationes et instituta domus Congregationis oratorii alias a felic. record. Paulo PP. V. praedecessore nostro confirmata receperint, et illa pro viribus observare intendant, auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Facultas presbyteris congregat. conceditur audiendi confessiones fidelium.

§ 4. Ac nunc et pro tempore existentibus presbyteris, et aliis eiusdem congregationis sic de novo erectae, qui approbati ab Ordinario fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, ac illis poenitentia debita pro modo culpae iniuncta, ac aliis iniungendis, iniunctis, absolutionem impendere salutarem possint et valeant.

Exemptio a iurisdictione parochorum.

§ 5. Sacerdotes vero in eadem congregatione recepti parochi eorum iurisdictioni minime subiaceant, et sibi ipsis ad invicem quaecumque sacramenta ecclesiastica quovis, etiam paschatis resurrectionis Dominicae, tempore, vice, et loco parochi ministrare; superiores autem congregationis per praesentes erectae per se, vel per alium, seu alios ex ipsis iam approbatos suos subditos a censuris (non tamen in casibus Sedi Apostolicae reservatis) absolvere, illisque debitam poenitentiam similiter iniungere, iidemque superiores receptos inobedientes et ipsius Congregationis constitutionum transgressores punire, et poenitentiam pro modo culpae, eorum arbitrio, servata tamen forma ordinationum et institutionum huiusmodi, afficere, ut sibi videbitur, cum consensu maioris partis dictae Congregationis culpabiles eiicere, invocato, etiam si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, libere et licite similiter possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Ac demum, quod Congregatio per praesentes erecta sit, et perpetuo remaneat subiecta omnimodae iurisdictioni Archiepiscopi Mexicani pro tempore existentis, qui tamen ordinationes et instituta praedicta nullo modo mutare et alterare possit, similiter perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae salutares.

§ 6. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§ 7. Ac insuper, ut ecclesia Congregationis sic erectae in maiori veneratione habeatur, et ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, aliique presbyteri ad Congregationem per praesentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus et singulis presbyteris, qui eamdem Congregationem de caetero ingredientur, die prima eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac ipsis nunc et pro tempore existentibus presbyteris, ac aliis conviventibus eiusdem Congregationis, in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus etiam plenariam, nec non tam illis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui eiusdem Congregationis per praesentes erectae ecclesiam die festo Sancti Philippi Nerii a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatis huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et S. R. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suo-

rum indulgentiam et remissionem etiam perpetuo concedimus et elargimur, nec non tam presbyteris et aliis eiusdem Congregationis quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis Christifidelibus utriusque sexus iisdem exhortationibus interessentibus decem annos, et qui ecclesiam dictae Congregationis in quatuor aliis anni festis diebus per dictos presbyteros semel tantum eligendis et ab Ordinario approbandis a primis vesperis usque ad occasum solis festorum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, septem annos et totidem quadragenas. Eisdem vero presbyteris et aliis dictae Congregationis, quoties divinis officiis in sua ecclesia vel oratorio more dictae Congregationis celebrandis aut congregationibus publicis vel privatis et secretis, pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam, antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam tam pro animabus presbyterorum et aliorum dictae Congregationis, quam aliorum in Christi caritate defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus regula nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, statutis, legibus et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, expressio ac mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II. iunii MDCCLXXV., pontificatus nostri anno I.

X.

Presbyteris Cong. S. Philippi Nerii villae Orizavae Mexicanae dioecesis communicat, iuxta modum, privilegia a Paulo V., Gregorio XV., Urbano VIII. concessa eidem Congregationi Urbis.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam praesidentes, clericorum secularium congregationes in Ecclesia Dei pie sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagentes, privilegiis et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Expositio precum porrectarum pro obtinenda communicatione privilegiorum, gratiarum et regularum, quibus fruuntur sacerdotes Congregationis Romanae.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri saeculares Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii villae de Orizava Mexicanae dioecesis, quod nos per alias nostras in simili forma Brevis hodie, seu nuper, expeditas literas eamdem Congregationem, prius auctoritate ordinaria erectam, auctoritate apostolica confirmavimus, nonnullisque gratiis, indultis et privilegiis decoravimus, ipsiusque Congregationis presbyteri sub eodem instituto Sancti Philippi Nerii, quod dilecti pariter filii presbyteri saeculares Congregationis Oratorii eiusdem S. Philippi Nerii in ecclesia Sanctae Mariae et Gregorii in Vallicella de urbe erectae servant, hactenus vixerunt, et adhuc vivunt de praesenti. Cum autem,

sicut eadem expositio subiungebat, regulae et instituta Congregationis Romanae subinde a rec. mem. Paulo V., Gregorio XV. et Urbano VIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris specialiter approbata ipsique congregationi Romanae ac illius ecclesiae presbyteris ac personis ab iisdem et forsan aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris multa privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae et indulta concessa fuerint, prout in ipsorum praedecessorum literis apostolicis desuper respective expeditis uberius dicitur contineri. Ipsi vero exponentes regulas et instituta huiusmodi receperint, seu recipere et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde iisdem quoque privilegiis et gratiis frui et gaudere posse plurimum desiderant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune provvidere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor indulti prorogationis dictarum gratiarum, et privilegiorum.

§ 3. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, ac praedictarum literarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictae Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii villae de Orizava praedictae, illiusque ecclesiae, ac presbyteris saecularibus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, favoribus, gratiis et indulgentiis, exemptionibus, regulis et indultis memoratae Congregationi Romanae eiusque ecclesiae presbyteris et personis per praedictos Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessis, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, et quibus eadem Congregatio Romana eiusque ecclesiae, presbyteri, et personae ex memoratorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione de presenti utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt (non tam indulgentia perpetua a rec. etiam mem. Benedicto XIII., itidem praedecessore nostro memoratae ecclesiae Sanctae Mariae et Gregorii in Vallicella sub certis modo et forma tunc expressis concessa) pari modo uti, frui, et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae, indulta huiusmodi ipsi Congregationi villae de Orizava eiusque ecclesiae presbyteris et personis specialiter concessa reperirentur.

Praeservatio gratiar., et privilegiorum iam eidem Congregationi concessorum.

§ 4. Sine praeiudicio tamen gratiarum, indultorum et privilegiorum eidem Congregationi villae de Orizava a nobis, sicut praefertur, commissorum, et dummodo ipsius Congregationis villae de Orizava presbyteri et personae, nunc et pro tempore existentes, regulas et instituta pro dicta Congregatione Romana, ut praefertur, approbata observent, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstante nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quatenus opus sit, dictae congregationis villae de Orizava, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II. iunii MDCCLXXV., pontif. nostri anno I.

XI.

Commemoratis beneficiis a RR. PP. collegio Sinensium collatis, monasterium S. Petri a Colonnello *ei unit, imposita obligatione quatuor alios alumnos sinenses instituendi, tres missionarios in Sinis alendi, ac dependendi a S. C. de Propaganda Fide* (1).

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Prae caeteris illa nos maxime cura solicitat, ut animarum saluti atque evangelicae fidei propagationi pro pastoralis officii nostri munere, quantum Deo adiutore possumus, salubriter consulamus. Quocirca nihil aut praeclarius aut utilius a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris institutum fuisse arbitramur, quam ut collegia vigerent, in quibus nonnulli adolescentes a piis doctisque viris erudirentur, quorum deinde opera atque laboribus doctrina Christi in vastissimis regionibus, unde illi arcesserentur, aut latius promulgari, aut firmius conservari, aut defendi facilius posset.

Laudes collegii, cuius favore plurimae concessiones Summi Pont. indulserunt.

§ 2. Ex quo siquidem collegium Sinensium et Indorum sub titulo sacrae *Iesu familiae* extra civitatem Neapolim a felicis recordationis Clemente Papa XIII., sub directione et gubernio Congregationis dilectorum filiorum presbyterorum saecularium eiusdem tituli a Sede Apostolica approbatae, et a Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum dependens, primitus institutum fuit, cum benedicente Domino, quam plures a remotissimis iis regionibus acciti et in eo collegio sacris literis imbuti, atque ad sacros ordines promoti in patriis regionibus, ad quas reversi fuerant, catholicam religionem late propagarent, eiusque incremento strenue adlaborarent; ideo duo ex praedecessoribus nostris collegium illud, eius directores, singulosque alumnos speciali benevolentia sunt prosequuti, dictaeque Congregationi commendarunt, praecipue vero ad augendum alumnorum numerum bonis, redditibus augere curarunt. Etenim eidem collegio exigua antea dote praedito eiusdem recolendae etiam memoriae praedecessor noster Benedictus PP. XIV. monasterium *abbatiam* nuncupatum *S. Petri de Embulo* seu *Ebuli* Ordinis S. Benedicti Salernitanae dioecesis sub certis legibus, conditionibus et obligationibus ab eo impositis, illiusque bona et redditus univit.

Consultum aeque fuit, ut alumnorum numerus in dies augeretur.

§ 3. Et subinde similis mem. Clemens Papa XIII. itidem praedecessor noster primum ecclesiam, seu cappellam S. Petri a Colonnello, seu *la Petruccia* vulgo nuncupatam dictae Salernitanae dioecesis, quae a monasterio abbatia etiam nuncupato Sanctae Mariae Matris Domini praedicti S. Benedicti, seu alterius Ordinis eiusdem Salernitanae dioecesis dependet, aut alias illi canonice unita existit, quam venerabilis etiam frater noster Nicolaus Xaverius a S. Maria Episcopus Cirenensis una cum monasterio secundodicto in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis tunc obtinebat, prout ad praesens obtinet ex tunc et cum primum illius commenda cessante vacasset, et dictae sine cura ecclesiae aut cappellae bona quaecumque eidem collegio etiam addixit, atque expresse praecepit et praescripsit, quod, praeter et ultra numerum sexdecim alumnorum a Benedicto praedecessore praedicto, ut praefertur, constitutum, alii quatuor alumni, quorum videlicet duo Sinenses et Indi, reliqui duo ex quibusdam Turcarum dominio subiectis nationibus adsciscerentur, ita ut dicti collegii alumni non sexdecim sed viginti deinceps numerarentur. Subinde vero idem Clemens praedecessor ad augendum in ipso collegio alumnorum numerum etiam ex tunc et cum primum secundodictum monasterium Sanctae Mariae Matris Domini, illius commenda pariter cessante, vacaverit, pensionem annuam

---

(1) A qua dependere debebat ante h. const. ex dispositione praedecessorum. Vide Ben. XIV. *In sacro principis, Misericordia Dei;* Clem. XIII. *Quanta Ecclesia Dei, Docendi omnes,* iuxta praescripta a Ben. XIV. pro collegiis apostolicis suis lit. *Quanti ad Ecclesiam, È pervenuto.* Huius collegii bona italicum Gubernium, anno MDCCCLXXXVIII., orientalium linguarum scholae contra Tribunalium iudicata attribuit; at S. Cong. de P. F. suis sumptibus per commis. ap. Raphäelem de Martinis eiusdem Cong. Consultorem instauravit.

a quibusvis oneribus immunem mille et biscentum ducatorum monetae regni Neapolitani super secundodicti monasterii fructibus eidem collegio perpetuo reservavit. Voluit tamen et constituit, quod praeter numerum viginti alumnorum a Benedicto praedecessore, ut praefertur, praescriptum, alii octo adderentur alumni non ex alia quam Sinensi natione, ita ut integrum collegium ex viginti octo constaret alumnis. Quae autem praedecessores nostri ad amplificandum idem collegium provide designarunt et compararunt, subsidia etiam postquam secundodicta unio et reservatio praemissa sortitae fuerint effectum, cum satis opportuna minime fore intellexerimus, ut educari valeant tot evangelici operarii, qui, ad patrias reduces, quamplurimos ibidem degentes catholicos confirment, innumerisque infidelibus veram divinamque religionem annuncient; ideo, re mature perpensa, patreque luminum invocato, qui per divina sua charismata uberem in dies messem parat evangelicis operariis, iuxta dictae Congregationis votum et consilium nobis oblatum, dictum Sanctae Mariae Matris Domini monasterium cuiusque bona omnia in congruam dicti collegii dotem integre constituere omnipotentis Dei gloriae consonum existimamus.

Praecipitur unio monasterii S. Matris Domini, ut ex fructibus bonorum ad monasterium pertinentibus, melius collegii necessitatibus fieri possit satis.

§ 4. Ut igitur idem collegium de catholica religione optime meritum, prout nobis in Domino datum est, suscipiat incrementum, peculiaris munificentiae argumenta ei praebere cupientes, ipsosque dilectos filios illius moderatorem et presbyteros, ac alumnos, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine dictum monasterium Sanctae Matris Domini praedictae Salernitanae dioecesis, cuius et illi annexorum fructus, redditus et proventus ad florenos sexaginta sex auri cum duobus tertiis alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut accepimus, taxati reperiuntur, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum illud ex persona dicti Nicolai Xaverii Episcopi illius commenda quovis modo cessante, ut antea etiam apud Sedem Apostolicam, vacare contigerit; etiamsi actu non vacet ac tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem eamdem legitime devoluta existat, cum omnibus et singulis illius bonis, universis rebus, proventibus, redditibus, et fructibus praedictis ad secundodictum monasterium quovis modo spectantibus et pertinentibus, nec non omnibus et singulis eidem monasterio secundodicto annexis ecclesiis, seu cappellis, ac beneficiis ecclesiasticis dicto collegio, ad infrascriptum tamen effectum et non alias, ac donec et quousque dictum collegium in dicta civitate Neapolitana permanserit. Ita quod statim ac monasterii secundodicti commenda, ut praefertur, cessaverit, liceat praedictis modernis seu tunc existentibus ipsius collegii superioribus et presbyteris monasterii secundodicti, illiusque bonorum, territoriorum, pertinentiarum et rerum, proprietatum ac iurium quorumcumque, nec non fructuum, reddituum et proventuum praedictorum veram, realem et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios, eiusdem tamen collegii nomine, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam retinere, dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus, redditus, proventus et emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, et quandocumque et qualitercumque ex eis provenientia exigere, percipere, levare, ac in substentationem infrascriptorum alumnorum et missionariorum praeter supra praefixum numerum erogare, dioecesani loci vel cuiusvis licentia desuper minime requisita, supportatis tamen per idem collegium, et pro eo per modernos, et pro tempore existentes illius superiorem et presbyteros praedictos, omnibus et singulis monasterii secundodicti ac etiam infrascriptis oneribus, dicta apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium, prout infra, unimus, annectimus et incorporamus.

Speciales declaration. quoad cappellam S. Petri a Colonnello nuncupatam.

§ 5. Expresse etenim declaramus, quod dicta sine cura ecclesia seu cappella Sancti Petri a Colonnello vulgo *la Petruccia*, ut praefertur, nuncupata, quatenus a monasterio secundodicto minime dependeat, aut illi alias minime fuerit unita, prout antea vigore literarum dicti Clementis praedecessoris eidem Collegio etiam unita censeri debeat; quatenus vero illa a monasterio secundodicto dependens, vel illi alias unita fuerit, sub praesenti monasterii secundo-

dicti unione comprehendatur, ita ut in utroque casu dictae sine cura ecclesiae seu cappellae unio effectum suum sit sortitura, dicta autem pensio ab eodem Clemente praedecessore, ut praefertur, reservata causa praesentis secundodicti monasterii unionis cum omnibus et singulis illius fructibus consolidata sit, et resolvatur.

Praeceptum de implendo numero alumnorum vix unione sequuta.

§ 6. Praeterea praecipimus et mandamus, quod, ubi primum, monasterii secundodicti commenda cessante, unioni huiusmodi locus factus fuerit, praeter numerum sexdecim alumnorum a Benedicto praedecessore, ut praefertur, constitutum, et iuxta utramque dicti Clementis ordinationem, aliorum videlicet duodecim, quorum decem Sinenses et Indi forent, reliqui vero duo ex aliis Turcarum dominio subiectis nationibus adscisci possent, deinceps alii quatuor Sinenses alumni ad idem collegium admitti debeant, ita quod illud ex triginta duobus constet et constare debeat alumnis, qui sub regulis, directione et gubernio dictorum presbyterorum Congregationis praedictae, servatis iisdem regulis et constitutionibus alias ab Apostolica Sede approbatis, in illud recipi ac in eo ali et substentari ac educari, instrui et erudiri debeant per integrum consuetum tempus iisdem prorsus modo et forma, prout antea primaevi dicti collegii alumni etiam quoad sumptus in itineribus impendendos e patriis regionibus ducti et ad eas reducti fuere.

Praecipitur ut de implemento omnium onerum iniunctorum doceatur penes Congregation. de Propaganda Fide, quolibet anno.

§ 7. Ita quoque statuimus et mandamus, quod ex redditibus ipsius collegii post secutum huius novae unionis effectum tres missionarii alantur, qui iuxta instructionem a dicta Congregatione de Propaganda Fide eis tradendam iniunctum ipsis apostolicum munus in Sinarum dominio exequi valeant et teneantur: ac praeterea expresse sancimus, quod dicti moderni et pro tempore existentes ipsius collegii superiores et presbyteri eidem Congregationi de Propaganda Fide propter dependentiam supra enunciatam de adimplemento praemissorum numero, nimirum educatione et profectu alumnorum, de statu oeconomico collegii, ac alias, in omnibus et per omnia ad quemcumque nutum parentes rationem sint reddituri, et reddere teneantur.

Liberatio bonorum ab annatis quindenniis. et iuribus similibus.

§ 8. Insuper indemnitati dicti collegii consulere volentes, et attento, quod illud a dicta Congregatione dependet, ut praefertur, collegium illud ab annatarum, quindenniorum communium, minutorum, aliorumque iurium Camerae Apostolicae, ac etiam S. R. E. Cardinalibus et Romanae curiae officialibus, de annatis, quindenniis communibus, minutis et aliis iuribus praedictis quomodolibet participantibus eorumque respective collegiis ratione unionis, annexionis et incorporationis huiusmodi debitorum solutione et praestatione, auctoritate et tenore praedictis omnino eximimus et liberamus, liberumque et exemptum omni futuro tempore fore et esse statuimus et mandamus. Decernentes dictum monasterium ex nunc prout ex tunc praedicto collegio unitum, annexum et incorporatum esse et fore, et ex nunc plenum ius eidem collegio in eodem monasterio vere et non ficte acquisitum existere, ipsumque collegium beneficio regularum nostrarum et Cancellariae Apostolicae de iure quaesito non tollendo, ac de annali et triennali possessoribus gaudere, secundodictumque monasterium, illius commenda quovis modo cessante, ad hoc ut de illo in alterius, quam dicti collegii, favorem disponi valeat, minime vacare posse, ac ex nunc omnes et singulas collationes, provisiones et commendas, et quasvis alias dispositiones de eodem monasterio, et de illo quovis modo vacaturo, aut vacante, etiam per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, et sedem eamdem, vel illius de latere legatos, dicti quoque Nicolai Xaverii Episcopi ad id accedente consensu cum quibusvis clausulis et decretis in alterius, quam praedicti collegii, favorem forsan faciendas, tamquam contra mentem et intentionem nostras factas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, nullumque per eas cuiquam ius acquiri, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Exemptio literarum a querela subreptionis, vel obreptionis, et a quovis alio iuridico remedio.

§ 9. Praesentes quoque nostras literas nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel quacumqne causa quantumvis iuridica et legitima, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, aut ex alia quavis causa notari, impugnari, invalidari, aut alias quomodolibet infringi nullatenus posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, ac Cancellariae Apostolicae regulis unionum effectum suum non sortitarum revocatoriis a nobis et successoribus nostris emanatis et emanandis, comprehendi vel confundi, sed tamquam pro ampliatione dicti collegii ad bonarum artium cultum et praecipue

ad fidei catholicae propagationem instituti factas semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 10. Sicque, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, vice-Legatos, dictaeque Sedis nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quovis iudicio et instantia iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de exprimendo vero annuo valore beneficiorum ecclesiasticorum in unionibus, deque illis committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis et aliorum etiam generalium Conciliorum uniones perpetuas nonnisi in casibus a iure permissis; ac etiam beneficia unius dioecesis aliis beneficiis, collegiis et locis alterius dioecesis uniri prohibentium, nec non felicis recordationis Pii PP. IV. de gratiis interesse dictae camerae apostolicae concernentibus intra certum tunc expressum tempus in ea registrandis, aliisque etiam in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii secundodicti, et ordinis, cuius illud existit, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias, in contrarium praemissorum, quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa, individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorumque tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, nec non opportune et valide, motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, declarationis, praecepti, mandati, statuti, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCLXXV., decimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno I.

XII.

Confirmat erectionem Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii in civitate Mexicana in Indiis facta.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex quo divina maiestas ad pastoralis officii fastigium nos quamquam immeritos evexit, quantum in nobis fuit, superno auxilio freti conati sumus, ut divini cultus et catholicae fidei propagatio et animarum salus opportunis mediis augeatur, et propterea clericos seu presbyteros congregationum operari cupientes intentis studiis promovemus et instituimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Status Congregationis in Indiis.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Mexicana in Indiis Congregatio presbyterorum et clericorum saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii pluribus ab hinc annis canonice (ut asseritur) erecta et instituta sit, iidemque clerici et sacerdotes Christifidelium confessiones audire, Ecclesiae sacramenta administrare, exhortationes ad populum habere, infirmos visitare, et alia pietatis et caritatis opera non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione divinique cultus augumento iuxta pium eorum institutum exercere cupiant, ac de praesenti exerceant; pro ere-

ctionis autem et institutionis huiusmodi subsistentia et validitate plurimum desiderent illas apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Laudatur, et confirmatur erectio Congregationis, quae habetur ad instar congregationis Oratorii de urbe.

§ 3. Nos presbyteros et clericos praedictos, ut ad pia et sacra opera huiusmodi exercenda promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus Domino obtulerunt, eosdem uberiores in posterum afferant, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati erectionem et institutiones praedictas, quatenus illae canonice factae fuerint, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et nihilominus in eadem civitate unam praedictorum presbyterorum et clericorum saecularium in illam pro tempore recipi volentium Congregationem ad instar Congregationis Oratorii huiusmodi in ecclesia Sanctae Mariae et Gregorii in Vallicella de urbe dudum apostolica auctoritate erectae, dummodo tamen presbyteri et clerici praedicti ordinationes et instituta domus Congregationis Oratorii alias a felicis recordationis Paulo PP. V. praedecessore nostro confirmata receperint, et illa pro viribus observare intendant, auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo erigimus et instituimus; ac nunc pro tempore existentibus praeposito, presbyteris et aliis eiusdem Congregationis, sic de novo erectae, qui ab Ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, ac aliis iniungendis iniunctis absolutionem impendere salutarem possint ac valeant.

Eximitur a iurisdictione parochi, et aliis privilegiis exornatur.

§ 4. Sacerdotes vero in eadem Congregatione recepti parochis eorum iurisdictioni minime subiaceant, et sibi ipsis ad invicem quaecumque sacramenta ecclesiastica quovis, etiam paschatis resurrectionis Dominicae, tempore, vice et loco parochi ministrare; superiores autem Congregationis per praesentes erectae per se, vel alium, seu alios ex ipsis iam approbatis, suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi Apostolicae reservatis, neque in literis die coenae Domini legi solitis contentis, absolvere, illisque debitam poenitentiam similiter iniungere, iidemque superiores receptos inobedientes, ac ipsius Congregationis constitutionum transgressores punire, et poenitentiae pro modo culpae eorum arbitrio, servata tamen forma ordinationum et institutionum huiusmodi, afficere, et, si sibi videbitur, cum consensu maioris partis dictae congregationis culpabiles eiicere, invocato ad id etiam si opus fuerit auxilio brachii saecularis, libere et licite similiter possint ac valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Ac demum, quod congregatio per praesentes erecta sit, ac perpetuo remaneat subiecta omnimodae iurisdictioni Archiepiscopi Mexicani in Indiis pro tempore existentis, qui tamen ordinationes et instituta praedicta nullo modo mutare et alterare possit, similiter perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae salutares.

§ 5. Decernentes praesentes literas semper ac perpetuo validas et efficaces esse ac fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§ 6. Ac insuper, ut ecclesia Congregationis sic erectae in maiori veneratione habeatur, et ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, aliique presbyteri ad Congregationem per praesentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus et singulis presbyteris et clericis, qui eamdem Congregationem de caetero ingredientur die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac ipsis nunc et pro tempore existentibus presbyteris, et aliis conviventibus eiusdem Congregationis, in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, etiam plenariam; nec non tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus ac confessis, ac sacra communione refectis, qui eiusdem Congregationis per praesentes erectae ec-

clesiam die festo Sancti Philippi Nerii a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. R. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem etiam perpetuo concedimus et elargimur; necnon tam presbyteris et aliis eiusdem Congregationis, quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus iisdem exhortationibus interessentibus, decem annos, et qui ecclesiam dictae Congregationis in quatuor aliis anni diebus festis per dictos presbyteros semel tantum designandis, et ab Ordinario approbandis, a primis vesperis usque ad occasum solis festorum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, septem annos et totidem quadragenas. Eisdem vero presbyteris et aliis dictae Congregationis, quoties divinis officiis in sua ecclesia vel oratorio more dictae Congregationis celebrandis, aut congregationibus publicis vel privatis et secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint aut conscientiam suam, antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam et toties salutationem angelicam tam pro anima presbyterorum aut aliorum Congregationis praedictae, quam aliorum in Christi caritate defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies iniunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus regula nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, statutis, legibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut alia quaevis exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. maii MDCCLXXVI., pontific. nostri anno II.

XIII.

Reginae Hungariae petenti erectionem plurium Episcopatuum respondit, nulli obiici difficultati petitam erectionem Episcopatuum latinorum; nonnulla vero repraesentat ex iis quae opponuntur erectioni Episcopatuum gr. ritus ipsi per Nuntium Apostolicum enucleanda, super quibus eius responsionem expectat (1).

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae nec non Bohemiae Reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae viduae,

PIUS PP. VI.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Statim responsum ut cupiebamus dare non potuimus litteris apostolicae maiestatis tuae; quibus diligenter nobiscum egisti de novis in tuo Hungariae regno constituendis episcopatibus partim latini ritus, Sabariensi nimirum et Albaregalensi, partim ritus graeci uniti, Magno-Varadiensi

(1) Pii PP. VI. Epistolae ad Principes Viros et alios, an. II., pag. 141.

et Zagabriensi, deque attribuendâ iis omnibus dioecesi, praetereaque de Munkacsiensi dioecesi amplificandâ. — Magni haec omnia, ut ipsa optime pro tuâ sapientiâ intelligis, momenti erant, atque aliquod temporis spatium ad mature deliberandum consultandumque postulabant. Nunc igitur, cum omnia accuratissime considerassemus, certoque iam aliquid de tuorum postulatorum parte decrevissemus, hoc ipsum ad te describere iam voluimus, carissima in Christo filia nostra, tibique, quoad in his rebus hactenus licet, nostrum in te tuasque res omnes animum comprobare.

§ 2. Itaque quod ad latinos episcopatus eorumque dioeceses pertinet, plurimam sane in consultatione nostrà habendam a nobis duximus rationem, non solum eorum omnium, quae allata a te sunt, sed voluntatis etiam tuae, quam Ecclesiae ac salutis animarum studio ad id ipsum potissimum inductam fuisse non dubitamus. Quapropter et erigendum, ut postulasti, Sabariensem episcopatum statuimus, et eius conflandam dioecesim ex iis, quae designatae a te sunt, partibus a dioecesibus, episcopatuum Veszprimiensis nempe, Savarinensis et Zagrabiensis, subtrahendis. Hunc in modum pariter, prout ipsa descripsisti, visum nobis ac decretum est, Albaregalensem episcopatum nunc pro eo tempore constituendum, quo nempe praepositura et custodiatus Albaregalensis vacaverit, nec non et capitulum in forma collegiatae erigendum; idemque interim capitulum cum suo praeposito, accedente tamen huius consensu, Episcopo Veszprimiensi subiiciendum.

§ 3. Cum haec ex tuae maiestatis sententia de latinis episcopatibus sponte constituissemus, eumdem animum attulimus ad illa etiam, quae praeposita nobis a te sunt de novis graeci-catholici ritus episcopatibus instituendis; at, quod vehementer displicuit, aliam ibidem rerum conditionem esse agnovimus, quae deliberationem nostram difficiliorem reddidit ac retardavit. Etsi consiliis his tuis, quae religionis rationibus inniti intelligimus, acquiescere, quantum in nobis est, maxime velimus, dubitationes tamen quasdam ex animo nostro eximere non possumus, quae plurimam nobis anxietatem inferunt. Non enim ignoramus, quae sit graecae nationis indoles, quamque tecta et subdola eiusdem agendi ratio, multisque iam didicimus ac in dies experimur exemplis incerta esse, quae ipsa saepe religiose ac sancte promittit, valdeque periculosum quibuscumque illius sollicitationibus fidere; ac non raro contigit, ut per quos lucrari alios speramus, illi ipsi a nobis desciscant.

§ 4. In hoc igitur rerum statu differendam esse rem censemus; tibique ipsi proponendas interea has dubitationes ac difficultates nostras, si quomodo poterimus easdem, novâ allatâ a te, quae quodammodo in re praesenti, rationum vi, dissolvere. Itaque eas ad te nostro nomine deferet ven. frater Iosephus Beryti Archiepiscopus noster apud te Nuntius, ut ipsi diligenter in mandatis damus. Quapropter maiorem in modum a maiestate tua petimus teque rogamus, ut cunctationem hanc nostram ex eâ ipsâ, quam maxime in his rebus utrique spectare debemus, religione proficisci putes; atque illum idcirco his cum mandatis ad te adeuntem benigne excipere; quaeque ab eodem afferentur audire, ac tecum ipsa considerare pro regiâ tuâ aequitate ac prudentia velis.

§ 5. Summopere confidimus fore ut tibi certissime constet, nihil nos magis cupere, carissima in Christo filia nostra, quam ut ea omnia, quae dubios nos incertosque hactenus reddunt, perspicua rationum tuarum luce collustrentur; ac illa porro ad nos a te perscribat ven. frater, quae nostro animo metum et sollicitudinem prorsus omnem detrahant, ut et summae nostrae ad tibi gratificandum voluntati satisfacere, et alacres in id pontificiâ nostrâ auctoritate incumbere possimus, quod ex tuis consiliis susceptum, optimos deinde sortiri exitus ad plurimam Ecclesiae utilitatem, ad parem iucunditatem utriusque nostrum, ac ad praecipuum tuae gloriae tuaeque felicitatis incrementum videamus. Ac in paternae eximiae caritatis pignus apostolicam benedictionem caelestium munerum auspicem apostolicae maiestati tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX. NOV. MDCCLXXVI., pontificatus nostri anno II.

XIV.

Facultatem concedit fratribus B. M. de Monte Carmelo missionariis in insulis americanis dispensandi, iuxta modum, in gradibus affinitatis et consanguinitatis.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Ratio, tenor, et conditiones, ac reservationes indultae facultatis.

§ 1. Ut dilecti filii fratres Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo missionarii degentes in insulis Americanis Guadalupae, Mariae Galantae, Sancti Dominici, Sancti Christophori, et adiacentibus dominio in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi subiectis, a suis superioribus deputati, iniuncta sibi munera ad Christifidelium illarum partium utilitatem, adiuvante Domino, facilius exequi valeant; ex commissi nobis coelitus sacrosancti apostolatus officio providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota republica christiana generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica deputatorum consilio, fratribus missionariis praefatis, cum nigris neophitis earumdem insularum tum indigenis, tum advenis, in quocumque vel quibusvis consanguinitatis vel affinitatis gradibus a iure divino non prohibitis, primo tamen excepto, et in eodem primo etiam rectae lineae affinitatis, ex copula illicita resultantis, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant; in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, auctoritate apostolica gratis dispensandi, et eos, qui primo affinitatis gradu eiusmodi matrimonium etiam scienter contraxerint, ab excessibus excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis ea de causa incursis, in foro conscientiae tantum gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam decernendi facultatem ad viginti annos tantum duraturam, donec interim in illis partibus aliquis Episcopus constituatur, dicta auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 3. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dicti Ordinis subscriptis, et sigillo dilecti filii generalis Ordinis praefati, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die XXIV. martii MDCCLXXVII., pontificatus nostri anno III.

XV.

Ad preces Hungariae reginae vicariatum ap. graec. Croatiae erigit in episcopatum Crisionensem graeci ritus et subiicit legibus quibus subiiciuntur Graeci uniti qui cum Latinis mixti vivunt; Archiepiscopo Strigoniensi auctoritatem Metropolitani tribuit in novum episcopatum, ac praecipue inquirendi de fidei puritate et bono animarum (1).

---

(1) Ex Reg. epist. ad Principes an. III., pag. 197 et 216, depromimus S. P. lit. ad Hungariae reginam, qua ei nunciat, quod, sublatis difficultatibus, per eius responsa, decretam iam fuisse erectionem duorum episcopatuum graeci ritus, Magno-Varadiensis in Hungaria et Crisii in Croatia. Pariter transcribimus ep. ad Archiep. qua exponit rationes, quae Pontificem induxerunt ad duos episcopatus graeci ritus erigendos.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, nec non Bohemiae Reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae viduae,

PIUS PAPA VI.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Tandem a nobis decretam esse ex tui animi sententiâ duorum graeci ritus catholicorum Episcopatuum in tuis Hungariae et Croatiae regnis, nimirum Magno-Varadiensis et Crisiensis institutionem, apostolicae Maiestati tuae hisce nostris literis nunciamus. Dubitationes illae nostrae an ii episcopatus erigendi, quibusque conditionibus essent, iam sublatae fuerunt iis rationibus, quas tu ipsa nobis et per ven. fratrem Nuntium istic nostrum, et per postremas tuas literas die XX. martii attulisti. His ipsis tamen rationibus maximus accessit cumulus ex certissimâ nostrâ de te fiduciâ; quae nimirum non solum nihil unquam inde accidere in sanctae unionis detrimentum patereris, sed etiam efficeres, ut uno religionis orthodoxae vinculo colligati animi inter se magis adhuc coniungerentur et coalescerent. Hac potissimum tuae virtutis tuaeque religionis cogitatione inducti ultro devenimus ad ea statuenda, quae circa eosdem episcopatus optari a te ac summo studio expeti significaveras. Quod nunc est reliquum, Deum O. M. enixe obsecramus, ut consilia haec nostra suâ ipse gratiâ in Ecclesiae bonum tuorumque regnorum utilitatem vertat; ac optimo rerum exitu magis in dies comprobet et confirmet. Interea magnopere gaudemus, carissima in Christo filia nostra, te ex hoc etiam intelle-

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Charitas illa, qua Christus Dominus dilexit nos, quamque ad invicem a nobis et servari tantopere commendavit, et Apostolus gentium vinculum esse perfectionis asseruit, a pastorali quod gerimus exigit officio, ut omnes in Christo filios ita prosequi debeamus affectu, ut si eorum aliquis a matris Ecclesiae sponsae nostrae sinu longe aberravit, omnem impendamus laborem et operam, ut tamquam deperdita ovis, quam coelestis pastor post quam invenerat super humeros posuit, ad Ecclesiam ipsam maximo cum gaudio denique reducatur.

Expositio rationum, quae ad novam erigendam dioecesim impulerunt.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, carissima in Christo filia nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Hungariae et Boemiae regina apostolica, ut tam ad confirmandos in remotissimis sui regni Hungariae praedictae et illi annexarum provinciarum partibus in sacra unione Christifideles graeci ritus unitos, quam ad alios in sanctae matris Ecclesiae sinum reducendos, nec non ad amovendas quascumque schismaticorum praesulum versutias vicariatum apostolicum graecum pro regno Croatiae iamdiu designatum per nos et Sedem Apostolicam in episcopatum graeco-catholicum in oppido nuncupato Crisiensi ad animas eorumdem Christifidelium orientalis ecclesiae ritui addictas, adeoque graeco-catholicos erigi vehementer desiderat, prout regiis suis literis nobis datis clarius exposuit:

Tenor erectionis.

§ 3. Nos ad dilecti filii magistri Petri Mariae Nigroni in utraque signatura nostra referendarii et infrascriptae Congregationis secretarii relationem, et auditis prius super huiusmodi petitione Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus consistorialibus praepositae consilio, ac dilecti pariter filii nostri et eiusdem Sedis Apostolicae Nuncii in civitate Viennensi commorantis informatione et voto, tam eiusdem Mariae Theresiae reginae apostolicae desiderio obsecundare, eiusque desuper oblatis precibus annuere, ac omnem graeci ritus uniti nationem quantum in Domino licuerit specialibus gratiis et favoribus prosequi eiusque speciali bono consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia officium dicti vicariatus apostolici illiusque titulum et denominationem apostolica auctoritate perpetuo penitus supprimimus et extinguimus; illoque sic suppresso et extincto oppidum Crisiense praedictum civitatis episcopalis titulo et honore eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo decoramus; dictumque vicariatum apostolicum per nos, ut praefertur, suppressum et ex-

---

cturam, quam maxima in te singulari voluntate simus, quamque tibi omnia quaecumque ad tuae gloriae ac felicitatis incrementum facere possint, studiosissime cupiamus. Ac in paternae huius caritatis pignus apostolicam benedictionem regiae maiestati tuae universaeque augustae domui amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. aprilis MDCCLXXVII., pontificatus nostri anno III.

Ven. fratri Iosepho Archiepiscopo Strigoniensi,

PIUS PAPA VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Maximo apud nos studio egit carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Imperatrix regina, ut duos instituerēmus catholicos graeci ritus episcopatus in suis Hungariae et Croatiae regnis, nimirum Magno-Varadiensem et Crisiensem, quos illa valde utiles pro confirmandâ illius nationis nobiscum unione futuros existimat. Diu nos in perdifficili tantae rei consultatione fuimus, quod instabile ac infidum eius gentis ingenium, pluribus exemplis edocti, valde vereremur. Vix atque aegre tandem animum nostrum ad augustissimae reginae postulata inclinavimus, inducti allatis ab illâ rationibus, ac ea potissimum causâ, quod eamdem suâ religione, suâ auctoritate atque operâ praestaturam omnino confideremus, ne nos nostri huius consilii poenitere posset. Tu etiam, ven. frater, expeditiorem nobis eius deliberationis exitum effecisti. In tuam enim intuentes pastoralis animi sollicitudinem tuaeque sedis istius dignitatem, nos ipsi facile nobis persuasimus, fore ut, te quodammodo praesente, ac super istum domini gregem vigilante, nihil inde accidat, ex quo illum sanctae unioni detrimentum inferatur. Itaque has ad te dare literas voluimus, ut hanc nostram de tuâ episcopali virtute, iamdudum nobis perspectâ, fiduciam tibi significaremus, teque nostrâ hac cohortatione adhuc magis inflammaremus ad eam suscipiendam curam ac vigilantiae partem, quamvis novus duorum graeci ritus episcopatuum status a te praesertim efflagitat, ex qua certe plurima fieri poterit tuorum de Ecclesia meritorum ad ceteras tuas laudes accessio. Eum in modum nobis omnem detrahes, siqua animo adhuc inhaeret, anxietatem; nostraeque in te eximiae respondebis et benevolentiae et existimationi: quarum tibi luculentius argumentum dare non possumus, quam quod hac ipsa tantae rei commendatione tuique fiduciâ continetur. Ac in amplius nostrae huius singularis in te paternae voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, tuaeque fidei commissis populis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVIII. iunii MDCCLXXVII., pontificatus nostri anno III.

tinctum de apostolicae potestatis plenitudine in episcopatum graeco-catholicum unitum, nec non ecclesiam in dicto oppido sitam, et a praedicto Nuncio Viennensi resignandam in ecclesiam cathedralem Crisiensem graeci ritus uniti pro uno Episcopo Crisiensi praefati ritus graeci uniti, qui eiusdem episcopalibus insigniis, privilegiis et praerogativis eisdem modo et forma quibus caeteri episcopatus et respective Episcopi graeci ritus uniti perfruuntur et gaudent, cum omnimoda iurisdictione episcopali in graecos omnes unitos in dicto oppido Crisiensi per nos episcopalis civitatis titulo et honore, ut praefertur, decorato extantes, aliisque locis et terris, quae pro infrascripta dioecesi futuri Episcopi Crisiensis graeci ritus uniti huiusmodi, ut infra decernentur, perfruatur et gaudeat, dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Constitutio dotis ecclesiae cathedralis.

§ 4. Ac pro eiusdem cathedralis ecclesiae Crisiensis per nos ut praefertur erectae dote, et ad dignitatem episcopalem decenter tuendam, summam sex millium florenorum monetae illarum partium a praedicta Maria Theresia regina apostolica in tot bonis stabilibus attributam, constitutisque vicario et missionario per Sclavoniam, et comitatum Bachiensem duobus ibidem consistorialibus in qualitate missionariorum.

Erectio seminarii.

§ 5. Ac denique sufficienti clericorum seminario quibus eadem Maria Theresia regina apostolica liberaliter prospexit, apostolica auctoritate itidem perpetuo assignamus, decernentes quod in dicta civitate Crisiensi domus episcopalis constituatur pro decenti futuri Episcopi Crisiensis graeci ritus uniti huiusmodi habitatione, et in praedicta cathedrali ecclesia Crisiensi, per nos, ut praefertur, erecta, presbyteri saecularis, seu monachi eiusdem ritus graeci uniti, dummodo non adsint ad praesens, instituantur, qui in dicta cathedrali ecclesia Crisiensi, et per nos ut praefertur erecta, capituli et canonicorum aliorumque in divinis deservientium ministrorum vices impleant, illorumque officio respective fungantur.

Fines dioecesis praefiniuntur.

§ 6. Pro dioecesi vero eiusdem futuri Episcopi Crisiensis graeci ritus uniti huiusmodi limites eiusdem dioecesis per Croatiam et Sclavoniam, nec non districtum Sichelburgensem, partemque Hungariae, adeoque in dioecesibus Bosniensi et Sirmiensi, ac Quinqueecclesiensi, qua parte illa in Sclavoniam protenditur latini ritus, quoad populum tamen orientalis ecclesiae ritui graeco unito praedicto addictum, eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus et assignamus.

Ius praesentandi Episcopum regibus Hungariae conceditur.

§ 7. Ac insuper eidem Mariae Theresiae reginae apostolicae, eiusque in dicto Hungariae regno successoribus regibus ius nominandi, seu praesentandi, infra tempus a iure praefixum, nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad dictam cathedralem ecclesiam Crisiensem per nos, ut praefertur, erectam, ita tamen ut de illa a primaeva erectione praedicta vacante, et pro prima vice, et in posterum, in futuris illius vacationibus ad nominationem seu praesentationem eamdem per nos et successores nostros Romanos Pontifices debeat provideri, ea tamen lege, ut tam futurus Episcopus Crisiensis in dicta ecclesia cathedrali Crisiensi per nos, ut praefertur, erecta, et a primaeva illius erectione huiusmodi, ut praefertur, vacante, primo instituendus, quam eius in praedicta cathedrali ecclesia Crisiensi, ut praefertur, erecta, Episcopi successores omnes nullo umquam tempore ordinariae iurisdictioni pro tempore existentis Episcopi Zagabriensis praeiudicium aliquod inferre praesumant, sed iurisdictionem suam ordinariam in clerum dumtaxat, ac populum Ruthenorum graeci ritus uniti, aliosque qui eosdem ritus et unionem sequuntur, deguntque tam in dicta civitate Crisiensi, quam in aliis locis pro dioecesi eiusdem futuri Episcopi Crisiensis, ut supra, assignatis simpliciter exercere valeant, exacte servantes et adimplentes decreta omnia Congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositae hactenus edita, vel edenda, quoad Graecos, qui cum Latinis immixti vivunt, huic novae apostolicae provisioni non obstent, dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo reservamus.

Declarationes circa iurisdictionem Episcopi.

§ 8. Ac ulterius venerabili fratri nostro moderno, et pro tempore existenti, Archiepiscopo Strigoniensi motu et scientia similibus per praesentes mandamus, ut iurisdictionem omnem, quae iure metropolitico in ecclesias ei suffraganeas illius provinciae sibi competit, in episcopatu quoque Crisiensi dicti graeci ritus uniti pro tempore futurum plenarie exerceat; ac propterea eidem moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Strigoniensi, ut ipse toties quoties sibi placuerit ea inquirere et

cognoscere, quae ad fidei puritatem animarumque spirituale bonum noverit pertinere, libere et licite possit, dicta apostolica auctoritate facultatem tribuimus et impertimur.

Clausulae salutares.

§ 9. Decernentes etiam praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos nunc spectat et spectabit quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis iuridica et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis seu invaliditatis vitio, aut intentionis nostrae, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de iure vel facto seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, iuridica, legitima, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concesso, impetrato vel emanato quempiam uti seu se iuvare posse in iudicio vel extra illud, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, per quascumque literas et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque, et in crastinum assumptionis nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ex quibuscumque causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat, editas et in posterum edendas, comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse.

Decretum irritans.

§ 10. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa ac privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque iudicio et in quacumque instantia iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae praedictae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum, et in synodalibus, provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis et concedendis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque toto tenore specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tra-

dita observata, inserti forent eisdem praesentibus, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, nec non opportune et valide, harum serie motu, scientia et potestatis plenitudine paribus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis redditibus ecclesiae in libris camerae apostolicae.

§ 12. Volumus autem quod ecclesia cathedralis Crisiensis ritus graeci uniti praedicti per nos, ut praefertur, erecta iuxta eius redditus de more taxari, et huiusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat; quodque in exequutorem pro exequutione tamen earumdem praesentium dumtaxat Nuncius Viennensis cum facultate etiam subdelegandi deputetur.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suspensionis, extinctionis, decorationis, erectionis, institutionis, assignationis, decreti, concessionis, reservationis, mandati, facultatis, impartitionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, quinto decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno tertio.

XVI.

Congregationi oratorii S. Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatae S. Fidei* di Guanasata *in Indiis Mecoacanae dioecesis, communicat privilegia congregationis Romanae eiusdem S. Philippi Nerii etc.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum porrectarum.

§ 1. Militantis Ecclesiae regimini licet imparibus per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam praesidentes, presbyterorum saecularium congregationis in Ecclesia Dei pie sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagentes, privilegiis et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri saeculares congregationis Sancti Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatae sanctae Fidei *di Guanasata* Mecoacanae dioecesis in Indiis, quod nuper eadem congregatio a nobis confirmata et nonnullis gratiis et indultis ac privilegiis decorata fuit, ipsiusque congregationis presbyteri sub eodem instituto Sancti Philippi Nerii, quod dilecti pariter filii presbyteri saeculares congregationis oratorii eiusdem Sancti Philippi Nerii in ecclesia SS. Mariae et Gregorii in Vallicella de urbe erectae servant, vivere intendunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, regulae et instituta dictae congregationis Romanae subinde a recolendae memoriae Paulo Papa V., Gregorio XV. et Urbano VIII. romanis Pontificibus praedecessoribus nostris specialiter approbata, ipsi congregationi Romanae, ac illius ecclesiae presbyteris, ac personis ab iisdem et forsan aliis Romanis Pontificibus quoque praedecessoribus nostris multa privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae et indulta concessa fuerint, prout in ipsorum praedecessorum literis apostolicis desuper respective expeditis uberius dicitur contineri: ipsi vero exponentes regulas et instituta huiusmodi receperint seu recipere, et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis et gratiis frui et gaudere posse plurimum desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Gratiae tenor, et conditiones adnexae.

§ 2. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ac praedictarum literarum apostolicarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictae congregationi oratorii Sancti Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatae sanctae Fidei *di Guanasata* praedicti, illiusque ecclesiae ac presbyteris saecularibus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, favoribus,

gratiis et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis et indultis memoratae congregationi Romanae eiusque ecclesiae presbyteris et personis per praedictos Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessis, etiam specifica et individua mentione ac expressione dignis, et quibus eadem congregatio Romana eiusque ecclesiae presbyteri ac personae ex memoratorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt, non tamen indulgentia perpetua a felicis recordationis Benedicto PP. XIII. praedecessore quoque nostro memoratae ecclesiae SS. Mariae et Gregorii in Vallicella sub certis modo et forma tunc expressis concessa, pari modo uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint ac valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae et indulta huiusmodi ipsi congregationi oppidi praedicti eiusque ecclesiae presbyteris et personis specialiter concessa reperirentur, sine praeiudicio tamen gratiarum, indultorum et privilegiorum eidem congregationi dicti oppidi a nobis, sicut praefertur, concessorum, et dummodo ipsius congregationis oppidi huiusmodi presbyteri et personae nunc et pro tempore existentes regulas et instituta pro dicta congregatione Romana, ut praefertur, approbata, observent, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus nostra et Cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis oppidi praedicti, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. augusti MDCCLXXVII., pontificatus nostri an. III.

XVII.

Confirmat erectionem congregationis oratorii S. Philippi Nerii oppidi civitatis nuncupatae Sanctae Fidei di Guanasata *Mecoacanae dioecesis.*

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex qua divina maiestas ad pastoralis officii fastigium nos quamquam immeritos evexit, quantum in nobis fuit, superno auxilio freti, conati sumus, ut divini cultus et catholicae fidei propagatio, et animarum salus opportunis mediis augeatur, et propterea clericos seu presbyteros congregationum operari cupientes, intentis studiis promovemus et instituimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Erectio congreg. laudatur.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, in oppido civitatis nuncupatae Sanctae Fidei *di Guanasata* Mecoacanae dioecesis in Indiis congregatio presbyterorum et clericorum saecularium oratorii Sancti Philippi Nerii canonice, ut asseritur, erecta et instituta sit, iidemque clerici et sacerdotes Christifidelium confessiones audire, Ecclesiae sacramenta administrare, exhortationes ad populum habere, infirmos visitare et alia pietatis et caritatis opera non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione

divinique cultus augumento iuxta pium eorum institutum exercere cupiant; pro erectionis autem et institutionis huiusmodi subsistentia et validitate plurimum desiderent illas apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Dummodo canonice instituta facta sit confirmatur.

§ 3. Nos presbyteros et clericos praedictos, ut ad pia et sacra opera huiusmodi exercere promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus Domino obtulerunt, eosque uberiores in posterum afferant, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, erectionem et institutionem praedictas, quatenus illae canonice factae fuerint, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et nihilominus in eodem oppido unam praedictorum presbyterorum et clericorum saecularium in illam pro tempore recipi volentium congregationem ad instar congregationis oratorii huiusmodi in ecclesia sanctorum Mariae et Gregorii in Vallicella de urbe dudum apostolica auctoritate, dummodo tamen presbyteri et clerici praedicti ordinationes ac instituta domus congregationis oratorii alias a felicis recordationis Paulo PP. V. praedecessore nostro confirmata receperint, et illa pro viribus observare intendant, auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Presbyteris in eadem congregatione receptis facultas conceditur audiendi confessiones, et a parochi iurisdictione eximuntur.

§ 4. Ac nunc et pro tempore existentibus praeposito, presbyteris et aliis eiusdem congregationis, sic de novo erectae, qui ab Ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, ac illis poenitentia debita pro modo culpae iniuncta, ac aliis iniungendis iniunctis, absolutionem impendere salutarem possint et valeant; sacerdotes vero in eadem congregatione recepti parochi eorum iurisdictioni minime subiaceant, et sibi ipsis invicem quaecumque sacramenta ecclesiastica, quovis, etiam paschatis resurrectionis dominicae, tempore, vice et loco parochi ministrare valeant.

Superioribus tribuitur potestas absolvendi subditos a censuris, exceptis casibus S. Sedi reservatis.

§ 5. Superiores autem congregationis per praesentes erectae per se vel alium seu alios ex ipsis iam adprobatis suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi Apostolicae reservatis, neque in literis die coenae Domini legi solitis contentis, absolvere, illisque debitam poenitentiam similiter iniungere, iidemque superiores receptos inobedientes ac ipsius congregationis constitutionum transgressores punire, et poenitentiae pro modo culpae eorum arbitrio, servata tamen forma ordinationum et institutionum huiusmodi, afficere, et si sibi videbitur cum consensu maioris partis dictae congregationis culpabiles eiicere, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, libere et licite similiter possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Ac demum, quod congregatio per praesentes erecta, sit ac perpetuo remaneat subiecta omnimodae iurisdictioni Episcopi Mecoacani pro tempore existentis, qui tamen ordinationes et instituta praedicta nullo modo mutare et alterare possit, similiter perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes praesentes literas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari: et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§ 7. Ac insuper, ut ecclesia congregationis sic erectae in maiori veneratione habeatur, et ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, aliique presbyteri ad congregationem per praesentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus et singulis presbyteris et clericis, qui eamdem congregationem de caetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac ipsis nunc et pro tempore existentibus presbyteris et aliis conviventibus eiusdem congregationis in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus etiam plenariam; nec non tam illis, quam aliis utriusque sexus

Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis ac sacra communione refectis, qui eiusdem congregationis per praesentes erectae ecclesiam die festo Sancti Philippi Nerii a primis vesperis usque ad occasum solis visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam perpetuo concedimus et elargimur; necnon tam presbyteris et aliis eiusdem congregationis, quoties pro exhortationibus habendis convenerint, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus iisdem exhortationibus interessentibus decem annos, et qui ecclesiam dictae congregationis in quatuor aliis anni festis diebus per dictos presbyteros semel tantum designandis et ab Ordinario approbandis, a primis vesperis usque ad occasum solis festorum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, septem annos et totidem quadragenas: eisdem vero presbyteris et aliis dictae congregationis, quoties divinis officiis in sua ecclesia vel oratorio more dictae congregationis celebrandis, aut congregationibus publicis vel privatis et secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem dominicalem et toties salutationem Angelicam tam pro animarum presbyterorum, aut aliorum congregationis praedictae, quam aliorum in Christi caritate defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus regula nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, statutis, legibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiatica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCLXXVII., pontificatus nostri an. III.

XVIII.

Facultatem concedit officialibus, et confratribus confraternitatis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum civitatis Limanae celebrari faciendi quolibet sabbato missam de Apparitione Beatae Mariae Virginis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres tertii Ordinis nuncupati Beatae Mariae Virginis de Mercede, canonice, ut asseritur, erectae in ecclesia conventus fratrum Ordinis eiusdem Beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum civitatis Limanae, quod alias, die nempe XI. iulii MDCCXI., a congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum editum fuit decretum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ordinis excalceatorum B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum.

Tenor decreti congregat. Rituum.

Ad humillimas preces rev. patris Didaci a Sancto Philippo procuratoris gene-

ralis excalceatorum beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum, nomine etiam totius Ordinis suae religionis Sacrae Rituum Congregationi porrectas, in quibus demisse supplicabatur, ut loco missae votivae, quae ex regulis Ordinis et privilegiis respective Clementis VIII. et Urbani VIII. a toto supradicto Ordine singulis sabbatis cuiuslibet hebdomadae canitur, exceptis tamen diebus sabbati sancti, vigiliae et Nativitatis Domini, et in die Sancti Petri Nolasci, in posterum missa propria Apparitionis Beatae Mariae Virgialias pro festivitate eiusdem Apparitionis Beatae Mariae Virginis sub die II. iunii MDCLXXXV. ab hac sacra Congregatione approbata, a toto Ordine calceatorum et excalceatorum Beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum in dictis singulis anni sabbatis cani possit. Et sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis de Abdua, benigne inclinata respondit — Pro gratia, mutatis illis verbis in introitu — *diem festum,* — quorum loco dicatur — *memoriam:* die XI. iulii MDCCXI.

Indulgentiae concessae a Benedicto XIV.

§ 2. Postmodum vero felicis recordationis Benedictus PP. XIV. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die decima sexta novembris MDCCLVII. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum singulis sabbatis totius anni devote visitassent, ibique missae propriae de Beata Maria de Mercede cantari solitae pie interfuissent, plenariam quarto sabbato cuiuslibet mensis omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concessit, in reliquis vero sabbatis totius anni eisdem Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit, et alias prout in ipsius Benedicti praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Impetratio missae propriae Apparitionis B. M. V. et ampliationis indulgentiarum concessarum a Benedicto XIV.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes pro peculiari, quem erga eamdem Beatam Virginem de Mercede gerunt, devotionis affectu facultatem celebrari faciendi praedictam missam propriam Apparitionis Beatae Mariae Virginis a dicta Congregatione, ut praefertur, approbatam toto Ordini calceatorum et excalceatorum Beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum in singulis anni sabbatis, ut praefertur, concessam, ad ipsos quoque exponentes, qui in altari praedictae confraternitatis eam celebrare facere possint, extendi et ampliari, ac praeter plenariam indulgentiam a memorato Benedicto praedecessore in quarto sabbato cuiuslibet mensis, ut praefertur, concessam, aliam quoque plenariam primo sabbato cuiuslibet mensis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, et altare dictae confraternitatis eadem die devote visitantibus, ac missae huiusmodi interessentibus, in reliquis vero sabbatis septem annorum et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae relaxari consueta per nos concedi plurimum desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt. ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur:

Tenor concessionis.

§ 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nunc et pro tempore existentibus officialibus et confratribus praedictae confraternitatis, ut ipsi missam propriam Apparitionis Beatae Mariae Virginis a memorata Congregatione pro toto Ordine praedicto, ut praefertur, approbatam in singulis anni sabbatis, servata in omnibus et per omnia praeinserti decreti praefatae congregationis forma et dispositione, in altari dictae Confraternitatis celebrari facere libere ac licite possint et valeant, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Omnibus vero utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui altare ipsius confraternitatis singulis sabbatis totius anni devote visitaverint, ibique missae praedictae pie interfuerint, et devote oraverint, plenariam primo sabbato cuiuslibet mensis omnibus peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Do-

mino concedimus: in reliquis vero sabbatis totius anni septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. augusti MDCCLXXVII., pontificatus nostri anno III.

XIX.

Extendit indultum recitandi officium et celebrandi missam Sancti Iosephi ad omnes regiones in America existentes dominio regis catholici subiectas.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Preces porrectae.

§ 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum regis catholici nobis expositum fuit, quod alias eidem regi ex America complures Episcopi ac provinciarum praesides sive rectores pro ea, quam gerunt illarum partium Christifideles erga Sanctum Iosephum Mariae Virginis sponsum, devotione preces porrexerunt, ut in omnibus illis regionibus insulisque adiacentibus indultum recitandi officium Sancti Iosephi in ipsius festivitate iuxta formam ab Apostolica Sede approbatam sub ritu duplici primae classis tribueretur, sicuti in aliquibus ipsius Americae dioecesibus iam auctoritate apostolica fuit concessum.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur pia eiusdem Karoli regis vota hac in re, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes, supplicationibus desuper nobis humiliter porrectis inclinati, ut de caetero perpetuis futuris temporibus omnes utriusque sexus Christifideles tam saeculares quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regulares in Americae regionibus insulisque adiacentibus ipsius Karoli regis dominio subiectis, non exceptis insulis Philippinis, existentes, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missam Sancti Iosephi sponsi Mariae Virginis alias ab Apostolica Sede approbata recitare et respective celebrare valeant sub ritu duplici primae classis, pari auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum et fides habenda transumptis.

§ 3. Non obstantibus decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septembris MDCCLXXVII., pontificatus nostri anno III.

XX.

Episcopo Coccinensi in Indiis Orientalibus committit, ipsius vita durante, administrationem Ecclesiae Goanae licet non vacantis, attenta Episcopi absentia, non excluso iuris metropolitici exercitio, donec ab ea absit Archiepiscopus, cuius proinde acta, si quae absens faciat, irrita decernit.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Implacabile tenebrarum principis odium in humanum genus a mundi usque initio concoeptum, quo non cessat inter oves Christi laqueo venari, ac ceu lupus circuere assiduo quem devoret, plurimum nos de Dominico grege curae nostrae concesso iugiter inspiciendo reddit solicitos, ac per diversas christiani orbis regiones ita vigilum custodiam pastorum circa illum disponere nos cogit, ut in eorum alicuius de uno in alterum agrum translationis vel absentiae seu decessus eventum unus semper custos adsit, qui pastorali quoque suffultus auctoritate donec proprius revertat, seu novus pastor ab Apostolica Sede constitutus accedat, regat, ordinet ac ministret, sicque hostium interim sublata formidine a cunctis gregem ipsum strenue tueatur insidiis.

Tenor concessionis.

§ 2. Cum itaque nos nuper ecclesiae Coccinensis in Indiis Orientalibus, quae de iure patronatus carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae, ex fundatione vel dotatione, aut privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, de persona dilecti filii Emmanuelis a Sancta Catharina electi

Coccinensis ad praesentationem dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae nobis ad id per suas literas factam, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, apostolica auctoritate providerimus, ipsumque illi in Episcopum praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Coccinensis ei in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Verum regimini et administrationi ecclesiae archiepiscopalis Goanae in eisdem Indiis Orientalibus, non modo quoties illam pastoris solatio destitui contingat, sed etiam de praesenti, cum illius modernum Archiepiscopum Goanum ob graves nobis notas causas iamdiu a civitate et dioecesi Goana abesse compertum sit, consulere cupientes, nec non dictum Emmanuelem Episcopum electum a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad dicti Emmanuelis Episcopi electi vel alterius pro eo oblatae nobis super hoc petitionis instantiam, sed ex certa scientia et deliberatione nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine eumdem Emmanuelem Episcopum electum, de cuius fide et prudentia plurimum in Domino confidimus, iuxta modum infrascriptum in administrationem dictae ecclesiae archiepiscopalis Goanae apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus et deputamus, ad hoc nimirum, ut ipse Emmanuel Episcopus electus, postquam tamen munus consecrationis susceperit, nostro et Sedis Apostolicae nomine in eventum ipsius ecclesiae archiepiscopalis Goanae vacationis, et quoties illius pro tempore Archiepiscopus regimini et administrationi dictae ecclesiae archiepiscopalis Goanae cedat vel decedat, vacatione huiusmodi durante, ad ipsius Emmanuelis Episcopi electi vitam, modo vero et quousque dictus modernus Archiepiscopus Goanus a civitate et dioecesi Goana huiusmodi absens extiterit, ad nostram et praefatae Sedis Apostolicae beneplacitum dictam ecclesiam archiepiscopalem Goanam in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare valeat et debeat. Et eidem Emmanueli Episcopo electo, uti a nobis specialiter delegato, durante deputatione et beneplacito huiusmodi, omnem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem iuris, etiam metropolitani, vere et proprie cuilibet Archiepiscopo in sua dioecesi competente eadem apostolica auctoritate tribuimus et impartimur. Atque ne dictus Archiepiscopus Goanus eius absentia durante in regimine et administratione dictae ecclesiae archiepiscopalis Goanae mediate vel immediate se ingerat, eadem apostolica auctoritate inhibemus, sub poena nullitatis quorumvis actorum, si quae forte ab ipso moderno Archiepiscopo Goano fieri contigerit, ac mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis eorum filiis, capitulo, clero, populo atque vassallis dictae ecclesiae Archiepiscopalis Goanae, ut interim dictum Emmanuelem Episcopum electum debitis cum reverentia et honore pertractare, eiusque monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, pareant et obediant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sic in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis anctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatas eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae archiepiscopalis Goanae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis dictae ecclesiae archiepiscopalis Goanae, eiusque praesuli, capitulo et canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis in contrarium praemissorum quomodo-

libet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, etiam si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum hac vice dumtaxat specialiter et expresse motu pari harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXVII. iulii MDCCLXXVIII., pontificatus nostri anno IV.

XXI.

Confirmatis praedecessorum constitutionibus de eleemosynis Terrae Sanctae, Ordinariis iubet quatuor intra annum commendandas fidelibus ab iisque eas colligendas; ipsis indicit ut, in relatione status ecclesiarum, se huic praecepto satisfecisse referant; prohibet bona ad T. S. pertinentia retinere vel ad alios usus distrahere; indulgentias et alia fidelibus concedit etc.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter cetera divinorum iudiciorum abdita arcana, quae humanis mentibus scrutari minime datum est, illud quidem sine lacrymis commemorare non possumus regionem illam olim lacte et melle fluentem, singularibus portentis atque insignibus beneficiis Hebraeorum populo largiter impertitis adeo celebratam, feliciorem vero et digniorem quia in ea verbum caro factum ineffabile humanae redemptionis opus consummavit, adhuc sub infidelium potestate obtineri: neque praedecessorum nostrorum et tot christianorum principum valuisse conatus, ut ab illorum dominatu eriperetur. Verum, quemadmodum praedecessorum ipsorum, postquam eam regionem recuperandi spe frustrati fuere, praecipua fuit cura et sollicitudo, ut saltem dominicae passionis monumenta debito cultu non fraudarentur, atque ipsi per apostolicas enixasque literas modo illorum custodiam religiosis viris mandarunt, modo reatuum expiationes illa invisentibus elargiti fuere, et modo Christifidelibus per totum orbem dispersis commendarunt, ut subsidiis et eleemosynis opem pro eorumdem sacrorum locorum conservatione praestare non desinerent: ita et nos non impari studio atque ardenti animi desiderio cupientes, ut in ipsis sacris locis, eo, quo decet, decore divinus cultus exerceatur, et religiosorum ipsorum custodiae addictorum necessitatibus, aliisque piis christianae caritatis operibus rite prospiciatur, ea quae a praedecessoribus nostris concessa et impertita sunt, innovare atque ampliare censemus.

Expositio status piorum locorum erectorum in Palestina ex largitionibus fidelium.

§ 2. Nuper quidem dilectus filius Vincentius Belda presbyter Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum expresse professus, et apud nos terrae sanctae commissarius generalis, nobis retulit ecclesiarum, conventuum et domorum, quae in insignioribus sacrisque Palestinae locis ex piis fidelium largitionibus erectae iamdudum a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, fratribus illius Ordinis concreditae fuere, miseram admodum esse conditionem, atque in dies temporis iniuria decrescere; quoniam, cum eiusdem Ordinis professores illis addicti ecclesiis nedum divinum inibi servent cultum, ecclesiae sacramenta administrent, et catholicam religionem pro viribus propagare curent; verum, quia peregrinos in hospitia excipiunt, aegrotorum curae incumbunt, orthodoxae religionis rudimentis atque literis pueros christianos assidue imbuunt, pro tuenda quoque virginum pudicitia eas congruentibus subsidiis iuvant, ut in matrimonium collocentur, catholicos a servitute haud raro redimunt, pauperes quoque, etiam infideles, penuriosis temporibus alunt atque reficiunt, aliaque misericordiae opera exercere et frequentare solent: illi modo ad tot ferenda onera, nisi ampliores elargitiones et eleemosynae, quae pro illis destinatae sunt, absque ulla imminutione eis obveniant, prorsus impares noscuntur.

Providentiae captae a summis Pontificibus pro indemnitate dictorum locorum.

§ 3. Et quamvis fel. rec. Urbanus Papa VIII. praedecessor noster alias Sixti V., Pauli etiam V. et Gregorii XV. Romanorum Pontificum praedecessorum suorum, modo nostrorum, literas illas recensendo,

et specifice innovando, ut eorumdem locorum sanctorum indemnitati consulerent, per similes suas literas datas Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. iunii MDCXLIV. pontificatus sui anno XII., omnibus et singulis utriusque sexus personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua nonnisi ab ipso vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in articulo mortis constitutis, absolvi possent, districte praeceperit et mandaverit, ne de caetero cuiusvis generis bona ad sacra loca huiusmodi spectantia, quovis praetextu, causa, vel occasione apud se retinere auderent seu praesumerent, sed illa eisdem locis seu illorum agentibus realiter et cum effectu restituerent. Et subinde Innocentius PP. X. praedecessor quoque noster aliis eiusdem Urbani praedecessoris literis inhaerens, vi similium literarum sub datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etiam sub annulo Piscatoris die XIX. septembris MDCXLV. pontificatus sui anno primo, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, nec non omnibus et singulis quorumvis ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, adventus scilicet et quadragesimae temporibus, tam per verbi Dei praedicatores in sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates sacrorum monumentorum terrae sanctae populo proponi et commendari curarent et facerent, atque insuper addiderit ac voluerit, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in relatione status suarum ecclesiarum, quando visitarent limina Apostolorum, facienda referrent, se secundodicti Urbani praedecessoris et suis literis paruisse. Ac demum Benedictus PP. XIV. itidem praedecessor noster, postquam per similes suas literas in forma Brevis sub datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die X. ianuarii MDCCXLI. pontificatus sui anno primo, praemissas Pauli et Innocentii praedecessorum ac alias nonnullorum Pontificum Romanorum pariter praedecessorum nostrorum literas, ad promovendum terrae sanctae cultum emanatas confirmaverat, et denuo praeceperat, ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in relatione statuum ecclesiarum suarum, quando visitarent limina Apostolorum, facienda referrent se praedictis Urbani praedecessoris literis paruisse: alias etiam literas, pari forma Brevis, die XX. augusti MDCCXLIII. pontificatus sui anno tertio, ediderit, quibus eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus et singulis quorumvis ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus quatuor vicibus quolibet anno, adventus scilicet et quadragesimae temporibus, per verbi Dei praedicatores tam in suis sacris concionibus, quam in quibusvis aliis actionibus et functionibus publicis necessitates terrae sanctae fidelium populo proponi et commendari curarent et facerent. Ac insuper ut parochialium rectores et aliarum ecclesiarum administratores unum seu plures viros probos ad colligendas eleemosynas huiusmodi in eorum ecclesiis statutis temporibus deputarent, easque sic collectas elapsis adventus et quadragesimae temporibus ad proprios Ordinarios tuto transferre deberent, dictique Ordinarii syndicis in eorum respective dioecesibus per commissarium generalem ad hoc deputatis traderent, et apud eos deponere curarent, atque satagerent servata in reliquis suarum priorum literarum forma et dispositione apostolica eius auctoritate voluerit, praescripserit et ordinaverit. Et nuper nos ipsi ad exsolvendum aes alienum, quo piissimum hoc opus custodiae sacrorum locorum terrae sanctae nimis premebatur, ob tributa a Turcis, praesertim tempore belli, extra ordinem indicta et exacta religiosae Hispaniarum gentis pietatem, quae copiosas obtulit ad hunc finem eleemosynas, excitaverimus.

Abusus irreptus circa distribut. eleemosynarum colligendarum pro conservatione piorum locorum.

§ 4. Nihilominus quia, sicut accepimus, tot peractae et repetitae hortationes, quin imo praedecessorum nostrorum praecepta, felicem ubique exitum, prout in spem se erexerat terrae sanctae commissarius generalis, minime obtinuere, quodque deterius est, in dubium videtur revocari, an eleemosynae pro terra sancta destinatae in alios pios usus commutari queant; cumque interim vigeant solita vectigalia et tributa, atque aliae in dies augeantur in ea regione ecclesiarum, sacrorumque ministrorum et Christifidelium signanter eorum, qui latini nominis sunt, onera, ita ut quamplurimi sint, quibus ob extremam paupertatem alimenta et vestes, ut in catholica fide perseverent, suppeditare oporteat, neque vero

ferendus sit abusus, quod eleemosynae, quas pro illo opere christiana religio devovit, in aliud impendantur: ideo pro parte dicti commissarii nobis fuit humiliter supplicatum, ut enunciatas praedecessorum nostrorum dispositiones eorumque praecepta innovare, atque ut infra, eorumdem sacrorum locorum cultui et manutentioni consulere dignaremur.

Confirmantur literae et ordination. praecedentium summorum Pontificum.

§ 5. Nos igitur, qui demisso corde effusoque animo coram omnipotente Domino una cum sancto Bernardo fateri non veremur, quod, peccatis nostris exigentibus, crucis adversarii caput extulerunt, depopulantes in ore gladii terram promissionis, usquequo placatus idem Dominus non exaudiet vota et sacrificia nostra, nil praetermittendum ducimus, et quantum possumus enitimur, ut religiosis viris, qui e divi Francisci familia post res Christianorum illic perditas, quamvis contumeliis et saevitiis ab infidelibus, fraudibus vero et insidiis ab schismaticis vexati, sacra Palestinae loca eis commissa in suam custodiam susceperunt, et in illorum cura perseverarunt, opportuna subsidia non desint, ad hoc ut ecclesiarum cultum servare et augere, ac Christifideles illius regionis bonis omnibus carentes, et fere captivos, iuvare valeant. Propterea supraenunciatas in primis Urbani et Innocentii et ambas Benedicti praedecessorum praefatorum literas cum aliis etiam literis aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum a praefatis Urbano et Innocentio ac Benedicto praedecessoribus confirmatis, etiam cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis quorumcumque locorum Ordinariis, nec non omnibus et singulis quorumvis Ordinum, congregationum et institutorum regularium generalibus moderatoribus, nec non parochialium ecclesiarum rectoribus, et aliarum ecclesiarum administratoribus nunc et pro tempore existentibus, etiam in virtute sanctae obedientiae committimus et mandamus, ut pro ea veneratione, quam ipsi erga sacra loca profiteri debeant, et profitentur, et catholicae religionis tuendae studio: Patriarchae nimirum, Archiepiscopi et Episcopi aliique locorum Ordinarii quater saltem in anno, adventus videlicet et quadragesimae temporibus, per verbi Dei concionatores tam in suis sacris concionibus, quam in quibusvis aliis actionibus et functionibus publicis; parochialium vero rectores et ecclesiarum administratores, dum populum praesertim inter missae celebrationem alloquuntur, ad subsidia et eleemosynas terrae sanctae comparanda, miserum illorum sacrorum locorum et catholicorum illic degentium statum, etiam quater in anno, diserte exponere curent: ac insuper personas eximiae probitatis seligant ad colligendas eleemosynas, quae statim ac collectae fuerint, penes locorum Ordinarios vel de eorum mandato apud ipsos ecclesiarum earumdem rectores deponantur, ac demum Ordinarii ipsi collectas eleemosynas ad apostolicos syndicos legitime deputatos quamprimum deferri curent, a quibus syngrapha de pecuniis pro praemissis causis receptis agatur.

Praeceptum Ordinariis porrectum de evincendo adimplemento praescriptorum.

§ 6. Insuper iuxta praemissas Urbani, Innocentii et Benedicti praedecessorum praedictorum literas nos quoque statuimus, ut iidem Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, aliique locorum Ordinarii proprium et separatum territorium habentes, in relatione status suarum ecclesiarum, quando Apostolorum limina erunt visitaturi, facienda referant, se eisdem et praesentibus nostris literis paruisse.

Excommunicatio latae sententiae contra transgredientes.

§ 7. Ad praemissorum autem plenum effectum omnibus et singulis utriusque sexus personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, nostrorum praedecessorum exemplo ducti etiam nos in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua nonnisi a nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, districte praecipimus et mandamus, ne de cetero cuiusvis generis bona et pecuniarum summas a fidelibus quoque collectas et ad eadem sacra loca spectantia, quovis praetextu, causa vel occasione apud se retinere audeant seu praesumant, sed illa eisdem locis, et pro eis ipsis syndicis, ut praefertur, deputatis realiter et cum effectu restituant et tradant. Praeterea quam absonum ab ea sit fide, qua piae personae eleemosynas tribuere, si eae in alios quam praescriptos, quantumvis urgentes, usus immutentur, omnes plane intelligunt.

Prohibitio erogandi in alios usus eleemosy-

§ 8. Ne autem adeo detestabilis irrepat abusus, quem sane Paulus praedecessor

...as oblatas pro locis sanctis.

praefatus per suas literas in forma pariter Brevis die XXII. ianuarii anno MDCXVIII. pontificatus sui anno decimotertio, a superioribus et personis eiusdem Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatis, sub gravibus poenis iam eliminare non omisit; praesentium nostrarum literarum vi declaramus, eleemosynas, quae pro terra sancta fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatis fuere destinatae, minime licere in alios usus convertere, quamvis usus huiusmodi urgentiores et magis pii deprehendantur, certam fiduciam habentes, Romanum Pontificem pro tempore existentem, cui soli data est eleemosynarum usum commutandi potestas, hanc in terrae sanctae detrimentum minime adhibiturum. Hinc, nedum ipsius ordinis superioribus, ac etiam pro tempore existenti ministro generali et commissario, sed etiam quibusvis personis sive ecclesiasticis sive laicis specifice et expresse interdicimus et prohibemus, ne sub poenis a dicto Paulo praedecessore contra detinentes bona ad terram sanctam spectantia, ut praefertur, latis et inflictis, eoque ipso incurrendis, ac etiam redintegrationis statim faciendae audeant seu praesumant eleemosynas pro eadem terra sancta a quibusvis personis destinatas vel relictas, in alios, quantumvis pios et urgentes, usus convertere et immutare.

Monitum salutare.

§ 9. Fore autem in Domino confidimus, quod unusquisque memor declarationis nostrae et praecepti posthac bene consulet conscientiae suae indemnitati, neque salutarem legem a nobis latam ecclesiasticasque censuras parvipendet. Demum ad renovandam, et magis magisque excitandam eam fidelium omnium religionem et pietatem, quae alias plurium annorum cursu adeo viguit, ut ipsi ultro sancta signati cruce tot labores, angustias, ac propriae vitae discrimen pro terrae sanctae recuperatione passi fuerint, illos in domino nostro Iesu Christo hortamur, ut perpendentes id, quod a praecitato Sancto Bernardo ad hanc rem scriptum fuit, nimirum – *Videt, et dissimulat ille magnus divinae providentiae oculus, ut videat, si est qui intelligat, aut requirat Deum, si est qui doleat vicem eius, qui restituat haereditatem suam sibi* – ex bonis sibi a Deo collatis partem aliquam vel exiguam, pro divino in eisdem locis servando et ampliando cultu, sacrorum ministrorum et miserrimorum christianorum illic in orthodoxa fide perseverantium alimentis, aliisque pietatis et misericordiae operibus tribuere non recusent. Tabelliones quoque pariter hortamur, ut ipsi in concedendis ultimarum tabulis voluntatum testatoribus in mentem redigant, ut pro terra sancta ex illorum liberis bonis aliquam relinquant eleemosynam. Nos enim inexhausti ecclesiae thesauri dispensatores a Deo constituti cunctos fideles, qui temporalium partem bonorum superna providentia eis traditorum in pium illud sanctumque christianae caritatis opus relicturi erunt, omnium spiritualium fructuum et meritorum ex sacrosanctis sacrificiis, orationibus, ieiuniis, poenitentiis, laboribus, peregrinationibus, aliisque religiosis operibus, quae non modo eiusdem Ordinis professores, sed etiam Christifideles ipsa sacra loca incolentes, aliique ad ea accedentes et illa venerantes, benedicente Domino, peragent et facient, provenientium, in eorum reatuum expiationem et aeternae gloriae prooemium speciali, quo possumus, modo, auctoritatis nostrae plenitudine, participes et consortes in Domino facimus, atque ad eorumdem fructuum et meritorum consortium et communionem aggregamus: indubiam foventes spem, quod iidem fideles ad tam uberem sanctamque communionem admissi, constantissime in illa perseverabunt cum gaudio, gratias agentes Deo Petri, qui dignos eos fecit in partem sortis sanctorum adscribi.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 10. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque ex quibusvis causis de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari vel impugnari aut alias infringi vel suspendi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus et specialibus quomodolibet factis minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas perpetuo validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et irrevocabiliter observari: illisque, quorum favorem concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque commissarios, eorumque legitime deputatos super praemissis omnibus, et

singulis quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari vel impediri nullatenus umquam posse; sicque in praemissis ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate et potestate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere. Et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis apostolicis quorumvis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quarumcumque ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis pro manutentione et propagatione aliorum piorum operum concessis et concedendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua, non autem per clausulas generales, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis et perpetuae firmitatis praemissorum omnium et singulorum hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus.

Fides habenda transumptis.

§ 12. Ad hoc autem, ut praesentes nostrae literae amplius innotescant, et de eis in locis singulis, in quibus opus erit, notitia haberi queat, volumus et auctoritate nostra decernimus, quod ipsarum transumptis, etiam impressis, manu eiusdem commissarii generalis subscriptis, et sigillo, quo ipse uti solet, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, roboris, adiectionis, commissionis, mandati, statuti, praecepti, declarationis, interdicti, prohibitionis, hortationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo octavo, pridie kalendas augusti, pontificatus nostri an. IV.

XXII.

Novum approbat Institutum ab Episcopo Londiniensi fundatum ad conservandum Seminarium seu Collegium missionis pro catholicis Britanniae Londini dudum erectum et suppressae Societatis Iesu regimini commissum: approbat etiam quae Episcopus statuerat quoad Instituti dependentiam et electionem directoris: confirmat tandem applicationem Instituto factam bonorum antea Collegio pertinentium.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Catholici Praesules, qui tamquam vigiles ovium suarum pastores illarum detrimentum per vicissitudines temporum intempestive exortas non modice pertimescebant, commendabili solertiâ, ob eximiam eorum pietatem, quod opportune et adamanter exquirentes, nova quidem, sed iuxta eorum praecipuum studium accommodata, remedia, per quae quod pristinum et optimum erat recens evadat, et aeque proficiat in futurum, provide excogitarunt promerenter ut praemissa omnia, quae nos hilari animo sentimus paternoque amore commendamus, apostolicae nostrae potestatis munimine roboremus, prout tantorum Praesulum exigunt preces, et Sedis Apostolicae clementia postulat et benignitas.

§ 1. Sane pro parte ven. fratris nostri Francisci Caroli comitis de Velbruk moderni Episcopi et principis Leodiensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum in civitate Londiniensi, ex pietate tunc

existentium Bavariae Ducum, una domus seu Seminarium missionis pro catholicis Britannicis, in qua seu quo alerentur presbyteri missionarii, qui postea fidem catholicam in regno Britannico propagare deberent, fundata seu fundatum extitisset, Maximilianus, dum viveret, Bavariae dux de anno Domini MDCCXXVI. perpendens praefatam domum seu Seminarium huiusmodi, ut subsistere valeret, subsidiis indigere, domui seu Seminario praefatis per publicum instrumentum, tunc desuper confectum, annuos considerabiles reditus assignavit; qui quidem reditus ab eodem anno MDCCXXVI. usque ad annum MDCCLXXIII., in usum huiusmodi erogati fuerunt, et usque ab eo tempore ipse Maximilianus dux domus seu Seminarii huiusmodi curam et directionem ac redituum huiusmodi administrationem tunc existentibus presbyteris regularibus Collegii Britannici suppressae Societatis Iesu, tunc in civitate Leodiensi existentibus, commisit et destinavit.

§ 2. Sequutâ postmodum dictae Societatis suppressione huiusmodi, per fel. rec. Clementem Papam XIV. praedecessorem nostrum factâ, ipse Franciscus Carolus Episcopus et princeps animadvertens, quod ratione suppressionis huiusmodi per aliquod temporis spatium tam pium et necessarium opus interruptum remanere debebat, ac timens quod omnino concideret, ideo ad tam magno catholicae Religionis praeiudicio prompte occurrendum, et serio attendens ad media illa necessaria pro tam pii operis huiusmodi perpetuâ subsistentiâ, efformavit in domo dicti Collegii novum Instituti genus, quod, veluti quaedam propago primaevae missionis, cum eodemmet priori fructu in exequendis illius muneribus versaretur, ac presbyteros Britannicos dicti novi Instituti in secundodictâ domo, Seminario missionis et Academiâ Britannicâ nuncupatâ, pro tempore existentes immediatae suae ordinariae auctoritati, et Vicariorum Apostolicorum Britanniae iurisdictioni, dum ipsi presbyteri in illis partibus in missionibus versentur, respective subiecit; ac regulas ad domesticae disciplinae ordinem dirigendum, nec non praecepta idonea ad iuvenes in dictis domo seu Seminario missionis et Academiâ convictores tam in pietate quam in scientiis recte educandos praescripsit; sibique eiusque successoribus Ecclesiae Londiniensis Praesulibus pro tempore existentibus, supremum secundodictae domus et eius communitatis gubernium reservavit; quod director secundodictae domus et Communitatis huiusmodi a praecipuis illius membris eligatur, qui sic electus ab ipsis et a Vicariis Apostolicis, necnon a nobilibus catholicis Britannicis, eidem Francisco Carolo Episcopo et principi eiusque successoribus praesulibus praefatis pro approbatione et confirmatione electionis huiusmodi ab eis reportandâ, praesentari semper debeat; quodque etiam ceteri omnes, quos director praefatus constituerit ad officia aliqua exercenda in secundodictâ domo, ex membris communitatis praefatae eligi etiam debeant.

§ 3. Et demum ipse Franciscus Carolus Episcopus et princeps ordinariâ eius auctoritate praefatâ, ac etiam vigore facultatum sibi apostolicâ auctoritate concessarum applicandi bona dictae suppressae Societatis in usus pios et in augmentum divini cultus ac animarum salutem publicamque utilitatem aedes illas, quas supradicti presbyteri dicti novi Instituti nunc habitant, hortosque aedibus praefatis adiunctos, et quidquid praeterea ad dictas aedes pertinet, nec non etiam praedictum prope locum vulgo nuncupatum *Cheoremont* situm, quae omnia ad praefatum Collegium Britannicum dictae suppressae Societatis antea pertinebant, ut his omnibus perpetuo fruatur, directori et membris secundodictae domus et communitatis huiusmodi, eorumque respective successoribus, perpetuo applicavit ac appropriavit et cessit, ac in eorum favorem transtulit, ac alias prout in literis patentibus dicti Francisci Caroli Episcopi et principis desuper confectis plenius contineri dicitur.

§ 4. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Franciscus Carolus Episcopus et princeps, ut singula praemissa per curam, ut praefertur, gesta, suum plenum valeant habere adimplementum, plurimum cupiat, applicationem et appropriationem, accessionem nec non translationem huiusmodi, ut illae inviolabiliter perpetuo permaneant, apostolicâ auctoritate praefatâ approbari et confirmari utpote quae a Sede Apostolicâ approbantur et confirmantur, exactius ab omnibus observari soleant, ac firmius et validius subsistant: quare pro parte dicti Francisci Caroli Episcopi et principis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in praemissa opportuno providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur eidem Francisco Carolo Episcopo et principi specialem gratiam fa-

cere volentes, ipsumque Franciscum Carolum Episcopum et principem a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, applicationem, appropriationem, cessionem, necnon translationem huiusmodi sic, ut praefertur, factas huiusmodi, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique perpetuo inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus, omnesque et singulas tam iuris quam facti et solemnitatum aliorumque quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possit, in eisdem supplemus, ac applicationem, appropriationem, cessionem et translationem huiusmodi sic, ut praefertur, factas, ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illis ullo unquam tempore resiliri aut recedi debere.

§ 5. Ac easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, ac nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos et Sedem Apostolicam praefatam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ pro tempore factis et faciendis, comprehendi vel confundi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum vel validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-legatos, dictaeque Sedis Nuncios, iudicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 6. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis, in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio vel quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, nec non opportune et valide, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, defectus suppletionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo octavo, decimoseptimo kalendas octobris, pontific. nostri anno IV.

XXIII.

Claudium Cosson Cong. Missionis vicarium ap. Algerien. elegit cum extensione ad urbem Tunetem, ubi Provica-

rium eligere debet in persona Praefecti pro tempore (1).

Dilecto filio Claudio Cosson presbytero Saeculari Congregationis Missionis,

PIUS PP. VI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Pro commissa nobis divinitus pastoralis officii cura, spiritualibus Catholicorum in Africa sub Turcarum ditione degentium necessitatibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere satagentes, teque, qui (ut asseris) presbyter saecularis Congregationis Missionis existis, ac de cuius fide, doctrina, prudentia, pietate, caritate et Catholicae Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, specialibus etc. volentes, et a quibusvis etc. censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio te in Vicarium Apostolicum Algerien., loco dilecti etiam filii Petri Francisci Vignier eiusdem Congregationis Missionis presbyteri (qui officium Vicarii Apostolici huiusmodi sponte dimisit) cum extensione ad civitatem Tunetem, et cum facultatibus solitis et consuetis, auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus et deputamus. Attento vero itineris intervallo, quo tu Algerii residens longe distas a Tunete, ut opportune Christifidelium in praefata civitate Tunetana seu ad eam appellentium spiritualibus indigentiis prospiciatur, volumus, ut, statim ac praesentes nostras litteras receperis, per patentes tuas litteras in tuum Pro-Vicarium generalem pro Missione Tunetana dilectum pariter filium modernum Praefectum eiusdem missionis Tunetis ex Ordine fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupato constituas, et in posterum dictas patentes literas in personam cuiuscumque pro tempore successoris in dicta Praefectura ab eadem Congregatione Cardinalium de more eligendam reiterare debeas, in quibus quidem patentibus literis dicto Praefecto Pro-Vicario concedatur facultas omnia et singula, quae etiam specialem potestatem requirunt, exercendi, absque ulla tui restrictione seu limitatione, ita ut idem Praefectus Pro-Vicarius exercere valeat quamcumque iurisdictionem ordinariam in dicta missione Tunetis tam supra Laicos, quam supra Ecclesiasticos et Regulares cuiuscumque Ordinis ibi degentes, seu adventantes tam liberos, quam captivos, servata tamen tibi appellatione in devolutivo tantum a decretis et provisionibus, quas a dicto Praefecto Pro-Vicario fieri contigerit. In casibus autem, in quibus tu procedas pro aliqua gratia vel indulto favore alicuius personae in missione Tunetana existentis, volumus pariter, ut quascumque provisiones Praefecto Pro-Vicario praedicto dirigere debeas cum clausula, *veris existentibus narratis*, et dummodo idem Praefectus Pro-Vicarius non habeat causam in contrarium pro executione patefaciendam tibi, cui ipse Praefectus Pro-Vicarius, ut tuus minister, quoscumque actus officiosos et reverentiales exhibere omnino teneatur: salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea in virtute sanctae Obedientiae omnibus et singulis Christifidelibus earumdem civitatum, caeterisque ad quos spectat et spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per easdem praesentes Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium, recipiant et admittant, teque recognoscant et tibi in omnibus quae ad officium praedictum pertinent, respective pareant, faveant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus etc. ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die I. decemb. MDCCLXXVIII. pontificatus nostri anno IV.

XXIV.

Confirmat tria decreta S. Congregationis, quorum 1.° monialis Endie seu Anna

(1) Eadem eisdemque verbis disponit pro aliis eiusdem Cong. Presbyteris, videlicet:
Dilecto filio Michaeli Renato Ferrand P. S. Cong. Mis., Pius PP. VI. - Datum Romae apud S. Petrum die XX. decembris MDCCLXXXII. an. VIII. Dilecto filio Alasio P. Sec. C. M. Pius PP. VI. - Datum Romae apud S. Petrum die X. novembris MDCCLXXXIV. an. X.

Agemi declaratur illusa, recluditur cum eius administra Catharina in alio monasterio, illi indicitur errorum revocatio, ac praecipitur Vicario Patriarchali inquisitio et ereptio a fidelium manibus scriptorum Annae, declarata insuper uti calumnia introductione inter Maronitas sectae Liberorum Muratorum: 2.° abolelur Institutum monasticum una cum peculiari Confraternitate ab eadem Anna fundatum, et providetur votis monialium: 3.° suspenditur Patriarcha ab omni iurisdictione patriarchali et episcopali, constituitur Vicarius Patriarchalis ab ipso independens, cui assignatur quarta pars redituum patriarchalium. Exequutio vero horum decretorum committitur Ablegato Apostolico, Archiepiscopo Tripolitano Maronitarum et eidem Vicario Patriarchali (1).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Clero saeculari et regulari, Magnatibus, universoque populo nationis Maronitarum,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolica solicitudo, quam de universâ commissâ nobis Ecclesiâ deque omnibus, qui ubique sunt, Christifidelibus non intermissam gerimus, nos in praesentia potissimum ad vos revocat, ven. fratres et dilecti filii, praecipuasque paternae caritatis curas ad vestrarum rerum statum, istarumque ecclesiarum rationes convertit: pluribus enim indiciis delatum ad nos est, certoque nobis compertum, graves istic excitatas esse discordias, omniaque noxiis religioni ac pietati turbari atque ardere dissensionibus, ex quibus tanto maiorem molestiam doloremque percipimus, quanto perspectiora nobis sunt nationis vestrae merita, in quae intuentes singulariter vos, ut a nobis diligendos, ita nunc maxime adiuvandos vehementer, prout debemus, in animum induximus.

§ 2. Itaque, quo certiora consulendi vobisque opitulandi consilia iniri possent, quinque ex Propagandae Fidei Congregatione selegimus S. R. E. Cardinales, nimirum dilectos filios nostros Iosephum Mariam Castelli Praefectum, Ioannem Carolum Boschi, Petrum Pamphili, Antonium Eugenium Visconti et Leonardum Antonelli, quibus et dilectum filium Stephanum Borgiam eiusdem Congregationis Secretarium adiunximus, eisque ut pro suâ sapientiâ rem omnem cognoscerent, diiudicarent ac decernerent, commisimus. Cum igitur illi pluries ad mature ponderandas res, ac de iis deliberandum convenerint, in eam tandem sententiam consensere, ut acriora tantis malis adhibenda remedia sint, eaque fecere decreta, quae perturbationum istarum cursum omnino abrumpere, ac publicam vestrae nationi tranquillitatem restituere posse videantur.

---

(1) Seq. ep. ex Reg. Vat. epistol. ad princ. deprompta, Praesulibus clero ac populo Maronitarum enixe commendat accuratam et tranquillam decretorum exequutionem.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis clero saeculari et regulari, Magnatibus, universoque populo nationis Maronitarum,

PIUS PAPA VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Dedimus ad vos hac ipsâ die alias nostras in simili formâ Brevis literas, in iisque opportuna turbatis istis Ecclesiae rebus volentes afferre remedia, tria peculiaris propterea constitutae a nobis Cardinalium Congregationis inseruimus decreta, eaque apostolicâ nostrâ auctoritate rata fecimus et confirmavimus. Verum non adhuc nobis nostraeque paternae erga vos sollicitudini satisfecimus; vestras enim res praecipue nobis cordi esse profitemur, easque maxime in pristinâ suâ laude suoque splendore retineri ac florere cupimus; proindeque vestrarum animarum periculo commoti praeterire non potuimus, quin has iterum plenas studii atque amoris ad vos literas perscribamus. Huc nos vehementer etiam perspectissimae vestrae pietatis inducit fiducia; fore enim certissime confidimus, ut quae nos statuenda ad pacem et tranquillitatem inter vos revocandam iudicavimus, eadem vos sitis summâ vestrum omnium alacritate excepturi, neque omnino passuri, ut ulla possint a quoquam tam salutaribus ac necessariis decretis praeceptisque nostris impedimenta afferri atque opponi. Id vos, venn. fratres ac dilecti filii, quanta animi nostri contentione possumus, non solum hortamur in Domino, sed etiam obsecramus. Egregio obsequio vestro sublevate nostras hasce de vobis vestrâque animarum salute curas, omnemque date operam, ut quas ex tam inclyto dominico agro evellere discordiarum atque offensionum stirpes satagimus, eximie nos in eo profecisse mirificâ vestrarum voluntatum consensione laetemur. In suscipiendis hisce consiliis quid nos respeximus aliud, quam quod ad fidei, pietatis, religionisque vestrae incolumitatem pertinet, quam ut facile est per dissensiones everti, ita conservare ac tueri nisi mutuâ inter vos pace concordiâque non potestis? Amovete igitur a vobis omne minuendae vestrae pristinae gloriae discrimen, quae in eo potissimum semper est versata, ut, quae ab Apostolicâ hac B. Petri Cathedrâ derivata essent, eadem summo studio atque unanimi observantiâ consectaremini. Hunc in modum

§ 3. Illa ipsa decreta diligenter ad nos retulit idem Secretarius, nosque eadem, ne a vobis ignorentur, hisce nostris literis inserenda iudicavimus.

DECRETUM I.

S. CONGR. PARTICULARIS DE PROP. FIDE HABITAE DIE XXV. IUNII MDCCLXXIX.

S. Congregatio particularis de Propagandâ Fide a SSmo D. N. Pio PP. VI. super rebus Maronitarum specialiter deputata, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Boschi ponentis censuit et decrevit, monialem Endie sive Annam Agemi, monasterii de Becorche in Chesrovano et Instituti SSmi Cordis Iesu assertam fundatricem, declarandam esse, prout declarat praesenti decreto, manifeste et contumacialiter illusam, eiusque imaginationes, praetensas revelationes, novas et extraordinarias opinationes de rebus sacris, et praecipue unionem sui corporis et animae cum Corpore et Animâ Domini nostri Iesu Christi, esse falsas, commentitias, temerarias, erroneas et ad minus sapientes haeresim; proindeque cogendam esse sub poenâ excommunicationis latae sententiae ad eas omnes et voce et scripto retractandas in manibus novi Vicarii Patriarchalis, cum praecepto sub eâdem poenâ aliisque arbitrio S. Congregationis, ut in posterum a similibus praetensis gratiis aut doctrinis disseminandis omnino abstineat. Insuper statuit praefatam Endie per Vicarium Patriarchalem praedictum longius a Becorche amandandam esse in aliud monasterium, ubi perpetuo reclusa remaneat sub directione probi et prudentis confessarii ab eodem Vicario deputandi, arbitrio S. Congregationis. Item eodem modo et formâ detrudendam etiam esse in aliud separatum monasterium sororem Catharinam praetensam Endie vicariam et praecipuam eius hypocrisis administram, utpote falsarum revelationum et gratiarum disseminatricem, et ream convinctam aliorum delictorum; cui graves et perpetuae poenitentiae imponantur. Praeterea scripta omnia praefatae Endie et libri ab ipsâ compositi aut eius nomine evulgati per Vicarium Patriarchalem diligenter inquirantur et colligantur, cogendo detentores in virtute sanctae obedientiae, et etiam sub poenâ excommunicationis, ad eos prompte et fideliter tradendos. Demum eadem S. Congregatio declaravit, calumniam nefarie inventam de introductione in nationem Maronitarum, atque adeo in ipsum Becorchiense monasterium, damnatae sectae Liberorum Muratorum esse omnino falsam, insubsistentem, imaginariam et denigrantem famam et iustam aestimationem virorum etiam proborum, et personarum in dignitate etiam episcopali constitutarum: de qua teterrimâ calumniâ tum ipsa Endie, tum eius asserta vicaria soror Catharina, et si qui alii eidem conflandae operam praestiterint, se retractare et voce et scripto omnino debeant.

Ioseph Maria Cardinalis Castelli Praefectus. – Loco ✠ signi – *Stephanus Borgia Secretarius.*

DECRETUM II.

S. CONGR. PARTICULARIS DE PROP. FIDE HABITAE DIE XXV. IUNII MDCCLXXIX.

S. Congregatio particularis de Propagandâ Fide a SSmo D. N. Pio PP. VI. super rebus Maronitarum specialiter deputata, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Boschi Ponentis censuit et decrevit, praetensum institutum monasticum sub appellatione SSmi Cordis Iesu a moniali Endie sive Annâ Agemi in Monte Libano fundatum, penitus esse abolendum, prout abolet praesenti decreto; item quatuor eius instituti monasteria, Becorchianum scilicet, S. Georgii de Sahhel-nama, S. Ioseph Augustae et B. Virginis de Sinne, quod erecta fuerint contra praescriptum Synodi Libanensis a Sede Apostolicâ approbante, omnino esse supprimenda: Becorchianum quidem cum suis praediis et reditibus in meliorem usum nationis Maronitarum convertendum arbitrio S. Congregationis, tria vero reliqua dispositioni relinquenda Episcoporum localium: monachis autem et

---

et publico vestro bono, de quo nunc praecipue agitur, praeclare prospicietis, et illustre nobis dabitis vestrae in hanc S. Sedem devotionis specimen, amoremque in vos nostrum vestrique nominis existimationem egregie amplificabitis. Deum precamur, ut nobis de vobis vota ipse, qui potens est, suâ benignitate prosequatur et compleat, ac per Spiritus Sancti dona omnem discordiam perturbationemque a vobis amovens, in suâ vos pace constitutos suâ virtute custodiat. Demum in singularis paternae caritatis pignus, apostolicam benedictionem vobis, venn. fratres ac dilecti filii, universaeque nationi vestrae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. iulii MDCCLXXIX., pontificatus nostri anno V.

monialibus dictorum monasteriorum permitti liceat a Vicario Patriarchali aut Ordinem Antonianum amplecti in eoque religiosam professionem iterum emittere, aut ad propriam domum abire cum absolutione a votis obedientiae et paupertatis, non autem castitatis, nisi si quis iustis ex causis etiam super huiusmodi voto dispensationem a legitimâ potestate obtinuerit. Simili prorsus modo eadem S. Congregatio censuit et decrevit, abolendam etiam et penitus supprimendam esse, prout abolet et supprimit, assertam confraternitatem sub dicto nomine SSmi Cordis Iesu a praefatâ Endie erectam, et per totum Libanum, Syriam, aliasque provincias studiose disseminatam, districte inhibendo R. P. D. Germano Diab Episcopo, ne ius ullum in posterum aut superioritatem aut directionem in personas eidem confraternitati adscriptas exercere audeat.

Ioseph Maria Card. Castellani Praefectus - Loco ✠ signi - *Stephanus Borgia Secretarius.*

DECRETUM III.

S. CONGR. PARTICULARIS DE PROP. FIDE HABITAE DIE XXV. IUNII MDCCLXXIX.

S. Congr. particularis de Propagandâ Fide a SS. D. N. Pio PP. VI. super rebus nationis Maronitarum specialiter deputata ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Boschi Ponentis gravissimas ob causas censuit et decrevit, mandandum esse Rmo P. D. Patriarchae Maronitarum Iosepho Petro de Stephanis, ut statim accedat ad Urbem ad reddendam rationem de nonnullis suis gestis sub poenâ excommunicationis latae sententiae in casu morae, omnique prorsus appellatione remotâ, et a die intimationis praesentis decreti suspendendum esse, prout de facto suspendit, ab omni iurisdictione patriarchali et episcopali arbitrio Suae Sanctitatis, retento exercitio ordinis presbyteralis tantum: quae suspensio, ut supra, vim habeat etiamsi idem D. Patriarcha aut morbo aut aliquo alio modo impeditus accedere non posset ad Urbem. Interim, ne benemerita ista natio Pastore destituatur, S. Congregatio censuit, deputandum esse in Vicarium Patriarchalem, cum totali independentiâ a supradicto D. Patriarchâ, R. P. D. Michaelem Gazenum Episcopum Caesareae, qui universam christianam Maronitarum nationem in spiritualibus gubernet et regat cum omni iurisdictione patriarchali (Episcoporum electione et consecratione exceptâ), et pro suâ congruâ quartam partem redituum patriarchalium obtineat. Hanc autem iurisdictionem et patriarchalis potestatis exercitium assumere debeat statim ac ipsi praesens decretum fuerit intimatum. Quatenus vero praefatus D. Episcopus Caesareae huiusmodi deputationem non acceptet, sive ex quocumque casu et tempore formaliter dimittat, S. Congregatio vult et intendit, ut in eius locum statim succedat R. P. D. Michael Fadel Archiepiscopus Barytensis cum omni iurisdictione patriarchali, independentiâ et emolumentis praedictis. Isti autem Vicario Patriarchali modo, quo supra, auctoritate apostolicâ deputato, omnes et singuli Episcopi, monachi, moniales et Christifideles nationis Maronitarum perfecte subiiciantur et pareant in omnibus sub poenâ excommunicationis latae sententiae in casu contraventionis. Eodem modo S. Congregatio mandat et praecipit, ut R. P. D. Episcopus Germanus Diab scripto retractet in manibus novi Vicarii Patriarchalis, aut alterius ab eo deputati, illa omnia quae gessit et scripsit in favorem illusionum supramemoratae Endie; idque sub poenâ excommunicationis latae sententiae, et per sex menses aut ultra suspendatur ab omni iurisdictione episcopali et ordine arbitrio praefati Vicarii.

Ioseph Maria Card. Castelli Praefectus - Stephanus Borgia Secretarius.

Haec autem omnia decreta intimentur supradicto D. Patriarchae, atque universis et singulis Episcopis nationis, et superioribus utriusque Ordinis monachorum, quibus per omnia exacte parere debebunt sub poenâ excommunicationis latae sententiae, quorumque executio tum patri Petro de Moretta Ablegato Apostolico, tum R. P. D. Raphaeli Haklani Archiepiscopo Tripolitano ad hoc specialiter deputatis, tum Vicario Patriarchali ita demandatur, ut alter eorum vel ambo vel omnes simul procedere legitime possint, omni et quacumque appellatione remotâ.

Datum ex Aedibus dictae S. Congregationis die et anno, quibus supra.

Ioseph Maria Card. Castelli Praefectus - Loco ✠ signi - *Stephanus Borgia Secretarius.*

§ 4. Haec exposita vobis decreta, cum quam gravibus expressa causis quamque non solum opportuna vestris rebus sed et

necessaria sint, perspicue intelligamus, nostrâ etiam apostolicâ comprobatione roborare voluimus, reveraque per hasce nostras in formâ Brevis literas comprobamus et confirmamus, iisque omne auctoritatis nostrae pondus adiungimus, ac sub iisdem poenis in ipsis contentis omnibus, ad quos spectare poterit, mandamus ac praecipimus, ut eadem accuratissime compleant atque exequantur. Minime dubitamus, quin pro vestrarum animarum salute laborantibus non praesto sitis omnes per divinae gratiae praesidium, quod ut certius et cumulatius assequamini, eiusdem auspicem apostolicam benedictionem vobis, ven. fratres et dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. iulii MDCCLXXIX., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Indultum concedit recitandi ac celebrandi missam et officium proprium beati Philippi a Iesu martyris patroni principalis civitatis et dioecesis Mexicanae etc.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum porrectarum.

§ 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici ipsum, ut officium proprium, cum missa pariter propria, in memoriam beati Philippi a Iesu martyris patroni principalis civitatis et dioecesis Mexicanae recitari ac celebrari respective possit summopere desiderare; et propterea Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur piis memorati Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, praevia praefati officii proprii ac missae pariter propriae in memoriam dicti beati Philippi a Iesu nuper exhibiti approbatione, ut perpetuis futuris temporibus praedictum officium et missa sub ritu duplicis primae classis in civitate ac dioecesi Mexicana, sub ritu vero duplicis maioris in dioecesibus suffraganeis, recitari ac celebrari respective possint ac valeant, auctoritate Nostra apostolica harum serie concedimus et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 3. Decernentes, has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus in perpetuum sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sanctae Sedis Nuncios, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. augusti anno MDCCLXXIX., pontificatus nostri anno V.

XXVI.

Laudat Archiepiscopum Mexici ob Collegium Fepozotlan. ad missiones etiam

promovendas erectum, eamque erectionem approbat et confirmat (1).

Venerabili fratri
Idelphonso Archiepiscopo Mexicano,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Stephanus Borgia, huius nostrae Congregationis de Propagandâ Fide Secretarius, certiores nos fecit, quanto quamque singulari pastoralis animi studio ad catholicam nostram Religionem provehendam inflammeris, et quam de eâdem praeclare meritus iam sis ob erectum praesertim fundatumque operâ tuâ Collegium in loco Fepozotlan nuncupato: quo in Collegio informari facile instituique possint in ecclesiasticis functionibus et in sacrarum missionum ministerio tui illi dioecesani, qui ad sacerdotium aspirant, eidem etiam assignatis attributisque ad instruendam iuventutem sacrae theologiae aliarumque disciplinarum magistris et lectoribus.

Nos quidem, ven. frater, intelligere haec de te non potuimus, quin eximiis virtutem hanc tuam laudibus ornaremus, teque omnibus pontificiae caritatis ac existimationis testimoniis prosequendum decerneremus. Proinde has damus ad te literas luculentissimae huius nostrae erga te voluntatis indices, in teque amplissima apostolicae vocis praeconia cumulamus; ac per easdem nostras hasce in formâ Brevis literas, quod te valde optare a nobisque petere cognovimus, Collegium istud Fepozotlanense tuum eiusque fundationem atque institutionem a te factam apostolicâ auctoritate approbamus, roboramus et confirmamus.

Omnipotentem Deum ac D. N. Iesum Christum precamur, ut tua ipse incepta haec atque consilia secundissimos habere velit exitus, teque, tantopere pro ipsius gloriâ laborantem et sollicitum, uberrimis verae in ipso consolationis et gaudii fructibus muneretur. Ac caelestium huiusmodi beneficiorum auspicem apostolicam benedictionem in nostrae etiam benevolentiae maius argumentum tibi tuaeque fidei commissis populis ac novo isti Collegio tuo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XIV. augusti MDCCLXXIX., Pontificatus nostri an. V.

XXVII.

Ad preces regis christianissimi indulget clero dioecesis Mexicanae officium et missam propriam S. Philippi Nerii congregationibus Oratorii regnor. Hispaniarum concessam pro die festo tantum.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Ad hoc in Apostolicae Sedis cathedra disponente Domino constituti esse intelligimus, ut iustis postulationibus liberiori animo praebeamus assensum, et quos devotiores ad Nostrum obsequium et Sanctae Romanae Ecclesiae gremio specialius adhaerere cognoscimus, familiarius curemus. Alias siquidem nempe die VI. februarii MDCCLXXVIII. supplicationibus charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici inclinati, diem festum Sancti Philippi Nerii, quoad clerum saecularem civitatis et dioecesis Mexicanae, ad ritum duplicem secundae classis sine octava elevavimus. Cum autem pro parte memorati Caroli regis catholici nuper Nobis expositum fuerit, ut officium proprium ac missam eiusdem Sancti Philippi alias patribus Congregationis Oratorii in regnis sibi subiectis die XXV. februarii MDCCLVIII. concessam ad eumdem clerum saecularem civitatis et dioecesis Mexicanae extendatur, plurimum desiderare; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica, dignaremur. Prioris concessionis et novae petitionis tenor exponitur.

§ 2. Nos igitur piis eiusdem Caroli regis catholici votis annuere cupientes, ac clerum saecularem praefatum eiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Eccle- Ampliatio concessionis.

---

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

siae Cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut in die festo tantum dicti Sancti Philippi Nerii officium et missam propriam alias, ut praefertur, patribus Congregationis Oratorii regnorum Hispaniarum concessam in perpetuum recitari ac respective celebrari libere ac licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica harum serie concedimus et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces perpetuis futuris temporibus existere et fore, suosque plenarios et integros effectus in perpetuum sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae dioecesis Mexicanae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XVIII. septembris MDCCLXXIX. pontificatus Nostri anno V.

XXVIII.

Supplicante rege catholico permittit in pluribus americanis provinciis custodias Frat. Min. de Ob. erigi, quibus subiiciantur collegia missionum; hisce custodiis concedit privilegia iam missionariis collegiorum largita etc.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur status missionum in America septemtrionali existentium.

§ 1. Exposuit Nobis, pro parte charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, eius apud Nos et hanc Sanctam Sedem orator dilectus filius nobilis vir Hieronymus dux de Grimaldi fr. Antonium a Regibus sacerdotem expresse professum ordinis minorum S. Francisci de Observantia, dudum in America septemtrionali missionarium ac missionum praefecti munere perfunctum, in Hispaniam reversum, praeter caetera, in scriptis quoque retulisse plura, eaque gravissima, incommoda, quibus laborant missiones de Caliphornia, Monterey, Sonora, Pimeria superiori et inferiori, Cinaloa, Nova Cantabria, Parral, Chiguagna, Turumaras, novoque Mexico. Dum enim praeter religiosos ex ordine Praedicatorum, qui missionum huiusmodi in Caliphornia curam habent, caeteri omnes missionarii ex praefato ordine S. Francisci de Observantia sex eiusdem ordinis superioribus subiiciuntur, qui inter se atque a provinciis et missionibus, in quibus eorum subditi in vinea Domini operantur, longissime distant, ex huiusmodi capitum diversitate et stationum distantia nonnulla discrimina mandatorum repugnantiam aut impotentiam cognoscendi, puniendi, et missionariorum abusus corrigendi cum religionis et catholicorum damno accidisse compertum est, preut etiam perturbationes molestas ipsos inter missionarios exortas ex aemulationibus inter eosdem excitatis circa modum regendi missiones et sacramenta administrandi ob varietatem ac diversas praelatorum sententias, ex quo fit, quod licet missionarii eumdem ordinem profiteantur, tamen inter se dissentiant, atque scindantur, et a sincerae fraternitatis regulis abhorreant in catholicorum ruinam et scandalum, et infidelium conversionis detrimentum.

Memorantur incommoda obvenientia pro exactione emolumentor. parochialium.

§ 2. Cum eodem autem scandalo ac detrimento frequentiores esse aemulationes inter parochos saeculares ob emolumenta parochialia, ad quae conservanda tanto interdum impetu procedunt, contendentes sibi deberi huiusmodi obventiones ab Indis gentibusque rationalibus nuncupatis, vagis aut forensibus, qui in illis orti provinciis ad habitandum se conferunt ad pagos, ubi missionarii gratis ac sine stipendio spiritualia ministrant, ut nequaquam se contineant

contumeliis iniuriisque missionarium eos in suis pagis recipientem insectari, sed ulterius, habito ad vicarios episcopales recursu, extortisque inde mandatis, executores mittant, qui suo arbitrio ab invitis exigunt emolumenta; ex quo fit, ut frequenter miserae illae gentes aut de una ad aliam transmigrare provinciam, aut ad montes confugere cogantur, ne obventionum aut emolumentorum huiusmodi exsecutorum oppressiones sentiant; unde etiam evenit quod eaedem gentes determinatam fixamque non habeant residentiam. Nec minoris, imo maioris fortasse ponderis esse causas ob quas Indi suorum quoque missionariorum spirituales curas et pagos abhorrent. Cum enim gratis et sine stipendio curam exerceant, sub praetextibus tamen aut construendi aut ornandi ecclesiam, vel ipsorum Indorum incapacitatis se ipsos in oeconomicis regendi, eos personalibus diversisque gravant servitutibus, unde vitam sine libertate agere, ac praediis, domibus, bonisque propriis sensim expoliari conspiciuntur.

Quid conferri posset ad mala huiusmodi removenda exponitur.

§ 3. Condidisse quidem ad huiusmodi mala removenda nonnulla salubria statuta Iosephum de Galvez visitatorem olim generalem novae Hispaniae, sed eodem vix e provincia egresso, res ita in peius cecidisse, ut haud pauci missionarii tot perturbationum taedio affecti nihil opportunius iudicaverint, quam nonnullas ex missionibus, quibus incumbebant, dimittere, et ad propria collegia redire. Unicum itaque tot malis remedium superesse, si iuxta formam apostolicarum constitutionum pro collegiis missionariorum de Propaganda Fide in septemtrionali America pridem erectis editarum, et praecipue a fel. rec. Innocentio PP. XI. praedecessore Nostro per suas in forma Brevis expeditas literas incipient. *Ecclesiae catholicae* dat. die XVI. octobris MDCLXXXVI., nonnullae ac diversae iuxta temporis ac locorum necessitatem efformentur fratrum minorum S. Francisci de Observantia custodiae, unaquaeque a suo peculiari custode in regulari disciplina, et independenter a ministris provinciarum dictorumque collegiorum guardianis gubernanda, quae tamen provinciae atque collegia fratrum numerum functionibus exercendis necessarium subministrare teneantur, qui, ad respective destinatas missiones perventi, a praestanda suis praelatis, sive ministris, sive guardianis praefatis obedientia deinceps exempti sint, illiusque districtus custodi omnino subiiciantur. Huiusmodi autem custodiae divisae ac distributae sint in praefatis provinciis, aliisque locis seu terris, in quibus pro infidelium conversione, catholicae religionis augmento, et ipsorum catholicorum in sancta religione conservatione magis expediri visum fuerit. Ad hoc autem, ut custodiae omnes erigendae ea, qua decet, rectitudine instituantur ac gubernentur, condenda esse regularia statuta, quoad fieri poterit, uniformia statutis usibusque collegiorum ad fidei propagationem, prout in relatis Innocentii PP. XI apostolicis literis praescribitur, et potissimum, quod dictarum custodiarum religiosi, tamquam verii missionarii apostolici, eisdem gratiis et privilegiis per Summos Pontifices regesque catholicos supradictis collegiis concessis valeant gaudere. Quoniam vero custodes in centro dictarum provinciarum constituendi a suis subditis in pluribus remotisque missionibus peragendis occupatis adeo dissiti reperiuntur, ut illorum mores ac rectum missionum exercitium inquirere et super illis invigilare nequeant, congruum et opportunum existimatur superiores, inferiores, vicarios seu praesides nuncupandos, dictis custodibus semper subiectos constituere, qui propius omnia possint sedulo perscrutari, ac perscrutata proprio custodi referre; ideoque in principali cuiusque provinciae loco huiusmodi constituendus erit unus vicarius, cui immediate subsint sui districtus missionarii. In unaquaque itaque custodia congruus vicariorum assignandus erit numerus, quorum et custodum officia ad triennium sint duratura, quo absoluto custodes et vicarii tamquam vocales capitulariter congregati alios in novos custodes et vicarios, iuxta ordinis constitutiones et statuta eligere debebunt. Ad huiusmodi autem custodiarum et vicariatuum stabilitatem necessarium videri, ut in principali loco, ubi quaelibet custodia erit collocanda, hospitium aut commoda instruatur domus, cui sex, aut quot ex gratuitis fidelium eleemosynis datum fuerit ali posse, destinentur religiosi, ibique custodes, aut eorum vicarii ad habitum ordinis suscipiendum, nec non regularem professionem emittendam, quos a Domino cognoscent vocatos, valeant recipere: ita ut novi veteribus missionariis, et in erigendis deinceps missionibus operarii, subrogari, senesque et valetudinarii, qui laborem graveque conversionum pondus ulterius nequeant substinere, in domo

hospitii tutum habeant receptum, ubi dies suos absolvant. In principali etiam loco, ubi praeses seu vicarius suam praefiniet residentiam, alia quoque domus vel hospitium cum tribus aut pluribus ibi commode alendis religiosis, modo superius expresso et ad eumdem finem poterit institui, negata tamen facultate admittendi ad habitum et professionem, quae penes custodem tantum tamquam superiorem erit remansura. Huiusmodi autem custodiarum erectionem cum idem serenissimus rex, audito suo Indiarum consilio, praesentissimum atque opportunissimum malis avertendis et religioni augendae in memoratis provinciis remedium esse intellexerit, Nobis regio nomine humiliter supplicari fecit, ut auctoritate apostolica dictas missionariorum ordinis minorum S. Francisci de Observantia custodias, iuxta modum et formam, ac in locis superius expressis, erigere, erectisque omnes gratias et privilegia missionariis collegiorum ad fidei propagationem concessa impertiri dignaremur.

Erectio custodiarum cum privilegiis concessis collegiis missionarior.

§ 4. Nos, qui pro iniuncti apostolatus officio praestantem istam religiosissimi ac vere catholici principis regis pietatem non modo complecti sed omnibus etiam gratiis et favoribus prosequi cupimus, effusasque regii sui aerarii largitiones in novis episcopatibus et missionum praefecturis erigendis magnopere in Domino commendamus, audito venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum voto, Nobis per dilectum filium Stephanum Borgia dictae Congregationis secretarium exhibito, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praedictarum custodiarum, quotque necessariae aut opportunae eidem serenissimo regi visae fuerint, erectiones in memoratis Americae septemtrionalis provinciis, videlicet de Caliphornia, Monterey, Sonora, Pimeria superiori et inferiori, Cinaloa, Ossimuri, nova Cantabria, Parral, Chiguagna, Turumaras, novoque Mexico, salvis tamen iuribus Episcoporum de Guadalaxara, de Durango et de Sonora, tam ordinariis quam delegatis, modo et forma quibus supra, fieri concedimus et indulgemus; erectisque omnes gratias et privilegia, missionariis collegiorum ad fidei propagationem hactenus concessa, tribuimus et impertimur; curam demandantes religioso viro fratri Emmanueli de la Vega commissario generali Indiarum condendi formam regiminis istarum custodiarum et statuta in iis observanda, quae interim vim suam obtineant, donec comitia generalia ordinis celebrentur, ubi examinari et approbari debebunt, salva semper memoratae Congregationis de Propaganda Fide auctoritate ea augendi seu moderandi, quatenus opus fuerit et magis in Domino expedire videbitur.

Custodiae erigendae declarantur nullius dioecesis de iurepatronatus regis catholici.

§ 5. Volumus autem, ut tam praefatae custodiae, quam hospitia in iis condenda, quoad regimen nullius provinciae sint, et superiori generali illarum partium, in quibus fuerit, immediate subsint. Praefato autem serenissimo regi eiusque successoribus facultatem tribuimus deputandi personas ecclesiasticas idoneas sibi benevisas, quae apostolicas hasce Nostras literas executioni demandare faciant, decernentes quod statim ac unaquaeque ex supradictis custodiis erecta et instituta fuerit, per praefatum regem ministro generali dicti Ordinis pro tempore existenti communicetur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam

impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVII. novembris MDCCLXXIX. pontificatus nostri anno V.

XXIX.

Concedit indulgentiam plenariam ad septennium et quoad Indias per quindecim annos, assequendam ab eis, qui recitaverint Rosarium B. Mariae Virginis.

PIUS PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis.

§ 1. Ad augendum fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui hora sibi assignata Rosarium Beatae Mariae Virginis devote recitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, semel dumtaxat in anno, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum et fides habenda transumptis.

§ 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum, detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; atque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XVII. dec. MDCCLXXIX. pontificatus nostri anno V.

XXX.

Erectionem Seminarii Chelmensis ritus rutheni et curam alumnorum commissam Monachis Ordinis S. Basilii eiusdem ritus confirmat; prohibet ne ullo unquam tempore summa ab Episcopo Seminario attributa in alios usus convertatur.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Praecipuae summi Ecclesiae catholicae pastoris partes sunt in iis omne studium operamque impendere, per quae religioni et bonis artibus consulatur.

Expositio precum super peracta seminarii erectione in dioecesi Chelmensi.

§ 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Maximilianus Episcopus Chelmensis ritus Rutheni, quod ipse pro eximio quo flagrat catholicae religionis et ecclesiasticae disciplinae zelo, seminarium clericorum in sua dioecesi fundavit, attributis pro eiusdem dote fructibus centum millibus florenor. monetae Poloniae, et electis in regentem, professores et procuratores eiusdem seminarii monachis Ordinis Sancti Basilii magni provinciae Lithuaniae. Cum autem ad evertenda incommoda, quae ad huiusmodi fundationem labefactandam insurgere aliquando possent, electionem monachorum huiusmodi in regentem, professores et procuratores dicti seminarii, ut praefertur, factam confirmare, ac alias, ut infra, a Nobis provideri summopere cupiat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatur erectio et canonice facta declaratur.

§ 3. Nos igitur eiusdem Maximiliani Episcopi erga Dominicum gregem sibi commissum diligentiam, studium, animique contentionem plurimum in Domino commendantes, eumque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Ro-

manae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, fundationem seminarii clericorum huiusmodi, nec non electionem regentis, professorum et procuratorum eiusdem seminarii in personas monachorum praedicti Ordinis S. Basilii magni provinciae Lithuaniae a memorato Maximiliano Episcopo, ut praefertur, factas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Eius perpetuo regimini consulitur.

§ 4. Praeterea, ut dicti seminarii regimen apud eosdem monachos in perpetuum permaneat, et summa eodem Maximiliano Episcopo pro fundatione huiusmodi erogata, eidemque seminario attributa, nullo umquam tempore in alios usus converti aut ullo modo a suis in dicto episcopatu successoribus amoveri possit, statuimus, decernimus et declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem literas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae Chelmensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. ianuarii MDCCLXXX., pontificatus nostri anno V.

XXXI.

Mortuo Card. Castelli S. R. E. Cardinalem Leonardum Antonelli deputat ad subscribendum et sigillo muniendum mandata et scripturas omnes ad S. Congregationis negotia et bona pertinentes.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum bo. mem. Iosephus Maria, dum vixit S. R. E. Cardinalis Castelli nuncupatus, alias a fel. record. Clemente XIII. praedecessore nostro ad mandata et alias scripturas, quae et quas de ordine et mandato Congregationis venn. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae in universum mundum Fidei praepositorum pro tempore quomodolibet fieri contingeret, subscribendum proprioque sigillo muniendum deputatus, diem vitae obierit extremum: nos pro pastorali nostrâ vigilantiâ negotiorum ac bonorum et rerum dictae Congregationis, ne aliqua propterea patiantur detrimenta, felici directioni et progressui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de singulari dilecti filii nostri Leonardi S. R. E. praedictae presbyteri Cardinalis Antonelli nuncupati fide, prudentiâ, et integritate plurimum in Domino confisi; motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, eidem Leonardo Cardinali, ut quaecumque mandata aliasque scripturas quovis nomine nuncupatas, tam ad quasvis pecuniarum summas percipiendas, exigendas et levandas, nec non solvendas ac exbursandas, quam haereditatum et legatorum acquisitiones, Locorumque Montium, et aliorum bonorum emptiones, ac quosvis alios contractus et negotia cuiusvis generis, qualitatis et speciei concernentia ac concernentes, quae et quas de ordine et mandato dictae Congregationis pro tempore quomo-

dolibet fieri contigerit, subscribere et proprio sigillo munire libere et licite, vitâ suâ durante, possit et valeat, apostolicâ auctoritate tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ac singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus literis rec. mem. Gregorii PP. XV. praedecessoris pariter nostri super applicatione annulorum ipsius S. R. E. Cardinalium eidem Congregationi factâ sub die XXII. iunii MDCXXII. expeditis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis dictae Congregationis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet emanatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II. maii MDCCLXXX., pontificatus nostri anno VI.

XXXII.

Reintegrat episcopatum Varadiensem latini ritus, olim florentissimum in Hungaria, et assignat bona pro vicariatu graeco-catholico eiusdem dioecesis et seminarii gr. ritus S. Barbarae Vindobonae etc.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Ingeniosa personarum regia potestate fulgentium sollicitudo in procurandis praesulum ecclesiarum maioribus prout dignitas ipsa pontificalis exigit commoditatibus Nos adeo trahit et allicit, ut ea, quae ab illis tam provide sunt disposita, denique ad optatum perducamus effectum.

Providentiae captae a regina Bohemiae, et Hungariae pro nonnullis sedibus episcopalibus et archiepiscopalib. Hungariae. § 2. Cum itaque nuper charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua ac Bohemiae et Hungariae regina apostolica Nobis exposuerit, quod ipsa quae iam pluribus ab hinc annis archiepiscopatus et episcopatus in regno Hungariae praedictae consistentis ab Apostolica Sede in aliqua eorum respective dioecesum portione perpetuo dismembrari, et ex portionibus dioecesum huiusmodi sic dismembratis novos episcopatus erigi et iam erectos ita ordinari curavit, ut relictis pro respectiva eorum mensa episcopali sufficientibus annuis redditibus ex iis, qui superflui videbantur, tam respectivorum dioecesanorum, quam etiam aliorum tunc occurrentibus necessitatibus pro catholicae religionis utilitate prospiceretur;

Describitur status episcopatus Varadiensis. § 3. Nunc vero habeat in votis episcopatus quoque Varadiensis, qui olim florentissimus erat, sed deinde haeretica pravitate grassante, variisque succedentibus bellorum motibus destructus, duobus pene saeculis desertus erat, postmodum vero per claram memoriam Leopoldum dum viveret Romanorum imperatorem et Hungariae praedictae regem postliminio restitutus, et ab eo inde tempore diversimode dispositus extitit, hac eadem occasione in ordinem etiam reducatur. Quandoquidem paucis annis post dicti episcopatus Varadiensis restitutionem iure postliminii, ut praefertur, factam huiusmodi sub clarae etiam memoriae Carolo hoc nomine *Sexto* similiter Romanorum imperatore et Hungariae praedictae rege circa annum Domini millesimum septingentesimum trigesimum tertium statutum fuit, ut ex redditibus bonorum episcopalium Varadiensium septemdecim millia florenorum monetae illarum partium mensae episcopali Varadiensis, tamen cederent; residui autem proventus in bonum ipsius catholicae religionis, et praesertim dioecesis Varadiensis pro illius videlicet parochialibus, aliisque ecclesiis, nec non scholis ac clero, tam Latini quam Graeci ritus catholicorum converterentur. Quare iidem residuales proventus in eumdem finem ad capsam parochorum nuncupatam in bonum religionis orthodoxae suapte natura destinatam sequentes annue ex tunc fuerunt illati, et per ipsum Episcopum Varadiensem sub rationis redditione per Archiepiscopum Colocensem, uti metropolitanum eidem Ma-

riae Theresiae reginae apostolicae facienda in necessitates ipsius dioecesis Varadiensis erogati extiterunt.

Expostulatur reintegratio episcopatus.

§ 4. Ac demum, recensioribus temporibus ex iisdem residualibus redditibus quota triginta quatuor millium florenor. ab eodem Episcopo in capsam piam pariter nuncupatam annuatim administranda fuit constituta ea semper sub lege, ne pro mensa episcopali praedicta ultra dictam summam septemdecim millium florenorum huiusmodi destinaretur, eoque modo plures quidem ex tunc Varadienses Episcopi se gesserunt. Ne autem praemissa ultra, et in incertum, fluctuarent, postquam interea temporis in dicta dioecesi Varadiensi novus Graeco-catholicus episcopatus eiusdem nominis apostolica auctoritate perpetuo erectus et institutus, ac pro huiusmodi dioecesi graeco-catholica emensa dos ad fundum dicti episcopatus, qua prius, tam latinum quam graeco-catholicum populum radicata est in hoc, et pro stabili providendum.

Tenor decreti reintegrationis.

§ 5. Ut propterea quae dicta Maria Theresia regina apostolica, praevia tam dilectorum filiorum modernorum capituli et canonicorum ecclesiae Varadiensis, illius sede episcopali vacante, legitime deputati, quam venerabilis fratris Nostri moderni Episcopi Varadiensis Graeco-catholici respective informatione, enixe Nobis supplicaverit, quatenus infrascripta per ipsam Mariam Theresiam reginam apostolicam pro catholicae Ecclesiae utilitate provide disposita concedere et ordinare dignaremur: Nos igitur, habita prius de hoc matura deliberatione, tam pio voto ipsius Mariae Theresiae reginae apostolicae annuere volentes, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex bonis et iuribus possessionariis eidem episcopatui Varadiensi iure postliminii olim, ut praefertur, restitutis dominium Magno-Varadinense nuncupatum, quod sicut accepimus amplissimis redditibus provisum est cum universis decimis ad eumdem episcopatum olim pertinentibus, exceptis tamen illis, quae in reliquis tribus scilicet Belenijes, ac Bel et Vasko respective nuncupatis dominiis episcopatui dependebant seu debebantur, in futurum autem ad eos ad quos dominia huiusmodi iuxta ea, quae inferius commemorabuntur, percipientur pro tempore existenti Episcopo Varadiensi latini ritus apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et attribuimus,

Leges peculiares super distributione redditum.

§ 6. Ea tamen lege, ut retentis annuatim viginti mille florenis rhenensibus pro suae mensae episcopalis sumptibus, ac praeterea quatuor mille florenos singulares in provisionem parochialium aliarumque ecclesiarum, nec non scholarum utriusque ritus catholicarum in primodicto dominio existentium iuxta eamdem dispositionem praedictae Mariae Theresiae reginae apostolicae convertere, eaque insuper ratione singularibus oneribus, quae eidem Episcopo uti domino terrestri ac patrono incumbunt, satisfacere teneatur; Alios vero quinque mille florenos pares in conservationem sanctorum, tectorum atque aedificiorum episcopalium, aliasque necessitates erogare, ac demum mille florenos singulares in expensas consistorii sui episcopalis Varadiensis et Sanctae Sedis ex redditibus primodicti dominii impendere obligatus existat. Quae quidem universa onera sic imposita summam annuam triginta millium florenorum similium efficiunt, et quidquid ultra praescriptam summam huiusmodi triginta millium florenorum parium ex ipsius primodicti dominii proventibus iuxta calculum assumptum superesse solet, illud ita repartitum sit, ut aliunde ecclesiae cathedrali Varadiensi, atque illius deservitoribus, nec non seminario iunioris cleri, ac emeritis deficientibus parochis, aliisque dioecesis Varadiensis praedictae necessitatibus satis provisum sit, et non exigua etiam summa remaneat, quae ad fundum studiorum atque scholarum regni Hungariae praedictae pro mutuatis ex illo in Orthodoxae religionis utilitatem dictaeque dioecesis Varadiensis necessitates occurrendas nonnullis capitalibus summis, nec non ad capsam parochorum annuatim numerari debeat, prout in literis fundationalibus et respective dispositivis praedicti episcopatus Varadiensis plenius continetur.

Unio dioecesum.

§ 7. Cum vero vicariatus graeci ritus catholicorum Varadiensium in episcopatum Varadiensem eiusdem graeci ritus, ut praefertur, erectus, dioecesisque praedicta Varadiensis, in duas proinde dioeceses pro duplici fidelis populi ritu huiusmodi, divisa sit, et attento quod vicariatus Varadiensis huiusmodi antea quoque cum suo clero suisque parochiis et scholis ex fundo ipsius Varadiensis episcopatus dotatus extitit, ita ne in posterum post separationem, ut praefertur, factam quaestio aliqua oriatur: Nos propterea ex bonis dicti Varadiensis episcopatus dominium Belenijes eidem episcopa-

tui Varadiensi graeci ritus huiusmodi dicta apostolica auctoritate perpetuo applicamus et incorporamus; ad hoc tamen ut ex eiusdem dominii sic applicati redditibus et proventibus tam congrua illius episcopalis mensae ad formam literarum apostolicarum supradictarum erectione dicti episcopatus graeci ritus huiusmodi expeditarum constitui, quam pro capitularibus illius cathedralis ecclesiae respective portiones, aliisque dioecesis Varadiensis graeci ritus praedicti necessitatibus prout in dicto instrumento ac literis fundationalibus praedictis clarius dicitur exprimi provideri debeant, ac etiam portio alia ad capsam parochorum huiusmodi annuatim in alios pios dictae religionis orthodoxae ac propagandae sacrae unionis usus impendenda, administranda remaneat.

Consulitur ecclesiis parochialibus, et sacrae unioni.

§ 8. Cumque insuper praedicta Maria Theresia regina apostolica nobis subiunxerit, quod in designando praedicto dominio Belenijes eidem graeco catholico Episcopo Varadiensi ipsa Maria Theresia regina apostolica inter caetera perpendit, quod cum in dicto dominio Belenijes parochialis ecclesiae graeco-catholica et populus cum Romana Ecclesia unitus existant, maiori tamen in parte dominium ipsum refertum sit populo alias quidem unito, verum posterioribus temporibus ad schismaticorum errores prolapso idem proinde graeco-catholicus Episcopus in medio eorum positus, et dominium etiam terrestrale exercens, occasionem peropportunam habiturus sit tam illum qui in sacra unione existit populum melius confirmandi, quam vero illum, qui communione Sanctae Romanae Ecclesiae descivit facilius ad ovile Christi unitatemque fidei catholicae reducendi:

Applicatio dominiorum, Bel, et Vasko nuncupatorum.

§ 9. Idcirco hac ratione sufficienti provisione pro utriusque ritus catholico episcopatu Varadiensi facta, cum ultra haec tertio loco, ut etiam accepimus, duo minora dominia, scilicet Bel et Vasko nuncupata, huiusmodi aeque ad dictum episcopatum Varadiensem spectantia remaneant, Nos proinde iuxta vota ipsius Mariae Theresiae reginae apostolicae ea quidem ab episcopatu Varadiense licet per praesentes non separemus, verum sicuti, ut etiam accepimus, per dictum Carolum imperatorem et regem optime statutum fuit, ut superflui a mensa episcopali et necessitatibus dictae Varadiensis dioecesis proventus ad capsam parochorum huiusmodi ac in bonum dictae catholicae religionis, signanter pro sacra unione praedicta promovenda, administrarentur, ob id apostolica auctoritate praedicta statuimus atque decernimus, ut eorumdem duorum dominiorum quoad eumdem episcopatum spectantium proventus annuatim ad dictam capsam parochorum administrantur, et respective in varios pios usus, ac praesertim pro eadem sacra unione promovenda, nec non in seminarii iunioris cleri graeco catholici in civitate Viennensi Austriae ad Sanctam Barbaram fundati substentationem, variasque dioecesum Munkaesiensem et Orisiensem, itidem graeco catholicarum necessitates iuxta itidem instrumentum fundationale respective debeant erogari.

Omne iuris remedium tollitur, adversus executionem literarum.

§ 10. Decernentes quoque easdem praesentes perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis iuridica et legitima, etiam ex eo quod causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio quantumvis substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates aut quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de iure vel facto seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliave ratione vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, legitima, iuridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius nullibi appareret, seu alias probari possit, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia et potestatis

plenitudine paribus concesso et impetrato, vel emanato quempiam uti seu se iuvari in iudicio vel extra illud posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis nostrae, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ex quibusvis causis et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat editas vel in posterum edendas comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 11. Sicque et non alias, per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio, et in quacumque instantia iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et cancellariae praedictae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo valore etiam de quibuscumque fructibus ecclesiasticis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, pro tempore concessis et concedendis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse, nec non opportune et valide hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod ratione applicationis praedictae nulla reductio taxae dictae ecclesiae Varadiensis in futuris illius vacationibus praetendi possit.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, attributionis, applicationis, incorporationis, statuti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae MDCCLXXX., VI. idus augusti, pontificatus Nostri anno VI.

XXXIII.

Statuit, ut officia provinciae S. Antonii in Brasiliis ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum in posterum concedantur per alternativam nationum, quae illam constituunt.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§ 1. Pastoralis officii Nobis licet immerito divina dispensatione commissi curam

gerere satagentes, ea, quae ad aequalitatem, pacem tranquillitatemque inter personas praesertim divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatas firmandam conservandamque provide ac prudenter disposita et statuta esse noscuntur, apostolicae Nostrae auctoritatis munimine, dum id a Nobis petitur, libenti animo roboramus.

Exponitur status controversiarum subortar. super distributione officiorum.

§ 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum provinciae Sancti Antonii in Brasiliis expositum fuit, quod provincia praedicta ex tribus nationibus seu filiationibus constat, scilicet ex filiis status Bahiensis, ex filiis status Pernabucensis in Brasiliis, et ex filiis regni Portugalliae in Europa. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, filii seu nationales Europaei ab anno millesimo septingentesimo decimo nono ad haec usque tempora, ut plurimum dignitates ac officia provinciae praedictae obtinuerint, ac ex inaequalitate huiusmodi cum caeteroquin etiam in aliis duabus nationibus seu filiationibus, status nempe Bahiensis et status Pernabucensis, plures reperiantur fratres tum ob morum integritatem ac religionis zelum, cum etiam ob ingenii praestantiam summopere commendabiles, iurgia ac dissentiones quamplurimae in eadem provincia cum animarum Christifidelium et regularis disciplinae dispendio ac bonorum omnium scandalo exortae sint:

Tenor decretor. latorum super modo procedendi in distributione officiorum.

§ 3. Hinc est, quod nos, quam dissidia huiusmodi inter regulares praesertim personas perniciosa sint, quamque etiam illarum progressum in via Domini impediant, probe noscentes, ac paci tranquillitatique eiusdem provinciae quantum cum Domino possumus consulere, ipsosque exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratias absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, motu proprio ac ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, in futuris electionibus superiorum aliorumque officialium dictae provinciae statuimus ac ordinamus:

De electione provincial., custodis et definitorum.

I. Quod in proximo capitulo celebrando eligatur provincialis cum uno definitore ex filiatione Bahiensium: custos cum alio definitore ex filiatione Pernabucentium: et alii duo definitores ex filiatione Europaeorum, de qua provincialis triennium solvit. In secundo capitulo eligatur provincialis cum uno definitore ex filiatione, de qua custos in primo: custos cum alio definitore ex filiatione, de qua duo definitores fuerunt: et duo definitores ex filiatione, de qua provincialis immediatus; et sic in posterum orbiculariter observetur, ita taliter ut semper provincialis cum uno definitore eligatur ex illa filiatione, quae in duobus capitulis praecedentibus provincialem non habuit, ne forte aliquis ex-provincialis ante sexennium reeligatur, ut cautum est in constitutionibus apostolicis statutisque ordinis et provinciae (1). Et custos cum alio definitore eligatur ex illa filiatione, quae in capitulo immediate subsequenti provincialem habitura est: et duo definitores eligantur ex alia filiatione, quae superest, et ex qua fuit provincialis, qui triennium solvit.

De electione visitatoris generalis.

II. Quod visitator generalis, et praeses capituli, qui a ministro generali ordinis eligi et nominari debet, et per concessionem Innocentii PP. XI. huic provinciae factam, non ex alia, sed ex eademmet provincia nominandus est, assumatur ex filiatione, ex qua duo definitores supradicti ad mensam definitorialem assumpti fuerunt. Propter quod illi tres religiosi, qui in forma dicti Brevis et statuti (2) per ministrum provincialem cum suo definitorio ad ministrum generalem proponi debent, sint ex praeallegata filiatione, servato in aliis, et ob deficientiam vel mortem huiusmodi visitatoris generalis, quod per statuta (3) provinciae servari debet, et ab illis optime cautum est.

De modo procedendi si electi decedant, vel officium dimittant ante finitum triennium.

III. Quod si provincialis e vivis decedat, vel officium dimittat ante finitum triennium, eligatur vicarius provincialis a definitorio iuxta constitutiones generales ordinis et municipales provinciae ex eadem filiatione provincialis defuncti seu dimittentis, ut triennium incoeptum, et non ultra, compleatur: et hoc idem de custode, si fortasse moriatur, observari debeat. Et de-

(1) Stat. provinc. cap. 33, n. 1, et cap. 46, n. 2.
(2) Stat. provinc. c. 33, n. 11, et c. 37, n. 1.
(3) Ibid. num. 5.

cedente aliquo ex definitoribus actualibus, subrogetur frater ex-provincialis eiusdem filiationis defuncti, si existat, et illo non existente, ex-definitor vel lector antiquiores ex eadem filiatione, at isti in defectu illius; ut vota seu suffragia vocalium mensae definitorialis in capitulo electorum in singulis tribus filiationibus semper aequalia serventur.

De aequalitate vocalium servanda.

IV. Quod haec aequalitas vocalium servanda pro tribus filiationibus in mensa definitoriali, omnino observetur in vocalibus ad capitulum provinciale. Ideo guardianiae aequali distributione per dictas tres filiationes partiantur. Quod ut integre consequatur, ratione disparitatis conventuum, qui in dicta provincia sunt tantummodo tresdecim, necesse est, ut hospitium Dominae nostrae de Boaviagem elevetur in conventum, attenta ad hoc illius actuali capacitate; et dum non elevatur, superior illius sit per electionem, sicut guardianus, electus, et habeat votum in capitulis provincialibus. Quo posito, aequali numero vocalium in capitulo, sicut in definitorio, omnes tres filiationes gaudebunt: et ne conventus principaliores semper uni, et minus principales semper alteri ex tribus filiationibus conferantur, sequenti ordine distribuantur: Filiationi provincialis dentur conventus Sancti Francisci de Bahia — Sancti Francisci de Sergipe de Conde — Sancti Antonii de Iguarassù — Dominae nostrae Angelorum do Rio de S. Francisco — et hospitium Dominae nostrae de Boaviagem; — Filiationi custodis dentur conventus Dominae nostrae a Navibus de Olinda — Sancti Francisci de Paraiba — S. Francisci de Serinhaem — S. Mariae Magdalenae das Alagoas — et Sancti Antonii do Cayrù; — Et filiationi duorum definitorum dentur conventus Sancti Antonii de Recife — Sancti Antonii de Ipojuca — Boni Iesu de Sergipe del Rey — et Sancti Antonii de Paraguassù. Quae quidem distributio et aequalitas vocalium et conventuum in infra scriptis clare dignoscitur.

Distributio, et aequalitas vocalium, et conventuum.

FILIATIONES

Prima

1. Provincialis
2. Definitor
3. Conventus Bahia
4. Sergipe do Conde
5. Rio de S. Francisco
6. Iguarassù
7. Hospicio

Secunda

1. Custos
2. Definitor
3. Conventus-Olinda
4. Paraiba
5. Serinhaem
6. Alagoas
7. Cayrù

Tertia

1. Visitator generalis et praesidens capit.
2. Definitor
3. Definitor
4. Conventus-do Recife
5. Ipojuca
6. Sergipe del Rey
7. Paraguassù

De electione, et munere procuratoris provinciae.

V. Quod procuratores provinciae in capitulo et congregatione intermedia electi, et destinati ad negotia conventuum pertractanda, quae vel in curia regali Ulyssiponensi, vel in civitatibus Bahiensi et Pernabucensi occurrere possunt, sint tantummodo tres, prout in praesenti. At eorum electio et suorum sociorum nominatio fiat cum respectu ad tres memoratas filiationes; ita ut procurator partitionis Bahiensis sit ex filiatione, de qua provincialis, eiusque socius ex filiatione, de qua custos. Procurator curiae Ulyssiponensis sit ex filiatione custodis, et eius socius ex filiatione visitatoris generalis. Et procurator partitionis Pernabucensis sit ex filiatione visitatoris generalis, sociusque illius ex filiatione provincialis: quin aliquis istorum procuratorum ultra triennium conservetur, nec illorum ternarius numerus quocumque praetextu alicubi in futurum augeatur.

De lectoribus artium instituendis.

VI. Quod de sexennio in sexennium instituantur tres lectores artium respective ad tres filiationes; ita ut quaelibet filiatio in quolibet sexennio unum habeat artium lectorem. Idemque observetur circa lectores theologiae speculativae et moralis, ut praedictae tres filiationes in omnibus serventur aequales: consummatoque philosophico curriculo, procedatur ad oppositiones, de more solito; quae quidem oppositiones celebrabuntur in conventu S. Francisci de Bahia, et non alibi, et intra semestre visitatoris generalis, per quem in suis primis literis encyclicis convocabuntur fratres omnes, qui ad hoc in unaquaque filiatione apti et habiles inventi fuerint: et si forte con-

tingat, quod aliqua filiatio nullum habeat idoneum oppositorem, qui tali praevia oppositione iudicetur capax cuiuscumque lectoratus, occupet tunc ipsam lecturam aliquis ex-lector ex ipsamet filiatione. Quod etiam observari debet in morte vel deficientia alicuius ex similibus lectoribus: quorum omnium electio et nominatio ita fiet, ut semper digniores minus idoneis praeferantur, licet isti illos et aetate et habitus receptione praecedant.

De praemio lectoribus tribuendo.

VII. Quod, ut similibus lectoribus etiam in hac vita proprium respondeat praemium, decernatur lectores illos, qui per novem annos theologiae tantummodo vacaverint, implendo lectiones et conclusiones de more solito in provincia, frui debere praerogativis, gratiis et exemptionibus, quae per moderniora acta eiusdem provinciae concessae reperiuntur lectoribus per idem novennium theologiae et philosophiae insimul incumbentibus. Decernatur etiam, iisdem gratiis, praerogativis, privilegiis et exemptionibus, de quibus loquitur statutum municipale (1) erga lectores per sex annos philosophiam, et per totidem theologiam, legentes, frui etiam debere lectores illos, qui per eosdem duodecim annos, vel solummodo theologiam, vel insimul philosophiam per sex vel per tres annos legerint, impletis lectionibus et conclusionibus solitis.

De numero student. philosophiae.

VIII. Quod numerus studentium philosophiae sit aequalis pro quolibet lectore et filiatione: at in casu deficientiae studentium in aliqua ex filiationibus suppleatur ex alia, servata, quoad fieri possit, in omnibus aequalitate desiderata. Quod, ut facilius in hoc puncto consequatur, admittantur philosophiae adhuc recentes professi, non obstante statuto prohibente (2) (quod multoties dispensatum est) ne ante sexennium, postquam habitum receperunt, huic studio applicentur. Expleto curriculo theologico, instituantur oppositores futuri, vulgari nomine *passantes*, omnes illi, qui per attestationem suorum lectorum idonei informentur. Et lectores artium ad doctrinam Scoticam sequendam et explicandam non sint adstricti, ut in statutis (3) provinciae reperitur, imo eis sit liberum docere et defendere systema illud et doctrinam, quae eis magis utilis et proficua in Domino videatur. Conventusque ad studia philosophiae et theologiae destinati, sint conventus Bahiae, Olindae et Recifi, et ita per gyrum et turnum tribus filiationibus conferantur, ut nunquam in eodem conventu legant successive lectores ex eadem filiatione.

De numero religiosorum provinciae servando.

IX. Quod numerus religiosorum provinciae reducatur ad numerum tercentorum et nonaginta novem, scilicet, centum et tresdecim clerici, et viginti laici pro qualibet filiatione, ut in omnibus servetur aequalitas: et quia nunc temporis religiosi alicuius filiationis non adaequant numerum religiosorum ex alia, ministri provinciales non recipiant ad habitum vel ingressum religionis, aliquem ex illa natione, cuius numerus excedat; sed ex illa admittant novitios, quae in tali numero inferior inveniatur, donec ad aequalitatem et numerum praescriptum reducantur religiosi, tam clerici, quam laici, cuiuscumque filiationis. Completoque numero aequali religiosorum dictarum filiationum, tunc in casu obitus vel deficientiae alicuius religiosi assumant provinciales ad habitum regularem alium, qui sit de eodem statu et natione, de qua erat religiosus, qui obiit vel defecit, ad hoc ut successivis temporibus nunquam interrumpatur, imo observetur haec perfecta aequalitas: et quatenus contingere potest, ut aliquis natus extra territorium Bahiense et Pernabucense velit, annuente Domino, hanc religionem ingredi et provinciam quaerere (quod illi negandum non est), necesse est, ut alicui ex tribus filiationibus associetur. Ideo qui nati fuerint in locis decurrentibus de territorio Bahiensi ad partes Austri, Minas, Mediterraneique etc., pertineant ad filiationem Bahiensium: qui de territorio Pernabucensi usque ad lineam aequinoctialem ad Aquilonem originem duxerint, pertineant ad filiationem Pernabucensium: et qui in regno Portugalliae insulisque Europaeis ortum habuerint, pertineant ad filiationem Europaeorum.

De distributione officiorum minorum.

X. et ultimo. Quod distribuantur cum eadem desiderata aequalitate reliqua officia minora provinciae; ita ut nullus in illis ultra triennium conservetur, sicut in maioribus officiis. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro, etiam suspensionis ab officiis, imponendis poenis omnibus et singulis superioribus, fratribus, ac in capitulis provincialibus vocem haben-

(1) Stat. prov. cap. 16, n. 6.
(2) Stat. prov. cap. 17, n. 2.
(3) Stat. prov. cap. 15, n. 5.

tibus, ut omnia praedicta capitula futuris perpetuis temporibus adimpleant, ac ea adimpleri sollicite curent ac studeant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et provinciae praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX. febr. MDCCLXXXI., pontificatus nostri anno VII.

XXXIV.

Praecipit fratribus ordinis minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum provinciae in Brasilia, ut de caetero in functionibus cantum Gregorianum servent.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Bened. XIII. mandavit ab omnibus fratribus ordinis uti cantu Gregoriano.

§ 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius minister provincialis fratrum minorum ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod cum in constitutionibus eiusdem ordinis auctoritate apostolica confirmatis expresse a S. Francisco illius fundatore iniunctum fuisset, ut clerici faciant divinum officium secundum ordinem S. R. E., hinc fratres dicti ordinis cantu, quem Gregorianum vocant, praescripto quoque in statutis generalibus ordinis huiusmodi, utebantur; quia vero provinciae eiusdem ordinis minorum seu reformatorum nuncupatorum id peragere abnuebant, hinc mandante fel. rec. Benedicto PP. XIII. praedecessore Nostro, tunc existens minister generalis praedicti ordinis per suas encyclicas literas iniunxit, ut omnes fratres dicti ordinis minorum, sive de observantia, vel reformatorum, vel discalceatorum, recollectorum, ac tertii ordinis respective nuncupatorum, in officio et missa conventuali saltem diebus festis praesertim solemnibus praedicto cantu Gregoriano uterentur.

Id ipsum confirmavit capitulum generale Mediolanense anni MDCCXXIX.

§ 2. Ac deinde in capitulo generali Minorati ordinis anno MDCCXXIX. habito in civitate Mediolanensi, confirmatis seu repetitis statutis generalibus praedictis omnem cantum, praeter Gregorianum, prohibentibus, addita quoque fuit poena privationis vocis activae et passivae iis superioribus localibus, qui ita praescripta executioni minime demandassent. Quibus tamen omnibus non obstantibus, abusus in memorata provincia sensim irreptus adeo invaluit, ut nunc cantus, qui a dictae provinciae alumnis in choro aliisque ecclesiasticis functionibus servatur, molestus prorsus ac horrisonus sit.

Preces porrectae pro obtinenda observantia praedictorum mandatorum.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tum dictus minister provincialis, tum etiam memoratae provinciae alumni, ut reiecto penitus diverso modo et vocum strepitu horrisono, quo in missa et officio utebantur, cantus Gregorianus praedictus in omnibus eiusdem provinciae ecclesiis iuxta praemissa mandata et statuta a fratribus de caetero adhibeatur summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor novi praecepti.

§ 4. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus

et singulis fratribus dictae provinciae nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi de caetero cantum Gregorianum dumtaxat tum in choro tum in aliis ecclesiasticis functionibus omnino adhibere et servare, etiam sub privationis vocis activae et passivae, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, iuxta memorati Benedicti praedecessoris literarum formam, omnino teneantur auctoritate apostolica tenore praesentium praecipimus et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 5. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ordinis et provinciae huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die x. aprilis MDCCLXXXI., pontificatus nostri anno VII.

XXXV.

Enarratis iis quae RR. Pontifices decreverant de episcopatu latino Babylonensi et de eius mensa ac de fructibus exigendis a S. Congregatione, statuit fructus perceptos sede vacante vel Episcopo non residente, quarum pars alias ab eâdem S. Congregatione in pios usus distracta fuerat, postea in fundis esse collocandos, insuper Loca MM. ad eam Ecclesiam pertinentium esse debere permanentia; reditus Episcopo residenti solvendos esse a die electionis, et eos octoginta scutis augendos ex aerario S. Congregationis intuitu praedictae distractionis, donec mensa, aucta ut supra, haec alia octoginta scuta non reddat.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vigilantia, inter innumeras Apostolatus solicitudines, in eo etiam diligenter versata est, ut ecclesiae praesertim sub infidelium potestate existentes, congruis reditibus pro illarum oneribus supportandis et suorum praesulum sustentatione munirentur, eorumque redituum non solum manutentioni, sed, quantum fieri potest, etiam incremento provideretur.

§ 1. Sane, cum iam inde ab a. MDCXXXVIII. nobilis quaedam mulier natione Galla, pio catholicae fidei propagandae zelo ducta, e bonis sibi ab Altissimo elargitis sex millia duplarum Hispanicarum eo nomine ad Urbem transmisisset, ut alicui ex ecclesiis sub infidelium potestate existentibus arbitrio Romani Pontificis pro huiusmodi ecclesiae dote et congruâ Episcopi sustentatione perpetuo applicarentur; fel. record. Urbanus PP. VIII. praedecessor noster, de venn. fratrum suorum Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, dicta sex duplarum Hispanicarum millia in tot Locis Montium non vacabilium investienda, Ecclesiae Bagdalensi seu Babylonensi in Persiâ, tum pastoris solatio destitutae, pro illius dote, et pro tempore futuri Episcopi Bagdatensis seu Babylonensis, qui tamen in Galliâ natus esse deberet, et apud ecclesiam huiusmodi personaliter residere omnino teneretur, sustentatione, apostolicâ auctoritate perpetuo applicavit et appropriavit, statuens, ut ipsi Episcopo liceret dictarum sex millium duplarum Hispanicarum, sive Locorum Montium inde emendorum fructus, reditus et proventus, aliaque emolumenta quaecumque inde quomodolibet provenientia, percipere, exigere,

levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, nullius licentiâ desuper requisitâ. Praeterea memoratae piae mulieri pro eâ vice dumtaxat, deinceps autem perpetuis futuris temporibus quoties, quandocumque, et quomodocumque dictam Ecclesiam Bagdatensem sive Babylonensem vacare contigisset, venn. fratribus suis in eorum Congregatione coram se et pro tempore existente Romano Pontifice habendâ facultatem nominandi ad eamdem Ecclesiam personam idoneam, quae tamen in Galliâ et non alibi nata semper esse deberet, per se et pro tempore existentem Romanum Pontificem in Episcopum dictae Ecclesiae ad nominationem huiusmodi instituendum, auctoritate et tenore praedictis reservavit et concessit. Volens, ut dicta sex duplarum Hispanicarum millia in tot locis montium cameralium seu communitatum non vacabilium de Urbe ad dictum effectum investirentur, ac in eventu illorum extractionis sive extinctionis, toties quoties id fieri contigerit, pecuniae inde provenientes in alia loca montium similiter cameralium sive communitatum non vacabilium de eâdem Urbe iterum investirentur et investiri deberent, et, donec praescriptum fieret investimentum, eaedem pecuniae penes Montem Pietatis dictae Urbis deponerentur, inde non amovendae, nisi ad effectum illas investiendi, ita ut dicta sex duplarum hispanicarum millia et loca montium ex illis emenda, ac quicumque fructus, reditus et emolumenta inde provenientia, integre semper et perpetuo sup. pro praedictae Ecclesiae dote illiusque Episcopi congruâ sustentatione remanerent, nec non in alios usus quovis praetextu aut ex quavis causâ converti possent. Denique decernens quod dictus episcopatus Bagdatensis seu Babylonensis, et illius pro tempore existens Episcopus esset immediate sub protectione dictorum venn. fratrum negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ita tamen, ut illi neque circa episcopatum huiusmodi, neque circa dotem eius aut illius reditus, neque circa Episcopum pro tempore existentem possent aliquid facere, nisi in eorum Congregatione coram se et eius successoribus Romanis Pontificibus habendâ, ut ex eius literis in formâ Brevis datas die IV. iunii MDCXXXVIII. Pontificatus anno XV.

§ 2. Pro executione igitur huiusmodi dotationis et applicationis Ecclesiae Bagdaiensis seu Babylonensis, ut supra, emptae fuerunt nomine praefatae Congregationis Loca CVII. Montis communitatum tertiae erectionis, et Loca LIV. Montis novennalis primae erectionis, reservatâ fructuum dispositione Episcopis pro tempore dictae Ecclesiae, qui annuos reditus per proprios procuratores exigebant.

§ 3. Procedente vero tempore, quum experientiâ perspectum fuisset, utilius fore regimini et servitio praefatae Ecclesiae, si in posterum fructus dictorum Locorum Montium exigerentur nomine Congregationis de Propagandâ Fide per eius ministros, perque eius vel eorum manus ipsis deinde Episcopis vel eorum legitimis procuratoribus solverentur, fel. rec. Alexander PP. VII. itidem praedecessor noster in Congregatione generali de Propagandâ Fide habitâ coram se die XXV. februarii MDCLXVI., audito voto dictorum venn. fratrum suorum Cardinalium, decrevit, ut patentes dictorum locorum montium ita reformarentur, ut, non solum quoad capitale ut tunc et antea erant, sed etiam quoad fructus existerent ad liberam dispositionem eiusdem Congregationis, non obstante reservatione supradictâ, aut aliâ quacumque facultate tam in literis in formâ Brevis Urbani VIII., quam in patentibus eisdem Episcopis exigendi praedictos fructus concessâ, cui specialiter et expresse in hac parte derogatum voluit, ceteris in eodem Brevi contentis in suo robore permansuris. Ita deinceps cathedralis Babylonensis reditus per manus praefatae Congregationis propriis praesulibus persoluti sunt, iis quidem qui apud dictam Ecclesiam personaliter residere minime neglexerunt.

§ 4. Quoniam vero contigisse accepimus, ut huiusmodi sive aliorum Locorum Montium in praedictorum vicem postea acquisitorum fructus, tum propter diuturnas sedis vacationes, tum etiam ob morosam Episcoporum absentiam, suspensi interdum remanserint, quorum deinde partem dicta Congregatio in alios pios usus convertit; nos qui mensae et redituum eiusdem episcopalis Ecclesiae non solum conservationi sed etiam augmento prospectum vehementer cupimus, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ decernimus et iubemus, ut tam fructus ad praefatam Ecclesiam pertinentes, qui decursi sunt a postremâ solutione factâ Episcopo praedecessori hodierni Episcopi Mirodout usque ad istius electionem, quam qui deinceps, sive propter sedis vacationem sive ob aliam legitimam causam, superfuerint, ii in tot Locis Montium

non vacabilium neque extractioni subiectorum semper in augmentum dotis eiusdem Ecclesiae investiantur, vel, quoties opus fuerit, in domus episcopalis reparationem vel ampliationem erogentur. Electis vero Episcopis fructus dictorum Locorum Montium tradantur a die eorum electionis (incipiendo a memorato Episcopo Mirodout), dummodo inculpabiliter, non diutius quam rationabiliter patiantur rerum circumstantiae, differant se ad Bagdatensem seu Babylonensem Ecclesiam personaliter se conferre.

§ 5. Mandantes dilecto filio eiusdem Congregationis Secretario, ut ex Locis Montium ad praedictam Ecclesiam modo, quo supra, pertinentibus, quae, uti accepimus, sunt in praesens Loca nonaginta quatuor Montis S. Petri sextae erectionis, Loca XVII. et centena LXIII. Montis S. Petri octavae erectionis, Loca XLVIII. et centena L. Montis itidem S. Petri nonae erectionis, et Loca XIII. Montis Restaurati secundae erectionis, ea omnia, quae extractioni obnoxia sunt, divendere studeat, et alia acquirere, quae nulli vel diminutionis vel extractionis periculo subiiciantur; ac praeterea ut literas patentes eorum Locorum Montium atque aliorum in posterum acquirendorum ita reformare faciat, ut, salvâ proprietate capitalis pro Ecclesiâ Bagdatensi sub dispositione praefatae Congregationis de Propagandâ Fide, fructus eorumdem reserventur Episcopis Bagdatensibus seu Babylonensibus pro tempore existentibus, ita ut illos possint per eorum procuratores exigere, dummodo tamen eidem Congregationi singulis annis per legitima documenta constare faciant de Episcopi pro tempore superviventiâ ac residentiâ in propriâ dioecesi, quibus documentis habitis ac probatis ab eâdem Congregatione, ipsa teneatur singulis vicibus depositario Locorum Montium scripto mandare, ut libere praedicti fructus eidem procuratori persolvantur, et non aliter nec alio modo. Non obstante supradicto chirographo aut decreto anni MDCLXVI. ab Alexandro PP. VII. edito, cui hac in parte per has nostras litteras derogamus ac derogatum esse volumus et declaramus.

Atque, ut omnis in posterum dubitatio ac controversia removeatur in fructibus Locorum Montium ad eamdem Ecclesiam Bagdatensem spectantium, quos transactis temporibus eadem Congregatio de Propagandâ Fide in alios pios usus, missionibus tamen Ecclesiae Babylonensis valde proficuos, convertit, atque etiam, ut gratiam et liberalitatem nostram erga modernum Episcopum Babylonensem a carissimo nobis in Christo filio Ludovico Galliarum Rege Christianissimo commendatum demonstremus, praecipimus ac mandamus, ut ex pecuniis eiusdem S. Congregationis singulis annis persolvantur scuta octuaginta monetae romanae Episcopo Babylonensi pro tempore existenti atque in suâ dioecesi residenti, quoadusque tamen ex fructibus Locorum Montium praedictorum, qui vel propter Ecclesiae vacationem vel propter aliam legitimam causam, ut supra, iussimus investiri in augmentum dotis praedictae Ecclesiae, Capitale efformetur tanti valoris, quanti sufficere possit ad praestandum fructum scutorum octuaginta, eo enim in casu praefatam eiusdem summae solutionem seu pensionem, nunc, prout ex tunc, omnino extinguimus et abolemus; eamdemque Congregationem per hanc annuam pensionem, ut praefertur, Episcopis Babylonensibus praestandam ab omni alio onere ac debito absolvimus ac liberamus, omnemque super praefatis fructibus ab eadem Congregatione perceptis exortam dubitationem extinguimus, et perpetuo silentio tollimus, et supprimimus. Non obstantibus memoratis Urbani et Alexandri Praedecessorum Nostrorum literis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI. iunii MDCCLXXXI., pontificatus nostri anno VII.

XXXVI.

Basilium Archiep. Armenorum Patriarcham Ciliciae confirmat, absolvens a vinculo ecclesiae Amasonae, eique pallium concedit (1).

---

(1) Vita functo Michaele Armenorum Ciliciae Patriarchâ, qui Petri III. nomen assumpserat, Archiepiscopi catholici Armeni ritus simul congregati Basilium Amasiae Archiepiscopum in Patriarcham Ciliciae Armenorum unanimi consensu elegerunt. Tum electores cum ipse electus Patriarcha supplicibus datis literis tam SSmo D. N. Pio Papae VI., quam Emis Cardinalibus S. Congregationis de Propagandâ Fide eâ, qua par est, humilitate Sanctitati Suae supplicarunt, ut electionem seu postulationem eiusdem electi seu postulati Basilii Archiepiscopi admitteret, et supremâ suâ auctoritate con-

ALLOCUTIO

Venerabiles fratres.

Afferimus vobis, venn. fratres, iucundum quod nuper accepimus ex Orientali Ecclesiâ catholicâ nuncium, tantoque libentius afferimus, quod existimamus illo nuncio vos una nobiscum molestias atque aegritudines ex rebus ad Ecclesiam Occidentalem spectantibus perceptas aliquantum levare posse atque solari. Ex quo tempore Armenorum natio interruptam per tria pene secula unionem cum hac Romanâ Ecclesiâ redintegravit, quarto iam Apostolicae huic Sedi supplicat, ut novi sui minoris Armeniae et Ciliciae Patriarchae admittatur et confirmetur electio. Primum anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo sapientissimus praedecessor noster Benedictus XIV. ad obedientiam recepit ac Pallii honore decoravit Patriarcham Abrahamum Petrum, qui Aleppensis Archiepiscopus fuerat, optime de Religione catholicâ meritum, pro cuius propagatione plurimam diuturnamque plusquam triginta annorum operam in suâ natione navaverat. Non tum illum Patriarcham detinuit affectum iam senio morbisque corpus, non longi itineris labores atque incommoda, quin sui animi votis obsequens Romam accederet, ac Pontificis, quod maxime exoptabat, pedibus advolveretur. Hic ipsi tum praesenti plurima tribuit suae paternae humanitatis amorisque officia, cum et hospitium venienti praeberet, et aegrotantem inviseret, et revertentem ad suos omnibus beneficiis et gratiis, quae unquam desiderari aut cogitari ab illo poterant, prosequeretur. His cumulatus, incredibilem retulerat in suam catholicam nationem animi ardorem ad pascendum augendumque Domini gregem, cui vitam suam omnem, quam adhuc ad septem annos prorogarat, studia actionesque addixerat. In illius exstincti die primâ octobris anni millesimi septingentesimi quadragesimi noni locum suffectus fuit Iacobus Vartabiet itidem Aleppensis Archiepiscopus, pariterque ab eodem Pontifice in secreto Consistorio die vigesimâ tertiâ septembris anni sequentis habito confirmatus. Eo certe honore dignissimus, cum catholicae illi nationi vix dum tres annos praefuisset, magnum moriens sui desiderium ac luctum reliquit clero populoque Armeno, qui tamen statim monachum Michaelem prius in Aleppensem Archiepiscopum, deinceps in Ciliciae Patriarcham electum, Michaelis Petri Tertii nomen assumentem subrogavit. Cum hic admissus ab Apostolicâ Sede confirmatusque esset in Consistorio diei vigesimae secundae iulii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi quarti, iam Benedictus XIV. tres huius nationis Patriarchas constituerat, magnisque laudibus per totidem gravissimas Allocutiones exornarat.

De hoc tamen postremo Patriarchâ in Consistorio agens, illud in suâ Allocutione animadvertit, suffragatores Episcopos iure quidem suo Patriarcham, non vero etiam Aleppensem Archiepiscopum eligere debuisse, cum ad ipsum dumtaxat patriarcham, non ad Episcopos Episcoporum electio pertineret. Illegitimum tamen hunc actum apostolicâ sua auctoritate cum erroris causam agnovisset, eo ipso tempore sanandum iudicavit, unâque electores atque electum absolvendos, ac per Congregationem de Propagandâ Fide monendos, ut in posterum ab eo, quod iuris sui non esset, intentando abstinerent. Viginti sex annis postremus hic Patriarcha cum in regendo Patriarchatu omnes pastoralis vigilantiae, studii ac solicitudinis partes explesset, ad diuturni tandem laboris praemium ex hac vita anno proxime praeterito die quintâ novembris emigravit.

Non plures quam tres Armeni Episcopi, antequam ad novum eligendum Patriarcham devenirent, sacerdotem Gabrielem Gazzul, quem a Patriarchâ defuncto designatum in Episcopum fuisse sciebant, prius a se consecrandum pro vacante Ecclesiâ Aleppensi censuerunt, magis scilicet memores quod antea gestum a suis esset, quam quod ab Apostolicâ Sede improbatum. Deinde ad novi Patriarchae electionem die primâ decembris eiusdem anni procedentes, unanimi omnium consensu ac laetitiâ Basilium Amasiae Archiepiscopum, ipsius pietatis, doctrinae, ceterarumque laudum rationem habentes, in eum amplissimum locum evehere suffragando voluerunt.

Cum valde probanda haec nobis ob electi

firmaret, ac pallii honorem ei concederet, afferendo legitimas causas, quibus ad urbem accedere posse praepediebatur. Totum negotium S. Congregationi de Propapandâ Fide discutiendum Sanctitas Sua commisit; qua consulente pro confirmatione et sanatione defectuum etiam substantialium, quatenus opus esset, suo decr. dat. die II. iunii MDCCLXXXI., Sanctitas Sua ad praefatae electionis confirmationem devenit die XXV. innii h. anni in consistorio secreto.

meritum videatur electio, sanare auctoritate nostrâ quaecumque indebite atque illegitime acta erant iudicavimus, iuxta prudentem etiam nostrae Congregationis de Propagandâ Fide sententiam, et electores atque electum ab omnibus canonicis poenis, quibus ob illicite sed tamen valide peractam Gabrielis Gazzul consecrationem obnoxii facti sunt, absolvere. Condonamus nimirum errorem illum bonae, prout credimus, electorum fidei, eorumdemque in Apostolicam hanc Sedem perspectae observantiae, multo tamen acrius severiusque moneri per eamdem Congregationem volumus ac iubemus, ne in posterum omnino reprobanda huiusmodi exempla consectentur.

Iam quod ad ipsum Basilium pertinet electum Patriarcham, natus ipse Aleppi est ab illustribus catholicisque parentibus in eâque familiâ, quae erga Apostolicam hanc Sedem pietate fideque praecipue floruit, idque maxime postremo iubilaei anno, nostri pontificatus primo, comprobavit, cum ex illâ domo nonnulli Romam non sine gravi incommodo ac sumptu ad Apostolorum limina aliorumque sacrorum locorum visitationem advenissent. Agit nunc ille sexagesimum aetatis annum, iam a multo tempore sacerdos, semper caelebs, doctor praeterea ac magister praeclaro illius nationis vocabulo *Vartabiet* nuncupatus. Socius Abrahamo Petro primo Patriarchae in persecutionibus ac laboribus fuit. Aliquot post annos factus Amasiae Archiepiscopus, cum ibidem residere non posset, moratus est in Castrovano, nimirum in conventu Ecclesiae patriarchalis B. Mariae Virginis in coelum Assumptae. Illic Vicarii munus apud duos postremos Patriarchas multâ cum laude gessit, iisque egregie satisfecit, cum ob prudentiam ac sedulitatem in agendo suam, tum praecipue ob linguae Arabicae Armenicaeque peritiam, quarum usus est iis locis pernecessarius in sacris peragendis ritibus ac in spiritualium operum officiorumque perfunctione. Proinde cum is vir pastoralibus huiusmodi dotibus tantopere praeditus atque instructus sit, minime profecto dubitare possumus, quin easdem secum ad Patriarchatus locum evehat, summâque cum populi sibi commissi suaeque nationis utilitate ad catholicae praesertim Religionis incrementum illustrius multoque opportunius exhibeat atque exerceat. Itaque audito prius Congregationis de Propagandâ Fide suffragio, quam a nobis ipse, legitime ne Romam accederet impeditus, cum suis electoribus suppliciter de more petiit, electionis in Patriarcham seu postulationis confirmationem, eamdem illi, quem iam ab Amasensis Ecclesiae vinculo absolvimus, libenter impertimur, praetereaque pallii honorem, prout absens per suum procuratorem a nobis flagitat, benigne concedimus. Quod certe beneficium nostrum confidimus adhuc maius illi allaturum esse incitamentum, et ad curandam salutem commissarum ovium, quas tamquam suis humeris impositas existimabit, et ad gratum Apostolicae Sedi praestandum animum, in eiusque fide, officio atque observantiâ perpetuo inhaerendum. Haec sunt, venn. fratres, quae vobis aliquanto prolixius significanda censuimus, quo maius in vos ex constante tam longinquae nationis religione ac nobiscum coniunctione gaudium redundaret.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venn. fratribus Archiepiscopis et Episcopis Armeniae minoris et Ciliciae unanimi consensu factam de personâ praedicti Basilii Petri Archiepiscopi, quem absolvimus a vinculo, quo tenetur, Ecclesiae Amasenae, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam praefatam, praeficientes eum in Patriarcham et pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur. In nomine Patris etc.

XXXVII.

Respondens Praesuli Trevirensi et Augustano petenti, intuitu legum civilium, facultatem dispensandi a quibusvis impedimentis matrimonialibus iuris humani, docet in primis, ad Ecclesiam ius pertinere constituendi impedimenta dirimentia, et Episcopos in iis propriâ auctoritate dispensare non posse, deinde rationem affert cur petitam facultatem ipsi concedere opportunum non iudicet (1).

(1) Ex Roscovany coll. cum Reg. Vat.

Ven. fratri Wenceslao Archiepiscopo Trevirensi, et Episcopo Augustano S. R. I. Principi Electori,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Post factam tibi, ven. frater, a Nuncio nostro Coloniensi declarationem circa impedimentorum, de quibus agebatur, dispensationes, tuas ad nos dedisti literas die xv. decembris in quibus, cum significaveris quantis propterea in angustiis verseris, eamdem renovasti postulationem pro obtinendâ nimirum extensione facultatum ad quaevis impedimenta matrimonialia iuris humani, et tantum pro subditis Austriacis dispensanda; idque eum in modum egisti, qui tuae in nos pietati, in Apostolicam Sedem devotioni, ac in Ecclesiam studio illustribus iamdudum indiciis perspecto maxime est consentaneus. Cum a gravissimis causis adductos nos esse cognoveris, ut in id, quod iam suscepimus, consilium deveniremus, minime dubitamus, quin tum tibi, si non ipsâ re, at rationibus nostris satisfactum per nos esse existimaveris. Quo id igitur a te consequamur, eas ipsas hic breviter aggredimur exponere tibi consilii eius nostri rationes.

§ 2. Auctoritatem sane constituendi matrimonialia impedimenta penes Ecclesiam esse dubitari nullo modo a catholicis potest, cum id definierit Conc. Trid., sess. 24, c. 4: « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse » constituere impedimenta matrimonium » dirimentia, vel in iis constituendis er» rasse, anathema sit. » Ex quo catholici doctores, illi etiam qui plurimum laicae potestati favent ac tribuunt, minime dubitarunt agnoscere, Ecclesiae eam auctoritatem esse a Christo Domino datam, ipsâque illam a primis saeculis ad haec usque tempora semper usam fuisse. Adduci hic multa possent antiquissimi huius usus monumenta, eorum scilicet temporum quibus abesse longissime debuit, ut eam praerogativam ethnici principes Ecclesiae concesserint, a quibus illa gravissimas persecutiones saepissime toleravit. Proinde anteriora fuere eiusmodi Ecclesiae edicta, et quodammodo consequentibus Imperatorum constitutionibus normam praebuere. Atque hic animadverti praecipue potest, ipsum affinitatis impedimentum primis illis saeculis fuisse ut dirimens per ecclesiasticam legem declaratum, ut habemus ex epistolâ S. Basilii ad Diodorum et ex Concil. Neo-Caesariensi, Can. 20, idque ut doctus aliquis iurisconsultus in notis ad Conc. Eliberitanum asseruit « antiquo Romanorum iure abrogato ».

§ 3. Hinc tanto magis efficitur, ab Ecclesiâ proprio iure constituta esse impedimenta, planeque locum eripi cavillationi, qua quidam Tridentinae Synodi definitionem eludere contendunt, cum dicunt, Concilium non definivisse utrum haec auctoritas ex Christi institutione, an ex principum indulgentiâ tacitâ vel expressâ in Ecclesiam manaverit. Quoniam, cum ea Apostoli sancirent, quae ad fidelium coniugia pertinerent, eorumque proximi successores, certe illam non ex hac indulgentiâ tenuisse dicendi sunt, sed, usi eâdem cum fuerint, nonnisi a Christo una cum clavibus ipsam se recepisse iudicarunt. Quod si a Domino non recepissent, profecto in eâ sibi tribuendâ errassent, ac in legitima principatus iura invasissent. Id quam sit absurdum, quisque facile intelliget. Notum est etiam, quod can. 3 eiusdem sess. 24 definitum est: posse Ecclesiam constituere ut plures gradus impediant ac dirimant. Cum ergo nullo unquam tempore dogma fidei falsum fuisse potuerit, aut esse possit, necesse est, ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum futurum sit, Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. At si tacita saltem principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur, illud primis Ecclesiae temporibus, sub principibus nimirum ethnicis, verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse iis in locis, in quibus Christifideles degunt sub infidelium dominatione; et si ob aliquam, ut vocant, rationem status principes, revocatâ eâ, quae obtenditur, indulgentiâ et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset ut verum esse desineret quod a Tridentino definitum est, idque portenti existeret, ut aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus Oecumenicae Synodi oraculo declaravit. Igitur ea, quam memoras, recentium pseudopoliticorum et canonistarum sententia non solum est Ecclesiae iniuriosa, sed et eius constanti sensui traditionique prorsus adversa. Quod adeo Caesareae maiestati perspectum fuit, ut in eius

edicto numquam, ut inquis, impugnetur ea Ecclesiae auctoritas, sed mandetur ut *Episcopi dispensent iure proprio,* ipsis scilicet a Christo collato atque exercito a suis primitivorum temporum praedecessoribus.

§ 4. At nullum suppetit argumentum; Episcopos primo illo aevo eam, quam habuisse dicuntur, dispensandi facultatem quoad matrimonium contrahendum exercuisse. Imo illi ipsi canonistae qui adversum S. huic Sedi animum praeseferunt, nullum huiusmodi dispensationum exemplum invenire atque adducere poterunt ante Innocentium III. qui pro Othone IV. impedimentum in quarto consanguinitatis gradu relaxavit, eâ tamen lege, ut duo amplissima monasteria Otho fundaret, omnesque per imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istud ecclesiasticae disciplinae vulnus compensaret. Quapropter et primum ab Apostolicâ Sede exerceri ea dispensationum potestas coepit, et hic usus penes illam solam perseveravit, atque ad eandem solam pertinuit, prout totius Ecclesiae consensu fuit agnitum: nam alios Episcopos nunquam eam sibi facultatem assumpsisse constat, ne in remotioribus quidem gradibus, nisi cum S. Sedis expresso vel praesumpto privilegio tueri se posse confiderent.

§ 5. At antiquius etiam habemus quod illi ipsi doctores non satis animadverterunt, ac maxime illustre huiusce penes Apostolicam Cathedram auctoritatis monumentum in dispensatione a S. Gregorio M. in aliquibus gradibus pro Anglis christianam tum fidem suscipientibus concessa, quod ex eiusdem Pontificis verbis edocemur in Regest. lib. 14, ep. 17, ad Felicem Messanensem Episcopum edit. Paris. 1705: « Incestuosos vero nullo coniugii nomine deputandos a SS. Patribus dudum statutum esse legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis, sive a ceteris fidelibus, reprehendi, quia quod in his (in supra enunciatâ dispensatione) Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed considerando, ne christianitatis bonum quod coeperant, imperfectum dimitterent, egimus. » Quibus ex verbis consequitur: 1. S. Gregorium agnovisse impedimentum consanguinitatis ut dirimens non a saeculari, sed ab ecclesiasticâ potestate constitutum. 2. Tantum abesse, ut Episcopi eam auctoritatem eiusque in dispensando usum habuerint, ut ipse Pontifex nolle se reprehendi scriberet, quod ad eam dispensationem pro christianitatis bono devenisset. 3. Minime de hac suâ potestate dubitasse, ***indulsimus.*** 4. Demum in ceteris christiani orbis partibus firmam pristinae disciplinae vim remansisse.

§ 6. Itaque, etiamsi episcopalis auctoritas ut nonnulli doctores contendunt ab ipso *immediate* Deo procederet, certum tamen constansque esse debet, illam auctoritatem non extendi ad faciendos iure proprio in generalibus Ecclesiae legibus dispensationes sine expressâ vel saltem tacitâ concessione superioris, a qua sancitae illae sunt, potestatis. Fidei enim dogma est, Episcoporum auctoritatem, vel si a Christo immediate emanarit, subiectam tamen esse Romani Pontificis auctoritati: quo fit, ut subesse debeant Sedis Apostolicae statutis et venerabilibus canonum decretis, in quae si quis commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Neque minus certum idcirco est eamdem Episcoporum auctoritatem ab illa superiore ordinis hierarchici potestate intra quosdam limites circa usum atque exercitium restringi et contineri posse. Omnino igitur sustineri neutrum potest, vel Ecclesiam iure proprio non habere potestatem constituendi impedimenta dirimentia, vel Episcoporum quemlibet posse impositum a catholicâ Ecclesiâ legis vinculum dissolvere.

§ 7. His omnibus de causis potes ipse, ven. frater, facile pro singulari tuâ prudentiâ cognoscere quam molesto animo feramus: minime postulatis tuis posse nos obsequi, neque hic etiam, ut saepe studiosissime fecimus, tibi reipsa testari, quantam tui tuarumque rerum pro eximia nostrâ in te caritate rationem habeamus. Si facultates tibi, prout petis, concesserimus, ut iisdem nimirum occulte et dissimulanter utaris, illud sequeretur, nimirum ex re ipsâ omnes credituros, te ad illud edictum voluntatem tuam conformasse, eiusque vigore tibi potestatem dispensandi assumpsisse, ex quo tam gravi exemplo maximum certe momentum accederet illi pseudopoliticorum sententiae, quam tu ipse pro tuâ religione reiicis et detestaris. Accedit praeterea nihil esse in ipso edicto unde ad dispensationum concessionem devenire iniungatur, nullumque adeo perturbationis periculum, si illas petentibus concedere recusaveris. Neque enim qui petunt, ullum ius ad obtinendum habere potuerunt, cum antea pluribus in Ecclesiâ saeculis huiusmodi dispensationes in usu non fuerint. De-

mum ea est tua dignitas, is virtutum splendor, ea nominis existimatio, ut multorum ad te oculos conversurus sis, qui, si te abstinere ab illis novitatibus conspexerint, ne ipsi quidem, tuo tam illustri confirmati exemplo, adduci ad eas ullo facto consectandas poterunt. Ac Omnipotentis Dei misericordiam per D. N. Iesum Christum imploramus, ut propitius esse Ecclesiae his temporibus velit, quoque te ipsum in tantis angustiis constitutum suâ gratiâ soletur ac sublevet: eiusdem auspicem apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, in nostrae etiam eximiae caritatis confirmationem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. februarii MDCCLXXXII., pontificatus nostri anno VII.

XXXVIII.

Eligit S. Annam in patronam civitatis et dioecesis S. Pauli in America Lusitana.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum sacrae Congregationi Rituum, et tenor decreti ab ea editi.

§ 1. Nuper ad preces dilectorum filiorum capituli et cleri civitatis et dioecesis Sancti Pauli in America Lusitana a congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum editum fuit decretum, tenoris qui sequitur: « S. Pauli in America Lusitana – Electa nuper a capitulo, et clero civitatis, et dioecesis Sancti Pauli in America Lusitana Sancta Anna Beatae Mariae Virginis matre in patronam et protectricem praedictae civitatis et dioecesis, modo ex parte eiusdem cleri pro confirmatione praedictae electionis sacrorum rituum congregationi humillime supplicatum fuit; et sacra eadem congregatio, accedente etiam reverendissimi Episcopi assensu, ad mei infrascripti secretarii relationem, attento quod huiusmodi electio servatis servandis et iuxta praescriptum in decreto san. mem. Urbani PP. VIII. edito legitime facta fuerit, eamdem confirmavit et approbavit, praedictaeque Sanctae Annae Beatae Mariae Virginis matris sic in patronam et protectricem electae, festivitati praerogativas omnes sanctorum patronorum et protectorum festis competentes attribuit atque concessit.

Die XXVIII. maii MDCCLXXII.

Loco † Signi.

L. Card. ARCHINTO praefectus
C. AIROLDI S. R. C. Secret. »

Confirmatur decretum auctoritate apostolica.

§ 2. Cum autem, sicut memorati clerus ac universitas et homines nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Caesenae, sub annulo Piscatoris, die trigesima prima maii, millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus nostri anno octavo.

XXXIX.

Archiepiscopo Malinensi iuxta mentem Clementis XI. et Benedicti XIV. scribit de dispensationibus matrim. inter catholicum et haereticum.

PIUS PP. VI.

Non potiam dipartirci dal sentimento uniforme dei nostri predecessori e dalla disciplina della Chiesa di non approvare i matrimonii fra parti ambedue eretiche, o se una sola sia cattolica e l'altra eretica, e molto meno quando siavi bisogno di dispensa di gradi. La materia è assai ovvia e, oltre alle tante prescrizioni che si hanno tutte uniformi contro questi sagrileghi matrimonii, vi è la speciale proibizione ingiunta dal Pontefice Clemente XI. nel 1710 ad un di lei predecessore Arcivescovo di Malines riferita da Benedetto XIV. nella sua lettera al Primate, Arcivescovi e Vescovi della Polonia li 29 giugno 1748 che forma la costituzione 51 nel tomo II. del suo Bollario dell'edizione Romana. Dice egli, che il lodato Clemente XI.: « Mandavit inhiberi per literas Archiepiscopo » Mechliniensi ne ullas omnino licentias » aut dispensationes impertiretur pro ma» trimoniis inter contrahentem catholicum » et alterum haereticum celebrandis, nisi » abiuratio haeresis reipsa praecessisset; » theologos autem, qui contra huiusmodi » praxim opinati fuerint, acriter admonen» dos decrevit » (1).

Da questo sistema, che ha in base il pericolo della perversione della parte cattolica, specialmente se l'eretica sia la donna, come sugli esempii cavati dalli sagri libri della disobbedienza di Adamo per gli allettativi di Eva, della idolatria di Salomone per gli artifizii delle sue mogli, della perversità di Acabbo per le persuasive di Jezabelle sua consorte, dottamente riflette il Card. Bellarmino nell'epistola 35 fra le sue familiari, ove considera che: « Ea siquidem » est natura foeminarum, ut multo faci» lius sit ut ipsae viros pertrahant ad er» rorem, quam ut viri eas perducant ad » veritatem »; e perciò da questo sistema, dicemmo, non sappiamo partirci noi, perchè non dobbiamo.

Bensì non vogliamo nè tampoco accrescere a lei, nè a codesti altri Vescovi le angustie, nè tirare sopra di loro quelle critiche conseguenze, di cui credono temere a ragione, e perciò, per quello che si attiene al punto delle semplici licenze, diremo quanto disse il citato Benedetto XIV. in una sua lettera responsiva al Vescovo di Breslavia li 27 settembre 1750. Non potere con atto positivo approvare la concessione delle dispense fra gli eretici, e fra questi ed i cattolici, poter però dissimulare, aggiungendo che la nostra scienza e tolleranza dee bastare per assicurare la sua coscienza, giacchè nella materia di cui si tratta, non s'incontra opposizione nel gius divino o naturale, ma solamente nel gius ecclesiastico. Quanto ora facciamo, ci protestiamo a piedi del Crocefisso di farlo unicamente per evitare i maggiori danni della nostra S. Religione, conchiudendo con insinuarle, doversi in ogni modo da lei procurare che il male non si dilati.

E noi a tutto questo aggiungiamo, che di più prescrisse questa S. Congregazione del Concilio, uniformemente al giudizio del mentovato Papa Benedetto, nella istruzione trasmessa sopra i matrimonii misti che si fanno in cotesti stati di Olanda, nella quale furono esortati e segnatamente avvertiti i Vescovi, i Vicarii Apostolici, i parrochi, i missionarii e tutti i ministri della Chiesa: « Ut catholicos utriusque sexus ab » huiusmodi nuptiis in propriarum anima» rum perniciem ineundis, quantum pos» sint, absterreant, easdemque nuptias omni » meliori modo intervertere atque efficaci» ter impedire satagant: » Come si legge nella detta istruzione che è dopo la costituzione 33 nel tomo del suddetto Bollario Benedettino.

Nè a tale avvertimento si oppone, nè può avere inteso di opporsi mai S. M. I. coll'ordine emanato, come quegli che si è espresso con pubbliche dichiarazioni, desiderare « il mantenimento della religione » cattolica, che è la sola che può render » beato l'uomo, e il di cui ingrandimento » e propagazione sono il più caro dovere » e cura più premurosa della M. S. »

Dalle citate parole della lettera di Benedetto XIV. avrà ella compreso parlarsi di dispense verificabili, non meno quando si tratta di matrimonii semplici fra parte cattolica ed eretica, quanto dei gradi di parentela, nei quali fossero i contraenti fra loro congiunti.

E per verità il caso, su cui il Papa interloquì nel 1750 col Vescovo di Breslavia, concerneva le dispense dagli impedimenti di grado, sulle quali si spiegò, come abbiamo riferito, a termini di tolleranza in seguito di scienza precedente. Ma questo è quello, che non potiamo far noi, perchè

(1) Vide vol. III., p. 372 ep. *Ad tuas manus*, et const. *Magnae nobis admirationis*.

nell'ipotesi d'allora la pratica di dispensare nel dato luogo dai gradi nei matrimonii misti era inveterata, e qui si tratta d'introduzione affatto nuova, alla quale si oppone la massima seguitata in altri casi più recenti dai nostri predecessori e da noi stessi: cioè che, essendo la dispensa una grazia, questa è riservata ai fedeli che vivono sotto l'obbedienza della Chiesa; onde non deve stendersi agli eretici che, non riconoscendo l'autorità della Chiesa, si rendono perciò indegni di simile indulgenza, o tutto al più potrà la dispensa del grado concedersi dai Vescovi in qualche caso particolare, che non sia più stretto di quelli compresi nella formola, e vi concorra causa urgente e pubblica, e non di privato interesse o di appassionato trasporto dei contraenti.

Peraltro, rapporto a questi impedimenti di parentela, speriamo che codesti Vescovi potranno vivere tranquilli per l'avversione, che S. M. I. ha dichiarato avere alle dispense dai gradi.

Passando ora all'altro punto dell'assistenza voluta dei parrochi cattolici ai matrimonii misti, diciamo che se premessa la succennata ammonizione alla parte cattolica per distorla da matrimonio illecito, nondimeno persista nella volontà di contrarlo, e si prevegga che il matrimonio infallibilmente seguirà, potrà il parroco cattolico prestarvi la sua materiale presenza con dovere osservare le seguenti cautele.

Prima, che non vi assista in luogo sagro, nè con alcun sagro indumento, nè reciti alcuna ecclesiastica preghiera sopra dei contraenti, nè in verun modo li benedica.

Seconda, che esiga la dichiarazione in iscritto dal contraente eretico, in cui si obblighi con giuramento, presenti due testimonii che dovranno anche essi sottoscriversi, di permettere all'altro contraente l'uso libero della cattolica Religione, e di educare in essa tutta la prole nascitura senza distinzione di sesso, come prescrisse la defunta Imperatrice Maria Teresa all'articolo 4 delle sue lettere del 20 feb. 1751 pei matrimonii da farsi in Trieste fra i Greci dissidenti ed uniti, onde volendo ora S. M. che i figli si educhino tutti nel protestantismo, quando il padre sia protestante, dovranno farsi alla M. S. le più patetiche rappresentanze sulle lagrimevoli conseguenze di tale adempimento, con metterli in vista l'opposta accennata ordinazione dell'augusta sua genitrice.

Terza, che il contraente cattolico faccia pur egli la sua dichiarazione sottoscritta da lui e da due testimonii, in cui si riprometta con giuramento, non solo di non abbandonare la cattolica sua Religione, ma di educare in essa la prole tutta nascitura, e di procurare efficacemente la conversione dell'altro contraente non cattolico.

Quarta, che rapporto alle proclamazioni volute dall'ordinazione Cesarea, che dai Vescovi si apprendono per atti più civili che sagri, rispondiamo, che siccome sono preordinati alla futura celebrazione del matrimonio, e per conseguenza contengono una positiva cooperazione al medesimo, che trascende i limiti di semplice tolleranza, non potiamo accordare che si facciano, e quindi dovrà anche su di ciò ricorrersi a S. M., acciò voglia almeno in questa parte disobbligare i parrochi da detti proclami, e specialmente in luogo sagro.

Tutti i regolamenti, che abbiamo fin qui divisati, sono cavati dalle istruzioni date in simili casi dai nostri predecessori, dalle quali tanto meno potiamo allontanarci, in quanto che questi matrimonii vogliono introdursi di nuovo in paesi ove il popolo è del tutto o nella massima parte cattolico, ed anche a fronte della detestazione, in cui generalmente sono queste nozze nei vicini stati di Olanda.

Rimane infine a parlarsi su di un punto, su cui sebbene non siamo espressamente interpellati, crediamo non doverlo dissimulare come troppo contingibile in pratica, ed è, se volendosi il contraente cattolico da poi accostare ai sagramenti vi debba essere ammesso. Al che diciamo, che, se il medesimo si mostrerà pentito della peccaminosa sua congiunzione, potrà concederglisi, premettendo alla confessione una sincera protesta di procurare la conversione del coniuge eretico, di rinnovare la promessa di educare la prole nella religione ortodossa, e di riparare lo scandalo dato agli altri fedeli. In concorso di tali condizioni non ripugniamo, che la parte cattolica sia fatta partecipe dei sagramenti etc.

Crediamo di avere abbastanza soddisfatto alle edificanti di lei premure, e degli altri Vescovi suoi convicini.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. iunii MDCCLXXXII., pontificatus nostri anno VIII.

XL.

Dionysii Michaelis Giarve Episcopi Aleppensis Syrorum electionem in Patriarcham Antiochenum eiusdem nationis confirmat, eum absolvens a vinculo Aleppensis Ecclesiae, eique imponens fidei professionem Orientalibus praescriptam et emissionem consueti fidelitatis iuramenti (1).

Michaeli Giarve nuper Episcopo Aleppensi in Patriarcham Antiochenum Syrorum electo, salutem et apost. benedictionem,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei.

Romani Pontificis, quem Pastor ille caelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi traditâ Ecclesiis praetulit universis, solicitudo requirit, ut circa cuiuslibet Ecclesiae statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, atque Ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, Ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et pastor providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac bona Ecclesiae sibi credita non solum gubernet utiliter, sed multimodis efferat incrementis.

§ 1. Sane patriarchali Ecclesiâ Antiochenâ Syrorum, quam Georgius III. Ignatius denominatus, dum viveret, detinebat, post deplorabilem ipsius Georgii in schismate defuncti obitum vacante, cum fide dignis relatibus compertum habuerimus Antistites quatuor Syrae nationis clerum universum et laicos plerosque Mardenses eiusdem Syriaci ritus Iacobitarum erroribus diu in-

---

(1) Ex Tab. S. Cong. de Prop. Fide. Ex act. vero consistor. seq. pro hist. transcribimus.

Patriarchatus Antiocheni Syrorum, qui pluribus abhinc saeculis a Iacobitis occupatus fuerat, postremus Patriarcha fuit Georgius III. Ignatii nomine appellatus, acerrimus catholicorum persequutor, qui mortem oppetiit in schismate anno MDCCLXXXI. Eodem vitâ functo, cum quievisset aliquantulum Syra catholicorum natio, Dionysius Michael Giarve Episcopus Syrus Aleppensis, eorumdem catholicorum consilio, et S. Congregatione de Propagandâ Fide annuente, Mardin hodiernam Patriarcharum sedem se contulit, ibique, Deo opitulante, Antistites quatuor Iacobitas, Gratiam, Abrahamum, Moysen et Gregorium Psciara Episcopum Hierosolymitanum, clerum universum Mardensem Iacobitarum, et laicos plerosque eiusdem civitatis ad catholicam fidem traduxit. Hinc nuper conversi cum reliquo clero catholico rite convocati in monasterio Mardensi, ut moris est, praefatum Praesulem Dionysium Michaelem Giarve Episcopum Aleppensem in Patriarcham Antiochenum Syrorum unanimi consensione elegerunt, qui primus post schisma fuit Patriarcha catholicus actualis seriei. Quibus peractis, electores et ipse electus Patriarcha, nec non Iosephus IV. Patriarcha Chaldaeorum Diarbekiae, Petrus Eleazarus Archiepiscopus Armenus Mardensis, aliique cum Mesopotamiae, tum Aleppi et Constantinopolis missionarii, supplicibus datis literis SSmo D. N. Pio PP. VI., et S. C. de Propagandâ Fide, eâ, qua par est, humilitate Sanctitati Suae supplicarunt, ut electionem seu postulationem eiusdem electi seu postulati Dionysii Michaelis Episcopi admitteret, et supremâ suâ auctoritate confirmaret, ac Pallii honorem ipsi concederet, afferendo legitimas causas, quibus ad Urbem accedere praepediebatur. Totum negocium S. Congregationi de Propagandâ Fide discutiendum Sanctitas Sua commisit; qua consulente pro confirmatione et sanatione defectuum etiam substantialium quatenus opus esset, suo decreto, diei I. septembris MDCCLXXXIII., Sanctitas Sua ad praefatae electionis confirmationem devenit et in consistorio secreto, habito die XV. decembris eiusdem anni, seq. allocut. est professus:

ALLOCUTIO

VENERABILES FRATRES,

Iucundum nobis accidit, venerabiles fratres, habere aliquid, quod vobiscum communicemus ex Orientali Ecclesiâ ad nos perlatum, quae quanto longioribus distat intervallis, tanto magis nos excitat ad ipsius status cognoscendam constituendamque rationem. Ex quo primum Michael Giarve repudiatis Monophysitarum erroribus catholicam fidem professus est, numquam postmodum destitit sanctum, quod susceperat, urgere propositum, nobisque ac nostrae de Propagandâ Fide Congregationi magis in dies satisfacere tam amplis suae in religione constantiae pietatisque testimoniis, ut cum iam duobus annis Aleppensis Ecclesiae administrationi praefuisset, deinceps nos ipsum in eum episcopatum suo nomine regendum eveheremus. Statim excitatus est Ignatii schismatici Patriarchae ipsum eiusque clerum populumque persequendi furor; ac tum ad ceteras virtutes suae ille fortitudinis adiunxit exempla, ut nec laboribus, nec sumptibus, nec vinculorum etiam angustiis vinci potuerit. Cum brevi Patriarchae obitus intervenisset, ob tam late diffusam actionum suarum famam coactus pene fuit ab Episcopis, clero, ac primoribus populi in locum Mardin, patriarchalem nimirum sedem, se transferre: quo cum advenisset, catholicae Ecclesiae schismaticos quamplurimos operâ suâ studioque coniunxit. Huius adventus sui certiorem fecit nostram hanc de Propagandâ Fide Congregationem, ipsique paullo post nunciavit, se esse in Syrorum Patriarcham electum, adversantibus nequidquam aliquot e schismaticis, cum quatuor Episcopi nuper ad fidem a se conversi, ac Mardinensis clerus multique e populo sibi essent suffragati. Alias porro misit literas solemnem suam de more celebratam in Patriarchatus thronum evectionem referentes, ac orantes, ut electio haec confirmaretur, sibique Pallium Patriarchale transmitteretur. Haec postulata precibus suis prosecuti sunt, praeter quatuor illos Episcopos multosque missionarios, Ioseph IV. Chaldaeorum Patriarcha, et Petrus Eleazarus Armeniorum Mardinensis Archie-

haerentes, divina praeveniente gratiâ ac praestantissimo tui studio, ad Sanctae Romanae Ecclesiae sinum rediisse; nos, ne Patriarchalis Ecclesia praefata diutius vacationis exponatur incommodis, neque membra, quae requisiverunt sanitatem, prout de ipsâ Antiochenâ Ecclesiâ scripsit s. m. Innocentius Papa I. praedecessor noster, ab unitate corporis habeantur aliena, paternis eidem Ecclesiae ac solicitis studiis consulere volentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem patriarchali Ecclesiae Antiochenae personam utilem et fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, ad te Episcopum Aleppensem eiusdem ritus, quem venn. pariter fratres nostri Episcopi ac dilecti filii clerus et populus dicti ritus, iuxta eorum morem, ad praefatam patriarchalem Ecclesiam Antio-

piscopus. Ipse vero cum apud nos procuratorem constituit, quem ob sua merita plurimi facimus, ven. fratrem Ioannem Baptistam Miroudot du Bourg Babyloniae Episcopum, qui erat Aleppo Romam brevi profecturus, quique iam suis officiis ac studiis eum electionis successum non mediocriter provexerat. Incredibilis tum omnium fidelium animis emicabat consolatio, cum universi Patriarchatum illum post tot iam saecula ad catholicam communionem remigrasse mutuâ inter se gratulatione laetarentur. Vero enim simile est Syram illam nationem a Romanâ Ecclesiâ secessionem fecisse sub Iacobo Baradeo Edessae Episcopo iam ab anno Christi quingentesimo quinquagesimo primo, ab eoque Iacobitarum nomen accepisse, secutumque esse Monophysitarum errores post Eutychetem et Dioscorum unam in Iesu Christo naturam agnoscentium. Ex eo tempore in Patriarchatum illum, quem Antiochenum nuncupabant, post Severum Acephalorum ducem Episcopi eisdem erroribus infecti succedebant, multis interea exortis in eâ natione sedium episcopalium divisionibus, donec his ipsis in unum iterum patriarchatum iam ab anno MDCC. coalescentibus, deventum tandem fuit ad Patriarcham Georgium III. sub Ignatii nomine ab omnibus agnitum ac receptum. Atque huic in suo schismate nuper mortuo, succedit nunc is ipse Michael Giarve, hactenus ob Aleppi sedem Dionysii nomen tenens, ex ipsâ modo Antiochenâ sede vocandus, ut mos illic viget, Ignatius. Eius electionis nuncium libenter excepit haec nostra Propagandae Fidei Congregatio, eique iam ad Ecclesias a schismate convertendas confirmandasque catholicas partes incumbenti subsidia non mediocria, nobis annuentibus, submisit. Verum his laetis initiis successus nequaquam pares sunt consecuti. Iacobitarum enim factio venali Turcarum favore subnixa, expulso Giarve, Matthaeum quemdam Episcopum suum in patriarchatum intrusit. Hinc catholicorum fuga, hinc, ne in persequentes inciderent, passim quaesita latibula. Non diu tamen hac schismatici sunt laetati victoriâ. Matthaeus ecclesias diripiens, ut promissis satisfaceret, non solum suorum a se abalienavit animos, sed Turcarum etiam odia poenasque non effugit. Multa hic accidisse narrantur, ven. fratres, ex quibus cum ipsius Giarve, tum plurimorum eius nationis catholicorum animi constantiam ac in perferendo virtutem possemus agnoscere, nec non et aliqua divinae in eos clementiae eiusque praesidii perspicua argumenta; ut omnino confidere valeamus, brevi reprimendos esse adversariorum adhuc furentium conatus, Deique causam ad optatum exitum perducendam. In hoc rerum statu cum Romam iam advenerit memoratus Babyloniae Episcopus, ac ab ipso Giarve legitime, ne Romam accederet, impedito, allatam nobis exhibuerit fidei professionem, a multis etiam illis Episcopis subscriptam, suoque gravissimo testimonio optimam ipsius Giarve, Episcoporumque ac presbyterorum, nec non et Syrorum catholicorum omnium voluntatem comprobarit, riteque petierit ab hac Sede eiusdem Giarve in patriarchatu confirmationem ac Pallii concessionem; nos his omnibus per Congregationem de Propagandâ Fide expensis ac probatis, auditâ eiusdem sententiâ, confirmationem electionis in Syrorum Patriarcham libenter impertiendam existimamus, ac Pallii honorem, quem per suum procuratorem flagitat, benigne concedendum, ut hunc in modum illi catholicae nationi unum legitimum constituatur caput, quod suâ curâ, suâ vigilantiâ, zelo, virtute praeesse gregi possit, novos constituere Episcopos ad illarum Ecclesiarum conservationem ac amplificationem.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et approbamus electionem in Syrorum Patriarcham rite factam de personâ praedicti Michaelis Giarve, cum consuetis sanationibus a quocumque defectu etiam substantiali, quatenus opus fuerit, ac ab Aleppensi transferimus ad patriarchalem praefatam Ecclesiam, praeficientes eum in Patriarcham et Pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedulâ consistorialibus exprimetur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

In Append. Bull. de P. F. invenitur seq. ep. ad eundem Patriarcham, quam etiam pro historia transcribimus.

Dionysio Michaeli Giarve Patriarchae Antiocheno Syrorum electo Pallium concedit, ac formam iuramenti ab ipso in Pallii traditione praestandi exponit.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Venerabili fratri nostro Dionysio Michaeli Giarve Episcopo nuper Alepensi in Patriarcham Antiochenum Syrorum electo, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos hodie Ecclesiae patriarchali Antiochenae Syrorum, certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutae de personâ tuâ nobis et ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de fratrum eorumdem consilio duxerimus apostolicâ auctoritate providendum, praeficiendo te illi in Patriarcham et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Patriarchalis Antiochenae Syrorum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur, ac postmodum Pallium, insigne videlicet potestatis plenitudinis Pontificalis officii, ex parte tuâ fuerit a nobis per dilectum Franciscum Riganti Aulae nostrae consistorialis Advocatum cum eâ, qua docuit, instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes Pallium ipsum de corpore B. Petri Apostoli sumptum, per ven. fratres nostros Episcopos in illis partibus degentes tibi assignandum, per dilectum etiam filium ven. fratrem

chenam unanimiter elegerunt, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largiter Altissimus multipliciter insignivit, ac praesertim laboribus, studio et operibus, quae in procurandâ Antiochenae Ecclesiae Syrorum ac catholicae Ecclesiae unitate impendisti; quodque tu qui Ecclesiae Aleppensi hactenus laudabiliter praefuisti dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam scies voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis.

§ 2. Intendentes igitur tam dictae patriarchali Ecclesiae Antiochenae Syrorum, quam illius gregi dominico providere, te a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac electionem ipsam de eorumdem fratrum consilio apostolicâ auctoritate approbantes et confirmantes, te iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negociis de Propagandâ Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum, a vinculo, quo dictae Ecclesiae Aleppensi, cui tu praeeras, tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolvimus et liberamus, atque ad eamdem patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syrorum de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine paribus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae Syrorum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syrorum transeundi licentiam tribuendo, firmâ spe fiduciâque conceptis, quod dexterâ Domini tibi assistente propitiâ praefata patriarchalis Ecclesia Antiochena Syrorum sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

§ 3. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus ad dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syrorum cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus

---

nostrum Ioannem Baptistam Miroudot Episcopum Ecclesiae Babylonensis duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel alter eorum illud sub formâ infrascriptâ assignent vel assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub aliâ etiam praesentibus insertâ formâ fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum. Tu autem eodem Pallio infra dictam Patriarchalem Ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat uteris ab Apostolica Sede concessis, qui expressi in eiusdem Patriarchalis Ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus, et hortamur attente quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera largitur, observare studeas, quae suum servant et promovent Servatorem, ac eamdem Patriarchalem Ecclesiam Sponsam Tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare.

§ 2. Quocirca praefatis Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent, seu curet assignare, et a Te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, sub reliqua forma fidelitatis debitae solitum recipiant, seu recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, per proprium Nuncium quantocitius destinare procurent seu procuret.

Forma autem, qua praefati Episcopi in assignando tibi Pallio utentur, haec est:

Ad honorem Omnipotentis Dei, ac B. Mariae Virginis, et BB. Apostolorum Petri et Pauli, et Domini Nostri D. Pii Papae Sexti, et S. Romanae Ecclesiae, necnon Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis Syrorum tibi commissae, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris infra tuam Ecclesiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis et ab Apostolicâ Sede concessis.

Forma autem iuramenti, quod praestabis, haec est:

Ego Dionysius Michael Giarve, nuper Episcopus Alepensis, in Patriarcham Antiochenum Syrorum electus ab hac horâ in antea fidelis et obediens ero B. Petro, sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, et Domino Nostro D. Pio Papae Sexto, suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuncios, seu literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Patri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatos Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo, vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione, Apostolorum Limina singulis. . . . . . visitabo aut per me, aut per meum Nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium, ad Ecclesias inferiores spectantium, de anno domini millesimo sexcentesimo vigesimoquinto editam, servabo, sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae, millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, decimoctavo kal. ianuarii, pontificatns nostri anno nono.

proveniant, et tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur; ipsaque patriarchalis Ecclesia Antiochena Syrorum gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam: tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

§ 4. Venerabilibus propterea etiam fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis suffraganeis, ac dilectis etiam filiis clero et vassallis dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae Syrorum, et populo civitatis et dioecesis Antiochenae eiusdem Syriaci ritus per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas. Ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; ac clerus te pro nostro et eiusdem sedis reverentiâ benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debitâ honorificentiâ prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli autem praefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam et consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 5. Volumus autem, quod tu, antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae Syrorum te in aliquo immisceas, in manibus alicuius catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis et in illis partibus commorantis, fidelitatis debitae solitum iuramentum praestare iuxta unam et fidei catholicae professionem Orientalibus a Sede Apostolicâ praefatâ praescriptam iuxta alteram formas praesentibus adnotatas expresse emittere, cui per praesentes committimus et mandamus, ut ipse a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum ac professionem huiusmodi recipiat, et sic a te praestiti iuramenti et emissae professionis formas huiusmodi ad eamdem Congregationem de Propagandâ Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, infra praefixum tempus transmittere respective omnino tenearis.

§ 6. Forma autem iuramenti quod praestabis haec est:

« Ego Dionysius Michael Giarve nuper » Episcopus Aleppensis in Patriarcham An» tiochenum Syrorum electus, ab hac hora » in antea fidelis et obediens ero Beato Pe» tro sanctaeque Apostolicae Romanae Ec» clesiae ac domino nostro Pio Papae Sexto » suisque successoribus etc. » *Reliqua vide supra* pag. 56.

§ 7. Forma vero professionis fidei quam emittes haec est:

« Ego Dionysius Michael Giarve Episco» pus nuper Aleppensis in Patriarcham An» tiochenum Syrorum electus, firma fide » credo et profiteor omnia et singula quae » continentur in symbolo fidei quo S. R. » Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum » Deum Patrem omnipotentem, factorem » caeli et terrae, etc. » *Rel. vide sup.* p. 55.

« Ego idem Dionysius Michael Giarve Epi» scopus nuper Aleppensis in Patriarcham » Antiochenum Syrorum spondeo, voveo et » iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta » Dei Evangelia. »

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octogesimo tertio, decimo octavo kalendas ianuarii, pontif. nostri anno nono.

XLI.

Committit legato apud Russiar. imperatr. deputato erectionem archiepiscopatus latini ritus in civitate Mohiloviensi; potestatem confert eligendi Archiepiscopum cum iurisdictione in omnes catholicos latini ritus in ditionibus eiusdem imperatricis etc. (1).

(1) Ex Reg. lit. ad Principes h. a. transcribimus ep. ad Imperat. missam.

Imperatrici Russiarum rationem exponit cur distulerit Archiepiscopatum Mohiloviensem. erigere, eique Episcopum Mallensem praeficere, ac Presbyterum Benislavuscki illius coadiutorem eligeret: eamque certiorem reddit, se peculiarem administrum missurum, ut haec omnia exequutioni mandentur. Rogat tandem, ut Ecclesiae

Venerabili fratri Ioanni Andreae Archiepiscopo Chalcedonensi ad charissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum Poloniae regem illustrem nostro et Sedis Apostolicae Nuncio,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Onerosa pastoralis officii cura, qua Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini superni dispositioni consilii praesidemus, animum nostrum iugiter sollicitat, ut animarum periculis, quantum in Domino possumus, mature occurrere et spiritualibus Christifidelium, praesertim in longinquis partibus degentium, utilitatibus prospicere studeamus.

Ratio decernendae erectionis exponitur. § 2. Quamobrem cum in vastissimo Russiaco imperio nulla latini ritus constituta reperiatur ecclesia, cuius Episcopus non modo ea, quae sunt ordinis episcopalis exerceat, sed etiam ad pascendam salutaris doctrinae pabulo, custodiendamque illam catholici gregis partem, sedulo incumbat, libentissime eam occasionem amplexi sumus, qua nobis de catholici Episcopi opera et solatio tam dissitas regiones providere, Dei optimi maximi opitulante gratia, permittitur.

Facultas erigendi novum episcopatum, et § 3. Quod, ut felicius, atque secundum Romanae catholicae Ecclesiae regulas ac

---

Poloski Episcopum graeci ritus perficiendum curet.

Serenissimae, Potentissimae ac Magnae Dominae Czarinae et Ducissae Catharinae universae magnae, parvae et albae Russiae Auctocratici, necnon Magnorum Dominiorum orientalium, occidentalium Patronae, avitaeque haeredi, Dominae et Dominatrici.

PIUS PAPA VI.

Non potiamo dispensarci di rinnovare a Vostra Maestà Imperiale i nostri caratteri per la sensibile amarezza, che hanno causata nel nostro cuore le rappresentanze fatte in nome della maestà vostra dai suoi ministri residenti in Varsavia ed in Vienna ai nostri Nunzi Pontificii in quelle corti, cioè di voler privare i cattolici dei di lei dominii della imperial sua protezione, se da noi non si concederà subito e senza alcuna restrizione il Pallio a Monsig. Siestrenczevicz, e non si eriggerà la Chiesa di Mohilow in Arcivescovato con dargli in coadiutore il Canonico Benislavuski. Non sappiamo in vero comprendere qual irritazione abbiamo potuto noi causare nell'animo di vostra maestà, per cui siasi indotta a così risoluta minaccia, quandochè mai si è da noi negata l'annuenza alle sovraccennate richieste della maestà vostra: ma soltanto le manifestassimo, che prima di accrescere la dignità del Vescovo di Mallo, avendo questo insultato con pubblico mandamento il nostro carattere, appogiandolo a quei nostri rescritti, che sol parlavano di Ordini regolari legittimamente esistenti, con abusare del nostro nome e dato ad intendere averlo noi autorizzato per accreditare un fatto del tutto contrario alle manifeste nostre intenzioni; pareva, che il chiedere un qualche risarcimento all'offesa dal medesimo fattaci, ben lungi dall'essere appreso per ingiurioso a vostra maestà, potesse anzi concorrervi con la sua autorità, acciò non resti avvilito il nostro decoro, come allo stess'oggetto s'interesserebbe per ogni sovrano, affine di rivendicare l'oltraggio fattogli da un di lei suddito.

Del pari non offensiva stimassimo la domanda di darsi ai cattolici di Polosko un Vescovo del loro rito in luogo di Monsig. Smogorzewshi, acciò, come lo hanno i Latini in Mohilow, lo abbiano ancora i Greci in Polosko, e siano egualmente assistiti per l'esercizio della loro Religione cattolica, anche garantita dai pubblici trattati.

Ma perchè alla replica fattaci da vostra maestà non travedessimo disposizione ad essere esaudite le nostre suppliche; perciò ritornati che fossimo dal viaggio, che facessimo in Germania, dassimo al nostro Nunzio in Varsavia le opportune istruzioni d'intendersela col Co. di Stakelberg suo Ministro colà, al quale essendo state comunicate entro il mese di novembre dell'anno scorso, accadde, che, prima che giunsero a Pietroburgo, erasi spiccato l'intimo minaccevole contro i cattolici. Da questa nostra condotta non sappiam concepire come il generoso cuore di vostra maestà possa recarsi ad offesa, che siasi da noi insistito per ricevere due grazie, mentre eravamo richiesti di farne altre, che mai abbiamo negate; cionondimeno rimettendo per riguardo della maestà vostra e pel bene della Religione cattolica ogni ingiuria recataci dal Vescovo di Mallo, sarem pronti ad eriggere in Arcivescovile la Chiesa di Mohilow, e a constituirvi per primo Arcivescovo lo stesso Vescovo di Mallo, e decorarlo del Pallio, con dargli per Coadiutore il Benislavuski, bastandoci per compenso, di poter giustificare in faccia al mondo colla nostra buona fede il decoro della nostra Cattedra, e l'autorità dei suoi decreti. E siccome il nuovo Arcivescovo deve esser cattolico, come anche vostra maestà vuol che lo sia, è necessario che questa nuova Cattedra venga stabilita sulle regole della Chiesa cattolica, e con dipendenza dal suo capo. Così per viepiù comprovare alla maestà vostra il desiderio che abbiamo di sollecitamente compiacerla, abbiamo determinato, quando sia in suo piacimento, di spedire costà un nostro ministro colle necessarie facoltà, acciò sotto i suoi occhi si proceda a questa erezione, si dia il Pallio, si consacri il Benislavuski, e tutto si disponga con sua soddisfazione, salve in ogni parte le massime della cattolica Romana Chiesa. Scorge da tutto ciò la penetrazione di vostra maestà, che a nulla manchiamo di quanto può essere di gradimento della medesima. Ma al tempo stesso la preghiamo a non irritarsi, se le rinnoviamo la supplica, che siaci permesso di creare un Vescovo per i Greci, ai quali può esser molto più utile, che un concistoro provvisionale, in cui niuno di quelli che lo compongono sa far sue tutte quelle cure, che fa un pastor principale, che non deve dividerle con altri: E su di ciò vostra maestà può esser persuasa non aver noi altra mira, che di compiere ai doveri di Pastore e dei Latini e dei Greci cattolici; e di dare alla maestà vostra campo di diffondere e sopra gli uni e sopra gli altri le sue beneficenze. Torniamo a diriggere i nostri voti al Signore, ut maiestatem tuam perfecta caritate nobis et catholicae Ecclesiae coniungat.

Datum Romae apud S. Petrum, die XI. ianuarii MDCCLXXXIII., pontificatus nostri anno IX.

deputandi rectorem Nuntio apostolico conceditur.

instituta perficiatur, tibi, venerabilis frater, de cuius fide, integritate, prudentia et catholicae religionis zelo plenam habemus in Domino fiduciam, praesentium auctoritate concedimus, ut durante legatione, quam tibi demandavimus apud potentissimam totius Russiae imperatricem, civitatem Mohiloviae in Alba Russia, unamque ex illius civitatis, quae tibi magis idonea visa fuerit, ecclesiis, secundum canonicas sanctiones, in metropolitanam ac sedem archiepiscopalem latini ritus pro uno Archiepiscopo Mohiloviensi, seu Albae Russiae nuncupando, congrua aliqua assignata dote, erigas ac constituas, cum pallii et crucis deferendae honore, aliisque omnibus iuribus, praerogativis atque insigniis, quae de iure Archiepiscopis et Metropolitanis competere dignoscuntur; ac praeterea, ut praedictae abs te sic erectae ac constitutae metropolitanae ecclesiae virum honestum et providum, ac in vinea Domini strenue laborantem, qui pontificali conveniat oneri ac honori, praedicta auctoritate nostra deputes ac praeficias, cui, nisi iam episcopali charactere sit insignitus, vel tu ipse, vel alius quilibet Episcopus per te deputandus cum duobus aliis Episcopis Apostolicae Sedis communionem habentibus, vel, si non adsint, duobus ecclesiasticis viris in aliqua dignitate constitutis, episcopalis consecrationis munus impendas vel impendat; pallium, quod ex beati Petri corpore desumptum tibi mittimus, eidem imponat, recepto tamen prius nostro et Romanae Sedis nomine iuramento, quod tam in electi consecratione, quam in pallii traditione ab omnibus noviter electis Archiepiscopis haec Apostolica Sedes recipere consuevit.

Licentia de erigendis canonicatibus in ecclesia metropolitana.

§ 4. Praeterea, si in praefata Mohiloviensi per te designanda ecclesia beneficia aliqua fundata existant vel constitui possint, volumus, ut ea in canonicatus dignitatem atque honorem, si ita ad Dei cultum eiusdemque metropolitanae erigendae ecclesiae decus noveris expedire, evehere possis, pro totidem clericis aut presbyteris saecularibus, qui capitulum eiusdem ecclesiae, iuxta canonicas sanctiones, ac praesertim iuxta sacrosancti Tridentini Concilii decreta, constituant atque componant, cum omnibus honoribus, praerogativis ac iuribus, quae metropolitanarum ecclesiarum capitulis de iure conveniunt.

Declaratio circa iurisdictionem novi Episcopi.

§ 5. Ut vero in amplissimo totius Russiae ac aliorum regnorum, quae praedictae imperatricis subsunt imperio, novus abs te creandus Mohiloviensis Archiepiscopus suam possit supra catholicos latini ritus ordinariam auctoritatem et iurisdictionem exercere, quoadusque altera nobis alios catholicos Episcopos deputandi sese offerat occasio, ac donec aliter per hanc Apostolicam Sedem fuerit dispositum, omnes Christifideles tam ecclesiasticos quam saeculares universumque clerum ac populum latini ritus in Russia atque aliis praedictis regnis existentem, quamvis alteri cuiuscumque dioecesis Episcopo hucusque subiectus fuisset, eidem novo Archiepiscopo, suisque in archiepiscopatu praedicto canonice subrogandis successoribus, deinceps subiectum declarare ac decernere auctoritate nostra tibi committimus ac indulgemus, contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: ita ut novus Archiepiscopus, eiusque in archiepiscopatu legitimi successores, in nostra et Apostolicae Sedis communione permanentes, in praedictis regnis catholicas latinorum ecclesias, vel per se ipsos, vel per alios ab ipsis delegandos, visitare, abusus tollere, fidelium mores corrigere, eaque omnia exercere possint, quae iuxta canonicas sanctiones, Tridentini Concilii decreta, et Apostolicae Sedis constitutiones Episcopis permittuntur, salva semper in omnibus nostra et huius Apostolicae Sedis auctoritate.

Deputatio coadiutoris cum futura successione.

§ 6. Cum vero in tam longinquis vastissimisque regionibus, quae ad Europae et Asiae partes protenduntur, minime unus sufficere possit Episcopus; ideo nos animarum saluti, quantum in Domino possumus, prospicere volentes, tibi pariter, ut postquam novum Archiepiscopum Mohiloviensem elegeris, ac in eius ecclesiae possessionem immiseris, coadiutorem illi cum futura successione sacerdotem aliquem saecularem probum et idoneum designare, ac episcopalis ecclesiae Gadarensis in partibus infidelium titulo decoratum, recepto ante consecrationem solito iuramento, vel per te ipsum, vel per alium catholicum antistitem cum aliorum duorum Episcoporum, si commode haberi poterunt, vel saltem duorum ecclesiasticorum aliqua dignitate fulgentium assistentia consecrare possis et valeas, auctoritate nostra concedimus et impertimur. Ac demum, ut ea pro prudentia ac religione tua peragas, quae ad maiorem Dei honorem ac cultum, ac catholicae Ecclesiae unitatem et incrementum, ac ad Christifidelium spirituale bonum et uti-

litatem magis in Domino noveris expedire, tibi enixe commendamus, praecipimus ac hortamur.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis specialibus vel generalibus aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque ecclesiarum latini ritus, quibus antea omnes Christifideles in Russia aliisque regnis praedictis, ut praefertur, existentes subiecti erant, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus nostri anno nono.

XLII.

Ad mentem Conc. Trid. et Gregor. XIV. disponit super instructione promovendorum ad archiepiscopatus Indianos etc.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Quae requirantur ad promotionem Episcopi enumerantur.

§ 1. Quanta cura et qua sollicitudine cum sacrum Tridentinum Concilium, tum etiam nostri praedecessores, et praesertim felicis recordationis Gregorius PP. XIV. praedecessor itidem noster in sua constitutione, quae incipit *Onus apostolicae servitutis,* sub datum die XV. maii MDXCI. (1), praecavendum esse censuerint, ut manus cito nemini imponerentur, ne scilicet ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae sacerdotalis honor tribueretur, neve indignis et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et ecclesiarum gubernatio crederetur, plures ordinationes et leges, quae circa promovendorum ipsis angelicis humeris formidandum episcopatus ministerium, fidem, vitam, mores, doctrinam et prudentiam tulerint, quam maxime comprobent; siquidem inter caetera memoratus Gregorius praedecessor providentiae Concilii Tridentini disponens, ut in provincialibus synodis per metropolitanos habendis praescriberetur, quibusque locis et provinciis propriae examinis, seu inquisitionis aut instructionis faciendae forma Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis et opportuna esse videretur, cui tunc temporis, nisi a paucissimis obtemperatum fuerat, supplere desiderans, ne interim lupi rapaces, potius ad dispergendum, quam boni pastores ad pascendum dominicum gregem se se intruderent, unde ad episcopalis dignitatis collegium sublimando indignum alienis peccatis communicarent, de fide, vita, moribus, doctrina et prudentia promovendorum instructionem, examen et inquisitionem, dum extra curiam esset facienda, ad eiusdem Tridentini Concilii mentem Apostolicae Sedis Legatis seu Nunciis provinciarum, aut eius, de quo sit inquisitio, Ordinario, eoque deficiente, Ordinariis vicinioribus, iuxta modum ac formam in eadem constitutione expressam commisit.

Exceptiones adhibitae pro Episcopis in Indiis promovendis.

§ 2. Verum sicut nobis nuper exponi fecit carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quamvis usque in praesens religiosissime in Hispaniis, dum de promovendorum huiusmodi inquisitione ac examine suscipiendo agitur, insinuata methodus sit observata et adhuc observetur; attamen, quoties res est de praeficiendis Episcopis cathedralibus ecclesiis in Indiis existentibus, sive sint promovendi nati et commorantes in Indiis, sive nati Indi et commorantes in Hispa-

(1) Vide const. istam in notis vol. I., pag. 92; et Ben. XIV. const. *Gravissimum.*

niis, sive nati Hispani, et commorantes in Indiis, deficiente Legato aut Nuncio Apostolico, aut alio Legati Apostolici vicesgerente in regnis Hispaniarum praedictis, cum ob ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in iis dissitis regionibus summum inter se intervallum, tum etiam ob dubium, num ab Ordinario loci aut domicilii sit assumendum praescriptum examen Gregorianae constitutionis methodus aliqua secum ferat incommoda, ut nempe ecclesiae huiusmodi saepe saepius, non sine gravi animarum Christifidelium detrimento, diu suis pastoribus sint viduatae, aliaeque exoriantur disputationes, quibus memoratus Karolus rex catholicus pro ea pietate ac religionis zelo, quo in iis omnibus impense nititur, quae nedum temporale, sed etiam spirituale suorum subditorum bonum respiciunt, obviam ire summopere desiderans; nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Remittuntur conditiones volitae a constitutione Gregoriana, pro Episcopis antedictis.

§ 3. Nos igitur, qui aeque ac praedecessores nostri probe novimus, quanti intersit, idoneos pastores ecclesiis praeficere, cum integritas praesidentium salus sit subditorum, et quanti Christifidelium bono inferat ecclesiae viduatae luctum, citius abstergere per novam sui Episcopi electionem, quoniam ex experientia ipsa inferre licet, Gregorianam constitutionem praedictam ad ecclesias in Indiis, ut praefertur, consistentes, nisi incommode extendi, a dicta dispositione Concilii Tridentini, ut nempe cum non uniformis ubique ex nationum, populorum ac morum varietate ad sumendam de qualitate promovendorum debitam instructionem et examen, ratio possit adhiberi, in provinciali synodo praescribitur, quibusque locis faciendae inquisitionis et instructionis forma non recedentes, nec non dicti Karoli regis catholici votis annuere volentes, memoratam Gregorianam constitutionem praesentibus pro plene ac sufficienter expressam ac de verbo ad verbum insertam habentes, ut deinceps perpetuis futuris temporibus, si eligendi ac praeficiendi erunt Episcopi ecclesiis metropolitanis aut cathedralibus in Indiis eidem Karolo regi catholico subiectis consistentibus, de promovendorum fide, vita, moribus, doctrina et prudentia examen, instructio seu inquisitio, quatenus in regnis Hispaniarum nullus Apostolicus Legatus aut Nuncius aut alius Legati vicesgerens adsit, ab Archiepiscopo Toletano, eoque deficiente ab inquisitore generali haereticae pravitatis in Hispania existenti, quo pariter deficiente, a patriarcha Indiarum respective pro tempore existentibus erit facienda, servata in reliquis eiusdem Gregorianae constitutionis forma, nisi iustis de causis nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici per speciale mandatum alteri hoc munus quandoque committendum visum fuerit, auctoritate apostolica decernimus, constituimus ac mandamus.

Declarationes speciales.

§ 4. Quod si forte aliquis praedictorum consanguinitate aut affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contigerit, ut omnis suspicio carnalis affectus a tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque eum, qui proxime sequitur, si Legatus aut Nuncius, aut quivis alius Legati vicesgerens, excludendus erit, ad Archiepiscopum Toletanum, si Archiepiscopus Toletanus, ad inquisitorem generalem, si inquisitor generalis, ad Patriarcham Indiarum inquisitionis officium deferri, auctoritate et tenore praedictis volumus ac declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos ac Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus memorati Gregorii praedecessoris, aliisque apostolicis ac in Concilio Tridentino, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque

totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima sexta maii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus nostri anno nono.

XLIII.

Petenti Archiepiscopo Vindobonensi a Pontifice iurisdictionem in fratres Ordinis SSmae Trinitatis Constantinopoli degentes, quos uti sacellanos Oratoris Austriaci in eâ civitate gubernium Austriacum pendere decreverat ab eodem Archiepiscopo, Pontifex plura adducit quibus ex facto et iure probet, non solum eosdem fratres haberi non posse de familiâ Oratoris illius, sed insuper et praecipue eosdem fratres etsi, uti sacellani Oratoris spectarentur, eximi non posse a iurisdictione Vicarii Patriarchalis Constantinopolitani, adeoque negat Archiepiscopo Vindobonensi petitam auctoritatem (1).

Emo. Card. Mignazzi Arch. Viennensi.

Sig. Card. Nostro Stimo.

In riscontro dell' ultima sua dei 14 del caduto luglio, con cui ci chiama a darle facoltà di agire in figura di Ordinario sui PP. Trinitari dimoranti nell'ospizio di Pera, senza che vi si debba più ingerire il Vicario Apostolico, e ciò in seguito del decreto rimessoci dalla Reggenza dell' Austria inferiore; dobbiamo premettere, che non sussiste, quanto si dice in detto decreto, che quel Vicario *sia unicamente destinato per le missioni,* quando nella Bolla di sua deputazione si legge « Pro necessitatibus spirituatibus Christifidelium Ecclesiae Constantinopolitanae subiectorum. »

Inoltre dobbiam pure premettere, che la diocesi di Costantinopoli è specialmente riservata alla cura nostra, e perciò governata da un Vicario amovibile « Ad nostrum » et Sedis Apostolicae beneplacitum » come nella stessa Bolla.

Finalmente dobbiamo aggiungere, che avendo l' Imperator Carlo VI. ottenuto nel 1719 dalla Corte Ottomana un diploma per la fondazione di un Convento dei PP. Trinitarî in Constantinopoli o sia in Pera, supplicarono i medesimi la S. Sede di stabilire ivi una residenza « per meglio adempire » l'Istituto della Redenzione, » sono parole del loro memoriale; ed essendosi in seguito intesi i Generali di quegli altri Ordini, che vi avevano Conventi da prima, fu sotto li 16 marzo 1723 commesso al Vicario Apostolico di Costantinopoli di quel tempo che « Facultatem praeberet PP. Trinitariis aedificandi Hospitium in civitate » Perae, cum Cappellis seu Oratorio tantum interiori et privato » Locchè nel 1737 fu esteso all' approvazione dell'esercizio di molte funzioni, le quali non fossero parrocchiali, come altresì l'Oratorio interno e privato a poco a poco divenne pubblico, specialmente dopo il 1762, in cui per un grande incendio accaduto dovette riedificarsi e la Chiesa e l' Ospizio.

Tutto ciò premesso in fatto, non sappiamo intendere per qual ragione dobbiamo noi dividere con Lei la diocesi di Costantinopoli, e crearla Vescovo di una parte della medesima con spogliare il nostro Vicario Apostolico di quell' autorità, che ha sempre esercitata in nostro nome, anche sui cappellani degli ambasciatori e ministri regii. Troppo chiare sono le sanzioni canoniche, e i decreti della Congregazione di Propaganda Fide dei 27 agosto 1655, dei 22 febbraio 1707, dei 13 luglio 1739; nei quali si stabilisce « Sciant cappellani omnium oratorum in civitate Constantinopolitana degentes *Sacramenta esse nulla,* quatenus ab eis fuerint ministrata, » independenter ab Ordinario, sciantque teneri *sub gravi* patefacere poenitentibus, » se non habere facultates administrandi » sacramenta, et proinde *absolutiones* administratas contra formam decretorum » *esse nullas,* idque pariter Parochi patefacere curent, ne poenitentes ignari di-

---

(1) Ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide.

» ctae prohibitionis et decretorum recipiant » absolutiones a non habentibus faculta- » tem. »

Furono i PP. Trinitarii stabiliti in Costantinopoli per adempire principalmente il loro Istituto della Redenzione de' schiavi, come abbiamo poco sopra provato; onde se per comodo di nazionalità servono da cappellani all'Internunzio Cesareo, non possono propriamente considerarsi domestici, e del seguito del medesimo, acciò tutta quella religiosa famiglia debba per una occasionale combinazione passar per sempre in altra giurisdizione, e sottrarsi dalla soggezione, a cui fu sottoposta in ragione del suo Istituto nella primiera fondazione.

Ma fingasi pure, che quei religiosi debbano essere tutti considerati come cappellani di legazione: e che per ciò? Forse per quella ragione, che si adduce nel decreto della Reggenza Austriaca, che debbano aversi per tuttavia esistenti nel luogo da dove partirono in forza del dritto delle genti, per cui (come dice il decreto) l'ambasceria è bensì *in territorio,* ma non mai *de territorio alieno;* senza che possa a questo dritto far la disciplina della Chiesa la minima violenza.

Tralasceremo di discutere le tante questioni, che si fanno sulla precisa nozione del dritto delle genti, e solo diremo, che avendo questo i suoi principii dal gius naturale, e le sue conseguenze dalla volontà ragionevole ed usitata fra molte genti; quindi è, che se possono secondo l'angelico dottor S. Tommaso aggiungersi talora dal Sovrano alcune leggi utili alla società, deve egualmente poter la Chiesa, che non manca di autorità, nè può restare oziosa, aggiungere anch'essa i suoi decreti giovevoli ai fedeli, acciò gli adempiscano; e in fatti i scrittori Ortodossi dicono, che ad effetto, che il consenso delle genti possa stabilire un dritto fra le medesime, d'uopo è, che s'aggiri sopra materie soggette alla loro autorità, e non dipendenti da dritti più sublimi, come di natura, e di sacro. E perciò seguono a dire, che fino a quando le nuove eresie non s'insinuavano a danno della religione, il gius canonico era una specie di dritto delle genti fedeli, le quali volendosi mantener tali, non devono dal medesimo dipartirsi con aborrimento a quello che insegnano i protestanti.

Nulla vi è di più certo, che alcuno possa esser soggetto a più giurisdizioni, qualora queste non s'opponghino all'esercizio dei suoi legittimi impieghi, e perciò accorrendo i publicisti all'obiezione precisa, che si fa nel decreto della reggenza di non esser l'ambasceria *del territorio,* in cui si trova, dicono esser questa una maniera di esprimere la sua indipendenza, e tutti i dritti necessarii ai suoi giusti effetti, ma che tal finzione non può trasferire nell'ambasciatore i dritti più speciali riservati al Sovrano del luogo, come troppo delicati e troppo importanti per esser comunicati a un forastiere, dei quali non ha bisogno per disimpegnare con dignità le sue funzioni. Questi sono i termini, con cui spiega la divisata troppo generica distinzione *del* territorio e *nel* territorio, il Vattel nel suo dritto delle genti, tom. 2, lib. 4, cap. 9, § 124 in fin., edit. Londr. 1758.

Ora qual obice più alieno e meno opposto alle viste di un'ambasceria, può esser quello che i cappellani di legazione sieno soggetti alla giurisdizione spirituale dell'Ordinario locale? giacchè per poco che riflettasi alla diversità degli oggetti a cui è diretta la politica e l'ecclesiastica podestà, ne resta ognuno convinto.

D'altronde qual dritto incompetente alla podestà laica, e più certo nel Papa secondo i cattolici, di quello di prescrivere i confini alle diocesi, come riguardanti l'esercizio della religione? Ella sa ciò che scrisse S. Basilio all'Imperator Valente che voleva s'istituissero due Vescovi nella Cappadocia per averla il medesimo divisa. Lo stesso decretarono altri molti Pontefici, e sostennero con soda dottrina i SS. Padri in simili contingenze. Per la qual cosa *Antonio Santos* nel trattato del *dritto pubblico* universale non dubitò di asserire, che sebbene gli ambasciatori e i lor domestici sieno esenti dalla giurisdizione civile del Principe, a cui furono inviati, non lo sono però da quella del Vescovo e del parroco locale, dei quali divengono al pari che i cittadini naturali, e diocesani, e parrocchiani. Quanto questo Autore afferma, essendo espresso con diffusione, e nella sua lingua spagnola, lo abbiamo tradotto in italiano, e fatto scrivere per di Lei comodo nel foglio annesso.

Ma più di qualunque accreditato scrittore valerà a nostro credere un argomento invincibile, qual è, che se le cappelle degli stessi Sovrani incorporate ai palazzi di lor residenza sarebbero soggette agli Ordinarî dei luoghi, se non fossero state con privilegio Apostolico dismembrate, ed assegnatogli un Vescovo particolare; con qual mag-

gior dritto potranno pretendere i rappresentanti di un Principe, ciò che allo stesso Principe non compete?

Abbiamo qui sotto i nostri occhi ambasciatori di più Sovrani, che tutti fanno capo, e dipendono nelle materie spirituali da quel parroco, nei cui limiti sono le loro abitazioni; e ve n'è qualcuno, che si porta con formalità di corteggio di tutta la sua famiglia alla parrocchia in occasione della Pasqua, nè alcuno ha mai preteso per dritto delle genti di dipender dal Vescovo o parroco di sua origine. Lo stesso sappiamo esser negli altri stati, ove la cattolica religione non trova ostacoli. Onde richiamando noi qui uno dei caratteri essenziali del dritto delle genti, qual è, che sia in uso presso tutte o molte nazioni, e vedendosi finora praticato il contrario di quello che si vuole da codesta reggenza, rendesi affatto insussistente l'appoggio, con cui ha colorito il suo decreto, cioè colla maschera del dritto delle genti.

E in realtà come potrebbesi in ogni occorrenza di più specie dar provvedimento a tanti impreveduti spirituali bisogni non meno del popolo, che degli stessi cappellani dipendenti da un Vescovo dimorante tanto lontano. Noi dicessimo, che governiamo la diocesi di Costantinopoli, ma per la distanza in cui ci troviamo da colà, vi sostituiamo un Vicario col carattère vescovile, acciò sia pronto ad agire opportunamente in vece nostra, sempre che le occasioni il richieggano; e potrà Ella lusingarsi farlo da Vienna? Il fatto parla da sè, e molto più riflettendo, che specialmente costà voglion dividersi e moliplicarsi i vescovati, con mettere in vista, che un Vescovo non può aver cura di tratti troppo vasti di diocesi.

Sappiamo che non meno degli ambasciatori si reputano privilegiati, e del territorio del proprio Sovrano i Prefetti, ch'egli manda a governare in suo nome, e in sua rappresentanza, le provincie; eppure la tradizione della Chiesa c'istruisce, che quanto allo spirituale furon sempre soggetti all'Ordinario del luogo in cui dimoravano. Il Governator della Libia si reputò suddito alla giurisdizione di S. Atanasio, e fu da lui punito pei suoi eccessi. Il prefetto di Cappadocia venuto a Nazianzo, adirato contro quei cittadini, ricevè dal Vescovo S. Gregorio una forte invettiva, e lo chiamò « Sacri mei gregis ovis sacra. » Insomma sarà difficile trovare esempi in tutta l'antichità di Prefetti o di Legati, che sieno stati legittimamente esenti dalla spiritual potestà dei Vescovi, nelle cui diocesi si trovavano.

Ad evidenza pertanto si scorge, che senza lesione di alcun dritto, ma con la più adattata utile economia disposero i decreti da principio indicati, che se i cappellani degli ambasciatori in Costantinopoli avessero amministrati i sacramenti indipendentemente dal Vicario Apostolico, sarebbero stati nulli, e che perciò ed essi e i parrochi dovevano annunziarlo ai penitenti.

Lei che sa di non poter sconfinare cogli atti di giurisdizione dai limiti prefissi alla sua diocesi, e sa eziandio che « Ecclesias, » quae sunt in barbaricis gentibus confirma- » tae, regere atque administrare oportet » secundum consuetudinem, quam a patri- » bus obtinuisse dignoscitur » come leggesi nel Can. IV. del Concilio Costantinopolitano I, e perchè non ignora finalmente, che « Imperiali iudicio non possunt ecclesiasti- » ca iura dissolvi », si è rivolto a noi, acciò glie lo concediamo per la chiesa ed ospizio dei Trinitari di Pera: ma noi che sappiamo egualmente doversi mantenere illeso ad ognuno l'onore dell'integrità della sua Cattedra, come al proposito scrisse S. Leone Magno in rimprovero ad Anatolio Vescovo di Costantinopoli, dobbiamo terminare la presente col sentimento e con la parola dello stesso S. Pontefice all'imperator Marciano nell'epist. 78 al cap. 3: « Privilegia » enim ecclesiarum Sanctorum Patrum ca- » nonibus instituta, et venerabilis Nicae- » nae Synodi fixa decretis, nulla possunt » improbitate convelli, nulla novitate vio- » lari. In quo opere, auxiliante Christo, fi- » deliter exequendo, necesse est me perse- » verantem exhibere famulatum. Quoniam » dispensatio mihi credita est, et ad meum » tendit reatum, si paternarum regulae » sanctionum, quae in Synodo Nicaena ad » totius Ecclesiae regimen, spiritu Dei in- » struente, sunt conditae, me (quod absit) » connivente, violentur; et maior sit apud » me unius fratris voluntas, quam univer- » sae domus Domini communis utilitas. »

Restiamo con darle di vero cuore la paterna apostolica benedizione.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVI. augusti MDCCLXXXIII., pontificatus nostri an. IX.

XLIV.

Episcopo Babylonensi latini ritus tunc existenti singulari privilegio sacrum Pallium eiusque usum concedit.

Venerabili fratri Ioanni Baptistae Episcopo Babylonensi,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia aeterni regni praemia reservari, nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, ut in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Cum itaque, sicut accepimus, post tuum in hanc almam Urbem nostram adventum, ut limina BB. Apostolorum Petri et Pauli visitares, largiente omnipotente Domino a die, qua te Ecclesiae Babylonensi in Episcopum et pastorem praefecimus, ad christianam in tuae curae commissâ dioecesi promovendam religionem, ac fidem catholicam inter finitimarum provinciarum errores puram illibatamque servandam, necnon ad ipsos fideles, ne sicut parvuli fluctuantes omni vento doctrinae in astutiâ ad circumventionem erroris circumferantur, adiuvandos, plures exantlaveris labores, ac singulari erga nos et hanc S. Sedem Apostolicam existas voluntate ac observantiâ, meritorum tuorum huiusmodi rationem habere volentes, te Pallii usu, quod nisi multis exigentibus causis iuxta priscam consuetudinem dabatur, donare constituimus. Pallium quippe, quod, ex lanâ contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit inventamque humeris suis sustulit, pellem significat, ut Episcopus, qui Christum ipsum gerit, ipsius munere fungatur, atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendat, se boni ac magni illius Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

§ 2. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ut magis magisque ad ea, quae Dei sunt, procuranda inflammeris, tibi ecclesiastici Pallii, insignis videlicet plenitudinis potestatis, usum de corpore B. Petri sumendi in solemnitatibus per sacros canones praescriptis, et intra tuam Ecclesiam, auctoritate apostolicâ ex speciali dono gratiae tenore praesentium concedimus et impertimur. Pallium vero huiusmodi, praemissis iureiurando caeterisque caeremoniis, quae cum Archiepiscopis pallia traduntur servari solitae sunt, per unum aut alterum Archiepiscopum seu Episcopum per nos designandum accipies, illudque retinebis veluti pignus erga te nostrum. Ut autem signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mentem, fraternitatem tuam in Domino monemus et hortamur, ut, cum honor crescit, etiam sollicitudo proficiat, et erga caeterorum custodiam vigilantia excrescat, vitae quoque merita subiectis in exemplum veniant, et nunquam tua per suscepti honoris gratiam, sed lucra caelestis gratiae tu exquiras; nosti enim quid B. Apostolus gemens dicat, omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Christi. Utque insuper concessione seu indulto huiusmodi pacifice frui valeas, quibusvis Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis usu Pallii praedicto ex Apostolicae Sedis benignitate gaudentibus districtius inhibemus in virtute sanctae obedientiae, ne te quovis modo seu praetextu super praemissis audeant quomodolibet molestare, ac usum Pallii huiusmodi quoquo modo impedire praesumant.

§ 3. Decernentes has praesentes literas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutio-

nibus et ordinationibus, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. dec. MDCCLXXXIII., pontificatus nostri anno IX.

XLV.

Committit Episcopo de Arequipa in Indiis, ut concedat monialibus de velo albo *nuncupatis monasterii Sanctae Theresiae a Iesu Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo dictae civitatis facultatem sumendi velum nigrum, earum tamen accedente consensu.*

Venerabili fratri Episcopo de Arequipa in Indiis,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum a monialibus.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa et moniales monasterii Sanctae Theresiae a Iesu Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo nuncupatae civitatis de Arequipa in Indiis, quod in fundatione seu erectione eiusdem monasterii statutum fuit, ut in numerum viginti unius monialium tunc praescriptum admittendae tantummodo essent moniales professae cum velo nigro, quodque aliae tres aut plures moniales cum velo albo vulgo *legasibide* nuncupato minorem dotem afferentes a choro aliisque officiis onerosis monasterii praedicti exemptae ac immunes esse debeant, ac alias prout in lege fundationis seu erectionis monasterii huiusmodi uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, huiusmodi tres vel plures moniales, quae velum album deferunt, et a choro aliisque officiis praedictis exemptae sunt, inutiles evadant dicto monasterio, a quo ipsis alimenta suppeditantur.

Ratio concessionis.

§ 2. Hinc exponentes praefatae, ut praesertim in choro et in casu infirmitatis aliarum, quo fieri potest, maior sit monialium numerus ibidem interessentium, non solum a tribus monialibus, quae cum velo albo, ut praefertur, in dicto monasterio nunc reperiuntur, sed etiam ab aliis, quae in earum locum idem monasterium ingressurae sunt, nigrum velum assumi debere summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, et dummodo moniales de velo albo, quae nunc in dicto monasterio reperiuntur, suum praestent consensum, eis petitam facultatem sumendi velum nigrum pro tuo arbitrio et conscientia indulgeas, simulque, quatenus dictae moniales consensum praedictum praestent, vel etiam, si illum non praestent, facultatem in posterum, praevia reductione, non admittendi moniales nisi ad velum nigrum cum honoribus et oneribus eisdem competentibus concedas.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictorum ordinis et monaste-

rii etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, fundationis et erectionis legibus, ac consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. ian. MDCCLXXXIV., pontificatus nostri anno IX.

XLVI.

Ad preces regis, tenore praesentium, perpetuo constituit Antistitem graeci ritus in regno Siciliae ultra Pharum ut ad sacros ordines promoveat Italos-Graecos incolas eiusdem regni in ecclesia S. Demetrii loci della Piana *dioecesis Panormitanae.*

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Commissa Nobis divinitus ecclesiarum omnium sollicitudo postulat, ut quae a praedecessoribus Nostris vel instituta vel incoepta sunt ad orthodoxae religionis uberiorem progressum, praesidium et decus, libenter confirmare servareque conemur, et, quantum in Domino possumus, ad optatum exitum perfectionemque deducamus.

Memoratur erectio collegii Corsini facta a Clemente XII. in dioecesi Bisinianensi pro instructione adolescentulorum Italo-Graecorum.

§ 2. Cum itaque, sicut ex indubiis monumentis accepimus, venerabiles fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi usque ab anno MDCCXVIII. instantibus alumnis collegii Graecorum de urbe, aliisque piis viris ac religiosis, in animum habuerint consulere spiritualibus indigentiis Italo-Graecorum seu Albanensium, quorum maxima copia est in regnis utriusque Siciliae, et in Calabria praesertim, titularem ibi Archiepiscopum seu Episcopum iis in locis constituere, qui nonnullis abusibus in graecum ritum invectis salutaria compararet remedia, omniaque ad pristinum nitorem constitueret, eosdemque Italo-Graecos seu Albanenses graecarum literarum sacrarumque caeremoniarum proprii ritus omnino expertes instrueret, et ad sacros ordines promoveret; cum proinde fel. rec. Clemens PP. XII. praedecessor Noster in Bisinianensi dioecesi seminarium seu collegium ecclesiasticum Corsinum nuncupatum pro certo puerorum Italo-Graecorum in illo instruendorum et alendorum numero perpetuo erexerit dotaveritque (1),

Rectori huius seminarii facultas concessa fuit ordinandi alumnos et alios quoscumque Italo-Graecos ad sacros ordines.

§ 3. Deinde vero eiusdem collegii regimen et administrationem perpetuo commiserit Antistiti graeci ritus in partibus infidelium, quibusdam ei attributis facultatibus, illaque inter caeteras, ut Antistes praedicti collegii praeses pro tempore existens in eiusdem collegii ecclesia omnia et singula pontificalia exercere posset, et ad sacros ordines promovere non tam dicti collegii alumnos, quam alios quoscumque Italo-Graecos utriusque regni Siciliae, citra et ultra Pharum incolas, prout in decretis praedictarum venerabilium fratrum Nostrorum die XXIII. decembris et IV. februarii MDCCXXXV. ab eodem Clemente praedecessore Nostro confirmatis duabus apostolicis literis in forma Brevis, alteris sub datum IV. idus iunii MDCCXXXV. incipientibus *Superna dispositione,* alteris sub datum pridie kalendas aprilis MDCCXXXVI. incipientibus *Provida pastoralis officii,* latius uberiusque continetur;

Exponitur ratio constitutionis Clementinae, a qua educitur necessitas novae deputationis Antistitis pro provinciis ultra Pharum.

§ 4. Cum autem praecipua ratio, quae laudatos viros venerabiles fratres nostros, eumdemque fel. rec. Pontificem Clementem praedecessorem nostrum impulit, ut Antistiti graeci ritus in praesidem memorati collegii in eadem Bisinianensi dioecesi sic electo et constituto mox expressam tribueret facultatem pro cunctis Italo-Graecis in utraque Sicilia degentibus, in hoc versetur, ne iuvenes italo-graecae gentis huiusmodi pro dictis sacris ordinibus accipiendis incommoda et expensas amplius subire tenerentur, accedendi ad urbem nostram, ibique ab Episcopo graeci ritus ad id muneris explendum per Sanctam Sedem constituto eosdem ordines suscipere iuxta praxim ad illud usque tempus servatam, et ad formam constitutionis fel. rec. PP. Urbani VIII. praedecessoris itidem nostri desuper editae, cui quoad hoc Clemens praefatus XII. expresse et specialiter derogavit, reliquum erat, ut quemadmodum huius-

(1) Vide vol. II., pag. 485-458.

modi graeci Antistitis in Bisinianensi dioecesi perpetuo residentis deputatione consultum fuerat Graecorum in Calabria degentium commodo et emolumento, ita quoque deputatione alterius Antistitis titularis eiusdem graeci ritus, qui in Sicilia ultra Pharum residens Italo-Graecis eam insulam incolentibus sacros ordines conferre valeret cum literis dimissorialibus Ordinariorum respective suorum, eorumdem in eodem Siciliae regno atque insula commorantes, aegreque ferentes pro sacris ordinibus suscipiendis longum aerumnosumque aggredi iter accedendi vel ad hanc Nostram Urbem vel ad Bisinianensem dioecesim, ubi unicus degit Antistes graeci ritus, iamdiu vehementer optabant, id nuperrime sunt consecuti pietate ac munificentia charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliae regis, qui ut facilius a Nobis obtineret deputationem alterius Antistitis titularis graeci ritus in Sicilia ultra Pharum perpetuo permansuri, ibi sacros ordines collaturi hominibus eiusdem ritus eam insulam incolentibus cum literis dimissorialibus respectivorum Ordinariorum rogavit, ut eidem Antistiti pro tempore existenti, pro eius congrua iuxta pontificalis dignitatis exigentiam et sustentationem, abbatiam S. Mariae de Gala sui regii patronatus perpetuo addiceremus, quam nunc obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta in commendam ad sui vitam ex regia nominatione, nec non ex concessione et dispensatione apostolicis praedicto Antistiti graeci ritus, ut praefertur, deputando, donec eadem abbatia vacare contigerit, administrationem et redditus vacantis beneficii S. Pancratii latini ritus interea a nobis assignari posse consentit.

Tenor concessionis.

§ 5. Nos igitur, qui et piissimae praedicti regis voluntati obsecundare et quamplurimis incommodis atque expensis hactenus importatis per defectum Antistitis graeci ritus in Sicilia ultra Pharum residentis dilectis filiis Italo-Graecis in eodem regno commorantibus sacris ordinibus initiandis parcere vehementer cupimus, motu proprio, auditoque etiam consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium praefatae Congregationi de Propaganda Fide per dilectum filium Stephanum Borgia eiusdem Congregationis secretarium exhibito Antistitem graeci ritus in partibus infidelium, qui apud ecclesiam sibi commissam impia eorumdem infidelium sic cogente tyrannide personaliter residere non valens, in regno Siciliae ultra Pharum resideat, ibique Italo-Graecis eiusdem regni incolis dimissoriales suorum respective Ordinariorum literas sibi exhibentibus sacros ordines in ecclesia S. Demetrii loci vulgo *della Piana* Panormitanae dioecesis absque ulla Ordinarii eiusdem loci, Archiepiscopi nempe Panormitani, licentia, in aliis vero ecclesiis tum Panormitanae, tum aliarum dioecesum de Ordinariorum licentia conferre, atque alias ecclesiasticas functiones graeci ritus peragere valeat, tenore praesentium perpetuo constituimus et deputamus, eidemque Antistiti pro tempore existenti, et ab *eodem charissimo in Christo filio Nostro Ferdinando utriusque Siciliae rege eiusque successoribus nominando* vigore sui regii patronatus, supradictam abbatiam S. Mariae de Gala in dioecesi Messanensi, quam in praesens in commendam obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta, cum vacare contigerit, nunc pro tunc perpetuo addicentes, interinamque administrationem perceptionemque fructuum vacantis beneficii S. Pancratii latini ritus, regiique patronatus, queis, donec praedicta abbatia vacare contigerit, se alere valeat propriamque dignitatem tueri, regio accedente consensu, indulgentes et condonantes, eas omnes facultates concedimus et impertimur quoad sacras ordinationes Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharum, quas fel. rec. Clemens PP. XII. concessit Antistiti graeci ritus in seminario Corsino a se in Calabria erecto degenti in suis super laudatis apostolicis literis in forma Brevis, quibus quoad ordinationes dumtaxat Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharum hac nostra perpetuo valitura constitutione expresse ac specialiter derogatum volumus; iisdem apostolicis literis quoad reliqua in suo robore permansuris.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque, quae in praefatis Clementinis literis non obstare fuit decretum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI. februarii MDCCLXXXIV. pontificatus nostri anno IX.

XLVII.

Presbyterum Michaelem Hadnicki, qui ad ritum ruthenum transierat, et professionem in Ordine S. Basilii M. emise-

rat, Coadiutorem deputat cum futura successione Episcopi rutheni Luceoriensis et Ostrogiensis, assumpto titulo, iuxta morem Ruthenorum, huius postremae Ecclesiae seu Ostrogiensis, ei imposito consueto apud Latinos iuramento fidelitatis.

Dilecto filio Michaeli Hadnicki monacho expresse professo Ordinis Sancti Basilii Magni,

PIUS PP. VI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a coelesti Pastore constitutus, et ad regimen salubremque directionem ecclesiarum omnium, praesertim cathedralium, pro sui muneris officio dies ac noctes incumbens, quaecumque ad eas conservandas et promovendas expediunt, ac rerum qualitas postulat, simulque temporum et locorum conditio patitur, praesenti non modo statu sed etiam futuro inspecto, diligenter providet, ut ecclesiae ipsae a noxiis, quantum fieri potest, praeserventur, et continuis in spiritualibus et temporalibus, Domino benedicente, proficiant incrementis.

§ 1. Cum itaque ven. frater Cyprianus ecclesiarum Luceoriensis et Ostrogiensis, invicem perpetuo canonice unitarum, Episcopus ruthenus ob graves causas felicem ecclesiarum administrationem respicientes cupiat sibi de idoneo coadiutore in spiritualibus et temporalibus provideri, nos eisdem ecclesiis, cum vacaverint, ne interim ullis exponantur incommodis, paterno studio providere cupientes, post deliberationem, quam eà super re cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te in sacro presbyteratus ordine et aetate legitimâ constitutum, ac de legitimo matrimonio procreatum, qui, prout ex legitimis constat documentis, in Ordine monachorum S. Basilii Magni regularem professionem, iuxta decretum dictae Congregationis die VII. aprilis anni mox elapsi MDCCLXXXIII. desuper editum, emisisti, atque ad ritum ruthenum transiisti, et cui apud nos de vitae munditiâ, honestate morum, temporalium providentiâ et spiritualium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debitâ meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, memorato Cypriano Episcopo quoad vixerit dictisque ecclesiis praefuerit in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione earumdem ecclesiarum Luceoriensis et Ostrogiensis in spiritualibus et temporalibus, assumpto interim titulo ecclesiae Ostrogiensis huiusmodi, cum plenâ, liberâ et omnimodâ facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi coadiutoris officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinent, etiam in iis, quae sunt ordinis et officii pontificalis faciendi, gerendi, procurandi, et exequendi et exercendi; ita tamen ut, durante huiusmodi coadiutoris officio, tu nisi quando et pro tempore, quo dictus Cyprianus Episcopus voluerit et expresse permiserit, te in regimine ac administratione spiritualium et temporalium dictarum ecclesiarum, illarumque mensarum episcopalium, bonorum, fructuum, redituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum quovis modo seu quaesito colore per te vel alium seu alios interponere nequeas, ipsius Cypriani Episcopi accedente consensu, de fratrum eorumdem consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

§ 2. Nec non, cedente vel decedente eodem Cypriano Episcopo, seu regimini et administrationi dictarum ecclesiarum quomodolibet praeesse desinente, et illis quovis modo vacantibus, etiamsi tempore vacationis huiusmodi dictum coadiutoris officium exercere non inceperis, et per te steterit quominus illud exercueris, ex nunc prout ex tunc et e contra, de eâdem personâ tuâ ecclesiis Luceoriensi et Ostrogiensi praedictis auctoritate et tenore similibus providemus, teque illis pariter in Episcopum praeficimus et pastorem, ac de personâ tuâ eis praefectum fore decernimus, curam, regimen et administrationem earumdem ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie similiter committendo.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praedictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis

firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, firmâ spe fiduciâque conceptis, quod, gratiâ Domini tibi assistente propitiâ, ecclesiae Luceoriensis et Ostrogiensis praedictae sub tuo felici gubernio regentur utiliter et prospere dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa.

§ 4. Volumus autem, ut ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosiorum mobilium dictarum mensarum episcopalium te penitus abstineas, ac de gestis et administratis per te, coadiutoris officio huiusmodi durante, rationem iuxta tenorem constitutionis fel. rec. Bonifacii PP. VIII. praedecessoris Nostri, quae incipit *Pastoralis*, reddere tenearis, et antequam in dicto coadiutoris officio te quoquomodo immisceas, de eo iuste et fideliter exercendo in manibus catholici Antistitis cuiuscumque, quem malueris, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, debitum praestes in formâ solitâ iuramentum. Quocirca per apostolica scripta mandamus discretioni tuae, quatenus curam et administrationem praedictas sic solicite geras et fideliter prosequaris, ut exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, dictaeque ecclesiae gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeant se commissas: tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Sedis praedictae benevolentiam et gratiam exinde uberius consequi merearis: nec non dilectis filiis Capitulo et vassallis ecclesiarum huiusmodi, ac clero et populo eorumdem civitatum et dioecesum membra, capiti obsequentes, ac Capitula tamquam coadiutori, et futuro Episcopo Luceorien. et Ostrogien. humiliter intendentes, ac exhibentes tibi in iis omnibus, quae ad huiusmodi coadiutoris officium pertinent, illo durante et deinde tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ac clerus te pro nostrâ et dictae Sedis reverentiâ benigne suscipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipientes et debitâ honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita ut tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem debitam et consueta servitia ac iura tibi ab eis debita studeant integre exhibere, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die XXX. martii MDCCLXXXIV., pontificatus nostri anno X.

XLVIII.

Facultatem concedit erigendi in Americae Septemptrionalis et Meridionalis provinciis custodias fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur per alias expeditas literas erectas fuisse custodias in provinciis septemtrionalibus Americae, cum privilegiis collegiorum missionariorum.

§ 1. Dudum per nostras literas in simili forma Brevis sub die XVI. novembris MDCCLXXIX. expeditas ad preces pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum regis catholici nobis porrectas concessimus et indulsimus, ut in aliquibus Americae Septemtrionalis provinciis tot efformari, constitui atque erigi possent missionariorum ordinis fratrum minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum custodiae, quot ad fidei catholicae propagationem eidem Karolo regi Hispaniarum necessariae atque opportunae visae fuissent; iisque custodiis, sic, ut praefertur, constitutis, omnes gratias et privilegia missionariis collegiorum ad fidei propagationem institutorum hactenus concessa tribuimus atque impertiti sumus, demandavimusque dilecto filio Emmanueli de la Vega fratri in praedicto ordine expresse professo, et commissario generali Indiarum, ut formam regiminis dictarum custodiarum, ac statuta in eisdem custodiis per fratres

et missionarios in eis pro tempore existentes observanda conderet, atque ordinaret.

Narratur quomodo novae erectiones utiles reperiantur ad catholicae fidei incrementum et propagationem.

§ 2. Volentes, quod sic erigendae custodiae et hospitia in iis respective extruenda, quoad regimen nullius dicti Ordinis regularis provinciae forent, sed superiori generali illarum partium, in quibus erectae fuissent, immediate subessent. Cum autem memorato Karolo regi catholico per dilectum itidem filium Franciscum Alvares de Villanueva eiusdem ordinis fratrem expresse professum, ac collegii S. Rosae de Ocopa dicti ordinis Limanae dioecesis missionariorum de Propaganda Fide alumnum, ac commissarium nuper in Hispaniam reversum, expositum fuerit, haud mediocrem propagationi orthodoxae fidei profectum eventurum, si in regionibus de Chiloè et Valdivia, quae in regno de Chile et in America Meridionali sitae sunt, una erigeretur ex huiusmodi custodiis, iuxta formam quatuor custodiarum, quae in America Septemtrionali vigore supradictarum literarum apostolicarum iam erectae reperiuntur, et per statuta, ut in eisdem literis praescribitur, iam condita reguntur et gubernantur, dictas regiones de Chiloè et Valdivia a praedicto collegio Sanctae Rosae de Ocopa, cuius spirituali curae commendatae sunt abstrahendo et dismembrando, illasque ibi erigendae missionariorum custodiae in posterum adiudicando;

Et hac de causa facultas erigendi custodias extendenda censetur per dominia Americae Meridionalis, et Septemtrionalis.

§ 3. Quumque praeterea idem Franciscus praedicto Karolo regi catholico etiam exposuerit, perutile ac valde opportunum fore, si facultas huiusmodi custodias erigendi in partibus Americae Septemtrionalis tunc indicatis a Nobis, ut praefertur, concessa, indiscriminatim extenderetur ad quaecumque eiusdem Karoli Regis catholici dominia, utriusque Americae Septemtrionalis scilicet et Meridionalis, in quibus existunt Indi, vel nondum ad catholicam fidem conversi, ut recenter ad eam reducti, qui neophiti adhuc sunt et plenius in ea confirmari debent; plura enim evitarentur incommoda, tum asperrimorum terrestrium itinerum, tum periculosarum navigationum, quae necessario a missionariis subeunda sunt: placuit serenissimo regi, pro egregia sua pietate fideique propagandae zelo utramque dicti Francisci instantiam benigne complecti, probareque, ut et custodia in regionibus de Chiloè et Valdivia erigatur, et quotquot in posterum custodiarum erectiones in suis utriusque Americae Septemptrionalis scilicet et Meridionalis provinciis opportunae fuerint visae, executioni mandentur. Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis, cum suis declarationib.

§ 4. Nos igitur, qui pro iniuncti apostolatus officio praestantem istam religiosissimi ac vere catholici principis pietatem et fidei zelum non modo complecti, sed omnibus etiam gratiis et favoribus prosequi vehementer cupimus, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praefatam custodiae erectionem in regionibus de Chiloè et Valdivia cum omnibus privilegiis in superioribus literis enunciatis fieri concedimus et indulgemus, regiones praedictas a praedicti collegii Sanctae Rosae de Ocopa iurisdictione abstrahentes, et huiusmodi erigendae missionariorum custodiae in posterum adiudicantes; itemque facultatem alias concessam huiusmodi custodias in certis tunc designatis Americae Septemptrionalis provinciis erigendi, ad quascumque dictae et aequae meridionalis Americae partes, ubi opportunae visae fuerint, apostolica auctoritate extendimus et ampliamus; itidem declarantes, quod erectiones huiusmodi et statuta in praefatis custodiis observanda vim suam interim obtineant, donec comitia generalis ordinis celebrentur, ubi examinari et approbari debebunt, salva semper memoratae Congregationis de Propaganda Fide auctoritate ea augendi seu moderandi, quatenus opus fuerit, et magis in Domino expedire videbitur.

Tribuitur regi catholico ius deputandi executores apostolicos.

§ 5. Praeterea volumus, ut tam praedictae custodiae, quam hospitia in eis condenda, quoad regimen, nullius provinciae sint, et superiori generali illarum partium, in quibus fuerint, immediate subsint. Praefato autem Karolo regi catholico eiusque successoribus facultatem tribuimus deputandi personas ecclesiasticas idoneas sibi benevisas, quae apostolicas hasce nostras literas executioni demandare faciant; decernentes, quod statim ac unaquaeque ex supradictis custodiis erecta et instituta fuerit, per praedictum Karolum regem catholicum ministro generali dicti ordinis pro tempore existenti communicetur, hasque praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per

omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et confirmatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV. maii MDCCLXXXIV., pontificatus nostri anno X.

XLIX.

Confirmat decretum S. C. de P. F. super concessione signi Crucis aureae pro triginta presbyteris rutheni ritus ex seculari clero totius Russiae, quibus concedit, iuxta modum, altare privilegiatum et indulgentias.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia aeterni regni praemia reservari: nobis tamen eis necesse est honorum et gratiarum beneficia tribuere, ut in spiritualis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia venerabilis frater Iason Archiepiscopus Kionviensis et Halliciensis totius Russiae Metropolitanus, universi etiam cleri saecularis Graeco-Rutheni nomine exponi nobis nuper fecit, quod ad excitandam augendamque ipsius cleri saecularis pro catholica religione sollicitudinem ac vigilantiam, illosque una iungendos compage, summopere conferret, si iis, qui inter caeteros in vinea Sabaoth uberiores fructus proferre satagunt, aliquod signum ex speciali dono gratiae concederemus; nos, cui ex debito apostolici ministerii humilitati nostrae concrediti officio maxime cordi est, christianam fidem, sic Domino largiente, quotidie in populis extendere, ac Christifidelium praecipue vero illorum, qui in sortem Domini fuerunt vocati, zelum multiplicare, ut votis etiam nobis hisce desuper a carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto Poloniae regi illustri porrectis annuerimus, preces praedictas venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide remisimus, qui ad relationem dilecti filii magistri Stephani Borgia eiusdem Congregationis secretarii decretum a nobis approbatum tulerunt tenoris, qui sequitur.

Tenor decreti editi a S. Congregatione de Propag. Fide.

§ 2. Ab eo usque tempore, quo inclyta Ruthenorum natio sub sa. mem. Clemente PP. VIII., divino aspirante numine, rediit ad petram fidei, supra quam aedificata est ecclesia, et cum Romano Pontifice Beati Petri Apostolorum principis successore Christianorum omnium patre ac magistro, tamquam cum ecclesiasticae unitatis centro, communi fidei et charitatis vinculo coniuncta est, mirum quantum catholicae fidei laetiores ubique fructus in Ruthenorum regionibus reportaverit, et quantum pacis atque unionis nexus ex hac vera sinceraque membrorum cum suo capite compactione firmior ac validior evaserit. Quamobrem cum nuper R. P. D. Iason Iunozza Smogorzewski Archiepiscopus Kiovensis et Halliciensis, totius Russiae metropolitanus, universi cleri saecularis Graeco-Rutheni nomine sanctissimo domino nostro Pio PP. VI., accedentibus etiam serenissimi Stanislai Poloniae regis officiis ac commendationibus, humili obsecratione supplicaverint, ut sacerdotes ex saeculari clero, qui in vinea Domini ardentius collaborant, ac de unione

catholica magis benemerentur, una quadam societatis compage colligare, et aliquo pontificiae benignitatis monumento insignire dignaretur, ad nos acrius etiam ad tam pium opus coniunctis insimul studiis promovendum incitandos, cumque Sanctitas Sua huiusmodi preces ad Sacram Congregationem Propagandae Fidei rebus praepositam remiserit.

Concessio crucis aureae gestandae a triginta sacerdotibus.

§ 3. Eadem Sacra Congregatio, ad relationem super praemissis factam per R. P. D. Stephanum Borgia secretarium, secum animo perpendens id, quod S. Gregorius Magnus Syagrio Augusthodunensi Episcopo scribebat, eum scilicet, qui in praedicatione et opere sollicitum, devotum, adiutoremque in omnibus Augustino ad Anglorum conversionem misso fuisse cognoverat, dignum esse, cui exterioris quoque habitus honorem deferret, censuit apostolica auctoritate eidem Iasoni totius Russiae metropolitano, eiusque in eadem metropoli successoribus, concedendam esse facultatem ornandi cruce aurea triginta presbyteros ex clero saeculari graeco-rutheni ritus uniti, qui huiusmodi ornamentum semper et quandocumque in omnibus et quibuscumque actibus, congressibus et congregationibus publicis et privatis in ecclesiis, vel extra, et coram quibuscumque personis qualibet dignitate ecclesiastica vel saeculari fulgentibus, ad collum appensam gestare possint et valeant.

De forma crucis.

§ 4. Crucis autem forma erit octagona instar Melitensis, encausto caerulei coloris oblita; in eius anteriore orbiculo erit depicta vel insculpta Sanctae Romanae Ecclesiae imago, in posteriori vero Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, ut sic cunctis pateat hanc honoris accessionem ex illius Sedis benedictione et gratia prodire, quae ab iis, qui illam gestabunt, ampliores in sancta catholica unione progressus sibi pollicetur. Supra imaginem Ecclesiae erit insculptum stemma regium, quoniam iamdudum Poloniae reges, atque hodie serenissimus rex Stanislaus pro suo eximio pietatis ac religionis studio sanctam unionem fovet suoque patrocinio tuetur.

Declaratur cui competat ius concedendi crucem.

§ 5. Hoc autem crucis ornamentum seu distinctorium, ex delegata apostolica auctoritate, non ab alio, quam a metropolitano conferatur, ea tamen lege, ut in singulis Episcoporum Ruthenorum dioecesibus tria semper distinctoria tribus ecclesiasticis viris utriusque dioecesis ab Episcopo eidem Metropolitano praesentandis conferantur ad hoc, ut huiusmodi honoris praemium ac laboris incitamentum in singulis quibusque tribus dioecesibus tribus viris semper largiatur, unoque sublato, alter a dioecesano Episcopo metropolitano praesentetur, qui in illum spectatae virtutis ac meritorum praeconio commendatum compererit, eadem cruce seu distinctorio ornare non recuset. Reliquas vero cruces ac distinctoria idem metropolitanus dignioribus presbyteris metropolitanae dioecesis ad sui arbitrium indulgere poterit.

De requisitis exhibendis pro assequenda cruce.

§ 6. Merita vero ac requisita, quorum potissimum ratio tam a metropolitano quam ab Episcopis in iis designandis, qui hac cruce ornandi erunt, habenda erit, sint huiusmodi: Sacerdotalis ordo; institutio ac sedula studiorum opera in pontificiis seminariis impensa; commentaria ac libri in lucem editi pro catholicae religionis incremento; patriae missiones, ac sacra catechesis cum laude peracta, ac sancta unio magis propagata; seminariorum regimen; servitium in paroeciis, atque in Episcoporum curiis praestitum; demum natalium nobilitas, seu saltem honestas, ac, si fieri poterit, gradus aliquis in universitatibus assequutus.

Explicatur ornamentum crucis devotionis esse indicium, non vanam pompam praeseferre.

§ 7. Ne autem hoc crucis ac distinctorii ornamentum *solam superfluae elationis pompam* praeseferat, quemadmodum idem et Sanctus Gregorius aiebat, sed potius sit devotionis indicium erga Apostolorum principem, pastorem ac nutritorem nostrum, eiusque apostolicam cathedram, ad quam propter eius potentiorem principalitatem omnem necesse est convenire ecclesiam, atque eos, qui undique sunt fideles, eadem Sacra Congregatio iussit, presbyteros his gloriae et splendoris insignibus decorandos a Metropolitano atque etiam ab aliis Episcopis movendos esse atque hortandos, ut in sanctis operibus ac praesertim in tuenda atque amplificanda catholica unione, perseverent, et si ex merito actionum suarum hoc laudis testimonium ab Apostolica Sede sunt adepti, novis laborum ac virtutum accessionibus videantur collato sibi honori cumulatissime respondere. Nam, ut idem S. Gregorius prosequitur: *Cum honoris argumento cura quoque sollicitudinis debet excrescere, ut cultui vestitum, actionis quoque ornamenta conveniant: oportet, ut enixius in cunctis se studiis vestra fraternitas exerceat. Circa subiectorum actus sit cura vigilans, vestrum illis exemplum, instructio et vita magistra sit, linguae vestrae exhortatione discant quod metuant, et doceantur, quod diligant.*

De privilegiis adnexis honori crucis.

§ 8. Ut vero ad haec persequenda acrius inflammentur, et ad extremum honoris insigne internum ac spirituale aliquod animarum lucrum adiiciatur, decrevit pariter Sacra Congregatio supplicandum esse Sanctissimo, ut presbyteris illis, quos Metropolitanus et Episcopi deferendae crucis honore dignos iudicabunt, altaris privilegiati personalis gratiam bis in hebdomada elargiatur, ac praeterea, ut plenariam suorum peccatorum indulgentiam quotannis in die festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, atque etiam in eiusdem festi octavo die; demumque, ut in eorum mortis articulo plenariam pariter suorum peccatorum indulgentiam consequi possint, ex apostolica benignitate concedere dignetur.

Praeceptum de expediendo literas in forma brevis.

§ 9. Hoc autem Sacrae Congregationis decretum Sanctissimo domino Nostro Pio PP. VI. relatum in audientia habita per eumdem R. P. D. Stephanum Borgia secretarium die XIII. iunii MDCCLXXXIV. Sanctitas Sua in omnibus approbavit, et per apostolicas in forma Brevis literas auctoritatis suae robur adiiciendum esse mandavit.

Datum ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die XIX. iunii MDCCLXXXIV.

Loco ✝ Signi

L. Card. Antonellus Praefectus
Stephanus Borgia Secretarius.

Confirmatio apostolica.

§ 10. Cum autem memorati exponentes praeinsertum decretum pro firmiori illius subsistentia et observatione apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 11. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIII. iulii MDCCLXXXIV. pontificatus nostri anno X.

L.

Extendit indultum recitandi officium et missam B. Agnetis ad moniales monasterii S. Clarae civitatis Carthaginensis in Indiis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a monialibus.

§ 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii monialium Sanctae Clarae civitatis Carthaginensis in Indiis nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga Beatam Agnetem virginem sororem Sanctae Clarae Assisiensis gerunt, devotionis affectu, officium et missam de communi virginum cum oratione, antiphonis ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, ac lectionibus secundi nocturni propriis eiusdem Beatae Agnetis iam pro universo ordine Minorum S. Francisci

auctoritate apostolica adprobatum ad sui favorem per nos extendi plurimum cupiant:

Tenor concessionis.

§ 2. Nos dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Iulii Mariae de Somalia Congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii, praedictum officium et missam cum oratione, antiphonis et lectionibus iuxta modum et formam, quibus pro universo ordine Minorum S. Francisci adprobata, ut praefertur, existunt, ad easdem exponentes, et pro tempore existentes praedicti monasterii moniales, pari auctoritate, tenore praesentium extendimus et ampliamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque monialibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique monasterii eiusque ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. septembris MDCCLXXXIV., pontificatus nostri anno X.

LI.

Clerum ac Populum Maronitam certiorem reddit, se Patriarcham Iosephum de Stephanis suspensum, tamen resipiscentem, in pristinam dignitatem et iurisdictionem per Delegatum suum restituere (1).

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Clero saeculari et regulari, Magnatibus, universoque populo nationis Maronitarum,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Maximum nobis attulere gaudium literae vestrae, venn. fratres Antistites et dilecti Filii, cum ex iis intelligeremus universam nationem vestram a spiritu pacis et concordiae inductam uno ac sincero animo detestari praeteritas Beckorckenses abominationes ac illusiones illas, revelationes, falsasque doctrinas mulieris Endie, coniunctâque voce benignitatem Apostolicae Sedis et gratiam implorare pro ven. fratre Iosepho de Stephanis, ut ipse nimirum in pristinam dignitatem iurisdictionemque patriarchalem restituatur. Magnopere nos sane propensi comparatique sumus bonum illum imitari evangelicum patrem, qui prodigum suum filium, ut ad se redire cognovit, amanter excepit paternoque in sinu collocavit; ita nos illi revertenti Praesuli nostro amore occurrentes, nullam interponimus moram, quin eumdem in S. huius Sedis gratiam ac benevolentiam reponamus, eique amissae dignitatis locum ac honorem redonemus. Id nos quidem ipsi multo antea ex animo praestitissemus, si idem mandatis nostris parere, et sine ullâ verborum mutatione subscribere voluisset retractationis formulae, quam sibi iam anno MDCCLXXXI. a religioso viro Hilario de Rennes in Sai-

(1) Vide supra const. *Apostolica sollicitudo.*

dae hortis mandato nostro exhibitam fuisse, facile potest recordari. Cum eamdem tunc ille eum in modum immutaverit, ut aliam plane sententiam, quam quae in autographo scripto erat, exprimeret, hoc pacto sibi ipse praecluserat aditum ad nostrae clementiae percipiendos fructus, ab iisque se magis per novam hanc inobedientiae contumaciam sponte removerat. Hoc illius facto paternus in nobis imminui non potuit erga Maronitarum nationem amor, quam et praeclare de catholicâ fide meritam et huic Apostolicae Sedi arctissimo devotionis vinculo coniunctam agnoscebamus. Idcirco anno proxime praeterito misimus isthuc Apostolicum Delegatum nostrum ven. fratrem Episcopum Aenensem, ut pontificio nomine Patriarcham illum adeo suspectum ad saniora consilia referre conaretur, atque inducere ad pure simpliciterque subscribendum ei retractationis formulae, qualis a nostrâ de Propagandâ Fide Congregatione prodierat, neque non ad debita praestanda apostolicis decretis sine ullâ tergiversatione obsequia hortaretur.

§ 2. Ex hoc studio curisque nostris facile a vobis omnibus existimari potest, qua affectus iucunditate noster animus fuerit, cum nunciaretur nobis, antequam istuc Delegatus noster pervenerit, Patriarcham Iosephum de Stephanis suâ iam sponte subscripsisse coram duobus missionariis illi ipsi retractationis formulae a memoratâ Congregatione propositae, eiusdemque duo ad nos transmisisse exempla proprio sigillo munita, quibus, quo animo ad mentis sanitatem redierit, quaeque sua esset erga Apostolicam Sedem obedientia ac devotio, perspicue testabatur. Statim cor nostrum manusque in caelum sustulimus, summasque egimus omnipotenti Deo gratias, qui Patriarchae animum per suam misericordiam ad veram praeteritorum errorum poenitentiam converterit, eiusque cor, pristinis Endianis evulsis opinionibus, ad docilitatem ac obedientiam suâ caelesti gratiâ repente transtulerit. Itaque non potuimus, venn. fratres ac dilecti filii, retinere intra nos tantos laetitiae nostrae sensus, quin vobiscum eosdem per has literas nostras statim communicaremus, unaque certiores vos omnes redderemus tam praeclaris a Patriarchâ peractae actionis, ut quicumque antea ex illius inconsultâ agendi ratione in offensionem aliquam et scandalum inciderit, possit nunc eiusdem tam eximio exemplo aedificari, eique debitam cum honore laudem tribuere, non minus ob humilem sui erroris confessionem, quam ob eum, quo nunc inflammatur, zeli spiritum ad praeterita commissa omnino corrigenda planeque delenda novi sui accuratissimi erga Apostolicam Sedem obsequii, studii ac devotionis testimoniis.

§ 3. Est autem memoratae a Patriarchâ emissae retractationis tenor ut sequitur:

Io sottoscritto illuminato dalla divina grazia e istruito dai decreti della S. Sede Apostolica Romana, madre e maestra di tutte le Chiese, da cui si diffonde in tutto il mondo la luce della verità, riconosco e confesso i miei passati errori e la mia falsa credenza prestata alle illusioni e falsa santità di Endie, o sia Anna Agemi, monaca del monastero di Bechorche nel Chesroano, pretesa fondatrice dell' Istituto del SSmo Cuor di Gesù; e perciò aderendo ed accettando il primo decreto della S. Congregazione di Propaganda del dì 25 giugno 1779, confermato ed approvato dal SS. nostro Pontefice Papa Pio VI., dichiaro e protesto, essere stata la detta donna manifestamente e maliziosamente illusa, e le sue immaginazioni, rivelazioni e vantate profezie, e tutte le sue nuove e straordinarie opinioni in materie sagre, e specialmente l' unione del di lei corpo ed anima col corpo ed anima del nostro Signor Gesù Cristo, essere state false, finte, temerarie, erronee, e che sanno per lo meno di eresia; onde le detesto, le abomino, e le rigetto: come altresì confesso e dichiaro, essere stata una mera calunnia empiamente inventata dell' introduzione nella nazione Maronita e nel sopradetto monastero di Bechorche della dannata setta de' Liberi Muratori, e perciò ritratto ogni mia passata credenza a sì fatte illusioni, calunnie ed empietà, e richiamo e revoco ogni mio atto, con cui ho spacciate e pubblicate simili cose, e specialmente la mia Enciclica segnata il dì 17 Maggio 1777, e ogni altro atto, con cui abbia potuto accreditare e dar fede a sì fatte abominazioni.

Dichiaro parimente e protesto di venerare, accettare, e per quanto potrà da me dipendere, di eseguire gli altri due decreti emanati dalla S. Congregazione di Propaganda sotto lo stesso giorno 25 giugno 1779, e confermati pure da Sua Santità, col primo de' quali è stato giustamente soppresso ed abolito il preteso

Istituto monastico, e la confraternita sotto il nome del SSmo Cuore di Gesù, fondati e istituiti dalla sopradetta monaca Endie, o sia Anna Agemi, e coll' altro è stata contro di me pronunziata la sentenza di sospensione da ogni potestà e giurisdizione patriarcale da durare ad arbitrio della Santità di N. S. Papa Pio VI., comandandomisi eziandio in detto decreto di portarmi a Roma per render ragione alla Santità Sua de' miei passati trascorsi, e ove iò in segno di pronta ubbidienza mi sarei volentieri portato, e ne avevo anche intrapreso il viaggio, se le mie abituali infermità me lo avessero permesso, e da cui, dopo avervi mandati in mia vece i miei Ablegati, per clemenza e benignità del S. Padre ne sono stato dispensato: dichiarandomi qual figlio ubbidiente di accettar volentieri e di restar soggetto alla stessa pena di sospensione, sino a tanto che piacerà alla Santità Sua di assolvermene e liberarmene, riconoscendo intanto a norma dello stesso decreto in monsig. Michele Gazeno Vescovo di Cesarea la potestà e la giurisdizione patriarcale durante la mia sospensione.

Accetto pure, e mi protesto pronto di ubbidire a tutti i decreti della S. Congregazione di Propaganda tanto ai ventinove emanati li 8 luglio 1774, quanto, e più specialmente ancora, ai sette tra essi confermati dalla medesima Congregazione li 22 marzo 1777, e che sono i seguenti:

Ad petitionem nonnullorum Episcoporum nationis Maronitarum in generali Congregatione de Propagandâ Fide habitâ sub die VIII. iulii MDCCLXXIV., proposita fuerunt plura dubia, inter quae a P. Petro de Moretta, Ablegato Apostolico ad eamdem nationem misso, septem fuerunt publicata et intimata R. P. D. Patriarchae nationis. Verum supplicante eodem Patriarchâ, ut super iisdem dubiis audiretur, S. Congregatio huiusmodi instantiam admisit, et factâ potestate Archiepiscopo Damasceno, ad Urbem misso rerum gestori pro D. Patriarchâ, deducendi eius iura super iisdem septem decretis inter cetera publicatis, eadem ad novum examen revocavit, et audito eodem Archiepiscopo Damasceno eiusque procuratoribus tam scripto quam voce, EE. PP. in Congregatione habitâ sub die XXII. martii MDCCLXXVII. rebus rite perpensis modo, qui sequitur, decreverunt:

Ad primum Decretum his verbis conceptum.

Cum alias per S. Congregationem D. Patriarcha Maronitarum monitus fuerit, ut revocaret dispensationem ab abstinentiâ concessam pro feria VI. post octavam Corporis Christi, in qua recolitur festum Cordis eiusdem Christi Iesu, cumque monitis non paruerit, propositum fuit per Emum D. Card. Castelli Praefectum sequens dubium, videlicet: « An instandum sit, ut idem Patriarcha omnino revocet praefatam dispensationem » Cui dubio EE. PP. responderunt « Renoventur decreta Synodi Libanensis par. 1, c. 4, n. 3 et 5, nec non ordines dati, et per delegatum specialiter intimentur D. Patriarchae, et, si opus fuerit, ad totius nationis notitiam deducantur. »

RESOLUTIO

Responderunt: *In Decisis.*

Ad secundum hoc modo expressum.

S. Congregatio ad relationem Emi D. Card. Castelli Praefecti declaravit, Maronitarum Patriarcham non posse plenarias indulgentias impertiri, nisi habuerit in casibus particularibus privilegium Sedis Apostolicae, proindeque nullas esse plenarias indulgentias, quas modernus D. Patriarcha absque tali privilegio concessit; unde eadem S. Congregatio mandat Delegato, ut id nationi Maroniticae innotescere faciat.

RESOLUTIO

Responderunt: *In Decisis.*

Ad tertium, quod sic se habet.

Facta per Emum et Rmum D. Card. Castelli Praefectum relatione infrascripti dubii « An liceat D. Patriarchae Maronitarum adigere Episcopos ad recipiendas ab se literas patentes pro visitandis propriis dioecesibus, in eisque literis asserere Episcopos praedictos tamquam suos procuratores aut mercenarios dioeceses perlustrare » EE. PP. responderunt: « Episcopos non teneri accipere a Patriarchâ literas patentales quando ab ipsis dioecesum visitatio ordinario iure fiat. »

RESOLUTIO

Responderunt: *In Decisis.*

Ad quartum ita exaratum.

Cupiens S. Congregatio de medio tollere dissidia, quae iamdiu vigent inter Patriarcham Maronitarum et illius nationis Episcopos occasione decimarum eidem Patriarchae persolvendarum, inter cetera, quae P. Valeriano a Prato Ordinis Minorum de Observantiâ, alias Guardiano Montis Sion, ad componenda ecclesiastica praefatae nationis negotia Ablegato commisit, illud fuit ut modis omnibus curaret, partes inducere ad efformandam et communi calculo probandam taxam pecuniae quotannis stabiliter, ut supra, persolvendae titulo decimarum. Cum autem, ob varias difficultates hinc inde promotas, negocium huiusmodi ad exitum perducere minime potuerit, cumque proinde Eñus D. Card. Castelli Praefectus una cum relatione eiusdem P. Valeriani sequens dubium proposuerit: « An efformanda, et approbanda sit aliqua taxa stabilis pecuniae ab Episcopis titulo decimarum D. Patriarchae praedicto annuatim persolvendae, et sub quibus conditionibus » EE. PP. respondendum censuerunt: « Affirmative pro approbatione annuae taxae perpetuae in summa ducatorum 2500 illius monetae iuxta sequentem repartitionem, et novus Delegatus incumbat pro omnimodâ executione. D. Patriarcha vero det literas pro exigendis decimis cuilibet ex hodiernis Episcopis pro unâ vice tantum in signum dependentiae, et futuris Episcopis solummodo in ingressu ad Episcopatum. Repartitio autem est huiusmodi:

Persolvet

Episcopus Aleppensis	scut.	350
Episcopus Tripolitanus et Acen.	»	450
Episcopus Biblen. et Botri . .	»	300
Episcopus Heliopol. seu Balbecen.	»	300
Episcopus Damasci	»	250
Episcopus Cypri.	»	250
Episcopus Berytensis	»	300
Episcopus Tyri et Sidonis. . .	»	300
	scut.	2500

RESOLUTIO

Responderunt: In decisis iuxta modum; et modus est: quod taxa decreta pro decimis duratura sit ad sex annos, nisi aliter visum fuerit S. Congregationi: quod petantur a quolibet Episcopo quolibet anno literae patentales a D. Patriarchâ pro exigendis decimis: quod solvatur a quolibet in duabus ratis: et quod licitum sit Patriarchae regredi ad primaeva iura contra quoscumque Episcopos, qui fuerint in culpabili morâ non solvendi summam stabilitam, et super his omnibus Ablegatus incumbat exequutioni iuxta instructionem.

Ad quintum sequentibus verbis conceptum.

Relato per Eñum D. Card. Castelli Praefectum sequenti dubio: « An D. Maronitarum Patriarchae liceat removere Episcopos ab eorum dioecesi, illis iurisdictionis exercitium impedire, aliaque facere quae eos contemptibiles apud populos reddant, idque levibus de caussis, inconsultâ Episcoporum synodo et sine Sedis Apostolicae oraculo, et multo magis in casu, in quo Episcopi ad eamdem Apostolicam Sedem appellationem interposuissent: » EE. PP. responderunt: « Non licere Patriarchae privare Episcopos suâ dioecesi, neque in totum eis adimere iurisdictionem, inconsultâ synodo Episcoporum. In reliquis posse contra eos procedere iuxta canonicas sanctiones.

RESOLUTIO

Responderunt: *In Decisis.*

Ad sextum sic expressum.

Cum ex relatione P. Valeriani a Prato Ordinis Minorum de Observantiâ S. Francisci, ad negocia Maronitarum componenda Ablegati Apostolici, appareat, reconciliationem Patriarcham inter praefatae nationis et monachos Congregationis S. Antonii Montensium appellatae initam brevi duraturam, si executioni mandandus sit canon synodi Augustanae Montis Libani, quo cavetur, ne monachi eleemosynarum praetextu per dioeceses vagentur; EE. PP. ad relationem per Eñum D. Cardinalem Castelli Praefectum et Ponentem factam sub infrascripto dubio, videlicet: « An, canone supradicto non obstante, permittendum sit monachis per praefatas dioeceses quaestum ire: » decreverunt: « Servandas esse Constitutiones monachorum, de quibus supra; nec non decreta Synodi Libanensis par. 4, cap. 2. num. 8, et ad mentem: et mens est, quod hortentur Episcopi, ut faciles se praebeant ad concedendam monachis licentiam quaestuandi, quando animadverterint, eos hcc subsidio indigere.

RESOLUTIO

Responderunt: « In Decisis, salvo recursu ad D. Patriarcham in casu irrationabilis dissensus Episcoporum a concedendâ licentiâ quaestuandi in casu proposito. »

Ad septimum his verbis expressum.

Ad Dubium: « An liceat D. Maronitarum Patriarchae sacerdotes seu monachos, qui suorum superiorum mandatis obtemperare renuunt, ad se confugientes recipere, illisque contra eorumdem superiorum voluntatem permittere, ut alio divertant » EE. PP. referente Emo D. Card. Castelli Praefecto responderunt: « Non licere nisi ad tramites Synodi Libanensis par. 4, cap. 2, n. 9, et 11. »

RESOLUTIO

Responderunt: *In Decisis.*

Et haec omnia esse significanda P. Petro de Moretta Ablegato Apostolico, ut curet eorum omnimodam executionem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis eidem ad haec peragenda a Sanctitate Sua impetrandis.

Quam S. Congregationis sententiam SS. D. N. Pio PP. VI. per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium relatam, in audientiâ habitâ die VI. aprilis MDCCLXXVII. Sanctitas Sua in omnibus et per omnia benigne approbavit, et apostolicâ auctoritate roboratam omnimodae iussit executioni mandari, datis concessisque ad haec ipsa peragenda P. de Moretta Ablegato Apostolico facultatibus quibuscumque necessariis atque opportunis.

Dat. die X. maii MDCCLXXVII.

Ioseph Maria Card. Castelli Praef.
Stephanus Borgia Secret.

Tutti questi decreti ed altri qualunque o pubblicati o da pubblicarsi dalla stessa S. Congregazione pel buon regolamento della nazione Maronita, io mi protesto di venerarli, accettarli ed eseguirli senza frode, dolo e tergiversazione.

Offro pertanto ed umilio questa mia sincera ed ingenua confessione e ritrattazione alla Santità di N. S. PP. Pio VI., supplicandola umilmente di assolvermi da ogni censura, se mai vi fossi incorso, e a restituirmi la sua grazia e benignità, e riconoscermi per figlio dolente e pentito de' miei passati errori, e quindi, quando li piaccia in seguito di questo mio sincero ravvedimento, umilmente la supplico a restituirmi e reintegrarmi alla giurisdizione e autorità patriarcale, e al governo della mia nazione con tutte quelle leggi, condizioni e restrizioni, che piacerà alla suprema autorità della sua Santa Sede Apostolica di prescrivermi ed impormi, che io accetterò ed eseguirò volentieri, e fin d'ora prometto di accettare ed eseguire, non volendo in avvenire se non mostrarmi ubbidiente e divoto figlio della S. Sede Apostolica Romana, e del suo ssmo regnante Pontefice Pio VI., de' suoi successori, e della S. C. di Propaganda.

E questa mia confessione, ritrattazione, accettazione e promessa nel modo di sopra espresso la confermo e ratifico col mio giuramento, e colla mia sottoscrizione e sigillo.

Dato dalla città di Biblo questo dì 28 di marzo 1784 alla presenza di due testimonii.

Loco ✝ Sigilli

Giuseppe Pietro de Stephanis
Patriarca Antiocheno m. p.

Noi sottoscritti attestiamo, qualmente l'Illmo e Rmo Monsignor Giuseppe Pietro de Stephanis Patriarca Antiocheno de' Maroniti ha sottoscritta la presente col proprio carattere, e sigillata col proprio sigillo in nostra presenza. In fede etc.

Questo dì 28 marzo 1784.

D. Simone Sabbagh Mission. Apost.
D. Giuseppe Tian Mission. Apost.

§ 4. Tam vere poenitenti ac tam solemniter errata sua retractanti par esse profecto videtur, ut prompta concedatur venia, neque eiusdem differatur ad pristinam suam Sedem dignitatemque restitutio. Post culpam, culpaeque poenitentiam neque Aaron antiquae legis sacerdotium, nec Petrus supremum Ecclesiae apostolatum amisit. Quapropter Delegato nostro Episcopo Aenensi mandavimus, ut confestim ad Kesroanum se conferat, ibique ven. fratrem Iosephum de Stephanis in Patriarchatum suum restituat, ac in pristinum gradum potestatemque referat, ut scilicet hunc in modum illa apostolica manus, quae ligaverat, eumdem dissolvat, atque ab uno auctoritatis fonte tam poena quae errori debebatur, quam, quae resipiscentiae debe-

tur, gratia et misericordia procedat. Hoc ipsum cupimus, ut a vobis habeatur tamquam novum paternae nostrae erga Maronitarum nationem singularis benevolentiae argumentum, atque eius existimationis pignus, qua illam ob sua in orthodoxam religionem studia, et constantem erga B. Petri Cathedram observantiam, magnâ cum suae laudis praedicatione prosequimur. Hos eximios pontificiae voluntatis sensus coram deferet confirmabitque vobis universaeque nationi Delegatus idem noster, quem ut nostrae auctoritatis administrum, ita ut paterni cordis apud vos interpretem constituimus. Ac vobis omnia a Deo praesidia ac virtutum ornamenta precantes, in eiusdem benignitatis auspicium apostolicam benedictionem vobis, venn. fratres et dilecti filii, universaeque, cuius studiosissimi sumus, nationi vestrae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXVIII. septembris MDCCLXXXIV., pontificatus nostri anno X.

LII.

Confirmat decretum Congregationis Rituum super approbatione electionis Sancti Iosephi in patronum principalem Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus existentium.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Tenor decreti editi a sacra Congregat. Rituum.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet: — Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus praefectus generalis, et assistentes Ordinis Bethlehemiti sanctissimo domino nostro Pio PP. VI. humillime supplicarunt pro elevatione ritus in universo suo ordine officii et missae Beatae Mariae Virginis de Bethlem a duplici maiori ad duplicem secundae classis, nec non pro facultate celebrandi singulis anni sabbatis missam propriam dictae Beatae Mariae Virginis de Bethlem, iam adprobatam tamquam votivam; et Sanctitas Sua, referente me infrascripto secretario, gratiam petitam et quoad missam votivam, exceptis sabbatis hebdomadarum maioris, Paschatis et Pentecostes, aliisque festis duplicibus primae et secundae classis, benigne concessit die XXI. iulii MDCCLXXXIV.

Loco ✝ Signi

I. Card. Archintus praefectus
Iulius M. de Somalia S. R. E. secr.

Tenor apostolicae confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii memorati praefectus generalis et assistentes dicti Ordinis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Nos dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum omniaque et singula in eo contenta et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis et conventuum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus; pri-

vilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die III. dec. MDCCLXXXIV., pontificatus nostri anno X.

LIII.

Clero saeculari civitatis et dioecesis de Quito in Indiis concedit officium et missam B. M. V. de Bethlehem, alias Ordini Bethlehemitarum concessum (1).

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis nobis nuper exponi fecit, ipse ad devotionem erga Beatam Mariam Virginem de Bethlehem in dicta civitate et dioecesi, ubi (ut asseritur) summopere viget, magis excitandam, officium proprium et missam eiusdem Beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die XXIII. maii anni MDCCLXXVIII. pro Ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis et dioecesis praedictae per nos extendi summopere cupiat:

Tenor concessionis.

§ 2. Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati; attenta relatione dilecti filii magistri Iulii Mariae de Somalia eiusdem congregationis secretarii: officium proprium et missam Beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a dicta Cardinalium Congregatione pro Ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobata, ad clerum saecularem praedictarum civitatis et dioecesis de Quito, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium huiusmodi cum missa sub ritu duplicis maioris, dominica tertia post Epiphaniam recitare, et respective celebrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium extendimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae de Quito eiusque cleri saecularis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

---

(1) Istam concessionem Bethlemitis factam non invenimus; tamen ipsam extendit ad clerum secularem dioecesis Cuzco, die XXVIII. ianuarii, *Exponi nobis*, et ad utrumque clerum dioecesis mexicanae, die XVI. iunii an. MDCCLXXXVI. *Cum sicut.*

§ 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXVIII. ian. MDCCLXXXV., pontificatus nostri anno X.

LIV.

Missionariis Capucinis in Americae partibus, ubi non adsunt patres Observantes, degentibus, erigendi stationes Viae Crucis et communicandi eiusmodi devotioni annexas indulgentias licentiam concedit, et ad futura tempora perpetuat.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea per quae animarum Christifidelium salus procuratur libenter intendimus, et eorumdem devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, coelestium munerum largitione fovemus et incitamus. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus a Bustillo, frater Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum expresse professus alter ex definitoribus generalibus Ordinis huiusmodi: quod cum in Americae partibus regi catholico subiectis, ubi fratres Ordinis Seraphici sacras missiones exercent, non adsint fratres Ordinis eorundem Minorum Sancti Francisci de Observantia etiam nuncupatorum, peculiari nempe facultate erigendi stationes Mysteria Passionis Domini Nostri Iesu Christi repraesentantes, vulgo Viae Crucis nuncupatas, ab Apostolica Sede suffulti, ut asseritur, atque privative muniti: Christifideles indulgentias omnes et singulas peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ab eadem Sede Apostolica iam alias visitantibus Stationes similes impertitas lucrari minime valeant. Ne autem Christifideles dictarum partium coelestium Ecclesiae thesaurorum huiusmodi elargitione priventur, exponens praedictus nobis humiliter supplicari fecit, ut fratribus missionariis Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum illis in partibus nunc et in posterum existentibus facultatem erigendi stationes Viae Crucis praedictas, tam in Ecclesiis seu Oratoriis, aliisque piis locis, quam in privatis domibus, unacum communicatione omnium et singularum indulgentiarum praedictarum pariformiter tribuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur piis ipsius exponentis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac singulares missionariorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nunc et pro tempore illuc tantum degentibus fratribus Ordinis Sancti Francisci Capucinis nuncupatis, et quoadusque non adsint fratres Ordinis Minoris Sancti Francisci de Observantia, petitam facultatem erigendi quibuslibet in ecclesiis et locis decentibus tamen privatisque domibus supradictas stationes Viae Crucis, necnon indulgentias omnes supradictas communicandi; itaut Christifideles utriusque sexus illas rite ac valide consequi possint ac valeant similibus modo et forma fratribus de Observantia largita, servatis caeteroque in iis omnibus quae de iure et de consuetudine in huiusmodi concessionibus servari solent, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur. Non obstantibus concessionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis fratrum de Observantia praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentibus pro plene ac sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V. iulii MDCCLXXXV., pontificatus nostri anno XI.

LV.

Gratias agit Regi Poloniae de domo atque hortu in civitate Camenecensi donatis ut ibi collegium Ruthenorum, quod Leopoli erat, collocari possit (1).

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto Poloniae Regi illustri,

PIUS PP. VI.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoties aliqua religionis causa ad scribendum maiestati tuae nos inducit, mirificâ sane alacritate id aggredimur muneris, nam tum vel ob eximia iam a te inita tuae pietatis merita agendae nobis sunt gratiae vel virtuti tuae suppeditandae novae bene-merendi opportunitates. Utriusque in praesentia argumenti habemus copiam; nam primum immortales tibi gratias persolvimus, quod nostrae de Propagandâ Fide Congregationi, nobismetipsis scilicet et Apostolicae Sedi, dono dederis amplam cum horto domum in urbe Camenecensi, in qua domo pontificium Ruthenorum et Armenorum Collegium illi, qui iam Leopoli erat, substituatur. Quod tam illustre planeque regium beneficium tuae virtuti ac religioni acceptum omnino referimus, ac in nos ad caetera cumulatum agnoscimus, Deumque O. M. precamur, ut ob ista a te profecta suae gloriae incrementa uberes velit in te tuumque regnum verae felicitatis fructus profundere. Post hoc nostrae gratissimae voluntatis officium, alteram huius epistolae partem suscipimus, tecumque solicitudinem nostram communicantes, te ad nova pro re catholicâ studia novasque tibi comparandas laudes advocamus. Vehementer enim nos quidam allatus huc rumor perterruit, futurum, ut novus Episcopus Peresislaviensis graecus non unitus, non iam Peresislaviae sedem suam sit fixurus, ut praedecessores sui fecerant, sed Slukii, qui locus est in tuo regno, in Lithuania scilicet, ad nobilem familiam Radziwilliensem pertinens, idque eo obtentu, ut facilius nimirum commodiusque possit iurisdictionem suam in monasteria omnia ecclesiasque non unitas tam in Lithuaniâ, quam in Poloniâ exercere. Si hoc illi consilium succederet, quis non videt, quanta inde pericula, quae perturbatio in unitorum religione existeret, ut foverentur errores, ut schisma suas latius radices diffunderet, atque ita publica omnis fidelium regnique tranquillitas everteretur? Quid enim non timendum foret a turbulentis dissidentium animis, statim ac illi praecipuum aliquod essent sortiti caput, cuius ductu ac praesidio palam ac libere possent antiqua in nostros odia effundere; ac illud renovare funestissimum in Polonia exemplum, cum Augustus II. Rex eisdem erectionem novi Luceoriae episcopatus inconsulte permisisset? Cum haec ad te delata res fuisset, scimus planeque laetamur, carissime in Christo fili noster, qui tui sensus fuerint, quam expressa tuendae religionis studia, ut proinde nihil sub te Rege formidandum nobis esse videatur. Acquiescimus nos certe religioni ac sapientiae tuae, planeque memoria retinemus, quid ipsa iam ab anno MDCCLXXV. Nuncio nostro promiseris, nunquam scilicet te passurum, ut in regno tuo novus schismaticis episcopatus concederetur. Sed ut in tuam maiestatem intuentes erigimur animo ac recreamur; ita cum ad haec adversissima tempora convertimur, non possumus in gravissimâ hac re aliquo timore non permoveri. Hunc igitur in sinum tuum effundimus, teque quantâ maximâ valemus animi nostri contentione precamur, ne permittas ut ille graecus non unitus Episcopus propius accedat, ac in tui regni ditione sedem statuat, unde periculum formidari posset plurimorum a sancta unione per eiusdem praesentis studia conatusque avertendorum. Ad has tecum partes peragendas, etsi nos apostolicum, quod sustinemus, munus atque ipsa praedecessorum nostrorum exempla simili in re posita excitarint, ac praesertim repetitae Clementis XI. ad Augustum II. Poloniae Regem literae studiosissime cum illo agentes, ne schismaticus Episcopus in Luceoriensem Ecclesiam graeco-unitam intruderetur; tamen maiorem in modum apud nos valuit singularis virtutis religionisque tuae insita animo nostro existimatio, semperque novis tuarum laudum monumentis confirmata. Proinde in maximam erigimur fiduciam, positum in tuâ animi magnitudine esse certissimum Orthodoxae fidei publicaeque tranquillitatis praesidium ac tutamen. Deum omnipotentem precamur, ut regiis consiliis et cona-

(1) Ex Reg. Vat. epist. ad principes.

tibus tuis adsit, suaeque sapientiae et fortitudinis spiritu te pro ipsius gloria laborantem sustentet et roboret. Ac in coelestium munerum auspicium, summique in te amoris nostri pignus, apostolicam benedictionem regiae maiestati tuae intimo paterni animi sensu amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCCLXXXV., pontificatus nostri anno XI.

LVI.

Utrique clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis concedit peragere commemorationem Sancti Iosephi in officio et missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Tenor Precum porrectarum ab Ordinario.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus Sanctae Crucis della Sierra in Indiis nobis nuper exponi fecit, ipse pro peculiari sua suique populi erga Sanctum Iosephum devotione, in officio et missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis, commemorationem eiusdem Sancti Iosephi eius sponsi ab utroque clero suae civitatis et dioecesis praedictae fieri posse summopere cupiat:

Concessionis tenor.

§ 2. Nos dictum modernum Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Iulii Mariae de Somalia Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii; ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis commemoratio Sancti Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis in officio et missa Desponsationis eiusdem Beatae Mariae Virginis peragi libere et licite possit ac valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictoque clero in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXX. septembris MDCCLXXXV., pontificatus nostri anno XI.

LVII.

Privilegia et gratiae, quibus alia duo collegia Ordinis Minorum de Observantia gaudent, ad collegium missionum de Vinhaes eiusdem Ordinis extendit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Alias pro parte dilectorum filiorum superioris et fratrum collegii missionariorum oppidi de Vinhaes Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Excalceatorum nuncupatorum Brigantiensis dioecesis Congregationi venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum exposito, collegium huiusmudi, cuius erectio a felicis recordationis Benedicto PP. XIV. praedecessore nostro per apostolicas suas in simili forma Brevis die XX. februarii MDCCLIII. expeditas literas adprobata fuit, rebus omnibus, quae ad illius conservationem et disciplinam necessariae sunt, iam instructum reperiri, ac propterea, ad magis magisque excitandum

missionariorum huiusmodi studium, valde profuturum, si privilegia quibus ex apostolica largitate gaudent collegia de Bracannes et de Varatojo dicti Ordinis in Portugalliae regno, nec non missionarii Hispaniarum et Indiarum, in favorem primodicti collegii extenderentur; eadem Cardinalium Congregatio, referente dilecto filio magistro Stephano Borgia eius secretario, et audito voto dilecti etiam filii nostri Vincentii Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri Cardinalis Ranuzzi nuncupati, tunc nostri et Apostolicae Sedis in regnis Portugalliae et Algarbiorum Nuntii, censuit esse nobis supplicandum, ut ad praedictum collegium de Vinhaes privilegia omnia, gratias et indulta, a rec. mem. Innocentio XI., Clemente etiam XI. et Benedicto XIV. praedicto Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris missionum collegiis concessa, et quibus conventus de Varatojo et de Bracannes actu potiuntur et gaudent, dummodo tamen in eo statuta, leges et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo et Bracannes praescriptae, ea qua decet sedulitate servarentur, extendere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur superiorem et fratres praedictos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excomunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus desuper nobis nuper porrectis inclinati: privilegia omnia, gratias et indulta, quae memorati Innocentius XI., Clemens XI. et Benedictus XIV. Romani Pontifices praedecessores nostri collegiis missionum concesserunt, et quibus conventus de Varatojo et de Bracannes actu potiuntur et gaudent, ad primodictum collegium de Vinhaes, dummodo tamen in eo statuta, leges et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo et de Bracannes praescripta, ea, qua decet, sedulitate serventur, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI. ian. MDCCLXXXVI., pontificatus nostri anno XI.

LVIII.

Indulget clero saeculari et regulari civitatis et dioecesis Quitensis in Indiis, ut recitare valeant officium et missam S. Ioseph semel in mense (1).

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Memoratur decretum latum a sacra Congreg. Rituum.

§ 1. Emanavit dudum a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis, videlicet:

QUITEN.

Tenor decreti.

Ad magis promovendam devotionem, quae apud clerum et populum civitatis et dioecesis Quitensis in regno Peruano erga Patriarcham Sanctum Iosephum Beatae Mariae Virginis sponsum maxime viget, reverendissimus hodiernus Episcopus una cum clero saeculari et regulari

(1) Eumdem indultum concessit Carmelitis provinciae mexicanae die XVI. iunii h. a. *Cum sicut.*

eiusdem civitatis et dioecesis pro indulto recitandi semel in mense die non impedita officium votivum cum missa praefati sancti patriarchae sanctissimo domino nostro Clementi PP. XIV. humillime supplicarunt; et Sanctitas Sua ad relationem per me infrascriptum secretarium factam ex speciali gratia petitum officium cum missa a clero saeculari et regulari praedictae civitatis et dioecesis sub ritu semiduplici semel in mense die non impedita recitari ac respective celebrari possint benigne concessit, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum, sive cum ieiunio sive absque ieiunio, nec non feria secunda rogationum, atque illis feriis, in quibus iuxta rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici, vel semiduplici translato.

Die VIII. iulii MDCCLXIX.

H. Card. Chisius praefectus
V. Macedonius S. R. C. sec.

Preces porrectae pro confirmatione decreti.

§ 2. Cum autem sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis, nec non clerus et populus eiusdem civitatis et dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi quo firmius subsistat et servetur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§ 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati: decretum praeinsertum auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis et dioecesis praedictarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XII. septembris MDCCLXXXVI. pontificatus nostri anno XII.

LIX.

Aegre fert quod Ep. Frisingen. Nuncio Monachiensi operam se praestiturum pollicetur, quatenus ei integrum esset, stante recentiori Caesaris edicto. Hoc enim edictum, quod potius exhortatio dicendum esset, iurisdictioni Nunciorum non derogat, nec derogare potest, quod et ex concordatis ac recessibus Imperii aperte constat. Nunciorum demum auctoritatem in Germania vel sola consuetudo perpetua, etiamsi alia deessent, tueri posset ac deberet.

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Deesse apostolico ministerio nostro crederemus, si sub silentio praeteriremus litteras tuas die XII. augusti ad nos datas, in quibus cum epistolae nostrae responderes ad te transmissae a nostro Monachiensi Nuncio, praestiturum te illi operam tuam in ea

verba significabas: *Quatenus mihi, stante edicto Sac. Caes. Maiestatis, quod* XII. *octobris anni praedicti* MDCCLXXXV. *hac in caussa in Imperio emanavit, integrum erit.* Id a te, venerabilis frater, nobis plane inexpectatum accidit, cum perspectissima tua esset, iam ab eo tempore, quo hic Romae in sacra incubuisti studia, erga sacram hanc sedem observantia, ac nobiscum pluribus tuae pietatis officiorumque indiciis comprobata coniunctio. Minime quidem mirum nobis est, illos abuti Caesareo edicto, qui etiam per artificium, ut idem conficeretur, curarunt. Facile certe, quo illi spectent, agnoscimus: ut nimirum super alios dominentur. Ipsi praetexunt timorem, quem nos ab eorum animis tanquam vanum atque inanem, cum iisdem responsa daremus, ostendimus. Sed hic longum et non necessarium esset, qui sint illi, quasque detulerint querelas ad Caesarem, quibusque usi sint ad eum expugnandum rationibus, commemorare. Quae omnia certe omnibus in Germania, nedum tibi, sunt cognita ac perspecta. Ipse certe Caesar, cum ad eum confugerent, aperte declaravit: *esse in S. Sedis arbitrio mittere, si ita ipsi videretur, non solum unum, sed tres etiam Nuncios, neque se, qui caput est imperii, huic immisceri negotio debere, cum illud certe nullo modo ad constitutiones imperii pertinere intelligeret.* Haec sunt expressa verba comitis de Seinskeim in suis litteris die VIII. iunii MDCCLXXXV. ad ministrum Romae residentem perscriptis. Multum quidem abest, ut credamus, te cum iis, de quibus loquimur, hac in re societatem iniisse. Proinde nequaquam tibi displicere posse existimamus, si nos omnem auferre ex animo tuo dubitationem cupientes, paterno studio aggrediamur demonstrare tibi, illam Caesaris epistolam encyclicam seu circularem neque revera obstare, nec etiam obstare posse, quominus recipiantur S. Sedis Nuncii nostras gessuri vices ea cum potestate ac iurisdictione, quam hactenus exercuerunt. Notissimae sunt canonicae sanctiones, per quas potest Romanus Pontifex vi sui primatus non ab hominibus, sed a Deo, constituti, suos mittere Nuncios, prout postulare tempora videantur, eosque debere agnosci et cum honore recipi ab omnibus catholicis, praesertim vero ab Archiepiscopis et Episcopis, qui solemni iureiurando ad hoc explendum officium sese obstrinxerunt. Proinde nullus est dubitandi locus, si etiam legis vim aut edicti obligatorii et coactivi haberet supra memorata circularis, hanc ipsam tamen non posse, utpote a potestate laica provenientem, obstare ecclesiasticarum legum observantiae; atque idcirco nullum ex catholicis, multoque minus ex Episcopis, eandem adducere posse tamquam caussam se ab onere sibi imposito subtrahendi, quinimo ob eam coniunctionem, quae illis nobiscum tamquam membris cum capite intercedit, et ob eam, ad quam vocati sunt, nostrae pastoralis sollicitudinis partem, suam omnem curam, studium, atque operam nobiscum coniungere deberent, ut incolumis atque integra retineretur Ecclesiae auctoritas, atque hunc in modum sequi eorum Germaniae Episcoporum exempla, qui et antiquis et recentioribus hisce temporibus iurisdictionem Romanorum Pontificum in hac etiam parte multa cum laude sustinuerunt, et sustinent. Sed omnis revera iis eripitur sua, quam praetexunt, ratio, statim ac ea circularis non tamquam lex, seu edictum, ut ipse asseris, consideranda non sit, sed ut simplex *merae insinuationis epistola,* per nonnullorum importunitatem a Caesare perscripta, non personam legislatoris, sed *advocati* et imperii defensoris gerente: qua epistola nil aliud agit, quam ut Archiepiscopos hortetur, quo illaesa conservent sua primaeva iura, quae per falsas et erroneas querelas ablata ipsis esse feruntur *mediis illicitis, et fini ecclesiae repugnantibus,* neque permittant, quemadmodum nec permissurum se ipse profitetur Nuncii *exercitium iurisdictionis in caussis ecclesiasticis;* subiungit porro, se, dum exponit hanc *animi sui intentionem,* non iubere, sed exhortari, hisce nimirum verbis: *Insimul te provocamus, ut iura tua metropolitica et dioecesana, tam pro parte tua, quam attento etiam suffraganeorum tuorum ac exemptorum, si qui provinciae tuae insunt,* episcoporum consilio *contra quasvis laesiones illibata tuearis.* Demum caesareae circularis verbis, unusquisque facile videre potest salvam esse Archiepiscoporum et Episcoporum libertatem, quae per exhortationem non eripitur, et ipsos praeterea Archiepiscopos nullam inde consequutos esse auctoritatem ad suos adstringendos suffraganeos, cum agere nonnisi ex eorum consilio debeant. Ex quo patet, si quid novi in Germania acciderit in detrimentum iurisdictionis Nunciorum, non id facto Caesaris imputandum, sed Archiepiscopis et Episco-

pis esse tribuendum. Et revera quomodo id cogitari potest, ut Caesar sancire legem voluisset pro universò imperio contra Nunciorum iurisdictionem, quando imperium ipsum gloriae sibi semper esse duxerit, quod in materiis ecclesiasticis se regeret ex ecclesiae legibus, et praesertim primae sedis, a qua verae religionis initia recepit; et quando idem imperium in materiis ad ipsum pertinentibus non alias agnoscit leges, nisi illas, quae sanciuntur a comitiis, seu ab integro Germaniae corpore: neque ipsa comitia detrahere quidquam possunt a supremo suorum principum iure, cuius vi eorum quisque in suis ditionibus potestatem habet agendi quod velit, dummodo corporis constitutionem non laedat. Non ignoramus multorum sermone nunc id spargi, quod *nova Nunciorum in Germania institutio, inconsultis et invitis Episcopis, repugnet concordatis Germaniae, quae ex iure patritio S. Sedem stringunt*, et quod id *a rationibus Episcoporum Germaniae plane alienum sit*, et quod *plena sunt acta publica imperii nostri querelis et gravaminibus, quae contra nunciaturas ultra seculum iam mota sunt. Plurimi recessus imperii, et capitulationes caesareae ad novissimam usque id aperte loquuntur.* Sed neque etiam ignoramus, nullo id ipsum fundamento niti, quoniam si ad concordatum germanicum respiciamus, fieri in ipso expressam mentionem invenimus Nunciorum auctoritatis, eamque approbari (§ *Placet nobis 3);* sed non invenimus illorum definiri numerum vel impediri, quominus sine Episcoporum consensu mittantur, quando ipsorum principum consensus non ex necessitate, sed ex honoris convenientia sit obtinendus. Quamquam in casu, de quo agitur, certiores facti fuerint Archiepiscopi, qui nunc adversantur, eisque datum sit eiusmodi responsum, quod ipsos a suo timore, nisi is simulatus fuerit, omnino deducere potuisset. Sed si de *recessibus imperii* loquamur, vere quidem sunt querelae identidem excitatae; sed verum est etiam querelas non iam contra subsistentiam et iurisdictionem nunciaturarum motas, sed contra *praetensos abusus* Nunciorum, fuisse tamquam rationis fundamento carentes ab Episcopis ad repugnandum zelo inductis in Germania contradictas, tantumque abesse, ut illae quidquam nocuerint, ut etiam dictam iurisdictionem confirmarint; atque haec ipsa nunc non obstantibus quibuscumque querelis multorum seculorum possessionem habet; qui titulus universim agnoscitur, et ab omnibus orbis nationibus retinetur. Si denique loquamur de *capitulationibus caesareis usque ad postremam,* haec sane evidenter convincunt, Nuncios in Germania debere et posse libere exercere iurisdictionem S. Sedis nomine; quippe his ipsis capitulationibus nihil aliud intenditur, quam ut dicta iurisdictio *limitata sit ad caussas ecclesiasticas,* utque una excludantur civiles caussae; itaut exorta controversia, civilis ne, an ecclesiastica sit caussa, unusquisque ex electis imperatoribus promitteret sua interponere officia apud S. Sedem pro amica declaratione, ut legitur in ultima capitulatione aliis antecedentibus uniformi in *art. 14,* § *4 et 5.* Haec limitatio iam ab initio contradicta fuit in recessibus annorum MDCLIV. et MDCLVIII.: protestante tamen Nuncio S. Felice, et in alio recessu anni MDCLXIV. similiter protestante Episcopo Paderbornensi. Sed ut nunc praetereamus, quod tum contra eam novitatem actum fuit, iam optime intelligis, venerabilis frater, ipsum imperatorem suo iureiurando adstrictum ad capitulationum observantiam, neque voluisse, neque potuisse sancire pro universo imperio coactivam legem ad omnem abolendam Nunciorum iurisdictionem contra fundamentales tam Ecclesiae, quam ipsius imperii leges. Post perspicuas has atque illustres demonstrationes, minime necesse est tibi commemorare clarissimum exemplum sub tuis oculis positum electoris palatini, qui unus est e praecipuis imperii membris. Is ea libertate utens, quae intacte cuique relinquitur, sanctaeque huic sedi illud obsequium deferens, quod multo magis venerabiles fratres Episcopi deferre deberent, ad maiorem suorum populorum utilitatem, constitui voluit cum consueta iurisdictione Nuncium in omnibus suis ditionibus Palatino-Bavaris, qui ipse Nuncius a variis agnoscitur Episcopis et Abbatibus Germaniae, et a catholicis populis Electori etiam Brandeburgico subiectis, qui item est alterum ex praecipuis imperii membris. Propterea, cum tu, venerabilis frater, te esse profitearis *zelosissimo animo praefato Archiepiscopo et Nuncio pro moderno suo munere omnem locandi operam,* a memorata circulari induci non debes ad ullam formidinem, ne tua ordinaria iura laedantur; cum id accidere omnino non possit, statim ac non aliam auctoritatem habet novus Nuncius,

quam quae hactenus sine ullo ordinariorum iurium detrimento ab aliis Nunciis fuit exercita, itemque eidem Nuncio a nobis expresse mandatum fuit, ut sibi tecum et cum aliis Episcopis conveniret, utque omnium vestrum eam ipse haberet, quae par esset, rationem. Hunc in modum nostrae voluntati ecclesiaeque et imperii legibus obsequens, tibi proximiorem habebis, qui nostro nomine defendat et tueatur iura tua, et bene de ipsa religione mereberis, et populis eam conservabis utilitatem, quam S. Sedes iisdem cum proprio etiam impendio praestari per suos Nuncios curat, quorum utilitas ab ipso Hontheim admittitur, ut fatetur in historia Trevirensi, *tom. 2 ad dissert. seculi XVI.*, § *10, pag. 540.* Quod si ipse, qui suffraganeus es Archiepiscopi salisburgensis, ad adversantium nobis consilia accederes, praeter quod iuratam fidem non servares, neque stares Ecclesiae imperiique legibus, publicaeque utilitati aperte te opponeres, ea etiam incurreres pericula, a quibus cavere omnino tua caussa debes, non S. Sedis eiusque Nunciorum auctoritati te subtrahens, quae certe germanicam libertatem non laedit, sed tuo te subiiciens Metropolitano ultra terminos ab universali Ecclesia praescriptos: ad quod certe assequendum adversantium conatus spectare, nemo est qui non intelligat. Sed nos ita persuasi sumus de intima nobiscum et cum Apostolica Sede animi tui coniunctione, deque tuae mentis intelligentia, ut minime dubitemus, quin auscultaturus sis nostris hisce adhortationibus, eoque magis quod certus esse possis, si quis forte abusus oriretur, et si quae proveniret iurium ad Archiepiscopos, Episcopos, et Principes imperii spectantium violatio, promptos nos paratosque fore ad eos auctoritate nostra tollendos; proptereaque illam nos declarationem confirmamus, quam praedecessor noster Alexander VII. per superius memoratum Nuncium S. Felicem emisit in comitiis anni MDCLVIII. Hac de te fiducia freti, singulari paterni animi benevolentia, qua fraternitatem tuam complexi semper sumus, apostolicam benedictionem tibi tuaeque fidei concreditis populis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. octobris MDCCLXXXVI., pontificatus nostri anno XII.

LX.

Imminuit dies festos in civitate et dioecesi Goana in Indiis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Goano in Indiis,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo Magnus praedecessor noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; eapropter Apostolica haec Sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad maius divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur. Prooemium.

§ 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate et dioecesi Goana adeo excreverunt calamitates et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores incolaeque, et praesertim ii qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contingat ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Ratio concessionis.

§ 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad despe-

rationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus praedictarum civitatis et dioecesis Goanae, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Iesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis et sequenti, Pentecostes et sequenti, ac corporis Christi et Ascensionis, Sancti Ioannis Baptistae, ac sanctorum Petri et Pauli ac Iacobi Apostolorum et commemorationis omnium Sanctorum; praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini immaculatae, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non sancti patroni aut tutelaris cuiuslibet loci pro hominibus eiusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis sive per hanc Sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per maiores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis praescriptisque, audita tantum missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate nostra apostolica concedas et indulgeas, permittas ac statuas, praecipias ac mandes.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non civitatis et dioecesis praedictarum, illorumque locorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XII. dec. MDCCLXXXVI., pontificatus nostri anno XII.

LXI.

Supprimitur monasterium de Wysoka canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini in parte Borussiae Gnesnensis dioecesis, et applicantur eius bona seminario ecclesiastico in ea parte erigendo.

Venerabili fratri Michaeli Archiepiscopo Gnesnensi,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum in qua causae memorantur ad gratiam concedendam moventes et idoneae.

§ 1. Fraternitatis tuae studium, ac pro recta Christifidelium tuae curae commissorum in via Domini directione pastoralis sollicitudo et Domino Nostro Iesu Christo cara et omni laude digna est. Siquidem, sicut nuper a te accepimus, cum in ea tuae dioecesis parte, quae sub imperio est regis Borussiae, plures numerentur paroeciae, quas ab eis maxime gerere oportet, qui illibatum et incorruptum fidei depositum custodientes, ac nemini ullam dantes offensionem, veluti ministros Dei in omnibus se exhibeant, hinc ad id quantopere mentem et cogitationem convertisti; quapropter, cum ad tuum desiderium huiusmodi nil conducibilius nilque aptius esse videatur, quam ecclesiasticum seminarium illic erigere, in quo adolescentes subditi regis Borussiae in sortem Domini vocati, quibus per saeculares leges, ne ad extera seminaria conveniant, vetitum est, ad pietatem et sacrarum doctrinarum studia efformentur, bonisque moribus imbuantur; id autem neque commodius, neque opportunius

assequi liceat, quam si praevia monasterii de Wysoka canonicorum regularium congregationis Lateranensis Ordinis Sancti Augustini in ea tuae dioecesis parte existentis suppressione, in quo nedum ab ipsa sui fundatione anno MDCCXXIX. facta, cum a superioribus dicti Ordinis independens esset, ipsius fundationis leges fuerunt contemptae, ac regularis disciplina plane nihil custodita, verum etiam cum observantiae huiusmodi neglectus eo pervenerit, ut vix quatuor canonici in dicto monasterio degant, quorum alter ob ingravescentem, alter iuvenilem aetatem ecclesiastica ministeria obire impares sint, ac novissimis quoque temporibus ipsi non paucas praebuerint offensionis causas, bona, iura et actiones ad illud quomodolibet spectantia et pertinentia ad seminarii huiusmodi erectionem et institutionem applicentur et uniantur, prout applicari et uniri summopere desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Mandatum concessum pro suppress. monasterii, et concessione redditnum favore seminarii.

§ 2. Nos igitur probe noscentes quantum utilitatis ex seminariorum institutione dioecesibus provenerit, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, teque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cuius prudentia et integritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut monasterium praedictum de Wysoka canonicorum regularium congregationis Lateranensis Ordinis Sancti Augustini auctoritate nostra apostolica supprimas ac extinguas, ac suppressum et extinctum esse constituas atque declares; bona vero mobilia et immobilia, iura et actiones ad monasterium huiusmodi quomodolibet spectantia et pertinentia, assignata cuilibet ex canonicis regularibus inibi nunc degentibus annua vitalitia pensione tuo arbitrio praefigenda, nec non constituta iuxta synodales constitutiones certa ac fixa annua congrua parocho, qui curam animarum in ecclesia dicti monasterii exerceat, ex bonis dicti sic suppressi monasterii respective persolvendis, ac salvis missarum aliorumque legatorum piorum oneribus, erigendo dicto seminario, in quo tot alumni erunt recipiendi, quot annui illius redditus respondebunt, dicta auctoritate addicas, unias et incorpores.

Aliae providentiae favore seminarii.

§ 3. Volumus praeterea, ut si redditus huiusmodi satis non sint ad sufficientem alumnorum numerum sustentandum ad formam Tridentinae synodus beneficia saecularia ac simplicia dumtaxat, non autem curam animarum adnexam habentia, eadem auctoritate unias et incorpores. Nos tibi necessariam et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem illa perducenda pertinent, faciendi, gerendi, dicendi et exequi mandandi, ea omnia, quae componere ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint; nec vocati et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae ullatenus fuerint; ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates ac quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis praetextu, occasione vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris et facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato, quemquam in iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per

omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis nostrae et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non Lateranensis Concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti monasterii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. dec. MDCCLXXXVI., pontificatus nostri anno XII.

LXII.

In ecclesia monialium monasterii Cappuccinarum civitatis Limanae in Indiis missa votiva de Sanctissimo Sacramento cantari posse concedit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Memoratur decretum alias editum a Sacra Congregat. Rituum.

§ 1. Alias emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

LIMANA

Tenor decreti.

Precibus monialium Ordinis Sancti Francisci Cappuccinarum civitatis Limanae in regno Peruano per me infrascriptum secretarium relatis, sanctissimus dominus noster Pius VI. pontifex maximus benigne annuendo indulsit, ut primis diebus septenarii praecedentis festum Sancti Ioseph sponsi beatissimae Virginis, quod in ecclesia dictarum monialium celebrari consuevit cum expositione sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, missa expositionis et repositionis et diei intermediae cantari possit votiva de eodem sanctissimo Sacramento pro re gravi cum commemoratione festi occurrentis, licet festum occurrens sit dominica quadragesimae, vel aliter privilegiatum, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Loco ✠ Signi.

L. Card. Archinto Praefectus.
Iulius M. de Somalia S. R. E. Secr.

Preces porrectae pro confirmatione decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsae decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§ 3. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et in-

tegros effectus sortiri et obtinere, dictisque monialibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictorum monasterii, eiusque Ordinis, etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX. ian. MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XII.

LXIII.

***Cum Nuntius Apostolicus ad Tractum Rheni declarasset dispensationes ab Episcopis concessas ultra facultates ipsis ab Apostolicâ Sede collatas nullas esse, nec Archiepiscopus Coloniae Nuntium ipsum cognoscere et excipere vellet; Pontifex eidem Archiepiscopo iure demonstrat, concessionem dispensationum matrimonialium unice ad R. Pontificem pertinere, ab eoque facultatem illas impertiendi derivari debere; ius insuper eidem inesse, Legatos suos in quamlibet orbis dioecesim aut regionem catholicam mittere* (1).**

Ven. fratri Maximiliano Archiepiscopo Coloniensi et Episcopo Monasteriensi S. R. I. Electori,

PIUS PP. VI.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Retulit nobis dilectus filius Marchio Antici, tuorum negotiorum apud nos administer, querelas tuas de ven. fratre Bartholomaeo Archiepiscopo Damiatensi, Apostolico ad Tractum Rheni Nuncio, propterea quod declarationem encyclicam emiserit pridie cal. decembres typis editam (cum grave nimis fuisset, eamdem tot exemplis perscribere) in qua agitur de dispensationibus ab impedimentis matrimonii. Eas querelas non tam in illum, quam in nos ipsos cadere perspicue agnoscimus, cum a nobis, ut illam declarationem emitteret, habuerit in mandatis. Maximum inde animo moerorem cepimus, cum te, ven. frater, in tales contra nos querelas prorumpere videremus. Facile tu ipse ex eiusdem declarationis lectione intelligere potuisti, quae nos causae ad id suscipiendum consilium impulerint, quamque omnino necesse nobis fuerit pro nostrâ ecclesiarum omnium solicitudine iis, ad quos pertinet, constare facere, irritas esse matrimoniales dispensationes, quas ad nos pervenerat in quibusdam dioecesibus a nonnullis Archiepiscopis concedi in gradibus nequaquam expressis aut comprehensis in facultatibus a Sede Apostolicâ impetratis. Cum de maximi momenti re, de validitate scilicet Sacramenti Matrimonii, ageretur, in quo illicitum est quidquam incerti adhibere, medio certo praetermisso quod adhiberi potest; num dissimulare potuimus, quin eos omnes, quos oportet, instructos monitosque redderemus de perscriptis per nos facultatum dispensandi limitibus quos ultra, si dispensatio fieret, suffragatura esset nemini, neque validum futurum matrimonium, neque legitimam sobolem ex illo orituram.

§ 1. Sed ut clarius agnoscas per Nuncium Apostolicum ob declarationem a nobis sibi mandatam nihil iniuriae episcopali tuae iurisdictioni irrogatum esse, repetemus hic tibi aliaque adiungemus rationum

Ius pontificium exponit de matrimon. dispensationibus.

(1) Ex Roskovany et Brancadoro Coll. cum Reg. vat. epist. ad principes viros etc. Vide infra epist. *Postquam responsio, Obsequentes illi.* Etsi hae lit. proprie ad missiones non pertineant, tamen utile eas referre credimus, cum de gravi argumento agant, quod etiam in locis mis. tractari potest.

momenta quibus benevole paterneque exposueramus ven. fratri Archiepiscopo Trevirensi, cum sub finem anni MDCCLXXXII. a nobis petiisset facultatem dispensandi ab omnibus impedimentis matrimonialibus iuris humani pro subditis Austriacis in eius dioecesi existentibus, nosque ipsi rescribentes probassemus, ex allatâ tunc ab illo causâ satisfieri eius postulatis non posse.

§ 2. Praemittimus sanctionem Conc. Tridentini *sess. 24 de Matr. can. 4.* « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. » Ex dogmaticâ huiusmodi lege antiquissimis innixâ documentis aperte intelligitur, ad solum Romanum Pontificem, tamquam universae Ecclesiae caput spectare dispensationem a constitutis in ipsâ Ecclesiâ impedimentis; ut revera S. Gregorius M. dispensaverat in aliquibus gradibus Anglorum gentem tunc ad fidem conversam, quod patet ex eius epistolâ ad Felicem Messanensem in Regest. lib. 14, ep. 17; Innocentius III. relaxaverat Othoni IV. impedimentum in quarto consanguinitatis gradu sub eâ lege, ut duo amplissima monasteria Otho fundaret, omneque per imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istud Ecclesiae disciplinae vulnus compensaret. In eo sex saeculorum ab uno ad alterum Pontificem elapsorum intervallo nullus reperitur Episcopus, qui ausus fuerit aliquam in gradibus matrimonialibus dispensationem concedere. Ipsum porro Concilium Coloniense habitum anno MDXXXVI. decrevit can. 46: « quod ad gradus con» sanguinitatis ac affinitatis attinet, qui ma» trimonium contrahendum ac contractum » dirimunt, decretum Concilii generalis ob» servabitur *excepto casu* ubi Romanus » Pontifex dispensatorio diplomate matri» monium secus contractum approbandum » iusserit. » Et sane evidentissime istud evincitur ex disputatione habitâ inter Patres Tridentinos, nimirum utrum conveniens esset, ut potestas dispensandi saltem in quarto gradu Episcopis concederetur. Qua in disputatione vicit sententia Marci Antonii Bobba Episcopi Augustae Praetoriae Legati Ducis Sabaudiae, nimirum similem potestatem non esse Episcopis concedendam, ut relatum in Actis Paleotti testatur Pallavicinus in histor. Conc. Trid. ed. Rom. MDCLXIV. t. 3, lib. 23, cap. 9, n. 17, pag. 767. Post Conc. Tridentinum legimus in pluribus Conciliis provincialibus, et praecipue in Concilio Turonensi an. MDLXXXIII. tit. 9 de matr. « In quarto consang. et affinit. nec non cognationis spiritualis prohibitis gradibus supra expressis Episcopis dispensare non licere declaramus; » et Concilio Tolosano an. MDXC. *part. 2, cap. 8, de Matr. n. 3:* « Quos cognationis gradus impedit, licet iam legibus solutos et dispensatos, nisi visâ prius summi Pontificis dispensatione in matrimonii coniunctionem parochi non recipiant ». Itemque in Conc. Diamperitano an. MDXCIX. *tit. de Sacr. Matr. decr. 6, n. 189,* ubi statuitur: « Quia tamen potest aliquando contingere, ut iustis de causis velint contrahentes coniugium inire intra gradus iure tantum positivo prohibitos matrimonium impedientes, si id contingat, petere debent legis ecclesiasticae relaxationem vel a Sede Apostolicâ, vel a Praesule, qui a S. Sede ad id delegatam facultatem habuerit, » ut legitur apud Mansium in suppl. ad Coll. Labbe ed. Lucens. MDCCLII. t. 6, col. 141. Consonant quoque Ritualia Ecclesiarum, et canonistarum theologorumque catholice sentientium conclusiones. Ac sane cum Principes et Electores Germaniae ad Pium IV. detulerint varia gravamina, inter quae numerabantur dispensationes S. Sedi reservatae, idem summus Pontifex respondit: « Illos iniustissima petere, nam Archiepiscopi aut Episcopi potestatem habeant dispensandi in his, quae in huius S. Sedis auctoritate constituta sunt, hoc est inferiores et subditi in lege superiorum suorum, nisi ubi eis hoc expresse permittitur, omni iuri omnique rationi contrarium esse, indubitatum est » ut legitur apud Rainaldum Contin. Annal. Baronii ed. Luc. a. MDCCLVI. t. 15, ad ann. MDLXIII. num. 44, p. 371, art. 11. Ac profecto si ius esset Episcopis relaxare legem impedimentorum matrimonialium ab Ecclesiae potestate constitutam, et ubique in catholicis ditionibus receptam, tota everteretur Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris, ac proinde actum esset de ecclesiasticâ hierarchiâ divinitus institutâ, ut generaliter declaravit S. Nicolaus PP. I. in Ep. ad Michaelem Imper. relatâ in *can. Inferior. dist. 21.* Fidei enim dogma est, Episcoporum auctoritatem et iurisdictionem subiectam esse Summi Pontificis auctoritati, ut subesse debeant Sedis Apostolicae statutis, ut patet ex iurisdictionis primatu singulari Christi munere Petro eiusque successoribus divinitus collato, quod quisque ex catholicis fateri

adstringitur, nosque accurate probavimus nostris literis in formâ Brevis publicis typis evulgatis die I. elapsi mensis decembris in damnatione libri Eybel: *Quid est Papa;* quem reprobavimus tamquam continentem propositiones schismaticas, erroneas, inducentes ad haeresim, et haereticas, et alias ab Ecclesiâ damnatas.

§ 3. Ex quibus liquet primum ab Apostolicâ Sede exerceri coepisse dispensationum matrimonialium potestatem, et hunc usum penes illam solam perseverasse, atque ad eandem solam pertinuisse, prout totius Ecclesiae consuetudine et consensu fuit agnitum, cum alios Episcopos eam sibi facultatem assumpsisse non constet, nisi cum S. Sedis expresso vel praesumpto privilegio tueri se posse confiderent. Si nunc igitur in dioecesi tuâ Coloniensi, pro qua hactenus Archiepiscopi tui praedecessores a S. Sede facultatem impetrabant dispensandi in gradibus expressis in formulâ, si nunc, inquimus, dispensari inciperet a te, ven. frater, iure proprio, quid aliud ageretur, nisi ut S. Sedes suo spoliaretur iure quod ab antiquissimo tempore sola semper exercuit, cuiusque exercendi tenuit non interruptam sed constantem receptamque in Ecclesia possessionem? Qui certe tam inveteratus possessionis titulus, etiamsi alia deessent, in suo Primatu constituta fundamenta, valere per se ipse plurimum apud omnes deberet.

§ 4. Neque hic contra obiici ullum Imperatoris edictum potest, cum eiusdem extet nobiscum satis iam pervulgatum concordatum. Ex eodem patet, inter utrosque nostrum convenisse, ut eae dispensandi ab impedimentis facultates, quae antea a Sede Apostolicâ concedebantur suarum ditionum Episcopis, extenderentur in posterum etiam ad divitum matrimonia, ita tamen ut in praefixos arctiorum graduum limites non trascurrerent. Ibidem igitur agnoscitur ad Summos Pontifices dumtaxat pertinere, ceu privativa ipsorum, iurisdictio in impedimentorum matrimonialium dispensationibus, quoniam eâdem uti conceditur Episcopis ex pontificia delegatione, ipsique Pontifici adhuc reservatur usus concedendarum in arctioribus gradibus dispensationum. Ex quo perspici potest, Caesaream Maiestatem in eâdem nobiscum conventione potius recedere voluisse a praecedente edicto in quo Episcopis mandaverat, ut suo iure dispensationes facerent, quam subiectos sibi populos ad conscientiae angustias inducere ac etiam aperire dissolvendorum matrimoniorum viam, cum exorto inter coniuges dissidio facile eorum alteruter causam dissolvendi matrimonii arriperet ex eo, quod irrita et nulla fuisset Episcoporum dispensatio. Unde quanta rerum perturbatio ac pene clades in Ecclesiâ catholicâ et in republicâ oriretur!

§ 5. His omnibus praemissis, ut ad illam declarationem redeamus, ad nos unice spectare videbamus, ne ille error inter fideles induceretur; quoniam si per nostrum silentium tantam tamque gravem rem in incerto reliquissemus, nobis ipsis erroris perturbationisque inde extiturae causa imputaretur. Cum igitur huic gravissimo muneri nostro deesse nequiverimus, cavendum tamen iudicavimus, ne in tali exequendâ re ipse agendi modus in ullam posset reprehensionem incurrere. Itaque nihil in eâ declaratione nisi moderate ac simpliciter, quodque ad rem tantummodo faceret, perscribere voluimus, expresse nominari neminem, ipsam nullibi in publicis affigi locis, sed per manus caute diffundi, illud unice spectantes, ne nostra lateret instructio. Neque enim inficiari potest, apertam aliquam esse debere supremo Pastori docendi suas oves monendique viam, quae si obstruatur, privetur ipse imposito sibi a Christo Domino pascendi munere. Sed nihil apud te nec rationes nostras nec hanc etiam cautionem profuisse videmus. Statim tuo edicto severe mandasti, ut ad quos pervenisset ea declaratio, illico, unde profecta est, remitteretur, ut ita Pastoris vox oppressa atque intercepta remaneret.

§ 6. At insuper tibi displicuisse ostendis ipsum ven. fratrem Archiepiscopum Damiatensem, a quo edita declaratio est, quod se Apostolicum ad Tractum Rheni nostrumque et S. Sedis Nuncium appellat. Et cur se non talem appellet, quem nos ipsi nostro iure eo insignivimus munere, atque istuc misimus, ut eodem in tuâ caeterisque dioecesibus, quemadmodum alii omnes praedecessores sui fungeretur? Talem esse eum agnovit honorificeque recepit maxima istorum Episcoporum ac principum pars pro suâ ad Tractum Rheni ditione. Tu vero neque agnoscere neque recipere voluisti, etsi nostras pontificias commendationis afferret ad te literas, omniaque tibi se paratum praestare officia declararet. Quin etiam extraneum appellasti, ac si ad eum tuae dioecesis negotia nullo modo pertinere debeant; quasi nos ipsi extranei in Ecclesiâ dioece-

Ius pontificium de legatis exponit.

sique tuâ simus, qui memorato iure Primatus a Christo per B. Petrum nobis traditi eumdem istic constituimus, qui nostras vices gereret ac apostolicam, prout ipsi commisimus, exerceret auctoritatem (1).

§ 7. Eam certe mittendi suos Apocrysarios, Legatos, Nuncios ad aliorum Episcoporum dioeceses potestatem semper iam ab antiquissimis temporibus exercuerunt praedecessores nostri, quam nempe cum suo Primatus iure nexam esse sine ullâ dubitatione agnovêrant. Ex ipso sâtis intelligi potest Innocentio III., cum scriberet decano S. Hilarii et S. Petri, et S. Hilarii subdecanis Pictaviensibus epistolam quae est 12 inter coll. a Baluzio t. 2, lib. 16, unde oriatur ius Romano Pontifici mittendi Legatos in varias orbis christiani regiones, quibus ipse praesens esse non posset, ad suas ibidem vices obeundas. Ipsum idem ius iam multis ante seculis exercuerat S. Leo M., ut eius comprobat epistola Episcopis Metropolitanis per Illyricum constitutis quae est 5ª *tom. 2 opp. ed. Tyrn.* MDCCLXVII.,

(1) Vide SS. D. N. Pii Papae Sexti *responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem, super nunciaturis apostolicis. Editio altera, additis binis litteris ad Archiepiscopum et capitulum Coloniae.* Romae MDCCXC., opus quod Emus Card. Philippus Campanelli scripsit iussu Pontificis contra anonimum auctorem *De Legatis.* Suo loco lector has binas literas leget; hic transcribimus illam in forma brevis a Pontifice responsioni praemissam.

PIUS PAPA VI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Potuissemus equidem nulla interposita mora tuis rescribere litteris, ad nos datis (*)... kal. decembris superioris anni, si, relicto rerum et rationum examine, placuisset nobis eam tibi responsionem dare, quam litterae tuae postulabant. Cum enim tu, aliis tribus Metropolitanis adiunctus, peteres cuiusdam quasi concordiae loco, ut nostrum assensum praeberemus nunciaturarum apostolic. abolitioni, prompta sane et expedita occurrebat responsio, neminem unquam petiisse ab altero transigendi gratia totum id, de quo disceptatur. Sed studium et singularis dilectio in te nostra, qua te acriores etiam inter contradictiones prosecuti sumus, in causa fuit, cur aliam agendi tecum rationem iniremus. Satis namque intelleximus fore, ut haec responsio nostra, iustitiae inprimis consona, facile tibi quidem ostenderet, quam absona et repugnans et absurda esset petitio ista tua, sed nequaquam obtinuisset, quod maxime interest, ut tibi, tuisque confratribus insidias patefaceret, quae vestrae virtuti ac religioni instructae et paratae sunt, utque omnibus aeque persuaderet e sententia decedere. Hanc provinciam aggressi, vidimus extemplo, quam arduum moliri opus oporteret, non propter ambiguitatem quaestionis, qua nihil est, nec potest esse, expeditius, sed propter multiplicem rerum congeriem, quae, quamvis a quaestione plurimum abhorrerent, licentius tamen cumulatae et vulgatae sunt ad odium et invidiam conflandam in nos et Apostolicam Sedem. Nullus enim, ut ita dicamus, Tabellarius e Germania Romam commeabat, qui commentaria, lucubrationes, encyclicas, et alia id genus scripta non afferret ad Urbem ita multa, ut omnia propemodum Germanicis rebus et libris redundarent. Accedebat ad haec multarum novitatum rumor, quae isthic identidem factae sunt. Hinc intelligit quisque per se, tantum librorum, querelarum, novitatum, omnia ut refellerentur, volumen exposcere: quod quidem si longissimi temporis spatium ab alio quoquam postulasset, multo certe magis postulavit a nobis, quos in hac rerum temporumque perversitate immensae fere premunt solicitudines Apostolici, quo fungimur, ministerii. At nulli parcentibus labori licuit nobis tandem, favente Deo, hanc responsionem absolvere, his adiunctam litteris, quae communis cum aliis confratribus in causa, quam communem appellatis, quamque communi nomine agitis, luculentissime vindicat agendi rationem cum nostram, tum nunciorum nostrorum: utpote quae, disiectis procul erroribus, locupletissima demonstratione ius et potestatem ostendit, quae est Apostolicae Sedi a primis Ecclesiae saeculis ad haec usque tempora habendi Nuncios stabili iurisdictione pollentes. Plurimum equidem in te, ven. frater, et in tuis confratribus confidimus, certique sumus fore, ut, si vosmetipsi nostrarum rationum momenta perpendatis, non modo nihil allaturi sitis obstaculi Apostolicis Nunciaturis, sed, qua praestatis fide et iustitia, eas obsequio, uti vos decet, colatis et ab aliorum aggressionibus tueamini. Interim te, confratresque tuos, quantum in Domino possumus, obsecramus, ne Ecclesiam, tantis afflictam aerumnis, novo dolore cumuletis, cui nihil accidere exitialius potest, quam ut membra adversus caput praelientur. Tolle e medio novitates, ad quas vel nolentem te aliena malitia deduxit, restituens res ad eum, in quo erant, statum, et factis probans illam, quam erga matrem fovere observantiam affirmas; agnosce tandem ius illud, quod divina institutione cum primatu ipso coniunctum est ac colligatum, quod a nobis abdicare non possumus, quodque subire nequit iudicium comitiorum, uti tribunalis incompetentis; quemadmodum saepius ab ipsis comitiis agnitum est. Firmo nunciaturarum iure manente, si quis in nunciaturas irrepsit abusus, nobis ignotus, ut in fine nostrae responsionis iam diximus, nos fidenter adi, ven. frater, sive per litteras, sive per negotiorum gestorem, veluti toties natio iam praestitit, et ad nos referre ne graveris, qualis praecipue sit abusus in exercitio solitarum facultatum invectus, relictis antiquis querelis, quibus opportune consultum iam est, quaeque vel ab auctoribus ipsis desertae, vel ab imperatoribus et ab imperio fuerunt omnino despectae: nos enim potestatem tuemur, non potestatis abusum, nihilque habemus antiquius, quam ut tibi obsecundemus in iis omnibus, quae iustitia aut aequitate nitantur. Ingenuos hosce in te sensus prae animo ferentes, apostolicam tibi gregique tuae curae concredito benedictionem (**)... impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV. novembris MDCCLXXXIX., pontificatus nostri anno XV.

(*) *XIV. ab electore Treviren., VIII. ab Arch. Salisburgen., VI. a Moguntino, IV. a Colonien. electoribus.*

(**) *Amantissime* tribus electoribus, *peramanter* Archiepiscopo Salisburgensi.

p. 34: « Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, quia Apostolicae dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei suae remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem solicitudinis, quam habemus, cum his qui nobis collegii caritate iuncti sunt, sociamus. Vicem itaque nostram fratri et coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus, et, ut sit in speculis, ne quid illicitum a quoquam praesumatur, iniunximus; cui in his quae ad ecclesiasticam pertinent disciplinam, ut dilectio vestra pareat, admonemus; non enim tam illi obtemperabitur quam nobis, qui hoc illi pro nostrâ solicitudine per illas provincias cognoscimus commisisse. » Idem S. Leo aliam misit de latere suo legationem ad Faustum Marcianum et reliquos archimandritas Constantinopolitanos propter causam fidei quam Eutyches perturbare tentavit, ut ep. 28, t. 8, cit. edit. p. 155. Alia item a S. Gregorio M. missa est ad Anglos legatio; alia a S. Gregorio II. ad Germanos in personâ S. Bonifacii, confirmata deinceps a S. Zacharia, ab eodemque exercita per continuos sex et triginta annos usque ad Pontif. Stephani II. qui eam Bonifacio renovavit, ut eruitur ex ep. 91 S. Bonif. inter coll. a Nicol. Serrario edit. Mog. MDCV. Aliae pariter legationes a S. Nicolao I. qui misit Episcopum Arsenium in Gallias et Germaniae partes, et Donatum, Leonem, atque Marinum Constantinopolim, a Leone VII. ad Episcopos per Galliam, Germaniam, Bavariam, Alemanniam commorantes, a Paschali II. ad provincias Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem et Britanniam, quas confirmavit Calixtus II.; atque illa praesertim legatio animadverti debet Adriani IV. ad Hillinum Trevirensem Archiepiscopum « ut per universum Teutonicum regnum vices suas gereret, ibique legationis officio Apostolicae Sedis auctoritate fungeretur. » Ob quam legationem irritatus Arnoldus Moguntinus eidem postea acquievit, et « nomine Pontificis Moguntiae Hillinus cum magna gratulatione fuit introductus » (1). Ac ita ius Apostolicae Sedis non interrupta Nuntiorum serie ad haec usque tempora illaesum servatum est. Ipsae enim legationes et Nuntiaturae Pontificiae existimatae semper sunt adeo necessariae ad retinendam inferiorum sedium cum primâ Sede coniunctionem, ut, quo tempore neglectae fuerunt, eo ipso disciplinae ecclesiasticae perturbatio oriretur. Id testatur Honorius III. *ep. ad Rogerium* Archiepiscopum Pisanum apud Ughellium *Ital. Sac. tom. 3, postremae edit. Venet. col. 382:* « Corsicana vero tam prolixitate spatiorum quam negligentiâ pastorum, dominorum insolentiâ, et *desuetudine* legatorum Sedis Apostolicae a subiectione et obedientiâ Romanae Ecclesiae deferbuerat, et dissolutioni ac dissipationi dedita ecclesiastici ordinis pene deseruerat disciplinam. »

§ 8. Cum tibi tuisque collegis Archiepiscopis electoribus perspecta esse deberent tam clara Apostolicae Sedis iura, tamque necessaria membrorum cum suo capite unionis conservatio, nihilo tamen minus publicum fecistis edictum uno omnium consensu, quo, ut iam superius diximus, parochis mandastis ut ad Nuntium Coloniensem eam transmitterent instructionem. Omnes certe imitati esse videmini Episcopum illum Pictavensem, de quo in supra memoratâ epistolâ 12 Innocentius III. gravissime conquestus est « quod publice praedicabat, quod in episcopatu suo esse vult Episcopus atque Papa »; ideoque suis commisit delegatis, ut severiora implerent mandata « postpositis gratiâ, odio et timore, quod de negligentiâ redargui non possitis, sed potius de diligentiâ commendari. » S. etiam Leo M. pari voce invectus fuerat contra eos Episcopos qui Sacros Canones infringunt, epist. 3 ad Episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam et universas provincias constitutos, cap. 5 cit. edit. « Hoc itaque admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra haec constituta venire tentaverit, et prohibita ausus fuerit admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostrae futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinae. »

§ 9. At fortasse obstare dices Caesaris mandatum, quod in eius epistolâ encyclicâ continetur die XII. octobris MDCCLXXXV. datâ. Sed primum Caesar, cum ad eum deferrentur querelae in S. Sedis potestate non esse Nuncios mittere, respondit non solum unum, sed tres etiam si vellet Nun-

(1) Epist. Adriani legitur t. 1. *Hist. Trevir. diplomatic. pag. 580,* cum nota in calce Episcopi Myriophitan. collectoris. *Sic additur in regesto Vaticano.*

cios posse constituere. Sed cum deinde ab aliquibus ad eundem expugnandum insisteretur, emisit ille quidem, quae adducitur, encyclicam, sed eam ipsam iis temperavit verbis, ut potestatem quam S. Sedes hactenus per suos exercuit Nuncios, praeter ius laedi noluisse videretur. Atque ut praetereamus, si ea circularis vim legis haberet, quantopere adversaretur canonicis sanctionibus, per quos Pontificii Nuncii agnosci et recipi debeant nedum ab Archiepiscopis et Episcopis, sed ab omnibus etiam catholicis; satis quidem constat, non illam esse considerandam ut legem, sed ut *simplicem merae insinuationis* epistolam a Caesare per nonnullorum importunitatem extortam, neque in eà partes agi legislatoris, sed advocati, ut illaesa scilicet ab Archiepiscopis conserventur primaeva iura, quae per erroneas querelas ablata ipsis esse dicuntur *mediis illicitis et iuri Ecclesiae repugnantibus.* Declaravit porro, se non iubere, sed exhortari, cum diceret: « insimul te provocamus, ut iura tua Metropolitica.... Suffraganeorum tuorum ac exemptorum Episcoporum...... consilio contra quasvis laesiones illibata tuearis. » Quis ex his aliisque verbis non videat, salvam esse Archiepiscoporum et Episcoporum libertatem, quae per exhortationem non tollitur neque Archiepiscopis quidquam amplius auctoritatis in suos suffraganeos delatum, cum ex eorum consilio sua illi iura tueri moneantur? Quomodo porro de ipso Caesare cogitari potest, eum sancire voluisse pro universo Imperio legem contra Nuntiorum iurisdictionem, cum idem optime agnoscat in materiis ecclesiasticis regi Imperium ex Ecclesiae legibus, ac in aliis materiis non aliter sanciri leges, quam a comitiis seu ab integro Germaniae corpore, atque comitia quidquam detrahere non posse a supremo suorum Principum in eorum ditionibus iure, per quod ipsa corporis constitutio non laedatur? Sed de his aliisque huc pertinentibus prolixius egimus in nostrâ ad ven. fratrem Ludovicum Iosephum Episcopum Frisingensem epistolâ die XII. oct. a. p. data, ac deinde typis monachiensibus et latine et germanice editâ.

§ 10. Quod reliquum est, ven. frater, post superius expositas sanctissimorum doctissimorumque praedecessorum nostrorum rationes, quibus illi suae Sedis iura servanda ac vindicanda esse iudicarunt, nos nunc tecum non alium quam nostrum morem secuti, hortationes precesque ad te nostras convertimus, ut recordari velis, qua te fide sacris legibus, Ecclesiae, Apostolicae Sedi nobisque obstrinxeris. Te igitur quantum possumus in Domino obsecramus, ven. frater, ne his miserrimis Ecclesiae temporibus nobis nova infligantur vulnera, a te scilicet, a quo minime expectandum erat; quae tanto altius confodient cor nostrum, quanto antea certiora nobis tecum unionis vincula atque Ecclesiae praesidia extitura sperabamus. Ea certa est de regio animo tuo fiducia, ut rationes has precesque nequaquam sis reiecturus. Quod si adhuc urgere perges nostrisque ac S. huius Sedis damnis insistere, maximam quidem afferes nobis doloris accessionem; sed is, quantuscumque fuerit, efficere profecto non poterit ut animum nostrum ab eo deducat proposito, ne scilicet unquam a transmisso in nos Primatus iure decedamus. Demum hisce literis finem imponemus verbis praedecessoris nostri S. Nicolai I. qui in sua ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem epistola, quae est 13 in append. aliar. collectar. a Labbe tom. 9, Conc. edit. Venet. MDCCXXIX., haec habet: « Vestra reverentia nos non existimet, quia nostra dicimus, in hoc quicquam praeter veritatem dicere, cum Dei potius quam nostra sint, B. Petri meritis Romanae Sedi collata, et arbitremur, quod nos hic asserimus, etiam vos nullatenus ignorare, et quae in praesenti pagina scribimus, vos affatim in archiviis vestris recondita possidere. »

§ 11. Tibique, ven. frater, a Deo O. M. consilii spiritum enixe implorantes, apostolicam benedictionem caelestium donorum auspicem, in nostrae etiam paternae caritatis pignus, amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum die XX. ianuarii MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XII.

LXIV.

Respondit Ep. petenti, ut ea sibi explicentur, quae in sua epistola cum Apost. Sedis iudiciis non cohaerent, Romano Pontifici non convenire, ut de iudiciis rite probatis rationem reddat; praesertim cum manifestum sit praedictis iudiciis litteras refragari, quod binis ostenditur exemplis.

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ab expectatione nostra longe devia est responsio a te litteris nostris data, quibus curabamus a consilio te revocare, in quod incidisti promulgatione epistolae, unde doctrinae emanant, quae scandalum praebent Ecclesiae, iniuriamque Apostolicae Sedi. Postulas enim, ut tibi explicetur, quid epistola tua contineat, quod cum dogmaticis Apostolicae Sedis iudiciis minus cohaereat, tibique quodammodo assumens eorumdem iudiciorum censuram, rationes, quibus innixa sunt, tibi tradi postulas, tunc paratum te praebens epistolae tuae reformationi operam dare, ubi de iis fueris convictus. Haec agendi ratio convenire minime potest cum Apostolicae Sedis auctoritate, quam tu litteris tuis venerari affirmas, neque animi candorem praesefert, sapientiamque exprimit, quae tuae consona sit dignitati. Quum enim studio dataque opera ab Apostolicae Sedis definitionibus doctrinisque deflectas, ac prae ceteris iansenianam haeresim phantasma atque inanem speciem appelles, licet nullus ignoret, tuque probe scias, eam ab Innocentio X. confixam, uti vere in Galliis praesertim serpentem haeresim; Alexandrum VII., certa etiam formula christianissimi regis postulatione in hunc finem constituta, atque ab ecclesiasticis signanda, reprimere adlaborasse; ac neminem lateat definita iamdiu caussa, non vero definito errore Clementem XI. inter multiplices curas, notissima constitutione, cui initium *Vineam Domini,* monuisse Ecclesiam; patens sit, immerito te ignorationem nunc simulare eorum, quibus epistola tua Apostolicam Sedem doctrinae integritate sollicitam graviter offendit; idque eo minus affirmari potest, quo clarius libros adhibens, ac laudibus cumulas auctores, qui eiusdem Apostolicae Sedis decretis repugnare ac detrahere non reformidarunt, parvique faciens censuras in eorum scripta inflictas, ad eadem, uti ad innocuos doctrinae fontes, clerum excitas tuum. Valde vero deciperis, quando rationibus de editis ab Apostolica Sede decretis vis te esse convictum, ut eis tuum submittas assensum; id enim privatum de fidei morumque rebus spiritum induceret, quod catholico dogmati omnino repugnat. Quapropter nobis minime convenit, ut de semel prolatis iudiciis, quae nonnisi praevia severiori discussione sunt edita, reddamus rationem; imo pro munere dignitateque nostra a novis concertationibus omnino ac diligenter abstinere debemus; alias nunquam foret disputationum finis, ac minueretur auctoritas, cui sese subiicere quisque constringitur. Haec manifesta quum sint, vehementer deceptionem tuam dolemus, qua fingis longius ire, ac tempus tenere, morasque nectere studes, ne vocem nostram amoris plenam facili animo admittas, ac si comperta satis tibi non forent, quae esse non possunt compertissima: impensa vero nostra in te caritas maiorem in modum sollicita, ne fratrum nomen subeat discrimen, apostolico, quo obstringimur, officio, nos te iterum cogit urgere, ut scandalum Ecclesiae datum, omni cunctatione praecisa sapienter tollas, quod superioribus nostris litteris postulabamus; ac fraternitatem tuam enixe rogamus, atque obtestamur in Domino, ne te diutius repugnantem praebeas iis, quae a maioribus nostris sunt tradita, ac ne obfirmato animo eos sectari pergas, qui sibi soli sapere videntur, quos fama est in Hetruria hodie adstare suosque vel calliditate vel impudentia conatus adhibere, ut minus integra sit doctrinae ratio; tibique, venerabilis frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum IV. nonas februarias MDCCLXXXVII. pontificatus nostri anno XII.

LXV.

Ut religiosi Carmelitae excalceati provinciae Mexicanae utriusque sexus, tam in officio et missa festivitatis Sancti Iosephi, quam in alia Desponsationis Beatae Mariae Virginis, reciprocam eorum commemorationem facere valeant, concedit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in nova Hispania nobis expositum fuit, quod ad magis magisque augendam erga beatam Virginem Mariam, et Sanctum Iosephum sponsum, praecipuos Ratio concessionis.

dicti Ordinis patronos devotionem, praesertim in Mexicana eiusdem ordinis provincia, summopere conduceret, ut ab omnibus utriusque sexus religiosis provinciae huiusmodi tam in officio et missa festivitatis Sancti Iosephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae Virginis, fieret reciproca eorum commemoratio, quoties officium de iis recitari contingeret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§ 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii: ut in posterum ab omnibus utriusque sexus religiosis Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum provinciae Mexicanae, tam in officio et missa festivitatis Sancti Iosephi, quam in alia Desponsationis Beatae Mariae Virginis, fiat reciproca eorum commemoratio, quoties de iis officium recitari contingat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque religiosis provinciae Mexicanae praedictae in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et provinciae praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. febr. MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XII.

LXVI.

Indultum concedit recitandi officium proprium et missam sanctissimi Redemptoris pro utroque clero civitatis et dioecesis de la Sierra *in Indiis.*

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Episcopus Sanctae Crucis *della Sierra* in Indiis, quod ipse ad magis promovendam utriusque cleri suae civitatis et dioecesis praedictae devotionem, quae iam viget erga Sanctissimum Redemptorem, officium proprium et missa eiusdem Sanctissimi Redemptoris iam favore civitatis Venetiarum adprobata pro die vigesima iulii ad dictum clerum per nos extendi summopere cupit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictum exponentem Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii; ut in posterum uterque clerus dictae civitatis et dioecesis Sanctae Crucis *della Sierra* in Indiis officium

proprium et missam Sanctissimi Redemptoris iam pro civitate Venetiarum, ut praefertur, adprobatam, pro die vigesima iulii, ritu duplici secundae classis absque octava (demptis tamen a sexta lectione secundi nocturni sequentibus verbis: *Hanc igitur immensae largitatis* etc. usque ad finem) recitare et celebrare libere et licite possit ac valeat, licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque civitatis et dioecesis, eiusque cleri, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. martii MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XIII.

LXVII.

Decernit monasterium S. Mariae Liberatricis a patriarcha Antiocheno Syrorum acquisitum in perpetuum ad patriarchatum pertinere, iuxta voluntatem acquirentis; illud suscipit in suum et S. Congr. patrocinium etc.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exposuit nobis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Congregatio per dilectum filium magistrum Stephanum Borgia suum secretarium, quod venerabilis frater Ignatius Michael Giarve Antiochenus Syrorum Patriarcha comparavit acquisivitque sibi in Monte Libano, in loco Daraon nuncupato, monasterium, cui nomen Sanctae Mariae Liberatricis imposuit, ibidemque nova construxit aedificia, eo animi sui proposito, ut tam monasterium, quam haec omnia in perpetuo sint ac remaneant usu tam suo quam eorum, qui sibi deinceps succederent in Antiocheno Syrorum patriarchatu. Idcirco ab eadem Congregatione postulavit, quo apud nos suis verbis ageret a nobisque imploraret, voluntati huic suae robur nostrae auctoritatis adiungeremus.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur praeter caetera eiusdem de catholica religione merita, ac etiam piae liberalitatis causa magnopere in illum propensi, ut eiusdem preces benigne excepimus, ita ipsas huius Sanctae Sedis gratia prosequendas esse non dubitamus. Itaque per hasce nostras in forma brevis literas apostolica auctoritate decernimus, volumus ac mandamus, ut dictum Sanctae Mariae Liberatricis monasterium, caeteraque bona ipsi annexa, et attributa ex eiusdem Ignatii Michaelis mente, tam praesentia, quam futura, in superius memoratorum patriarcharum usu et commodo in perpetuum esse censerique debeant, ipsumque propterea monasterium cum caeteris bonis, quo magis in hac firmitate consistat, in Sanctae huius Sedis nostraeque de Propaganda Fide Congregationis patrocinium receptumque esse declaramus.

Poena impicta contra alienantes bona monasterii.

§ 3. Deinde vero omnibus et singulis personis, ne ullo umquam tempore quidquam eius monasterii et bonorum distrahere et alienare sub quovis praetextu, causa et quaesito colore audeant vel praesumant, sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium, praeterquam in mortis articulo constitutus obtinere valeat, per contrafacientes eo ipso, absque alia declaratione, incurrenda, auctoritate apostolica interdicimus et prohibemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. In contrarium non obstantibus quibuscumque (1).

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXII. maii MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XIII.

LXVIII.

Catechismum R. in arabicam linguam conversum et typis Cong. de Prop. Fide editum, approbat; orientalibus ad fidei unitatem commendat, servatis institutionibus et consuetudinibus eccl. orientalis ab Apost. Sede probatis (2).

Ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Orientalis Ritus ecclesiasticos seculares et regulares gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Catholicae Communionis tesseram et in nostri erga vos, ven. fratres, dilecti filii, paterni amoris argumentum et pignus, transmittimus Cathechismum Romanum, in arabicam linguam conversum, quem typis Congregationis Propagandae Fidei praepositae quam diligentissime in lucem edi curavimus. Quanta sit huius libri celebritas et praestantia, nec vos ipsos profecto, quamvis immensa fere interiacentium terrarum ac maris longinquitate ab urbe disiunctos et ritibus, varioque sermone ab Occidentali Ecclesia distinctos, ignorare arbitramur. Nam si spectas eiusdem libri auctoritatem, confectus ipse est ex Oecumenici Concilii Tridentini decreto, doctissimorum hominum studio et labore dispositus ac S. Pii V praedecessoris nostri iussu in publicam lucem emissus, tanto apud omnes plausu atque approbatione, ut mira viginti duarum synodorum provincialium consensione laudatus, ab omnibus latinis Episcopis certatim exceptus atque in vernaculum omnium fere nostrarum gentium idioma translatus non modo per universam Occidentis Ecclesiam, sed etiam extra ipsos occidentis fines omnium manibus quotidie teneatur. Si vero ad doctrinam in eo libro traditam respicias, cum universa christianae doctrinae ratio fidem, spem, et charitatem complectatur, idcirco quae sunt christianae fidei dogmata in symboli expositione luculenter explicantur; quae vero ad spem pertinent propter quam in Deum erigimur, nobisque eius opem ac praesens auxilium deposcimus in sacramentorum explicatione, ex quibus divinae in nos gratiae fontes uberrime dimanant, et in declaratione orationis Dominicae, qua ab ipsomet Iesu Christo Salvatore nostro, quomodo Deum exorare oporteat, edocti sumus, egregie ac praeclare traduntur; quae denique ad charitatem spectant, eam scilicet eximiam nobilissimamque virtutem, a qua tota lex pendet et prophetae, in praeceptorum Decalogi explanatione, et iuxta probatam ab universa Ecclesia doctrinam aptissime enucleantur: totus vero liber ita conscriptus est, atque adornatus, ut singillatim omnia, atque ex ordine ad parochorum instructionem et usum, christianae doctrinae dogmata et morum regulae pertractantur. Itaque ut aurei huiusce libri, qui omnem fidei ac morum doctrinam, qua fideles informari oportet, late prosequitur, apud vos etiam parabilis usus esset et copia, optimum factu visum est, arabico idiomate in lucem emitti. Vestrum autem erit, venerabiles fratres, in id diligenter incumbere, ut greges custodiae vestrae commissi novum hunc Apostolicae sollicitudinis nostrae fructum percipiant. Quapropter huc primam curarum intendite, ut singuli sacerdotes in animarum cura vobiscum adlaborantes, praeclaram hanc in populo erudiendo institutionem sequantur, ac praesertim cum fideles ad sacrosancta misteria celebranda conveniunt, ii, quibus divini verbi praedicandi ministerium est, eorumdem fidelium mentes coelestis huius doctrinae pabulo reficiant. Nolumus tamen quispiam a vobis extimet, quum in Romano hoc catechismo multa de ritibus ac cerimoniis pro Sacramentorum administratione edisserantur, quae Ecclesiae latinae disciplinae consona sunt, ac a vestris proinde usibus atque institutis plerumque differunt, velle nos, ut sanctissimas Orientalis Ecclesiae consuetudines, a maioribus vestris acceptas, et ab hac Apostolica Sede approbatas repudietis. Alienum hoc est sane a more atque instituto huius S. Romanae Sedis, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui quantum omni tempore omnem

---

(1) Vide infra Pium VII.

(2) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

suam curam et sollicitudinem contulerunt, ut orientales populi haereseos aut schismatis labe a Romana Ecclesia disiuncti, in unitatem fidei ac communionis revocarentur, tantum etiam id egerunt semper, ut venerabiles Orientalis Ecclesiae Ritus, qui nec catholicae fidei adversarentur nec periculum animarum inferrent aut Ecclesiae repugnarent honestati, constantissime, pro suo cuiusque Ecclesiae instituto, retinerentur. Id unum itaque, venerabiles fratres, in communicanda vobis huius catechismi vernacula editione intendimus, atque ex animo vehementer optamus; ut vinculum pacis et charitatis, quo nos inter amantissime coniuncti sumus, arctius etiam in eadem tradenda fidei ratione, ac in morum regulis edocendis, adstringatur, et Orientalis ac latina Ecclesia, tamquam una atque unica eiusdem patrisfamilias domus, uniusque fidei ac moris esse videatur. Accipite igitur libenti animo, ven. fratres, dilecti filii, normam ac doctrinam matris vestrae, sanctae videlicet Romanae Ecclesiae, quae salutari verbo, quocumque late patet sol, ut universi praesidem mundi docet, omnes in unitate fidei continet, et devincit Ecclesias, quemadmodum egregie inquit splendidissimum Ecclesiae vestrae lumen Gregorius Nazianzenus; Apostoli voce nunc vos hortamur atque obsecramus per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia... servate unitatem spiritus in vinculo pacis.... omnes idem sapiant, eamdem charitatem habentes. Quoniam vero praenuntiatum est ab ipso servatore nostro Iesu Christo, necesse esse, ut scandala exoriantur, quum non cesset inimicus homo in agro Dominico superseminare zizania, ne vos in tanta obstrepentium haeresum, quae Orientales Ecclesias vexant atque dilaniant, discordia ac perturbatione pertrahi unquam sinamini in lapidem offensionis et petram scandali, ad illam petram, super quam ecclesia fundata est, confugite, Petro videlicet, atque ab eo constitutae Romanae Ecclesiae, firmiter adhaerete, arctissimo cum ea fidei ac charitatis foedere consociamini. Cur enim, iisdem verbis vos alloquimur, quibus Praedecessor noster S. Gelasius ad orientales scribens usus est, cur enim Domini nostri Iesu Christi ad Petrum tam frequens sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti ac beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? sed ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago Corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius Redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice nutriremur. Qua ratione maiores nostri reverendi illi ecclesiarum magistri, clarissimaque illa populi christiani lumina quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam Sedem qua Princeps Apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia, repleti Christi charitate mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Quod quidem quum certum habeamus fore, ut egregie praestetis, vivissima a nobis et gratiae nostrae argumenta, et apostolicae indulgentiae ac charitatis beneficia expectate. Interim Deum Optimum Maximum enixe deprecabimur, ut vos ecclesiasque vestras, tamquam catholicae religionis arces et fidei firmissima propugnacula, omnipotentis dexterae suae brachio tueatur, atque fortificet. Parem tamen nobis gratiam referentes, ven. fratres, vestris nos apud Deum precibus commendate, ut qui nos superna sua dispensatione ab apostolici ministerii culmen evexit, ita etiam sua misericordia ac benignitate foveat ac dirigat, ut in hac nostrorum temporum pravitate nulla fidelem populum subdola doctrina subvertat, nulla apostolicae praedicationis claritatem obnubilet temeraria contentio, sed coelestis eruditio sicut per B. Petrum ab ipsa veritate suscepta nobisque commissa est, ita eiusdem suffragantibus meritis per universum Orbem intemerata perduret. Vobis demum omnibus, cunctisque populis vestrae pastorali curae concreditis, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV. maii MDCCLXXXVII. pontificatus nostri anno XIII.

LXIX.

Nonnulla monasteria, canonicatus et beneficia cathedralis Belemensis in septentrionali parte Americae meridionalis supprimit et bona seminario assignat.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ingeniosa reginarum illustrium, ac praesertim harum, quae apostolicae Sedi sunt fidelitate coniunctae, pietas iterum iterumque perspecta modo in divini cultus honore undique promovendo, quandoque vero in populorum eis subiectorum, quibus iugiter spiritualiter aeque ac etiam temporaliter flagranti animo adlaborant et student felicitate modis omnibus procuranda, paterna viscera nostra adeo allicit, atque in Domino oblectat, ut ipsis ad nos postremo recurrentibus, et nova piorum locorum maxime pro adolescentium humanarum divinarumque literarum scientia imbuendorum, tum etiam puellarum, respectiva educatione, infirmorumque demum cura et solamine institutionum concepta vota et opportuna media exhibentibus nos iunctis Deo manibus, qui tam sanctas cogitationes excitat, gratulanter annuentes, obviam ire non immoramur, ea concedentes, quae et petitioni nobis factae respondeant, ac caeteros etiam christianos principes ad tam utilia catholicae religioni opera fovenda ac pertractanda sub harum exemplo benedicente Domino efficacius accendere valeant.

Ratio concessionis.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus per dilectum filium Iosephum Pereira Santiago equitem ordinis sancti Iacobi de Spatha apud nos et Sedem Apostolicam carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae regalibus negociis praepositum, populus Belemensis de Parà civitatis et dioecesis in parte magis septentrionali Americae meridionalis et Brasiliae regni sub dominio tamen dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae consistens adeo considerabili numero modo adauctus reperiatur, ut illis stabilimentis et mediis indigeat, quae ad religiose civiliterque vivendum sunt necessaria, dicta Maria Francisca regina fidelissima pro eximia eius et, quod optimum principem decet, spiritualis et temporalis suorum subditorum utilitatis procurandae vigilantia, unum seminarium, seu collegium, ubi pueri pie et religiose educari, ac bonis moribus humanioribusque literis imbui valeant, ac unum xenodochium pro pauperibus infirmis inibi curandis, nec non unam piam domum pro recta puellarum educatione in dicta civitate vel dioecesi Belemensi de Parà respective fundanda atque instituenda, et fundandam atque instituendam fore, duxit valde proficuum et opportunum, proindeque hac salutari per dictam Mariam Franciscam reginam fidelissimam super praemissis capta deliberatione ad procuranda media magis accommodata, et ad optatum finem facilius conducentia, animum suum adiecit. Cumque pro constituenda firma stabilique dotatione eiusdem seminarii, seu collegii, ac praedicti xenodochii, et dictae piae domus sic, ut praefertur, respective fundandorum atque instituendorum aeque firma et stabilia requirantur subsidia; provide idcirco dicta Maria Francisca regina fidelissima considerans, quod in praedicta civitate Belemensi de Parà unus adest conventus religiosorum ordinis fratrum calceatorum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum nuncupatorum, ac unum in villa de Camera et alterum in villa de Vigia dictae dioecesis parva fratrum eiusdem ordinis existunt hospitia, quorum individui in eis degentes regularia negligunt sui ordinis instituta, adeo ut non solum nihil utilitatis et commodi christiano populo afferant, sed etiam (prout ex habitis informationibus certo constat) gravaminis sint intollerabilis: Capitulum vero maioris ecclesiae Belemensis de Parà quatuor dignitatibus, et decem canonicatibus, totidemque presbyteratibus, ac sex aliis canonicatibus totidemque diaconatibus, et quatuor etiam aliis canonicatibus, totidemque subdiaconatibus respective nuncupatis praebendis, et sexdecim perpetuis simplicibus, personalem tamen residentiam requirentibus, beneficiis ecclesiasticis, beneficiatibus etiam nuncupatis, nec non viginti et una perpetuis sine cura, dictam tamen residentiam requirentibus, cappellaniis, ac decem pueris choro dictae maioris ecclesiae addictis, aliisque illi inservientibus constat; quae quidem dignitates, nec non canonicatus, et praebendae, ac beneficia praedicta, et cappellaniae praedictae, ut etiam accepimus, de iurepatronatus dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae, eiusque Portugalliae et Algarbiorum huiusmodi successorum regum fidelissimorum pro tempore existentium ex fundatione vel dotatione existunt, optime intellexerit, quod si conventus huiusmodi, et duo hospitia praedicta, prout etiam quatuor ex canonicatibus et presbyteratibus, ac duo ex aliis canonicatibus et diaconatibus respective nuncupatis prae-

bendis huiusmodi; nec non octo ex praedictis beneficiis, ad praesens si qui et quae sint quovis modo respective vacantes et vacantia, seu primo loco et quovis modo respective vacaturi et vacatura, per nos, ut infra, respective supprimerentur, et extinguerentur, ita ut dictae maioris ecclesiae canonicatus et praebendae ad quatuordecim, beneficia vero huiusmodi ad octo respective numerum pro exacto ipsius maioris ecclesiae servitio, atque in ea sacris functionibus divinisque officiis decenter peragendis et celebrandis sufficientem reduci debeantur, firmis tamen remanentibus, et in huiusmodi reductione non comprehensis quatuor dignitatibus ac viginti et una cappellaniis praedictis: nec non eiusdem conventus, et duorum hospitiorum, nec non canonicatuum, et praebendarum, ac beneficiorum sic per nos, ut infra supprimendorum et extinguendorum huiusmodi respective bona, fructus, redditus, et proventus seminario, seu collegio, ac xenodochio, et piae domui praedictis, ut praefertur, respective fundandis et instituendis, ac pro aedificiis ad huiusmodi effectum aptis et necessariis construendis, illorumque manutentione, prout etiam praeceptorum, aliorumque ministrorum, et inservientium stipendiis, aliisque stabilimentis aeque necessaria modo et forma infrascriptis applicarentur, id opportunum sane foret medium, quo ad seminarii, seu collegii, ac xenodochii, et piae domus praedictorum respective fundationem et institutionem praedictas, ac fundorum pro illorum respective subsistentia et dotatione necessariorum, aliorumque stabilimentorum huiusmodi constructionem facilius posset deveniri. Ad quem suppressionis et applicationis effectum dictus Iosephus eiusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae nomine nostram et Sedis Apostolicae auctoritatem desuper imploravit.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur tam piis eiusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae votis obsecundare volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex nunc supradictum conventum et duo hospitia praedicta cum omnibus illorum officiis, ministeriis, omnique conventualitate, eorumque respective titulo, essentia et denominatione, ac etiam ex nunc, si qui et quae quovis modo quem nos praesentibus haberi volumus pro expressis, modo vacantes et vacantia existant, seu ex nunc prout ex tunc, et e contra, quatenus tamen illi et illa ad praesens vacantes et vacantia minime existant, postquam tamen illi et illa ex personis eos et ea ad praesens respective obtinentibus quovis modo respective vacaverint. Quatuor canonicatus, totidemque presbyterales, ac alios duos canonicatus totidemque diaconales respective nuncupatas praebendas ex supradictis viginti canonicatibus et praebendis, nec non octo ex beneficiis praedictis, illorumque respective titulos collativos, nomina, denominationes, naturas et essentias canonicatuum, et praebendarum, ac beneficiorum collativorum, ita quod illi et illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativi et collativa esse desinant, et de caetero uti tales et talia in titulum quavis auctoritate conferri aut impetrari, vel alias de illis quovis modo etiam ad nominationem dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae, eiusque successorum regum fidelissimorum praedictorum pro tempore existentium, nullatenus umquam disponi possit, et si illos et illa deinceps ullo umquam tempore conferri et impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones de illis pro tempore quomodolibet respective factae, nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo respective supprimimus, et extinguimus.

Assignatio bonor. suppressis conventibus et hospitiis pertinentium.

§ 4. Illisque sic suppressis et extinctis, ex nunc omnes et singulos conventus, et duorum hospitiorum, ac si qui et quae ad praesens vacent, seu quatenus illi et illa minime vacantes vel vacantia existant, in eventum praemissum tantum, et non alias, canonicatuum et praebendarum ac beneficiorum, sic, ut praefertur, suppressorum et extinctorum respective fructus, redditus, proventus, res, proprietates, obventiones, et emolumenta quaecumque, dictique conventus et duorum hospitiorum respective bona mobilia et immobilia, tam sacra, quam profana, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, introitus et iura quaecumque ubicumque locorum existant, seminario, seu collegio, ac xenodochio et piae domui aliisque stabilimentis praedictis, ut praefertur respective fundandis atque instituendis, ita quod liceat illorum futuris oeconomis seu deputatis pro tempore extituris per se vel alium seu alios eorum,

ac seminarii seu collegii, ac xenodochii et piae domus sic, ut praefertur, fundandae et instituendae nomine, ex nunc conventus et duorum hospitiorum ac vacantium, et statim ac casus illorum respective vacationis evenerit, minime ad praesens vacantium respective canonicatuum et praebendarum, ac beneficiorum praedictorum sic, ut praefertur, suppressorum et extinctorum, illorumque respectice rerum, bonorum, proprietatum, domorum, vinearum, praediorum, canonum, responsionum, introitorum et iurium praedictorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam huiusmodi perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates, domos, vineas et praedia huiusmodi respective locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta, canones, responsiones et introita huiusmodi respective percipere, exigere, levare, ac, supportatis tamen prius per seminarii seu collegii ac xenodochii et piae domus sic, ut praefertur, fundandae atque instituendae per oeconomos seu deputatos pro tempore extituros praedictos manutentionis ecclesiarum, conventus et duorum hospitiorum ac canonicatuum et praebendarum et beneficiorum per nos, ut praefertur, suppressorum et extinctorum huiusmodi, ac piarum fundationum respective oneribus, et detracta quoque prius ex illis congrua portione convertenda in tot annua assignamenta favorum individuorum conventus et duorum hospitiorum per nos, ut praefertur, suppressorum et extinctorum huiusmodi per infrascriptum exequutorem discrete, praevia eiusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae approbatione, et prout indigentia postulabit, constituenda et per oeconomos seu deputatos praedictos pro tempore extituros individuis praedictis ad alium conventum eiusdem ordinis in praefectura, vulgo capitania do Maranhao nuncupata, Sancti Ludovici de Maranhao civitatis vel dioecesis sub ditione dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae etiam consistente, ut infra, transferendis, quatenus tamen conventus secundo dictus sufficientes non habeat redditus pro dictorum individuorum, ut praefertur, transferendorum alimonia et manutentione, seu etiam in eventum, in quem aliqui ex individuis praedictis indultum vivendi in saeculo in habitu presbyterorum secularium a Sede Apostolica impetraverint, ad eorum respective vitam, et non alias, persolvendi apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo proportionabiliter applicamus et appropriamus. Ac propterea fratres primodicti conventus et duorum hospitiorum per nos, ut praefertur, suppressorum et extinctorum huiusmodi ad secundo dictum alium conventum dicti ordinis eadem apostolica auctoritate transferimus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 5. Decernentes praesentes nostras literas apostolicas etiam ex eo, quod fratres primodicti conventus et duorum hospitiorum per nos ut praefertur suppressorum et extinctorum huiusmodi, eorumque ordinis praedicti superiores et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes seu quomodolibet habere praetendentes illis non consenserint, nec ad id vocati et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali: sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel a quocumque alio capite a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, vel facti, vel gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso et impetrato quemquam uti, seu se iuvari posse, neque debere; ac easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari; sicque, et non alias, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E.

Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios, aliosve quoscumque quavis facultate, auctoritate, potestate, praerogativa et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus nostris et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero annuo beneficiorum, aliorumque fructuum, redditUum, et proventuum ecclesiasticorum valore in suppressionibus et applicationibus perpetuis, hisque committendis ad partes, vocatis quorum interest; nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones et applicationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; et quatenus opus sit felicis recordationis Pauli PP. II. praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non supradicti conventus dictaeque maioris ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis praedictae maiori ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo et canonicis, dictoque ordini, illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis pro illorum sufficienti derogatione aliter de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, nec non opportune et valide motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris apostolici.

§ 7. Per easdem vero praesentes venerabilem fratrem nostrum modernum Archiepiscopum Thessalonicensem in partibus infidelium in civitate Lisbonensi commorantem in exequutorem earumdem praesentium literarum apostolicarum dicta apostolica auctoritate deputamus. Eidemque Archiepiscopo, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in huiusmodi exequutione subdelegare libere et licite valeat, eadem apostolica auctoritate facultatem concedimus et impertimur.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, translationis, decreti, derogationis, deputationis, et facultatis concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pridie idus novembris, pontificatus nostri anno XIII.

LXX.

Immutat const. In supremo *Bened. XIV. pro regimine Custodiae Terrae sanctae; statuit superiores custodes in sexennio perdurare, dempta omni spe confirmationis: defert guardiano electo, antequam recipiat lit. patentes, iurisdictionem in fratres et exercitium praefecti apostolici etc.* (1).

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter multiplices gravissimasque sacrosancti apostolatus officii nobis divinitus commissi curas, in id praecipue pastoralem nostram omnium ecclesiarum sollicitudi-

(1) Vide infra an. MDCCXCIV. harum dispositionum revocationem.

nem incumbere oportere intelligimus, ut salubriori directioni feliciorique progressui sacrorum operariorum, quos ad Dominicum agrum excolendum mittimus, consulamus.

Memorantur providentiæ captae a Romanis Pontificibus favore religiosorum Ordinis Minorum.

§ 2. Dudum siquidem praedecessores nostri Romani Pontifices religiosos viros Ordinis Minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, in civitate Hierusalem, aliisque sanctis Palestinae locis, in quibus Christus Dominus humanae redemptionis mysteria ortu, vita et morte sua consummavit, divino cultui et proximorum ac peregrinorum saluti famulantium pluribus privilegiis, facultatibus, exemptionibus, gratiis et indulgentiis exornarunt, ad quos omnes magnus profecto cumulus accessit concessionibus praedecessorum nostrorum Benedicti XIII. et Benedicti XIV. quorum alter constitutione quae incipit *Loca sancta*, data quinto nonas mart. MDCCXXVII. omnia et singula privilegia a Romanis Pontificibus decessoribus nostris custodiae Terrae Sanctae in genere et in specie, aut alias quinque ab hinc saeculis quomodolibet tributa, iterum concessit, amplissimaque in forma innovavit; alter per quasdam suas in simili forma Brevis literas, quorum initium: *In supremo militantis Ecclesiae solio*, die VII. ianuarii MDCCXLVI. expeditas, statuta et decreta pro felici eiusdem custodiae gubernio, a tunc temporis existente ministro generali supradicti ordinis in duas familias, Cismontanam et Ultramontanam dictas, iam diu divisi ipsius Pontificis mandato et auctoritate compilata et per nostram Congregationem de Propaganda Fide revisa et mature perpensa, approbavit et apostolicae confirmationis robore communivit; quibus in statutis rata haberetur vetustissima illa consuetudo usque ab anno MDCCLXIV. in generalibus praedicti ordinis comitiis confirmata, de tribus praecipuis eiusdem custodiae officiis, guardianatu scilicet sancti montis Sion, vicariatu sanctissimi Salvatoris, et procuratione rerum temporalium ad custodiam pertinentium in utriusque familiae religiosos, ita dividendis, ut guardianatus Cismontano, vicariatus Gallo, procuratio Hispano, semper et privative deferri debeat.

Expositio precum porrectarum.

§ 3. Quum autem nuper dilectus filius eques Ioseph de Azara, charissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum regis catholici apud nos Sedemque Apostolicam minister plenipotentiarius, exponi nobis curaverit regio nomine magis convenire spirituali ac temporali regimini supradictae custodiae Terrae Sanctae, et ad animos religiosorum variarum nationum, ex quibus eadem custodia conflatur, mutuae charitatis vinculo devinciendas, ut ad praedicta tria praecipua officia et munera promiscue atque alternatim aditus pateat religiosae familiae tam Cismontanae quam Ultramontanae, et quoad Ultramontanam familiam Hispanis, Gallis et Lusitanis, iuxta methodum a laudato equite Iosepho de Azara scripto traditam, ac dilectum filium magistrum Stephanum Borgia Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum a secretis nobis relatam; proindeque petierit, ut novam hanc dictorum trium officiorum in religiosos praedictarum nationum distribuendorum formam auctoritate apostolica constitueremus.

Tenor concessionis.

§ 4. Hinc est quod nos desiderio flagrantes satisfaciendi petitioni inclyti regis, cui vera Dei religio, non modo in suis florentissimis regnis atque provinciis ipsius pietate et opibus diligentissime communita, verum et ubique terrarum fulta praesidio officiisque ac beneficiis suis defensa, aucta et propagata, tantum debet, quantum commemorari vix potest, simulque feliciorum gubernationi religiosorum praedictae custodiae, et accuratiori administrationi pecuniarum, quae ad loca sancta manutenenda, et conservanda impenduntur, prospicere volentes, audito prius dilecto filio Paschali a Varisio ministro generali supradicti ordinis, motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium mandamus, decernimus et constituimus, ut in posterum dicta tria officia et munera guardiani, vicarii et procuratoris Terrae Sanctae, sexennii spatio duratura, quacumque confirmationis spe prorsus sublata, ab Hispanis, Gallis, Lusitanis et Cismontanae familiae religiosis promiscue et per turnum sic exerceri debeant, ut et nunc, primo nempe sexennio, quod proxime immediate subsequitur, eligatur ad officium guardianatus, quod in praesens iam vacat per obitum bo. mem. fr. Ioan. Dominici a Lavigliano eiusdem Terrae Sanctae, dum viveret, guardiani religionis religiosus Hispanus, ad vicariatum Cismontanus, ad procurationem Gallus; secundo vero sexennio ad guardianatum Cismontanus et vicariatum Gallus, ad procurationem Lusitanus; tertio sexennio ad guardianatum Gallus, ad

vicariatum Lusitanus, ad procurationem Hispanus; quarto sexennio ad guardianatum Lusitanus, ad vicariatum Hispanus, ad procurationem Cismontanus respective assumantur, et eligantur; et sic deinceps de sexennio in sexennium eodem ordine mox constituto.

Conditiones adnexae.

§ 5. Electio autem dictorum trium officiorum fiat a capitulo provinciali totius custodiae Terrae Sanctae eo, qui sequitur, modo: Minister seu superior generalis instituat atque eligat opportuno tempore in praesidentem capituli mox indicendi religiosum eiusdem custodiae, vel ex alia quacumque provincia, qui tamen sit ex ea natione, seu familia, cuius nulla haberi potest ratio in praedictis officiis demandandis, iuxta turnum atque ordinem supra propositum, proindeque talis praesidens per superiorem generalem nominandus primo sexennio Lusitanus, altero Hispanus, tertio Cismontanus; quarto demum sexennio Gallus esse debebit. Huic porro praesidenti sic electo idem superior ordinis communicabit omnes et singulas facultates et iura, quae ordinis constitutiones et consuetudines praesidentibus capitulorum tribui solent, illo dumtaxat excepto vocis passivae, sive elegibilitatis ad praedicta tria officia, quo perfrui nullo modo debet iuxta ea, quae paulo ante constituimus; eiusdem praesidentis officium erit capitulum per literas convocatorias anno circiter ante expediendas ad constitutam diem indicere in praecipuo totius custodiae coenobio, vel, si inibi pestis grassetur, in alio quocumque eiusdem custodiae conventu, celebrandum. Ad hoc autem capitulum omnes guardiani conventuum et praesidentes actuales hospitiorum Terrae Sanctae tenebuntur accedere, nisi infirmitas valetudinis, vel epidemica contagio occupans loca, in quibus degunt, vel per quae iter agere debebunt, fuerit impedimento, iisque impeditis liceat religioso sacerdoti suae respectivae nationis ex eadem Terrae Sanctae custodia per legitimum procurae mandatum a praesidente capituli cum discretorio recognoscendum et admittendum proprii suffragii praerogativam deferre. Hi igitur guardiani conventuum et praesidentes hospitiorum una cum praesidente capituli et discretorio Terrae Sanctae, quod ex septem religiosis coalescit, nempe ex guardiano, vicario, procuratore, aliisque quatuor, qui discreti appellantur, capitulariter congregati, per procuratores, tum ad triennalia officia quatuor discretorum ex totidem nationibus, Italica nempe, Hispanica, Gallica et Germanica semper assumendorum, etiamsi munus decurrente triennio ex obitu vel dimissione alicuius discreti vacet (qui tamen poterunt ad aliud triennium, aut antea continuare, si ita expediens discretorio videbitur et dummodo per secreta suffragia quatuor ad minus concurrant pro continuatione) totidemque alios religiosos illarum nationum, ex quibus quoad tria potiora tenore praesentium, quoad caetera vero iuxta Terrae Sanctae statuta, sunt assumendi, sicque electi et de novo instituti respectivorum officiorum possessionem illico capiant una cum electo in guardianum S. Montis Sion, cui habita ratione distantiae locorum concedimus et indulgemus, ut iurisdictionem suam in omnes et singulos fratres in custodia Terrae Sanctae commorantes exercere possit et valeat, etiam antequam ad eam pervenerint tum confirmatoriae superioris generalis sui, tum patentes literae et facultates praefecti missionum a custodia Terrae Sanctae dependentium per supradictam congregationem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis propagandae fidei praepositorum ipsi concedendae, quas literas statim post electionem petere et obtinere tenebitur, obtentasque formiter publicare: concesso etiam interim usu facultatum tam ordinariarum, quam extraordinariarum, quae per organum eiusdem Congregationis eidem guardiano concedi solent. Praesidens autem capituli, novusque guardianus, vicarius et procurator tribunal component, quo coram singillatim discutientur rationes et merita illorum religiosorum, qui tribus hisce sexennalibus muneribus nuper perfuncti fuerant, talisque sindicatus explebitur per iudiciale decretum approbationis, seu reprobationis, sive ex toto, sive ex parte rerum a singulis gestarum in respectivi exercitatione muneris; cuius quidem decreti authenticum exemplar quatuor viror. praedictorum iudicum subscriptione munitum, transmittent ad superiorem generalem ordinis, qui pro excussis in praedicto sindicatu rationibus, debitas cuilibet, vel pro meritis laudes et praemia, vel pro defectibus poenas, reprehensionesque sua auctoritate constituet.

Reservationes speciales.

§ 6. Vacante tandem per obitum, vel alia quacumque de causa in sexennii aut triennii decursu aliquo, sive ex tribus maioribus officiis guardianatus, vicariatus et

procurationis, sive ex quatuor minoribus, discretorii partes erunt illico subrogare et eligere ad muneris complementum, videlicet ad tempus sexennalis vel triennalis spatii, quod remanet, alium religiosum illius nationis, quae vacans officium occupabat, adeo ut quolibet sexennio vel triennio unaquaeque natio suum respective munus iuxta turnum supra praefixum integre occupare debeat. Talis autem subrogatio et electio sub nullitatis poena fiat, ut sequitur. Proponantur ab officiali illius nationis, ex qua novus est assumendus, tres religiosi, ac, si contigerit, ut vacante officio quod Lusitanus occupabat, nullus adsit Lusitanus inter sex viros, qui supersunt, tunc trium Lusitanorum praesentatio ad digniorem officialem Hispanum pertineat. Deinde, facta in discretorio discussione meritorum de singulis: guardianus, vel vicarius, si de guardiano eligendo agatur, eligendum discretorio proponet, quem magis dignum et idoneum in Domino iudicaverit; edictoque ab electoribus iureiurando coram imagine Christi Domini cruci affixi de meliore eligendo, subrogatio seu electio fiat per secretas ballottationes, ut aiunt, sive suffragia, ac, si maiorem suffragiorum numerum tulerit, pro officiali, vel discreto legitime electo habeatur: sin vero, alium ex tribus proponet idem guardianus, vel vicarius, ubi de guardianatu conferendo agitur, usque dum per votorum pluralitatem contingat electio.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali et formali ac incogitato vel inexcogitabili necessariam expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci ullo modo umquam posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, atque in conciliis et capitulis tam generalibus quam provincialibus editis genericis et specificis constitutionibus, decretis et ordinationibus, ac nominatim, quatenus opus sit, dictae custodiae Terrae Sanctae, aliisve quibuscumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, decretis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis personis et locis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, tametsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVI. nov. MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XIII.

LXXI.

Irrita ac nulla declarat statuta in Synodo Armenorum habita anno anteriori, et delegatum apost. designat ut novam synodum convocet ad Episcoporum electionem iuxta Libanensis concilii praescriptum (1).

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

Venerabilibus fratribus Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis clero seculari et regulari, magnatibus universoque populo nationis Maronitarum,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum non sine plurimo animi nostri dolore vanas irritasque fuisse animadvertamus curas a nobis hactenus ideo susceptas, ut perturbationes dissensionesque componerentur, rectaque disciplinae ratio, quae iamdiu exciderat, apud Maronitam nationem restitueretur, in eadem nostra constantes solicitudine, venerabiles fratres et dilecti filii, iterum impendere operam ad remedia iis malis comparanda volumus et contendimus. Proinde ex consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium de Propaganda Fide constituimus, rursusque deputamus, apostolicum delegatum nostrum, in persona ven. fratris germani Adami Episcopi Aleppensis Graeco-Melchitae, cuius perspecta nobis probitate, doctrina ac prudentia plurimum confidimus, eidemque iniungimus, ut novam convocet synodum, cui ipse praesideat, in qua rite procedatur ad electionem Episcoporum iuxta praescriptum Concilii Libanensis, iuxtaque mandata nostrae de Propaganda Fide Congregationis (1). Siquidem postrema synodus septembri mense anni MDCCLXXXVI. in ecclesia B. Virginis de Haim Sciachik habita multas ob caussas confirmari non potuit; imo pro irrita ac nulla, ut debuit, habetur, eiusque reiiciuntur decreta, tamquam memorato Libanensi Concilio contraria, perniciosaque recto animarum regimini, ac libertatis iuriumque episcopalium laesiva. Ab hac tamen nova Synodo excludendi sunt Iosephus Episcopus Nugen., utpote qui declaratus iam est ab exercitio episcopalis ordinis suspensus, aliique duo Episcopi, Iohannes Dolce et Iosephus Teian, tamquam illicite electi extra synodum, contra Libanensis Concilii praescriptum, contraque repetita mandata eiusdem de Propaganda Fide Congregationis, ac deinceps cum assistentia dicti Episcopi Nugen. consecrati. Propterea horum uterque ab exercitio pontificalium declaratur suspensus atque incapax, ut ad ullam promoveatur ecclesiam; nec non et quivis alius Episcopus itidem declaratur suspensus, quem deinde ven. frater Patriarcha consecraverit vel consecrari fecerit, tamquam non canonice, neque iuxta praescriptas formas electum; donec ii omnes a benignitate Sedis Apostolicae suam habilitatem non recipiant. Itaque volumus, imo hortamur in Domino, ac precamur unumquemque, ut praefatum Delegatum Apostolicum debito excipiat obsequio, eique omnem operam ac subsidium praestet, quo ipse utiliter exsequi, quae sibi commissa sunt, possit, ad ecclesiasticam scilicet disciplinam reducendam, finemque demum perturbationibus imponen-

---

(1) Ex reg. vat. lit. seq. transcribimus huius delegationis mandatum, quo

Germanum Adami Episcopum Aleppen. Graeco-Melchitam in Delegatum Apostolicum deputat ad Synodum nationalem Maronitarum.

Venerabili fratri Germano Adami Episcopo Aleppensi Graeco-Melchitae,

PIUS PAPA VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Perspecta nobis, ven. frater, probitas, doctrina ac prudentia tua facile nostrum permovit animum, ut te ipsum eligeremus ac deputaremus in Delegatum Apostolicum apud nationem Maronitam ad Synodum ibidem convocandam, in qua rite procedatur ad Episcoporum electionem iuxta praescriptum Concilii Libanensis, ac iuxta mandata Congregationis nostrae de Propagandâ Fide, eaque decreta fiant ac stabiliantur, quae proficua sint animarum bono, rectae dioecesium administrationi, statuendaeque concordiae et tranquillitati, iuxtâ mentem et instructionem, quae ad te transmittetur, eiusdem de Propagandâ Fide Congregationis. Propterea tibi, ven. frater, per hasce nostras in formâ brevis litteras apostolicâ auctoritate omnes necessarias et opportunas ad eum finem facultates concedimus, pariterque volumus, mandamus ac iubemus, ut cuncti tibi parere debeant, ac in Domino hortamur vén. fratres Patriarcham, Archiepiscopos et Episcopos, ac dilectos filios clerum saecularem et regularem, magnates, universumque populum nationis Maronitarum, ut omnem favorem, operam, opemque eidem tibi praestare velint, suumque studium ac zelum cum tuo coniungere, unaque tecum curare et contendere, ut eliminentur abusus, ut disciplina pristina restituatur, quae ob praeteritas rerum vices iniquitatemque temporum miserum in modum imminuta et collapsa fuerat. Plurimum, ut vides, ven. frater, tuâ virtute tuâque agendi dexteritate confidimus, nobisque pollicemur fore, ut, omni demum superatâ rerum asperitate disiectisque difficultatibus, redeat iterum ac reflorescat in eâ nobis dilectâ natione pietas ac rectus ordo, eaque animorum concordia, quam multis iam ab annis illinc expulsam atque extorrem esse dolebamus. Tibique, ven. frater, in felix tuarum actionum auspicium ac in plurimum paternae benevolentiae nostrae pignus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XV. decemb. MDCCLXXXVII., pontificatus nostri anno XIII.

dum, quae a multo iam tempore deformant, discordemque ac inquietam detinent tam dilectam nobis nationem. Vobisque, venerabiles fratres et dilecti filii, a Deo Opt. Max. pacis concordiaeque Spiritum implorantes, in nostrae etiam paternae caritatis pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. dec. MDCCLXXXVII. pontificatus nostri anno XIII.

LXXII.

De missionibus Moldaviae ab an. MDCXXV. *curae traditis fratrum Ord. Minor. Conv. nihil esse immutandum disponit, nonnulla etiam attingit de Crimea et Bessarabia etc.* (1).

Venerabili fratri
Ignatio Episcopo Transylvaniae,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Charitatis studium, quod de missionibus Moldaviae solicitudinem excitat tuam, stimulos addidit apostolicae servituti, in qua vitam trahimus, ut peculiarem accuratamque eâ de re investigationem haberemus, diligentiae vero nostrae exitum eo libentius fraternitati tuae aperiendum modo arbitramur, quo certius tenemus inde fore, ut de praesenti rerum conditione quae tibi minus perspecta erat, non mediocrem capias laetitiam. Quae in Moldaviâ hodierna die positae sunt missiones, eas ad indigenarum commoditatem novimus erectas, atque ab anno MDCXXV. traditas deprehendimus viris instituto fratrum Minorum Conventualium addictis: non inutilem a regulari hoc coetu in catholicos per eam regionem dispersos derivasse operam facile suadet religio ipsa, quae adhuc per eos fines disseminata viget, novique etiam decoris accipit augmentum a templi aedificatione cui missionum praefectus in Iassii civitate manus scimus feliciter admovisse: idem maiorem evincunt in modum regesta Congregationis de Propagandâ Fide, quae rectam missionum ab Apostolicâ Sede institutarum ordinationem curat ac studet diligenter evellere quae in dies inimicus homo superseminat zizania, id enim a rerum humanarum conditione diu nunquam solet abesse. Sacramenti vero Confirmationis administrationem qua fideles in Moldaviâ carere tibi relatum fuit, non multis abhinc annis Episcopum Baccoviensem peregisse scimus, acceptâ ad id adhortatione ab eâdem Congregatione, quae integras nec modici momenti impensas tunc eâ de causâ subiit; ubi vero eiusdem Episcopi vel coadiutoris ei adsignati opera praesto fidelibus modo non sit, facultas iam facta fuit ipsi missionum praefecto ut idem sacramentum Apostolicae Sedis indulto intra missionum fines sibi adsignatos rite administret. Nec minori solicitudine cautio adhibetur, ut iis tantum missionum onera honoresque deferantur, qui vulgarem populi erudiendi sermonem didicerint: decretâ ea de causâ edita, quae fortasse minime nosti, ad te impressa mittimus. Quod vero opportunum tibi videtur, ut copia missionariorum adsit, qui tum Polonam, tum Hungaricam linguam teneant, id Congregatio minime praetermittit; excitavit enim missionum praefectum, ut viros sui ordinis a Poloniâ seligat atque ad missiones adsciscat patrii sermonis peritos, qui communi desiderio valeant satisfacere; ac literae modo dantur ad Card. Hungariae Primatem ut ipse Congregationi proponat in hunc eumdem finem viros alios idem institutum sectantes, qui Hungaricam linguam calleant; delectum enim de iis quoque habere minime renuit, ut adiutricem operam ipsi etiam missionum praefecto praebeant: quapropter affulget spes, ut brevi utrique opportunitati consultum sit. Haec innuisse satis arbitramur, ut facile intelligas, quae ad missiones utiliter habendas inivisti vota, cuncta studio Congregationis de Propagandâ iam fuisse provisa et praeventa, adeoque omnis tollitur causa immutandarum rerum quae a tam longo tempore sunt constituta. Faxit Deus, ut Bessarabiae et Crimeae conditio, quum de iis etiam regionibus fraternitas tua solicita in Domino sit, evangelicum semen possit in posterum recipere ac fovere: ad Crimeam quod attinet, eadem Congregatio solicitudines iam exerit suas cum Archiepiscopo Mohiloviensi, cui catholicorum latini ritus cura in universo Moschorum Im-

---

(1) Ex Reg. ab Epistolis Lat. t. 4 huius anni p. 67.

perio commissa est: quod vero ad Bessarabiam spectat, cum ea pars Moldaviae missionibus hactenus accessisse liqueat, ubi civiles turbae quas literae tuae attigerunt id sinant, cum eodem praefecto de eâ re negotium habebitur. Haec de missionibus de quibus nobiscum egisti charitati tuae significanda duximus. Pauca modo addenda supersunt de religioso viro Andreâ Dudassio, qui literas fraternitatis tuae ad nos detulit: propensionem ipse nobis explicavit suam permanendi in Urbe, sed domus ad simplex hospitium redacta, in qua iussu nostro ad tempus receptus fuit, adeo exiguo est praedita censu, gravique aere premitur alieno, ut creditores, quorum pecuniâ aedificium qua late patet constructum fuit, eius urgeant licitationem; quapropter cum diu hospitem sustinere non valeat, necesse est ut ipse ab eâ recedat atque patrios repetat lares, traditâ eidem a nobis pecuniâ ad iter habendum idoneâ, qua asseruit indigere. Ceterum, novum plane atque inopinatum accidit consilium, quod ipse inivit, accedendi ad Urbem, ubi moram trahere animo statuerat, nullâ praehabitâ cognitione locus ne adesset ubi pedem certo figere vitamque ducere possit. Fraternitati demum tuae, quam ob eximium Dei zelum et in sanctam Ecclesiam amorem praecipuâ charitate complectimur, apostolicam benedictionem intimo cordis affectu impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum IV. nonas ianuarias MDCCLXXXVIII. pontificatus nostri anno XIII.

LXXIII.

Indulget presbyteris secularibus congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Goanae in Indiis, ut in posterum loco cantus, quem vocant alla Cappuccina, *cantu Gregoriano uti valeant.*

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus aliique presbyteri seculares congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Goanae in Indiis orientalibus, quod per constitutiones suae congregationis praedictae ab Apostolica Sede approbatas cautum reperitur, ut eadem congregatio in missis et conventualibus officiis aliisque ecclesiasticis functionibus cantu, quo fratres ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum utuntur, ipsa pariter utatur.

Ratio concessionis. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes probe noscant, cantum huiusmodi ad praesens irreverentiam potius, quam devotionem excitare, ac propterea reliquis illarum partium ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, qui cantu Gregoriano utuntur, se conformari posse summopere cupiant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. § 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, moderno ac pro tempore existente praeposito, aliisque dictae congregationis presbyteris, ut in posterum, tam in missis et divinis officiis, quam in aliis ecclesiasticis functionibus persolvendis, cantu Gregoriano uti libere et licite possint ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX. feb. MDCCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XIV.

LXXIV.

Distulit vim ac observantiam constitutionum fratrum ordinis B. M. de Monte Carmelo Excalceatorum congregationis Hispanae provinciae sancti Alberti in Indiis quoad electiones superiorum dictae provinciae.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Sedes apostolica veluti pia mater, quae filiorum uteri sui oblivisci nescit, quoties validissimis de causis aliquid de re-

gularis disciplinae rigore per modicum tempus relaxari petitur, petentium desideriis, mature prius pensatis rerum circumstantiis, congruum suffragium impertiri consuevit, ut vicissim Christifideles, qui despectis huius saeculi illecebris ad religionem veluti ad portum salutis confugerunt, intentiori deinde studio atque solertiori cura iuxta regularia suorum ordinum instituta viventes gratum Altissimo impendant famulatum, felicioribusque in dies in via Domini proficiant incrementis.

Expositio precum porrectarum, et ratio concessionis.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius a sancto Ioanne Baptista ordinis fratrum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniae expresse professus, definitor generalis ac procurator provinciae S. Alberti in Indiis congregationis et ordinis praedictorum, quod posteaquam per nostras in simili forma Brevis die XIV. martii MDCCLXXXVI. expeditas literas praevio accurato ac diligenti examine novas constitutiones ordinis et congregationis praedictorum confirmavimus, a quibus inter caetera quaedam aetatis et graduationis qualitates in iis qui ad officia sunt designandi praerequiruntur, cum haud facile fore noverimus, tot fratres nunc primum praescriptis requisitis pollere, quot ad omnia ordinis et congregationis praedictorum munia obeunda essent necessarii, hinc eos etiam qui qualitatibus huiusmodi essent destituti, si alias sibi demandatis muneribus laudabiliter fuissent defuncti, ad eadem officia, quoad essent, qui postulata adiuncta haberent, eligi posse concessimus. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in dicta provincia S. Alberti in Indiis, ordinis et congregationis praedictorum, nedum eaedem vigeant causae, unde ob minimum fratrum numerum nulla habita ratione ad illorum aetatem, prout a dictis constitutionibus praescribitur, fratres de cathedra ad officia ac praelaturas omnino deputandi sint, illud insuper urgeat, quod, cum ob grassantem pestem in regno Mexicano plures inter eos, qui magis idonei reputabantur, interierint, officia huiusmodi in eos obvenient, qui etsi aetate provecti, minime tamen apti ad gerenda officia huiusmodi censentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur paterna charitate, qua ordinem et congregationem praedictam prosequimur, suarum provinciarum bono consulere, ac memoratum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, vim ac observantiam dictarum novarum constitutionum quoad dictae provinciae S. Alberti definitoris generalis, definitoris provinciae, provincialis, priorum, ac magistrorum novitiorum, ac professorum electiones ad quinque triennia proxime decurrenda auctoritate apostolica tenore praesentium proferimus, ita ut dictam provinciam in hac dumtaxat parte constitutionibus praedictis, durantibus hisce trienniis, minime adstringi, sed statuta ad haec usque tempora retenta observari debere auctoritate et tenore praedictis constituimus atque declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus nostris literis anno MDCCLXXXVI. in simili forma Brevis expeditis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXII. aprilis MDCCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XIV.

LXXV.

In Episcopum Adulitanae Ecclesiae in Aethiopia Tobiam Georgium Ghbragzer eligit (1).

Dilecto filio Tobiae Georgio Ghbragzer electo Adulitano,

PIUS PP. VI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Animarum saluti pretioso Christi sanguine redemptarum assidue pro nostro pastorali munere intendentes, et sedulo cogitantes quod magnum Aethiopiae Imperium, ubi dudum disseminata et suscepta orthodoxa religio floruit, ad praesens non modo in pravis versatur erroribus, verum et evangelicis vacat operariis, qui affluentissimam illam regionem ad veritatem et Ecclesiae gremium reducere valeant; hinc omnes de ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te, qui aetatis tuae annum agis tertium supra trigesimum, ex legitimo matrimonio procreatus, in sacro presbyteratus ordine constitutus, omnibusque requisitis qualitatibus praeditus existis, et de cuius vitae munditiâ, probitate et honestate morum, pietate et catholicae religionis zelo, aliisque multiplicibus virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, ecclesiae Adulitanae in Aethiopia ad praesens vacantis, cum plenâ iurisdictione et facultatibus necessariis et opportunis in eis omnibus, quae respiciunt Aethiopum conversionem et curam, in Episcopum praeficimus et Pastorem, in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia Adulitana sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini promptâ devotione suscipiens, curam et administrationem dictae Ecclesiae sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, ut, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Apostolicae Sedis gratiam et benedictionem exinde uberius consequi merearis.

§ 2. Ac de ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, tibi, ut a ven. fratre Ioanne Chrysostomo Archiepiscopo Dyrrachiensi in almâ Urbe commorante, accitis et in hoc illi assistentibus loco Episcoporum duobus presbyteris in ecclesiasticâ dignitate constitutis, gratiam et communionem eiusdem Sedis habentibus, munus consecrationis suscipere; ipsique Ioanni Chrysostomo Archiepiscopo, ut receptis a te fidei catholicae professione iuxta articulos a dictâ Sede propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae et de servando proprio ritu solito iuramento, munus praedictum tibi graeco ritu auctoritate nostrâ impendere licite valeatis plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem et auctoritate praedictâ statuimus atque decernimus, quod, nisi receptis a te per Archiepiscopum praedictum iuramento et Fidei professione praedictis, idem Archiepiscopi munus huiusmodi tibi impendere, et tu illud suscipere praesumpseritis, dictus Archiepiscopus a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse

(1) Ex Tabulario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Decretum Sacrae Congregationis generalis de Propaganda Fide habitae die XXI. *aprilis* MDCCLXXXVIII.

Inter plures sollicitudines, quae S. Congregationem afficiunt ad fidem catholicam in orbe universo propagandam, non modicam semper sibi partem vindicavit imperium magnum Aethiopiae, quo licet diversis temporibus evangelici praecones missi fuerint, et omne periculum factum restituendi in eodem imperio Orthodoxam religionem, quae S. Frumentii praedicationibus disseminata iam et suscepta ibi fuit, frustra tamen plerumque ceciderunt conatus, nec operariorum aliquis iam superest, qui affluentissimam illam nationem purget erroribus et Ecclesiae sinum reducat. Cupiens igitur pro suo munere S. Congreg. aeternae eorumdem populorum saluti, divina favente gratia, consulere et aliquem denuo mittere, qui eorum curet conversionem, referente Emo ac Rmo D. Card. Antonello Praefecto, statuit ac decrevit supplicandum esse SSmo pro deputatione et electione presbyteri Anthiopis Tobiae Georgii Ghbragzer ex provincia Comacan, annum agentis aetatis suae XXXIII., viri probatae pietatis ac fidei, in Episcopum Adulae sive Ecclesiae Adulitanae in Anthiopia cum plena iurisdictione et facultatibus necessariis et opportunis in iis omnibus, quae respiciunt Anthiopum conversionem et curam; data insuper R. P. D. Ioanni Chrysostomo Archiepiscopo Dyrrachiensi, qui Graecorum ordinationibus in Urbe praeest, facultate eumdem D. Tobiam Georgium Ghbragzer, praestito prius per eum iuramento de servando proprio ritu, consecrandi graeco ritu in Episcopum Adulitanum, duobus etiam adstantibus, loco duorum Episcoporum presbyteris cleri saecularis vel regularis.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro Pio PP. VI. relatam in audientia habita per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium die XVIII. martii MDCCLXXXVIII., Sanctitas Sua benigne in omnibus confirmavit, literasque apostolicas ad normam decreti expediri iussit.

quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus etc. ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI. iunii MDCCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XIV.

LXXVI.

Collegio missionum fratrum minorum S. Francisci Observantium in oppido de Vinhaes in dioecesi Brigantiensi tribuuntur privilegia, quibus potiuntur collegia de Bracannes et de Varatojo.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis. § 1. Alias pro parte dilectorum filiorum superioris et fratrum collegii missionariorum oppidi de Vinhaes ordinis minorum S. Francisci de observantia Excalceatorum nuncupatorum Brigantiensis dioecesis congregationi venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum expositum fuit, collegium huiusmodi, cuius erectio a fel. rec. Ben. PP. XIV. praedecessore nostro facta per apostolicas suas in simili forma Brevis, die XX. febr. MDCCLIII. expeditas, iis quae ad expeditionem et disciplinam necessaria iam instructum reperiri, ac propterea, ad magis magisque excitandum missionariorum huiusmodi studium valde profuturum, si privilegia, quibus ex apostolica largitate gaudent collegia de Bracannes et de Varatojo dicti ordinis in Portugalliae regno, nec non missionarii Hispaniarum et Indiarum, in favorem primodicti collegii extenderentur, eadem Cardinalium Congregatio, referente dilecto filio magistro Stephano Borgia eius secretario et audito voto dilecti filii nostri Vincentii Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri Cardinalis Ranzzi nuncupati, tunc nostri et Apostolicae Sedis in regnis Portugalliae et Algarbiorum Nuntii, censuit nobis esse supplicandum, ut ad praedictum collegium de Vinhaes privilegia omnia, gratias et indulta a rec. mem. Innocentio XI. Clemente etiam XI. et Benedicto XIV. praedicto Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris missionum collegiis concessa, et quibus conventus de Varatojo et de Bracannes actu potiuntur et gaudent, dummodo tamen in eo statuta, leges et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatoio et Bracannes praescripta, ea qua decet sedulitate servarentur, extendere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. § 2. Nos igitur superiorem et fratres praedictos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus desuper nobis nuper porrectis inclinati, privilegia omnia, gratias et indulta, quae memorati Innocentius XI. Clemens XI. et Benedictus XIV. Romani Pontifices praedecessores nostri collegiis missionum concesserunt, et quibus conventus de Varatojo et de Bracannes actu potiuntur et gaudent, ad primodictum collegium de Vinhaes, dummodo tamen in eo statuta, leges et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo et de Bracannes praescripta ea qua decet sedulitate serventur, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Clausula sublata et decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscat., die XXVII. iun. MDCCLXXXVIII., pontificatus nostri anno XIV.

LXXVII.

Indulget, ut in ecclesia collegii sanctissimi Rosarii civitatis Sanctae Fidei in Indiis festum sanctissimi Rosarii ad diem XVIII. *decembris quotannis transferri possit.*

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii rector ac deputati collegii maioris nuncupati civitatis sanctae Fidei de Bogota sub titulo sanctissimi Rosarii nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Mariam virginem de Rosario gerunt devotionis affectum, festum eiusdem beatae Mariae virginis de Rosario ad diem XVIII. decembris cum celebratione missae votivae eiusdem festi in eorum ecclesia quotannis transferre, nec non ut in eadem ecclesia celebrari possit sabatho sancto, post missam solemnem, alia missa lecta vel votiva eiusdem beatae Mariae virginis de Rosario, vel saltem de tempore, plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuriis, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, et attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola Congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii, ut in posterum festum tantummodo sanctissimi Rosarii praedicti ad diem XVIII. decembris quotannis in ecclesia dicti collegii transferri et celebrari libere et licite valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. iulii MDCCLXXXVIII., pontific. nostri an. XIV.

LXXVIII.

Derogat statutis fratrum ordinis Bethlemitarum in Indiis occidentalibus quoad sacerdotum eiusdem ordinis promotionem.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Decet Romanum Pontificem in iis auctoritatis suae parter libenter interponere, per quae et divinus augeatur cultus et religiosorum statui eorumque instituto promovendo opportune consulitur. Prooemium.

§ 2. Sane pro parte dilecti filii Gregorii a Conceptione procuratoris generalis ordinis fratrum Bethlemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus instituti expositum nobis fuit, quod per statuta seu constitutiones dicti ordinis auctoritate apostolica confirmata inter caetera, quae circa promovendos ad sacerdotium statuuntur, expresse cavetur, ne quis ad sacrum presbyteratus ordinem promoveatur, nisi post lapsum decennium a die ingressus in religionem. Declaratur quid in statutis dispositum inveniatur ad rem.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ordo huiusmodi sufficienti fratrum sacerdotum numero deficiat, ita ut non raro sacerdotum secularium opera in sacramentorum administratione non sine gravi eiusdem ordinis incommodo uti co- Ratio petendae derogationis statutorum.

gantur, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor indultae derogationis.

§ 4. Nos igitur felici prosperoque dicti ordinis gubernio consulere cupientes, ac eumdem Gregorium specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, praefatis aliisque iustis de causis animum nostrum moventibus adducti, de voto dilecti filii nostri Francisci Xaverii presbyteri Cardinalis de Zelada nuncupati eiusdem ordinis fratrum Bethlemitarum apud nos et apostolicam hanc Sedem protectoris, dilecto filio moderno et pro tempore existenti praefecto generali dicti ordinis, ut ipse de caetero aliquos ex fratribus ordinis praedicti etiam post lapsum dumtaxat sexennium a die ingressus in religionem, quot scilicet ipsi pro sua prudentia et conscientia, ut singula illorum hospitalia convalescentibus et infirmis inibi existentibus Ecclesiae sacramenta administrentur in Domino opportunum et necessarium videbitur, ad sacros ordines promoveri permittere libere ac licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 5. Decernentes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti PP. XIII. praedecessoris in simili forma Brevis die XIII. sept. MDCCXXVIII. expeditis literis, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. dec. MDCCLXXXVIII., Pontificatus nostri anno XIV.

LXXIX.

Facultatem concedit fratribus ordinis minorum sancti Francisci de observantia civitatis sancti Iacobi de Cuba in Indiis celebrandi unam missam sanctissimi Rosarii per quindecim continuos dies.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii superiores et fratres ordinis minorum sancti Francisci de observantia Reformatorum nuncupatorum civitatis sancti Iacobi de Cuba in Indiis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga sanctissimum rosarium beatae Mariae Virginis gerunt devotionis affectu, unam missam sanctissimi rosarii eiusdem beatae Mariae Virginis cum cantu per dies quindecim continuos, incipiendo a dominica prima octobris, celebrare posse summopere cupiant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: audito dilecto filio magistro Dominico Coppola Congregationis venerabilium fratrum

nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretario; modernis et pro tempore existentibus fratribus ordinis minorum sancti Francisci de observantia Reformatorum nuncupatorum civitatis praedictae, ut in posterum per dies quindecim continuos incipiendo a prima dominica octobris, in qua festum sanctissimi rosarii beatae Mariae Virginis cum cantu (non omissa tamen conventuali de sancto occurrente, quatenus ex dispositione rubricarum sit dicenda), celebrare libere et licite possint ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodelibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III. febr. MDCCLXXXIX., pontificatus nostri anno XIV.

LXXX.

Respondet Episcopo Agriensi, mulierem ad Ecclesiam catholicam conversam, quae nupserit alteri viro acatholico postquam prior vir pariter acatholicus, quocum illa in haeresi contraxerat, obtinuerat civilem solutionis sententiam ex capite adulterii, non posse in secundo matrimonio permanere, nec ulli dispensationi locum esse posse (1).

Venerabili fratri Carolo Episcopo Agriensi,

PIUS PP. VI.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Literis tuis die I. maii ad nos datis dignum plane te praestitisti, ven. frater, eximiâ eâ laude, quam ab Innocentio I. retulere celeberrimi Carthaginensis Concilii Patres, qui nimirum maiorum exempla secuti, quidquid in longinquis disiunctisve provinciis ageretur, non prius ducerent esse finiendum, quam ad Apostolicae Sedis notitiam perveniret, cuius auctoritate iusta, quae fuerit, pronunciatio firmaretur. Eo animo studioque inductus, exposito casu qui nuper in dioecesi tua contigit, postulasti a nobis, ut quid in eâ causâ aliisve similibus, si quae aliquando emergerent, agendum sit, nostro iudicio decerneremus ad teque scriberemus.

§ 1. Facti haec species est ac series. Post initum coniugium inter contrahentes lutheranae sectae addictos, mulier catholicam fidem amplexa, publiceque professa est: postmodum, intentata per virum actione in uxorem, velut adulterii ream saecularis iudex, vi notae legis, solutum matrimonii vinculum declaravit; tum mulier aliud cum viro catholico matrimonium inire cupiens, proprium adiit parochum catholicum, a quo cum reiecta esset iniqua petitio, accersitus est Helveticae confessionis minister, qui concupitas nuptias conciliare non dubitavit; exinde vir et mulier velut coniuges etiamnum in praesentia degunt, duasque iam proles ex attentato illo coniugio susceperunt. Cum primum patrati facinoris certior factus es, ipse parochum pro tua pastorali solicitudine monere incitareque non destitisti ad suas partes explendas; nec ipsemet parochus, ut testaris, muneri suo defuit, ut eosdem ab invicem separaret, arguendo, increpando, obsecrando in patientiâ et doctrinâ; nihil tamen ab iis impetrare ultra potuit, quam ut, agnitâ culpâ illegitimâque sui copulatione, gratiam dispensationis apostolicae pro noviter contrahendo matrimonio implorarent.

§ 2. His narratis, pergis causas exponere, quae certi capiendi consilii moram ipsi difficultatemque afferunt, quae causae duplici ex capite petuntur: primum ex indicatâ lege, quam in ferendâ sententiâ saecularis

(1) Ex Roskovany Coll. cum Reg. Vatic.

iudex secutus est, ut metuendum sit ne, si ad aulam partes recurrant, parochus etiam sub poenâ suspensionis et sequestrationis proventuum iubeatur matrimonio eorumdem assistere. Verum, propitiante Deo, iam abest omnis hic metus; quippe cum a nobis primum, pro praecipuâ quam gerimus gregis universi curâ, tum et ab aliis Episcopis qui sese in eo munere obeundo nobis, ut par erat, adiunxerunt ob gravia inde emergentia incommoda, etiam atque etiam reclamatum sit, Caesar ipse non dubitavit, id caput legis e medio tollere, prout literis die XXVIII. aprilis magnus aulae Cancellarius Nuncium Apostolicum certiorem fecit; cuius facti notitia posteaquam ad te pervenerit, prout paulo post datas ad nos literas facile est pervenisse, minime dubitandum, quin iam eâ ex parte omni curâ sis ac molestiâ levatus.

§ 3. Alterum subinde caput subiicis quo te pariter in aliquam dubitationem adductum significas: nimirum quod non desint, qui divortium hoc legitime admissum tenent ex rationibus sequentibus: I. Quia censent posse matrimonium in ratione civilis contractus verum et legitimum matrimonium esse, quin coniuges sacramentum susceperint aut perfecerint. II. Quod acatholici dum in matrimonium coalescunt sacramentum suscipere sive perficere nec possint nec velint. Imo, III., addunt aliqui quod Calviniani sub conditione illâ famosâ *donec in honestate permanseris* contrahentes, alioquin irritum faciant matrimonium, et tam hi, si non addant, quam lutherani, cum matrimonium ob adulterium solvant, illam mente retineant, et nec vellent contrahere matrimonium quod solvi non posset.

§ 4. At quid valent ad huiuscemodi honestanda divortia rationes quae, si rite perpendantur, cum Ecclesiae doctrinâ de matrimonio consistere nullo modo comperiuntur? Doctrina est Sacri Tridentini Concilii sess. 24, c. 1: matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primum generis humani parentem divini Spiritus instinctu pronunciavisse, cum dixit: *hoc nunc os ex ossibus meis*, etc.; tum Christum Dominum eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavisse: *quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quo manifeste patet matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nullâ civili lege solvi queat. Itaque, licet sacramenti ratio a matrimonio seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a primâ origine divino iure matrimonio ita cohaeret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcumque matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur, ut reapse sit verum matrimonium, tumque adiunctum habebit perpetuum illum nexum divino iure omni vero matrimonio cohaerentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque verum matrimonium non est, sed illicita coniunctio divinae legi ex obiecto repugnans, quae proinde nec iniri potest nec retineri. Fallitur proinde quisquis existimat, prout allata illâ primâ ratione innuitur, matrimonium, dummodo absit ab eo ratio sacramenti, non esse nisi contractum mere civilem, âtque adeo civili potestate solubilem. Quod secus est; nam primo matrimonium non est contractus mere civilis, sed est contractus naturalis divino iure ante omnem civilem societatem institutus et firmatus, qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur; in matrimonio vero nulla humanâ potestate suppleri consensus valeat. Deinde cum ex omni contractu consentaneum aliquod ius oriatur, atque ad matrimonii naturam omnino pertineat, ut ius alterutri coniugi tribuat in corpus alterius, profecto denominatio veri contractus matrimonii sub nullâ ratione tribui potest coniunctioni, qua matrimonium ineatur ut solubile per allatas causas, quae coniunctio non solum nullum ius tribuere potest ad obsequia matrimonialia repetenda, sed potius absolutam obligationem inducit illicitae istiusmodi coniunctionis prorsus dirimendae; quo fit ut talis pactio, quae nullum ius coniugale tribuit, nullâ quoque ratione contractus coniugalis seu matrimonialis dici possit.

§ 5. Sane Conc. Tridentinum sess. 24, can. 5, anathema tulit in quemcumque qui dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; et can. 7, idem anathema in quemcunque, qui dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta Evangelium et apo-

stolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi. Certum proinde est, Ecclesiam docuisse ac docere iuxta Evangelium et apostolicam doctrinam, propter adulterium dissolvi non posse matrimonii vinculum: item certum in eo docendo Ecclesiam non errare. Quis porro catholicae doctrinae caput non in eo agnoscat, quod Ecclesia docuit et docet iuxta Evangelium et apostolicam doctrinam, et in quo docendo certum sit, imo expresse definitum, eam non errare? Cuius evangelicae apostolicaeque doctrinae cum plures ex totâ antiquitate, si necesse foret, proferri possent probatissimi testes, unum hic satis fuerit locupletissimum auctorem adhibere Augustinum, qui lib. 2 *de adulterinis coniugiis,* c. 5, perpensis Apostoli verbis ad Rom. c. 7: *igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro,* etc., subiungit: *Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur.* Et serm. 392 ad coniugatos (edit. Maur.): *non vobis licet habere uxores quarum priores mariti vivunt; nec vobis, foeminae, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulterina sunt ista coniugia non iure fori, sed iure coeli.* Nullius proinde momenti est secunda superius adducta ratio, quod acatholici cum in matrimonia coalescunt, sacramentum suscipere, sive perficere, nec possint nec velint. Nam, praeterquam quod nil vetat quominus acatholici, utpote baptizati, dum matrimonium sub certis conditionibus contrahunt, illud licet illicite, tamen valide etiam ut sacramentum contrahere dicantur, hoc tamen praetermisso, de quo hic non agitur, quantumvis acatholici matrimonium contrahere velint non ut sacramentum, stat semper, valide ab ipsis contrahi non posse, quin adiunctum habeat perpetuum nexum, adeo ut nec propter adulterium, nec aliâ ullâ de causâ, per saeculare forum dissolvi queat.

§ 6. Nec maioris momenti tertia est adducta ratio, quae nititur famosâ illâ conditione: *donec in honestate permanseris,* sub qua dicuntur acatholici nonnulli matrimonium contrahere, quamque qui non addunt, eam mente retinere perhibentur. Etenim rem totam praeclare explicat Benedictus XIV. *de Syn. Dioec., l. 13, c. 22.* Et quidem si contrahendo matrimonio *conditiones contra substantiam coniugii inserantur* ex decretali Gregorii IX in cap. *Si conditiones, de conditionibus appositis,* constat *matrimonialem contractum carere effectu.* Unde sequitur nullum et irritum censendum esse matrimonium eorum qui, praeter errorem, quo imbuti sunt, conventionem etiam adiiciunt de matrimonii dissolutione quoad vinculum interveniente adulterio. Quod, si expressa illa conditio (1) de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi possit, nihilominus locus est praesumptioni ut, dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac interveniente etiam adulterio insolubile contrahere voluerint, praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eâque privatum illum errorem quodammodo absorbente: quo fit, ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat. Et n. 8 (2), doctrinam hanc secuta est semper atque constanter Congregatio S. Officii...... Hoc idem confirmatur ex quadam decisione solemni, quam eadem Congregatio nobis praesentibus edidit die 1. aug. MDCCXLVIII. etc. — Et sane cum acatholici merito censeantur non aliter velle contrahere, quam ex praescripto divinae legis, nisi haec prima praecipuaque intentio contrariâ expressâ conditione appositâ perimatur, non obstat privatus error, quem mente gerunt, quin velint consensum, quem actu praestant, ad eius divinae legis praescriptum accommodare, quale revera est; quod satis est, ut consensus ille aptus sit per se se ad perpetuum constringendum matrimonii vinculum, prout ipsâ divinâ lege, quam sequi volunt, omnino praescribitur ac sancitur.

§ 7. Demum ad quaestionem delabimur, qua extrema pars epistolae clauditur. Nimirum postulas, venenerabilis frater, supremo nostro iudicio tibi declarari, utrum dum matrimonia diversae religionis ob adulterium aut alias similes rationes, quae iure ecclesiastico impedimentum dirimens non constituunt, quoad vinculum per forum

(1) Sunt verba Bened. XIV. in loc. cit. n. 7.

(2) Idem Benedictus lib. cit.

saeculare solvuntur, pars catholica ad alia vota transire cupiens, ad eadem libere admitti, taliumque matrimoniis parochi licite assistere possint ac debeant. Profecto facile pro tuâ sapientiâ intelliges, non aliud a nobis responsum datum iri, quam quod ex patefactâ Ecclesiae doctrinâ prodit ipsum per se se, ac velut emicat. Nempe I. si, dum isti contrahunt, expressa quaedam conditio ab ipsis inseritur, substantiae matrimonii repugnans, matrimonialem contractum effectu carere, nullumque adeo contrahi matrimonium. II. Si nulla sit huiuscemodi adiecta conditio, privatum contrahentium errorem non obstare, quin matrimonium valeat. III. Posito quod, nullo alio interveniente impedimento, valide matrimonium contractum fuerit: validi huiuscemodi matrimonii vinculum nec ob adulterium nec aliâ ullâ de causâ per forum saeculare dissolvi posse. IV. Nullâ proinde saecularis fori sententiâ licitum alterutri parti fieri posse, ac multo minus catholicae, ut, vivente priore coniuge, ad alia vota transeat. V. Nec posse adeo, nec debere, parochum adulterinis huiuscemodi coniugiis assistere. VI. Ex iisdem porro principiis locum non esse petitae dispensationi.

§ 8. In id propterea omni ope incumbendum, firmâque spe summis precibus exorandum Deum opt. max., ut, quandoquidem eius opitulante gratia ficti isti miseri coniuges culpam iam suam agnovere, quod in eis opus bonum coepit, ipse perficiat, eosque ad salutarem poenitentiam adducat. Quod te, ven. frater, pro tuo pastorali studio maxime curaturum non dubitamus, tuosque conatus apostolicâ prosequimur benedictione, quam in nostrae etiam benevolentiae existimationisque pignus tibi ex animo ac peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die XI. iulii MDCCLXXXIX., pontificatus nostri an. XV.

LXXXI.

Quaestionem ab Arch. Pragensi propositam de femina matrimonio coniuncta cum viro acatholico, ac deinde ob mariti fortasse mortui absentiam, et nutu civilis potestatis ad novas nuptias cum altero acatholico transeunte, hanc, inquam, quaestionem soluturus Pontifex diversas memorat ac expendit sententias, in quas abierunt ii viri, qui in Consistorio Pragensi de ea re iudicarunt. Quibus expositis docet, irritum esse matrimonium, si expressum intersit pactum de consolvendo ob causas a lege praescriptas. Quod si tale pactum expressum non intercedat, matrimonium esse validum, nec lege ulla dissolvi posse. Demum fuse ac generatim docet, matrimonium ne posse quidem ob fornicationis causam solvi, iuxta perpetuam Patrum ac Ecclesiae doctrinam (1).

Ven. fratri Antonio Archiepiscopo Pragensi,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravissimam matrimonii casus quaestionem afferentibus ad nos literis tuis, cum multae rem consultationis esse, neque tam cito expediri ac dissolvi posse videremus, minime cunctandum duximus, quin illud ad te rescriberemus die XXIV. septembris proxime praeteriti, suscepturos nos esse diligentissimam eius rei considerationem, ac deinceps omnibus mature perpensis sententiam ad te nostram transmissuros. Quod tum igitur in nos receperamus, nunc hac praestamus epistolâ, quae si est aliquanto prolixior, erit id rei ipsius gravitati tribuendum.

§ 1. Referendi ad nos dubitationes tuas causam tibi praebuit casus, quem in comitatu Glacensi ditionis regis Borussiae ad tuam dioecesim pertinente contigisse in hunc modum exposuisti, videlicet: vir acatholicus desertâ uxore catholicâ plures annos sic abfuit ut, ubi terrarum degeret, sciri nequaquam potuerit. Edicto regio praestituta ei dies est, qua nisi rediisset, malitiosus esset desertor declarandus. Elapso termino cum non rediisset, regia lata est sententia, qua ille malitiosus est desertor declaratus, et simul matrimonii vinculum secundum leges regias dissolutum, annexâ tamen respectu uxoris catholicae clausulâ, qua eiusdem propriae conscientiae relictum est, an ad alias nuptias convolare velit. Mulier (sive secundum, sive contra

(1) Ex Roskovany coll. cum Reg. Vatic.

conscientiam) concessâ veniâ uti, novasque cum acatholico viro nuptias inire cupiens, proprium parochum catholicum adiit, a quo repulsa est simulque monita, fas id ei non esse, quousque absentis coniugis mors certis fuisset documentis comprobata. Repulsam passa mulier, facultate nihilominus sibi factâ regio nomine uti voluit, et coram acatholico parocho optatas nuptias inivit, in eâque coniunctione manet iam ad alterum annum. Interea expiandae conscientiae causâ cum denuo catholicum parochum suum convenisset, nec tamen ab adscito viro recedere vellet, ei parochus ceu publicae adulterae sacramentalem absolutionem denegavit. Itaque illa confugit ad archiepiscopale consistorium petens, ut novum istud matrimonium Ecclesiae auctoritate ratihabeatur, secus periculum instare, ne ipsa, relicto viro, prae nimiâ consecuturâ egestate ad avitam religionem deserendam, tametsi reluctante conscientiâ, redigatur.

§ 2. Gravis inde instituta consultatio in Consistorio tuo, sententiis in varias partes distractis.

I. Nonnulli, prout accurate refers, censebant, hic locum habere decisionem Summi Pontificis Alexandri III. in cap. *Perlatum* 8, *Qui filii sint legitimi*; in quo refertur quemdam Episcopum ob diuturnam absentiam mariti ad instantiam uxoris sententiam divortii pronunciasse, datâ facultate mulieri alii nubendi, quod factum Episcopi Summus Pontifex non improbat, quin potius liberos, quos ex altero marito mulier suscepit, legitimos declaravit. Alii e contra existimarunt, capitulum istud correctum esse per cap. *In praesentia* 19, *de Spons. et Matr.*, ubi mulieribus ob diuturnam absentiam maritorum non conceditur facultas ad alias nuptias transeundi, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. Sane nullus hic locus videtur esse capiti *Perlatum;* quaerebatur num legitimi habendi essent filii suscepti ex matrimonio contracto post sententiam ab Episcopo competenti nimirum iudice latam. Ad id unum respondens Pontifex decernit iudicandos esse legitimos. Quo ex responso colligere haud licet, tacite saltem probatum fuisse factum Episcopi de quo proprie rogata non fuerat sententia Pontificis. Plane vero ad rem facit cap. *In praesentia,* quo expresse statuitur, mulieribus ob diuturnam absentiam maritorum non concedi facultatem ad alias nuptias transeundi, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

§ 3. II. Cum nonnulli urgerent decretum Tridentini sess. 24, can. 5, quo definitur, ob absentiam alterius coniugis vinculum matrimonii non dissolvi; alii contra excipiebant canonem Concilii de affectatâ, non autem de malitiosâ, absentiâ verba facere: unde inferebant, hactenus dogma definitum haud esse, vinculum matrimonii ob malitiosam alterius coniugis absentiam dissolvi non posse. Verum exceptionem, ut a communi vocis acceptione, sic a sententiâ Tridentini prorsus aberrare dubitandum non est. Quippe affectatum communiter intelligitur quidquid studiosius, quam par est, in re quavis peragendâ quaesitum est ac de industriâ comparatum, quod apte cadit in absentiam dolo malo seu ex malitia deserendae uxoris causâ quaesitam. Atque adeo constare omnino debet Tridentini definitionem allato cap. *In praesentia,* plane consentire.

§ 4. III. Quidam putabant matrimonium quaestionis ex alio capite ratihaberi posse, cum nempe maritus longiori tempore absens auctoritate regiâ citatus non comparuerit, moralem fere certitudinem de morte eius praesto esse. Neque id satis argumenti est ad mortem comprobandam. Nam quod vir non comparuerit, non magis mors in causâ esse potuit, quam eius contumacia. Edicto sane regio iubentur nonnunquam transfugae milites redire ad signa; nec inde tamen inferri solet mortuos omnes esse qui non redeunt.

§ 5. IV. Alii censebant matrimonium eiusmodi inter personam catholicam et acatholicam contractum retro pro irrito declarari posse ex ratione, quia tale matrimonium ex dispositione legis regiae annexam habet conditionem, ut ex capite adulterii aut malitiosae desertionis etc. quoad vinculum dissolvatur. Nonnulla hic animadvertenda: I. Si ob eam rationem nullum fuit prius matrimonium ab eâ muliere cum viro acatholico contractum, ob eamdem quoque rationem nullum esse oportebit novum matrimonium ab eâ cum viro item acatholico initum, semperque adeo a sacramentis repellenda erit, si non adultera saltem ut concubina. Nec petita ratihabitio praestare potest ut validum evadat matrimonium, quod suapte naturâ nullum est ex conditione quae sit, ut supponitur, contraria substantiae matrimonii. 2. Ex decisione Gregorii IX., quae in hanc rem affertur cap. *Conditiones, ult. de condit. appos.,* atque ex luculentâ doctrinâ Benedicti XIV,

lib. 13 de Syn. dioec., cap. 22, qua rem totam mirifice illustrari profiteris ipse, eruitur quidem, si contrahendo matrimonio conditio apponatur quae repugnet substantiae ipsius, nullum et irritum fore matrimonium. Verum, ut ibidem docet Benedictus XIV., si expressa huiusmodi conditio minime apposita fuerit, quamquam contrahentes in eo errore versentur, matrimonii vinculum propter adulterium dissolvi posse (quod idem valet de malitiosâ absentiâ), nihilominus locum esse praesumptioni ut, dum matrimonium contrahere voluerunt, illud iuxta institutum Christi, atque adeo insolubile, inire voluerint, nimirum generali eâ intentione contrahendi iuxta institutionem Christi, privatum illum errorem quodammodo absorbente. 3. Si generalis intentio contrahendi iuxta institutum Christi praevalere censetur intentioni contrahendi iuxta principia errantis sectae, praevalere quoque censenda est ob eamdem rationem intentioni contrahendi iuxta legem, quae ex talibus causis matrimonii vinculum dissolvi permittat. Quod nisi ita esset, nullum prorsus inter istos acatholicos verum existeret matrimonium, sed eorum matrimonia omnia dicenda essent adulterina coniugia, quod longe abest a doctrinâ et praxi Ecclesiae. Nusquam enim tot saeculis auditum est, acatholicorum matrimonia propter eiusmodi errores aut leges habita esse velut nulla et irrita, ipsosque adeo acatholicos, dum post matrimonium ad fidem convertuntur, debuisse aut facta connubia innovare, aut nova contrahere. Nisi ergo vera ea fuissent matrimonia, dicendum foret, Ecclesiam universam hactenus in maximo errore versatam in re ad doctrinam moresque pertinente, quod catholicus nemo dixerit. 4. Nec deest intima ratio cur intentio contrahendi iuxta placita sectae adstruentis aut legis permittentis dissolutionem matrimonii non officiat eius valori, modo non deducatur in pactum. Etenim hoc ipso quod acatholici vano errore decepti existimant, solutionem matrimonii iis de causis minime repugnare legi Christi, hinc fit, ut in eorum mente, propter falsam illam existimationem, intentio contrahendi iuxta eiusmodi legis aut sectae placita minime excludat primariam intentionem contrahendi iuxta divinam legem per Christum confirmatam. Permanet proinde haec voluntas in actu contrahendi, ex eâque fluit ac determinatur ratio consensus, qui actu praestatur. Porro consensus, praestitus ex voluntate contrahendi iuxta legem Christi, aptus est ac sufficiens ad matrimonii valorem, nisi aliud obstet canonicum impedimentum. Contra ubi deducitur in pactum conditio repugnans substantiae matrimonii, iam actu excluditur voluntas contrahendi iuxta legem Christi, propter repugnantiam quae est inter legem Christi et conditionem quae actu expresse intenditur, fitque adeo ineptus consensus ad verum efficiendum coniugium. 5. Verum potissima ratio est, quam superius attigimus, ex eo deducta, quod, nisi vera eiusmodi essent acatholicorum coniugia, universa Ecclesia tot saeculis errasset, quae redeuntes ad fidem acatholicos coniuges ut veros coniuges recipit, licet, pravis erroribus imbuti circa matrimonium, id antea in suâ sectâ contraxissent, nisi deducta fuisset in pactum expressum conditio repugnans substantiae matrimonii, aut aliud obstaret impedimentum canonicum.

§ 6. v. Denique alii opinabantur in casu quaestionis propositae praesidium inveniri in cap. *Dominus 2 de secund. nupt.,* ubi dicitur: « Si mulier non habitâ certâ notitiâ de morte mariti aliud matrimonium contraxerit, et in matrimonio secundo constituta de morte prioris mariti dubitaverit, ipsa quidem suo marito debitum coniugale reddere, non autem ab eodem petere possit. » Verum eo capite agitur de uno tantum contrahente dubitante; cum ergo alter bonâ fide contraxerit, degit iste in legitimâ possessione sui iuris, nec proinde valere debet alterius dubitatio ad eum ex suâ legitimâ possessione deturbandum. Merito itaque statuit Pontifex dubitantem non posse petere, nec tamen debitum denegandum postulanti, qui degit in bonâ fide et possessione sui iuris. Quo patet, cap. *Dominus* traduci non posse ad praesentem quaestionem, in qua utrique parti aequa subest ratio dubitandi, num primus maritus superstes adhuc, nec ne, sit.

§ 7. vi. Multâ equidem commiseratione digna est calamitas quae mulieri eiusque proli imminere dicitur ex eius disiunctione a viro; verum id periculum efficere non potest, ut licitum evadat, quod iure naturali ac divino prorsus est illicitum. Aliunde si sincero pietatis affectu conscientiae suae vult illa consulere, cogitare debet iustas sibi poenas dandas gravissimae culpae quae se obstrinxit cum, spretâ pertinaciter parochi sui catholici admonitione, nihilominus viro se acatholico iungere voluit, quo-

cum ignorare non poterat, nullum sibi connubiale foedus posse intercedere, dum non satis certum adhuc de morte absentis viri nuncium haberet.

§ 8. VII. Iam hic enixe postulas a nobis, ven. frater, in genere edoceri, an matrimonia a personis catholicis cum acatholicis sub conditione legali contracta, ut ex certis causis quoad vinculum dissolvantur, si demum emergente casu eiuscemodi matrimonia auctoritate Consistoriorum acatholicorum secundum leges regias dissolvantur, parsque acatholica ad alias nuptias transeat, etiam respectu partis catholicae ex supra praemissis principiis pro irritis retro haberi possint eo cum effectu, ut parti quoque catholicae libertas ad alias nuptias convolandi concedi queat. Quid hic aliud tibi nos respondere possumus, quam quod a nostris semper est praedecessoribus rescriptum, nihil innovari praeter id quod traditum est? Si conditio legalis vinculi coniugalis allatis de causis solvendi per pactum expressum matrimonio apponatur, nullum et irritum ab initio dicendum erit matrimonium, nec inde oriri potuisse coniugale vinculum, sed illicitam potius coniunctionem pactam esse, quam utraque pars, maxime catholica, Christi lege deserere omnino tenetur; si vero nulla fuit apposita expressa eiusmodi conditio repugnans substantiae matrimonii, licet contrahentes generatim intendant contrahere iuxta placita sectae aut legis concedentis dissolutionem vinculi coniugalis, nihilominus matrimonium valide contractum censendum erit, indeque ortum perpetuum coniugale vinculum, quod nullâ civili lege, nullâ Consistoriorum acatholicorum auctoritate dissolvi queat, adeoque nec partibus, minus vero catholicae, facultatem concedi posse convolandi ad alias nuptias.

§ 9. VIII. Revera, ut iam rite nonnullii observarunt ex tuis consultoribus, Concilii Trid. sess. 24, can. 5, definitum est, minime dissolvi posse matrimonii vinculum propter affectatam absentiam cuius profecto generis est absentia omnis dolo malo seu ex malitiâ quaesita ut deseratur coniux.

IX. Quod porro attinet ad causam supervenientis adulterii, certum est ex can. 7 sessionis eiusdem, Ecclesiam docuisse ac docere iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matr. vinculum non posse dissolvi. Certum est ac plane definitum, Ecclesiam in hoc docendo non errare, ut patet ex subiecto anathemate. Porro si certum est, id verum esse quod docet, nempe propter adulterium matrimonii vinculum non posse dissolvi, et cum error sit quidquid vero repugnat, error igitur est contra veritatem quam Ecclesia docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, quod propter superveniens adulterium matrimonii vinculum solvi queat. Et quamquam ad id sine ullâ dubitatione firmandum sufficere catholico cuique debeat inconcussa Tridentini auctoritas, non abs re tamen fuerit pauca subiicere, quibus pateat eam sententiam ex Evangelio et apostolicâ doctrinâ revera profectam esse.

§ 10. Perspicua scilicet ac generalis est evangelica sententia Marc. 10: « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit moechatur ». Tum et Luc. 16: « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit moechatur, et qui dimissam a viro ducit moechatur ». Quam sententiam generalibus adeo verbis enunciatam rite perpendens S. Augustinus de coniugiis adulterinis l. 1, c. 9, concludit: « qui ergo sumus nos ut dicamus, est qui moechatur uxore suâ dimissâ alteram ducens, et est qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat omnem moechari qui hoc facit? » Equidem Matth. 5 legitur: « Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit adulterat ». Verum ut etiam probe notat Augustinus eod. lib., n. 12: quoniam fas non est ut Evangelistas, quamvis diversis verbis de unâ re loquentes, ab uno sensu eâdemque sententiâ dissentire dicamus, restat, ut Matthaeum intelligamus a parte totum significare voluisse, eamdem tamen tenuisse sententiam, quam S. Doctor subinde paucis interiectis verbis explicat in hunc modum: ut omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, moechari minime dubitetur. Ut proinde ex ipso Evangeliorum consensu colligi omnino debeat, verba illa, *excepta fornicationis causâ*, referenda esse ad membrum antecedens: *si quis dimiserit*, non ad consequens *aliam duxerit*, ut fert communis doctorum interpretatio. Ipsemet Apostolus Paulus certissimus divini verbi interpres generaliter quoque divinam sententiam enunciat 1 ad Cor. 7: « Iis qui matrimonio iuncti sunt praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit manere

inuptam, aut viro suo reconciliari. » Non distinguit inter causas discessus, omnes universe complectitur, atque ex Domini praecepto edicit: discedentem manere innuptam aut viro suo reconciliari; unde et universe subiungit: « mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: » et ad Rom. 7: « igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. » In quae intendens Augustinus, haec verba Apostoli inquit l. 2 de Coniug. adult. c. 5, toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro, carebit autem si mortuus fuerit vir eius. Et quod rem plane conficere videtur Innocentius I., epist. 6 ad Exuperium Tolosanum (ap. Coustant.) cap. 6, n. 12: « De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est; qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri in tantum, ut etiam hae personae quibus tales coniunctae sunt etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam etc. et ideo omnes a communione fidelium abstinendos. Minime proinde mirum hunc ipsum fuisse sensum nascentis Ecclesiae cuius a primâ aetate luculentum testimonium suppetit ex libro *Pastoris*, cui notum est quantum auctoritatis tributum sit a vetustis Patribus non paucis. In eo porro libro 2, mandato 4, legitur: « Si permanserit in vitio mulier? et dixit: dimittat illam vir, et vir per se maneat; quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur.» Iustinus apol. 1, n. 15, ostendens quantum christiana institutio praestet gentilium institutionibus, hoc de castitate velut Christi praeceptum generatim enunciat: qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur. Ex quibus aliorumque veterum testimoniis, velut Athenagorae, Clementis Alexandrini, Origenis, Chrysostomi, passim Doctores nostri concludunt: unam olim fuisse sententiam utriusque Ecclesiae, Orientalis scilicet et Occidentalis, modernosque Graecos recessisse ab antiquâ patrum suorum doctrinâ, licet non constet, quo tempore haec mutatio facta sit, ut apud Lud. Habert de matr. c. 2, § 6. Quin etiam, ut refert idem Habert et fusius Tournely in hac quaestione de firmitate vinculi coniugalis, cum Erasmus in quibusdam adnotationibus iam ab a. 1515 editis scripsisset, violatam coniugis fidem dirimere coniugium, et mulierem, quae alteri viro sui corporis fecit copiam, desiisse esse uxorem, Parisiensis facultas delatas ad se propositiones Erasmi notavit a. 1526 ut haereticas, quatenus per eas praetendi videtur matrimonium per adulterium dissolvi quantum ad vinculum. Est enim, inquiunt Parisienses, vinculum matrimonii iure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat etc. Ubi etiam notant supra laudati theologi, Erasmum ausum nen esse doctrinam impugnare sacrae Facultatis, sed eo nomine purgare se voluisse, quod suas propositiones intelligendas fuisse diceret de separatione quoad thorum, non quoad vinculum.

§ 11. Neque vero est cur errori de solutione vinculi praesidium quaeratur in humanis legibus, quae illud vinculum allatis de causis dissolvi permittunt; quippe notum humanis legibus nonnulla interdum humanae fragilitati concedi, quae non licet iure conscientiae. Notum est, non defuisse leges talem usurae modum permittentes, qui cum iure naturali ac divino conciliari prorsus non valeat, ut proinde facultas hisce legibus data, impunitas potius dicenda foret quam iusta libertas. Ac ne a subiectâ materiâ discedamus, notum pariter est, primis quoque Ecclesiae saeculis permissum humanis legibus fuisse, ut certis de causis matrimonia solverentur, factâ etiam utrique parti facultate ad alias nuptias transeundi. Quid porro ad haec Ecclesiae Patres? Chrysostomus in c. 7 Ep. ad Rom. (apud Habert de matr. c. 2, § 3): Nec mihi recites leges externas atque profanas, quae libellum repudii dare ac divortium facere praecipiunt, non enim profecto secundum has leges iudicaturus est Deus, sed iuxta eas quas ipse posuit. Hieronymus ep. 30: Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecepit. Quocirca idem S. Doctor (ut est apud Berti de theol. disc. vol. 4, prop. 313) peccasse fatetur Fabiolam quod, repudiato marito adultero quidem et qui se scorto vi-

lique mancipio miscuerat, non innupta permanserit; tametsi eam excuset quod adolescentula esset et civilibus legibus permitteretur repudium, scribens: Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi et putabat a se virum iuste dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio viventibus viris foeminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Super quam epistolam addit Lud. Habert loc. citato: Nec dicat Launoius prohibitum quidem fuisse uxori, nullatenus marito, aliud contrahere matrimonium in causâ fornicationis; nam S. Hieronymus scribens in c. 19 Matth. haec habet: sic priorem iubetur dimittere uxorem, ut secundam primâ vivente non habeat. S. Augustinus serm. 392: Non vobis licet habere uxores quarum priores mariti vivunt. Adulterina sunt ista coniugia, non iure fori sed iure coeli; nec eam foeminam, quae per repudium discessit a viro, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis causa licet uxorem adulteram dimittere, sed, illa vivente, non licet alteram ducere.

§ 12. Denique, et probe notandum, nihil adversus Tridentini doctrinam praesidii peti posse ex perplexis quibusdam nonnullorum Patrum locutionibus, quae solutioni matrimonii adulterii causa favere aliquo modo videri possunt. Nam, ut animadvertit idem Habert, non ex privatis istorum sententiis Ecclesiae traditio est colligenda, ut patet, ait, vel ex controversiâ circa baptismum ab haereticis collatum, et beatitudinem non protrahendam ad diem ultimi iudicii: licet enim in hisce capitibus viri eruditione et sanctitate conspicui erraverint, Ecclesia nihilominus eiusmodi controversias ex traditione diremit. Quid ni ergo et praesentem similiter dirimere poterit? Quamobrem ut in praesenti quaesito haereamus de solvendo matrimonii vinculo absentiae causa haud amplius licet viro catholico quaestionem agitare, et velut dubitationi adhuc obnoxiam habere, quae Tridentini apertâ definitione can. 5 allato prorsus dirempta est.

§ 13. Haec sunt, ven. frater, quae tibi non solum pro casu proposito, sed generatim etiam rescribenda duximus, ut inde certissimam normam habeas quale iudicium a te ferendum sit, quoties eiusmodi quaestiones de matrimonio incidant, quae nonnisi ex Iesu Christi et Apostolorum doctrinâ, quam exposuimus, Ecclesiaeque traditione sunt resolvendae. Ex quo etiam videas quantam tuorum postulatorum rationem habeamus, quamque nobis cordi sit anxietatibus tuis occurrere omnemque ex animo tuo dubitationem ac solicitudinem per responsa Apostolicae Sedis amovere. Demum in amplius paternae nostrae benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, tuaequae fidei commisso populo peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XI. iulii MDCCLXXXIX., Pontificatus nostri an. XV.

LXXXII.

In dioecesi Ilascalensi in Indiis officium et missa propria de S. Philippo Nerio recitari posse concedit (1).

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. § 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater modernus Episcopus Ilascalensis in Indiis, quod cum in suis civitate et dioecesi Ilascalensi maxime vigeat devotio erga S. Philippum Nerium, idcirco, ad suam suique populi spiritualem consolationem, indultum favore cleri saecularis et regularis utriusque sexus civitatis et dioecesis huiusmodi recitandi officium proprium missamque propriam de eodem sancto eius festo die celebrandi, prout a presbyteris saecularibus congregationis oratorii eiusdem sancti Philippi Nerii in regnis Hispaniarum existentibus recitatur, et respective celebratur, etiam cum elevatione ritus ad duplicem secundae classis sine octava per nos concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. § 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et qua-

(1) Die XXVIII. eiusdem mensis huiusmodi privil. concessit dioecesibus de Merida, Mechoanae, Guadalaxarensi, Antiquirensi, et in Mexicana extendit ad clerum regularem, cum die XVIII. septembris anni MDCCLXXXIX. clero saeculari concesserit. Pariter an. MDCCXCI. concessit utrique clero dioecesis de Durango, die XXV. ian.

cumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii: ut imposterum a clero saeculari et regulari utriusque sexus praedictarum civitatis et dioecesis Ilascalensis officium proprium et missa propria de Sancto Philippo Nerio eius festo die, prout a presbyteris saecularibus congregationis oratorii eiusdem Sancti in Hispaniarum regnis existentibus recitatur, et respective celebratur (non tamen cum elevatione ritus ad duplicem secundae classis sine octava) recitari pariter et celebrare libere ac licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictarum civitatis et dioecesis Ilascalensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. iulii MDCCLXXXIX., pontificatus nostri anno XV.

LXXXIII.

Baltimorae episcopatum erigit omnes foederatae Americae provincias complectentem, eumque S. Sedi immediate subiicit; Ioannem Carrol, a clero ex speciali gratia eiusdem S. Sedis electum, Episcopum constituit; eumque S. Congregationis parere decretis iubet etc. (1).

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex hac apostolicae servitutis specula ad universas orbis terrae partes animum intendentes, ut impositum nobis licet immerentibus munus regendi ac pascendi Dominicum gregem quantum in Domino possumus exequamur, ad id potissimum curas sollicitudinesque nostras convertimus, ut Christifideles, qui in diversis provinciis dispersi catholica nobiscum communione sociantur, a suis regantur pastoribus, a quibus in evangelicae vitae ac doctrinae disciplina diligentissime erudiantur; sic enim statuimus, ut qui vitam moresque suos ad christianae sapientiae praecepta conformaverit, suis ope divina fraetus ita imperet cupiditatibus, ut sectando iustitiam, non sibi solum, sed suis etiam, cum quibus diversatur, prodesse plurimum possit. Qui vero docentibus Episcopis coelestem doctrinam a Christo Domino catholicae Ecclesiae traditam probe hauserit, eique refraenata ingenii immoderantia firmissime inhaeserit, non circumferatur omni vento doctrinae, ut inquit Apostolus, sed Dei revelantis auctoritate nixus in catholicae Ecclesiae fide conquiescat, repudiatis hominum novis variisque doctrinis, cum quibus nec ipsa civilis potest respublica salva consistere. In hac enim perditorum morum colluvie, in quam praeceps ruit humana natura, Christi iugo repugnans, in eaque ingeniorum superbia, nescia subdere hominum opiniones et deliramenta evangelio Christi et ab eo traditae veritati, maxime subvenire debuit coelestis auctoritas, quae catholicae Ecclesiae in omne aevum duraturae tamquam columnae ac fundamento firmissimo commendata, eius voce eiusque magisterio disceremus, cum quae agenda sunt, tum eius voce, quae credenda, non tantum propter adipiscendam sempiternam salutem, et sempiterni cuiusdam populi coelestem divinamque rempublicam, sed etiam propter hanc vitam honestissime gerendam, et propter terrestris civitatis concordissimam societatem. Hoc autem docendi ac regendi munus primum Apostolis concreditum, ac potissimum B. Petro Apo-

(1) Vide Greg. XVI. *Benedictus Deus.*

stolorum principi, supra quem unum aedificata est Ecclesia, cuique Dominus ac redemptor noster oves atque agnos pascendos commisit, per temporum et successionum vices in Episcopos est derivatum, ac praesertim in Romanos Pontifices beati Petri successores, eiusque potestatis ac dignitatis haeredes, ut inde verissime constaret haud portas inferi adversus Ecclesiam praevalere umquam posse, divinumque eius institutorem usque ad consummationem saeculi praesto semper adfuturum, ne in quacumque morum foeditate, vel in quibuslibet aestuantium opinionum fluctibus, aut episcopalis successio deficeret, aut navicula Petri submergeretur.

Ratio cur nova episcopatus erectio decreta fuit.

§ 2. Quamobrem cum ad aures nostras perlatum sit in florentissima tresdecim provinciarum Americana republica plurimos christifideles, qui cathedrae Petri in qua catholicae unitatis centrum constitutum est communione sociati, licet a suis presbyteris animarum curatoribus spiritualiter gubernentur, plurimum tamen optare, ut Episcopus praeficiatur, qui non modo ea, quae sunt ordinis episcopalis, exerceat, sed etiam ad uberius pascendam salutaris doctrinae pabulo, custodiendamque illam catholici gregis partem sedulo incumbat, libentissime eam occasionem amplexi sumus, qua nobis de catholici Episcopi opera ac solatio tam dissitas regiones providere, Dei opt. max. opitulante gratia, conceditur.

Iudicium ad rem editum a sacra Congregatione Propagandae Fidei.

§ 3. Quod ut felicius ac iuxta sacrorum canonum regulas melius perficeretur, venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositis in mandatis dedimus, ut totum hoc negotium diligentissime curarent, et ad nos referrent. Itaque eorum decreto die XII. iulii superioris anni edito ac per nos adprobato sancitum est, ut presbyteris, qui in foederatae Americae provinciis catholicae religionis ministeria rite exercent, curamque agunt animarum, committeretur, ut collatis simul consiliis id primum inquirerent, qua in urbe sedes ista episcopalis constitui deberet, deinde qui potissimum idoneus ad hoc tantum munus ex iisdem presbyteris assumendus videretur, quem nos, pro prima hac vice tantum, et ex speciali gratia, ab eodem clero eligendum, atque huic Apostolicae Sedi praesentandum permisimus.

Presbyteri delegati seligunt civitatem Baltimori pro nova Episcopi sede, et nominati Episcopi a Sancta Sede confirmationem postulant.

§ 4. Obsequentes huic decreto supra memorati presbyteri in foederatae Americae provinciis curam animarum gerentes concordi studio prius existimarunt in civitate Baltimori Episcopum cum ordinaria iurisdictione esse constituendum, quippe quae urbs sita in Merilandia, in qua maior fidelium ac sacerdotum pars degit, aptissima commercio cum reliquis provinciis videatur, tum etiam quod ex ea provincia in reliquas religio fidesque catholica propagata fuerit. Deinde vero statuto electionis tempore insimul convocati, ac peracto sanctissimae missae sacrificio, divinique spiritus implorata ope, omnium suffragia exquisita sunt, et ex viginti sex sacerdotibus, qui convenerant, viginti quatuor suffragium tulerunt pro dilecto filio Ioanne Carroll, quem aptissimum episcopali subeundo oneri iudicarunt, confectoque totius rei gestae instrumento ad eamdem Congregationem Cardinalium transmiserunt.

Processum electionis S. Congregatio confirmavit.

§ 5. In ea rebus omnibus mature perpensis ac consideratis, facile in sententiam itum est, quam maxime conducere religionis catholicae incremento, si Baltimori sedes episcopalis figeretur, et fere cunctis eorumdem sacerdotum suffragiis designatus Ioannes Carroll in eiusdem Episcopum praeficeretur.

Erectionis tenor.

§ 6. Nos igitur, quibus a dilecto filio nostro Cardinali Antonellio praefecto eiusdem Congregationis sententia relata fuit, nihil habentes antiquius quam quae ad verae fidei propagationem sanctaeque catholicae Ecclesiae decus et amplificationem pertinent, ad optatum exitum perducere, praedictam civitatem Baltimori apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in episcopalem sedem pro uno Episcopo a nobis in futuris quandocumque vacationibus eligendo tenore praesentium perpetuo erigimus et constituimus.

Concessio iurisdictionis pro novo Episcopo.

§ 7. Ac propterea eiusdem civitatis Episcopo, eiusque successoribus quandocumque futuris, episcopalem iurisdictionem et potestatem exercere, omnia et singula quae ordinis ac iurisdictionis et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alibicumque constituti Episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus de iure vel consuetudine, vel alias quomodolibet ex generalibus privilegiis, gratiis et indultis, ac dispensationibus apostolicis gerere et facere possunt, cum praeeminentiis, honoribus, immunitatibus et gratiis, quibus caeterae cathedrales ecclesiae de iure vel consuetudine, vel alias, quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere quomodolibet in futurum apostolica aucto-

ritate praedicta tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Nova sedes nullius metropolitico iure subiecta declaratur.

§ 8. Eamdem vero episcopalem sedem sic erectam nullius metropolitico iuri volumus obnoxiam esse, aut suffraganeam, sed nobis ac successoribus nostris Romanis Pontificibus, ac huic Apostolicae Sedi perpetuo subiectam decernimus et declaramus: Episcopis autem novae huius Baltimorensis ecclesiae perpetuis quandocumque temporibus, denec alia nobis alios catholicos Episcopos in foederatis Americae provinciis deputandi sese offerat occasio, ac donec aliter per hanc Apostolicam Sedem fuerit dispositum, omnes christifideles catholica communione viventes tam ecclesiasticos quam saeculares, universumque clerum ac populum in praedictis foederatae Americae provinciis existentem, quamvis alteri cuiuscumque dioecesis Episcopo huc usque subiectus fuerit, eidem Episcopo Baltimorensi subiectam fore et esse nostra auctoritate decernimus et declaramus, cum facultate eidem futuro Episcopo eiusque successoribus contradictores quoscumque suisque mandatis inobedientes appellatione postposita compescendi, catholicas ecclesias vel per se, vel per alios ab ipso delegatos, visitandi, abusus tollendi, fidelium mores corrigendi, eaque omnia exercendi, quae iuxta canonicas sanctiones, Tridentini Concilij decreta et Apostolicae Sedis auctoritatem.

Confirmatio electionis novi Episcopi.

§ 9. Cum vero iuxta praemissa ex speciali gratia, et pro hac prima tantum vice, sacerdotibus in foederatae Americae provinciis animarum curam gerentibus indulserimus, ut personam eligerent a nobis in Episcopum praeficiendam, omniumque fere suffragia in presbyterum Ioannem Carroll collata fuerint, nos eiusdem fidem, prudentiam, pietatem ac zelum aliunde perspectum habentes, quoniam magna cum laude postremis hisce annis nostro mandato spirituali animarum regimini praefuit, eumdem propterea ex apostolicae potestatis plenitudine eiusdem Baltimorensis ecclesiae Episcopum et pastorem declaramus, creamus, praeficimus et constituimus, facultatem eidem impertientes, ut consecrationis munus a quocumque catholico Antistite Apostolicae Sedis communionem habente cum assistentia duorum ecclesiasticorum aliqua saltem dignitate fulgentium, quatenus duo Episcopi haberi non possint, praestito prius iuxta pontificale Romanum iuramento, munus consecrationis suscipere possit et valeat. Eidem vero sic electo Episcopo committimus, ut in praefata Baltimorensi civitate unam ecclesiam sibi benevisam ad formam cathedralis ecclesiae redigi faciat, et, prout temporum ac rerum ratio permiserit, aliquem sibi clerum instituat divino cultui et eiusdem ecclesiae servitio addictum, ac praeterea seminarium episcopale, vel in eadem civitate vel alibi, prout magis expedire iudicaverit, erigat, ecclesiasticos proventus administret, aliqua gerat pro catholicae fidei incremento, ipsiusque sic novae erectae cathedralis ecclesiae cultu et decore amplificando, prout magis in Domino expedire iudicaverit. Mandantes propterea eidem Episcopo, ut iussis S. Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum obtemperet, relationem visitationis ecclesiae debito tempore transmittat, eamque instructam reddat de iis omnibus, quae spiritualis sibi commissi gregis bono ac saluti noverit profutura.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 10. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VI. novembris MDCCLXXXIX., pontificatus nostri anno XV.

LXXXIV.

Instante congregatione Missionis eidem indulget, ut suos alumnos ad titulum mensae communis possit ad ordines promovere, non solum Hiberniae, verum et alibi.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Piis Christifidelium votis, quae ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstrantur, animo nos decet libenti congruum concedere suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Exponitur quae fuerit concessio facta a Bened. XIV. super promotione alumnorum ad ordines.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Felix Caylà superior generalis presbyterorum saecularium congregationis missionis, quod alias fel. rec. Benedictus PP. XIV. per suas in simili forma Brevis diei v. aprilis MDCCXLIV. expeditas literas ad preces tunc existentis superioris generalis eiusdem congregationis, ut non solum in regnis Hiberniae, Poloniae et Hungariae, ac in Moravia et Silesia ad vota eiusdem congregationis recipi et admitti, et successive ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum mensae communis clerici illi promoveri possent, qui aliunde non haberent titulum patrimonii vel ecclesiastici beneficii indulsit, sed praeterea, ut in iis domibus dictae congregationis aliorum regnorum etiam Italiae, quae alumnorum et clericorum penuria ita laborassent, ut solitis debitisque instituti sui ministeriis minime satisfacere, nec alios ex aliis eiusdem congregationis domibus in subsidium operarios habere possent, de licentia pro tempore existentis superioris generalis eiusdem congregationis, ac dummodo adhibitis prius omnibus necessariis et opportunis diligentiis evidens quantum coniectari liceret ob spectatam probatamque adolescentis recipiendi indolem atque doctrinam utilitas eidem congregationi missionis redundaret; aliqui clerici etiam sine patrimonio vel ecclesiastico beneficio recipi et admitti, et ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum mensae communis promoveri libere ac licite possent, pariter concessit, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis haberi volumus, uberius continetur.

Expostulatur sanatio promotionum factar. contra praescriptum in Benedictina constitutione.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in Portugalliae et Algarbiorum regnis pluribus de causis numerus alumnorum dictae congregationis adeo decreverit, ut ob maximam operariorum penuriam aliquos optimae indolis clericos etiam sine patrimonio aut beneficio ecclesiastico in eamdem congregationem admitti, atque ad titulum mensae communis ad sacros ordines promoveri necesse omnino fuerit, nihilominus cum ob conditiones a memoratis benedictinis literis volitas in nonnullis religio incesserit, ne id satis recte factum fuerit, quo scrupulum huiusmodi ex illorum animo evellatur, ac futuris temporibus provide consulatur, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur postulata sanatio et providetur futuris casibus per novam concessionem.

§ 4. Nos igitur pro paterna charitate et speciali affectu, quo congregationem missionis praedictam complectimur, memoratum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, illorum, qui iam in domibus Algarbiorum et Portugalliae regnorum ad titulum mensae communis admissi et ordinati sunt, admissionem et sacram ordinationem huiusmodi, quatenus opus sit, auctoritate apostolica tenore praesentium validamus et confirmamus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui hisce desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus. Insuper ut in domibus dictae congregationis missionis in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentibus, adolescentes, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos utiles in vinea Domini operarios fore, ad titulum mensae communis in eadem congregatione de licentia eiusdem moderni et pro tempore existentis superioris generalis dictae congregationis missionis recipi et admitti, atque ad omnes sacros etiam presbyteratus ordines sine patrimonio vel beneficio ecclesiastico a cuiusvis domus Ordinario, aut cum opportunis literis dimissorialibus a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, in propria dioecesi residente, vel in aliena de consensu dioecesani loci pontificalia exercente, si ad id alias idonei reperiantur, ad titulum mensae communis ipsius congregationis, servatis alias servandis, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministeriis libere ac licite ministrare possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et impertimur.

Conditio adiecta novae concessioni.

§ 5. Ita tamen, ut, si aliquando contingat, ut ad praedictos sacros ordines ad huiusmodi mensae communis titulum promoti dimittantur vel recedant a dicta congregatione, etiam praevia legitima votorum in ea emissorum dissolutione ad formam literarum apostolicarum in simili forma brevis diei XVIII. decembris MDCCXLII. ab eodem Benedicto PP. XIV. concessarum, ipsi eo ipso remaneant suspensi ab exercitio suorum ordinum, donec constare faciant Ordinariis locorum, sub quorum iurisdictione fuerint, se aliunde commode vivere posse, nec proinde saepedictam congregationem missionis eiusque superiores a die dimissionis seu recessus cuiuslibet clerici seu presbyteri ita, ut praefertur, sine patrimonio vel beneficio ecclesiastico ad titulum mensae communis initiati teneri, nec obligatam esse ad ullam subministrationem sive congruae substentationis, sive alimentorum, sive alio quocumque titulo et causa illis faciendam, statuimus et declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictae congregationis, illiusque domorum, et aliis quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXII. ianuarii MDCCXC., pontificatus nostri anno XV.

LXXXV.

Plenarias concedit indulgentias assequendas a religiosis ordinis patrum Capuccinorum mittendis ad sacras missiones.

PIUS PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos pro sua in Deum ac proximos charitate, et christianae religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus, quo in genere cum ordinis fratrum minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum religiosos habeamus, eosque in primis, quos dilecti filii eorumdem fratrum superiores ob hanc causam hoc ipso et consequentibus annis in diversas christianae reipublicae provincias mittere constituerunt:

Ratio concessionis, illiusque tenor.

§ 2. Nos sane eorumdem religiosorum pietatem ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem et devotionem spiritualibus gratiis confovere atque augere volentes, supplicationibus dilecti filii Tyburtii a Iusseio nuncupati procuratoris et commissarii generalis eiusdem ordi-

nis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piam superiorum praedictorum deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere cupientes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis religiosis dicti ordinis ad missiones in quibusvis locis de Ordinariorum licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt missionarii Congregationis de Propaganda Fide), et aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impertimur; nec non eisdem vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione et haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam et animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migrarunt, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino auctoritate apostolica, tenore praesentium, una vice dumtaxat, pro unaquaque missione de Ordinariorum locorum licentia respective facienda, concedimus et elargimur.

Monitum ad Ordinarios.

§ 3. Hortantes venerabiles fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, et alios ecclesiarum Dei praelatos et rectores, ac verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes literas, ac omnia in eis contenta publicent et publicari faciant, ac omnem eisdem religiosis favorem et auxilium in praemissis praestent. Praesentibus ad septennium tamen valituris.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, seu procuratoris generalis dicti ordinis obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. febr. MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

LXXXVI.

Reprobat tribunal ab Archiepiscopo Coloniensi S. R. I. electore efformatum, detrahens supremam S. Sedis et apostolicae nunciaturae auctoritatem.

Venerabili fratri Maximiliano Francisco Archiepiscopo Coloniensi et Episcopo Monasteriensi S. R. I. Principi electori.

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Postquam responsio nostra super nunciaturis apostolicis fuit ad te et ad alios Metropolitanos collegas tuos missa et typis etiam vulgata, intelleximus praeter omnem expectationem, ven. frater, posse nostra quaedam dicta super tuo officialatus tribunali aliorsum accipi, atque a nobis dicta sunt, et videri quibusdam posse ea saltem scripta a nobis fuisse aut minus accurate, aut minus vere. Equidem quae nos de tribunali isto tuo affirmavimus, ea diximus ordinationem illam tuam secuti, quam germanico sermone conscriptam edidisti tu die XXIII. novembris MDCCLXXXVII., quae subinde prodiit in vulgus die XXXI. decembris eiusdem anni, quamque in linguam latinam conversam nos a doctis et honestis viris accepimus, quos utpote in Germania natos minime fugere ac latere poterant germanicae linguae vis et loquendi formulae, nisi nova haec lex satis per se obscura esset, et quibusdam quasi involucris tecta delitesceret, ita ut viri ipsi, quibus huiusmodi tribunal apprime cognitum est atque perspectum, huiusce legis confusionem causentur, et ad ipsam intelligendam, eiusque retrusos atque abditos sensus deprehendendos non parum se adlaborasse conquerantur. Nostra sane dicta, in quae potest dubiae intelligentiae metus cadere, non ea sunt, ut rei naturam immutent, de qua fuse egimus capite V. nostrae responsionis. Nostri tamen candor animi minime patitur, ut vel parumper differamus rem ipsam declarare atque illustrare; nobisque erit curae, ut, quae modo aggredimur explicanda, ea tum ad tuos collegas, tum ad eos omnes perveniant, ad quorum manus potuit responsio nostra deferri, ne quis veritatem ipsam ignoret, et ne, sublata malitiosis ho-

(1) Vide lit. h. Pont. *Retulit nobis — Postquam responsio — Obsequentes illi.*

minibus quacumque calumniandi occasione, quis inveniatur, cui nostrarum querelarum iustitia non pateat atque innotescat.

§ 2. Dicet fortasse aliquis, nos capite III., § 4, c. V., §§ 11, 14, c. VI., § 60 minus recte affirmasse, tribunal officialatus novum esse tribunal, ad commissionem cognitionemque causarum nunciaturae Sedique Apostolicae auferendam non prius institutum, quam tibi fuit mandatum generale denegatum, quod in iudices pro-synodales per te nominatos conferri a nobis optabas. Quandoquidem multos ante annos aderat iam archiepiscopale officialatus tribunal, quod iam inde a suae institutionis exordio non ex officiali tantum, sed ex pluribus assessoribus coalescebat partim laicis, partim ecclesiasticis, quodque ad instar tribunalis mixti tam causas civiles cognoscebat electoralis principatus ex quadam unionis Rhenanae constitutione, quam causas ecclesiasticas tum dioecesis Coloniensis, tum dioecesum suffraganearum.

§ 3. Verum si haec nobis opponantur, facili aeque et perspicua poterunt responsione refelli. Antiqua enim tribunalis huius institutio satis minime est ad eam dispellendam novitatem, quam tu, e spe deiectus impetrandi mandati generalis, in idem tribunal recenter intulisti communi illo decreto diei XII. ianuarii MDCCLXXXVI., et illa ordinatione diei XXIII. novembris MDCCLXXXVII. Quinimo si nuda et simplex instituatur comparatio inter antiquum et praesentem tribunalis statum, inter facultates primitus datas et recentius adiunctas, inter curriculum illud iudiciorum, quod ecclesiasticae causae olim percurrebant, quodque hodie emetiuntur, quilibet sibi persuadebit, iure ac merito novum fuisse a nobis appellatum hoc officialatus tribunal in prima et secunda instantia, de quibus illud agit, et pro nova pariter fuisse habitam a nobis aliam iudicum commissariorum institutionem, abs te in gradu revisionis delegandorum pro tertia et ultima instantia.

§ 4. Inficias it nemo, extitisse olim Coloniae tribunal archiepiscopale officialatus: sed tunc unus ecclesiasticus officialis iudicium ferebat; caeteri enim omnes assessorum locum tenebant cum voto consultivo. Huic autem tribunali una tantum instantia erat tam in causis civilibus eorum, qui electoris ditioni subdebantur, quam in causis ecclesiasticis dioecesis Coloniensis, aliarumque dioecesum suffraganearum, ita ut qui a sententiis ecclesiasticis huiusce archiepiscopalis tribunalis provocabat, nonnisi ad Nuncium aut ad Apostolicam Sedem provocaret. Placuit electori Maximiliano Friderico, tamquam loci principi, sub annum MDCCLXVI. iudiciorum formam aliquantisper immutare quoad causas civiles et profanas, iussumque ab eo fuit, ut per officialem causae huiusmodi in prima instantia uni ex assessoribus committerentur, utque a sententia huius assessoris delegati quivis posset ad officialem ipsum delegantem appellare. Sed neque Maximilianus Fridericus elector, neque ullus ex suis decessoribus cogitavit unquam de iudiciorum forma in causis ecclesiasticis immutanda, aut novis commissionibus invectis, aut multiplicatis instantiis. Minime enim ipsi ignorabant, suum ipsorum tribunal, tam si auctoritate ordinaria uteretur in causis ecclesiasticis dioecesanorum primae instantiae, quam si auctoritatem metropoliticam exerceret in causis iisdem, a suis suffraganeis iam definitis, unam tantum instantiam habere iuxta canones posse; hac enim una instantia absoluta, sciebant, ecclesiasticas causas ad iudicem superiorem, idest ad Pontificem Summum, deferri omnino oportere.

§ 5. Hinc nihil fuit unquam adeo certum, et huiuscemet tribunalis officialatus observantia firmatum, quam — officialem eiusdem curiae in causis ecclesiasticis in prima instantia commissionem nunquam decernere, multo minus easdem, si appelletur, post decisionem a se factam, vel ipsum serenissimum Archiepiscopum Coloniensem dominum nostrum clementissimum committere, sed easdem indistinctim omnes in gradu appellationis vel ad S. Sedem Apostolicam, vel ad sacram nuntiaturam Coloniensem libere, et absque ullo impedimento, constanter devolvi —, veluti anno MDCCLVII. testati locupletissime sunt procuratores et notarii ipsius curiae archiepiscopalis, quorum verba in nostra responsione iam dedimus cap. VI., § 57.

§ 6. Pristinus itaque huiusce tribunalis status erat Ecclesiae legi et facultatibus tum ordinariis, tum metropoliticis, consentaneus; nihilque prorsus detrahebat de suprema S. Sedis et Apostolicae Nunciaturae auctoritate. Sed ab illo praesens tribunalis status quammaxime differt; semel ac tu ordinatione illa tua praeter nova monitoria, praeter novam cancellariam, et alia, quae immutatam rei formam ostendunt, ad multiplicandas instantias iussisti sine ullo

rerum discrimine, ut in omnibus etiam ecclesiasticis causis per officialem prima committatur instantia uni, aut pluribus assessoribus [tit. II., § 8, tit. XII., § 41], utque ab assessoris aut assessorum sententia ad officialem ipsum appelletur [tit. VII., § 45], reducto fatali ad appellandum pro causis ecclesiasticis ad duos menses dumtaxat, tametsi pro civilibus causis trium mensium spatium, veluti usu receptum erat, ad appellandum relinquatur [tit. XIV., § 60]. Nec satis hoc: sed iussisti etiam, ut officialis in secunda instantia sententiam ferat una cum assessoribus laicis et ecclesiasticis, invecto in hunc modum novo prorsus et inaudito iudicio, et tributo assessoribus etiam laicis voto decisivo [tit. I., § 4, tit. VII., §§ 14, 16].

§ 7. Nequit profecto dubitari de huiusce novitate iudicii, ad quod instituendum et soliti temporis spatium oportuit coerceri, et instantias augeri, et personas iudicio ferendo impares illegitima auctoritate donari. Quandoquidem ordinatio ipsa tua certos nos facit, iudicium huiusmodi invectum abs te tamquam quid novum fuisse, quod suum peteret ab ipsa die ordinationis initium. En verba tua latine reddita — pro hac (secunda) instantia inde ab hoc tempore iudicium formatum clementissime introducere volumus — [tit. VI., § 13]. Quinimo ulterius etiam progressus tua ordinatione iussisti, ut — a sententiis in secunda instantia latis nulla ulterior appellatio, quam ad revisionem locum habeat — [cit. § 13], sublata e medio tertia appellatione, quam ômnes leges permittunt, ut in nostra responsione demonstravimus [cap. V., § 19], novoque invecto revisionis iudicio iuxta decretum commune diei XII. ianuarii MDCCLXXXVI. — Quantum ad instantiam revisionis (ita pergit huiusmodi ordinatio tit. XIV., § 64) in causis ecclesiasticis servabitur interim quae sub XII. ianuarii MDCCLXXXVI. per decretum commune publicâta fuit clementissima ordinatio. —

§ 8. Atque hoc loco animadvertendum est, te huiusmodi decretum commune tunc edidisse, cum, negato tibi mandato generali, minitatus iam fueras Apostolico Nuncio — che i giudici sinodali sarebbero entrati in pieno esercizio delle loro cariche, perchè non essendo obbligato secondo il Concilio di Trento, che di proporli, ed avendoli proposti, nè avendo il Pontefice data alcuna opposizione alle loro persone, erano dunque atti a giudicare in nome suo le cause di appello —, quemadmodum datis ad nos litteris die XVIII. sept. MDCCLXXXV. Nuncius noster significavit. Quod quidem minarum genus adhibuit quoque Baro de Waldenfels minister tuus, ubi sub initium novembris eiusdem anni MDCCLXXXV. nostrum Nuncium allocutus aperte declaravit, — che avrebbero i giudici (synodales) potuto decretare con l'autorità arcivescovile —, veluti idem Nuncius nobis retulit aliis suis litteris diei XIII. eiusdem mensis novembris.

§ 9. Non destitit Nuncius et voce et scripto tibi ministroque tuo suadere, a Concilio Tridentino non postulari modo, ut iudices synodales designentur et Pontifici Summo exhibeantur, sed ut iudices isti designati et approbati nequeant causam ullam cognoscere ac definire, nisi illis commissione delata a Sede Apostolica, aut a quolibet Legato vel Nuncio: qua in re decretum quoque Concilii Basileensis sess. 31 de Causis est Concilii Tridentini sanctioni consentaneum. Instauravit Nuncius sua apud te studia et officia, ut te de sententia deduceret, et ex illegitimo huiusmodi facultatum usu revocaret, missis ad te, tunc Vindobonae commorantem, nostris in forma brevis litteris, datis die XXIV. septembris MDCCLXXXV., quibus peculiarem epistolam suam adiungendam putavit, te etiam atque etiam rogans — a non venire alla minacciata risoluzione di fare entrare in pieno esercizio i detti giudici (synodales) con formal tribunale, e cognizione delle cause. È impossibile, che il Santo Padre vi dia il suo consenso, ed è impossibile di supporlo dalla legge Tridentina, e dalla bolla di Benedetto XIV..... La di lei religione non permetterà certamente, che si tolghino a Roma di fatto nella sua diocesi quelle appellazioni, che ha sempre posseduto. —

§ 10. Officiis a Nuncio saepius adhibitis accesserunt et nostra. Nos enim de huiusmodi minis certiores effecti scripsimus ad te alias litteras in forma brevis datas die VIII. octobris eiusdem anni MDCCLXXXV., te ipsum enixe rogantes, ut ab omni novitate abstineres, illudque etiam abs te volumus — animadverti, quod hi iudices pro-synodales, etsi una fraternitatis tuae nominatione suffulti causarum cognitioni operam darent, apostolica tamen delegatione destituerentur; ac proinde perturbationem potius, quam legitimam iuris tuitionem eorum responsa inducerent. —

§ 11. Tu vero officia, atque incitamenta Nuncii et hortamenta etiam nostra pariter frustratus es. Aliorum enim deceptus insidiis, nullo responso binis nostris litteris dato, id quod fueras minitatus, efficere minime dubitasti, nova per te ipsum in iudices pro-synodales auctoritate collata, et in lucem edito communi decreto diei XII. ianuarii MDCCLXXXVI., et ordinatione diei XXIII. novembris MDCCLXXXVII. Tunc enim pro extincto habens tribunal nunciaturae, affirmansque, non posse amplius ex illo obtineri appellationes — a sententiis nostris definitivis, aut decretis vim definitivae habentibus in prima vel ulteriori instantia —, procuratoribus et advocatis praecepisti, ut — commissionem revisionis immediate petant a serenitate sua —, a qua commissarii delegarentur. Qui quidem commissarii non alii erant, quam ii, quos tu nobis in iudices pro-synodales designaveras, et approbandos exhibueras epistola tua ad nos data die XVIII. maii anni MDCCLXXXV. Ex septem enim illis viris, quos nobis iam exhibueras approbandos, selegisti primo in officialem et in caput officialatus tribunalis canonicum Iosephum de Herrestorff, et destinasti in assessores ipsius tribunalis Ioannem Matthiam Mayer et Hermannum Iosephum Zaaren, et nominasti in commissarios revisionis alios quatuor, canonicum Mariam de Merle, Iacobum Guidonem Schaaff, Ioannem Michaelem Dumont et Balduinum Neesen. Praecepisti etiam, ut caput horum commissariorum, et huius tribunalis revisorii esset idem canonicus de Merle, hoc iudiciorum ordine praestituto, ut, cum ad te provocatur in ecclesiasticis causis post duas sententias, a tribunali officialatus editas, tu causarum huiusmodi canonico de Merle, tamquam commissariorum capiti, revisionem deleges, adiunctis eidem duobus ex tribus iudicibus pro-synodalibus, quos pariter commissarios appellas. Qui quidem si omnes simul unum ferunt iudicium, tunc omnes simul decernunt atque pronunciant; si vero in iudicio ferendo differunt inter se, tunc causa pro eo absolvitur, ad quem canonici de Merle, uti capitis, suffragium accedit: caeterum tam si horum suffragia in unum conveniant, quam si unus ab altero dissentiat, sententiae et decreta unius capitis nomen praeseferunt.

§ 12. Quae cum ita sint, nemo de nobis conqueri iure poterit, si novum vocavimus tam tribunal officialatus, quam iudicium revisorium seu commissariorum, iudicumque pro-synodalium tribunal. Si enim de tribunali officialatus res est, tales ac tantae sunt variationes per novam tuam ordinationem illuc invectae, quas singillatim memoravimus supra, ut, te ipso fatente, novitatem praeseferant numeris omnibus absolutam. Si vero de iudicio revisorio, deque commissariorum tribunali agitur, multo sane evidentius illius novitas incurrit in oculos; cum certo constet, illud ante hoc tempus extitisse nunquam, tuaque auctoritate fuisse a te nuper, nobis dissentientibus, institutum, ut per te scilicet illud efficeres, quod per nos impetrare nequiveras; veluti testatam rem faciunt iactatae in antecessum minae, et ea quae minas sunt consecuta, et iudices ipsi pro-synodales, quos, novo vocabulo superinducto, commissariorum nomine appellasti. Ex quo fit, ut tuus ipse administer Baro de Waldenfels, novi huius tribunalis institutionem Leodiensi officiali significaturus, nequiverit rem ipsam, quae satis per se patebat, occulere, adeoque datis eidem litteris die II. aprilis anni MDCCLXXXVIII. dilucide declaraverit — C'est dans cette vue salutaire, et pour éviter, que les parties, privées depuis l'abolition de la iurisdiction des nonciatures en Allemagne, d'une troisième et dernière instance, ne fussent obligées de recourir, des jugemens de l'official metropolitain, en cour de Rome, que S. A. S. E. a pourvu à l'établissement de juges synodaux, à l'effet de juger en dernier ressort les causes ecclésiastiques, tant de l'archeveché que des diocèses dépendans, tels que celui de Liege et les autres. —

§ 13. Quanto itaque magis perspicua est rei novitas, patefacta modo per nos utriusque tribunalis distinctione, tanto clarius elucet nostrarum querelarum adversus utrumque iustitia. Tu enim tribunali officialatus immutato, et altera instantia ei attributa, novoque ex integro iudicio revisorio constituto, id éffecisti, ut nunciaturam et Apostolicam Sedem exueres iure committendi cognoscendique causas, legibusque ecclesiasticis imperiique pessumdatis, tibi uni arrogandas putares tres sententias in causis tuorum dioecesanorum, primam scilicet, quam ferunt assessor vel assessores ab officiali delegati, secundam, quae praefertur in pleno officialatus tribunali, tertiam, quam iudices synodales sive commissarii dicunt in gradu revisionis a te deputandi; duas autem in causis dioecesum suffraganearum, unam in gradu appellatio-

nis et alteram in gradu revisionis. Quocirca si nos spe freti, fore, ut condignam tu nobis satisfactionem praeberes, diximus in nostra responsione cap. V., § 22, in aliud tempus differre nos rescissionem abolitionemque istius tui tribunalis cum omnibus actis, quae postea sunt consecuta, id intellectum volumus de rescissione atque abolitione novarum officialatus facultatum novique revisorii iudicii.

§ 14. Levioris momenti esset, si quisquam adiungeret, quod nos cit. cap. V., §§ 18 et 20, de officialatus tribunali affirmavimus, quasi iudices huius tribunalis cum aliis concurrerent inferioribus iudicibus in causis etiam ecclesiasticis tuae tuorumque suffraganeorum dioecesis: cum constare contendatur e contra, id de solis electoratus tui civilibus causis esse dicendum. Ut enim in hanc opinionem veniremus, fecit ipsa ordinatio tua, cuius verba ita late patent, ut nullum discrimen adhibeant inter civiles et ecclesiasticas causas, utque ex ipsa indigenarum auctorum sententia distingui intelligique nequeant ea, quae a te pro tam diversarum causarum genere sunt constituta. Eo vel magis, quia contineri explicite videbantur ordinatione tua ecclesiasticae causae magis privilegiatae, quales sunt eae, in quibus de ecclesiasticorum criminibus agitur, his praesertim verbis tit. XVI., § 73 — quantum ad cognitionem super delictis ecclesiasticorum servabitur, quae hactenus in usu fuit, concurrentia cum decanis capitulorum et ruralibus. —

§ 15. Caeterum, si ecclesiasticae causae dioecesis tuae tuorumque suffraganeorum nihil habent cum hac, de qua agimus, concurrentia commune, nos nihil veritati derogatum volumus. Verum utcumque res se habeat, si licitum est tibi tamquam principi loci, tuoque supremo tribunali, te ipsum referenti, concurrere cum iudicibus inferioribus in civilibus causis primae instantiae, multo potiori iure licitum erit S. Sedi, quae supremus est omnium iudex, et Apostolico Nuncio, qui vicario illius munere fungitur, in causis ecclesiasticis concurrere tecum cumque tuo tribunali, quod metropoliticam auctoritatem uni S. Sedi referre debet acceptam.

§ 16. Ut probaremus, prohibuisse te, secunda instantia absoluta, quamcumque appellationem, usi equidem sumus responsionis nostrae cap. V., § 16, ea iuramenti formula, quo secundae instantiae assessores adstringebantur. Haec enim iuxta latinam versionem ad nos missam assessores adigebat ad promittendum, — ut propter aliquam in officialatus tribunali pendentem, vel decisam, causam a quoquam vel minimum quocumque modo appellari possit —, omisso penitus, aut interpretis defectu aut scriptoris incuria, vocabulo accepturum vel minimum. Haec porro omissio in causa fuit, cur ex verbis huiusmodi coniiceremus, te ulteriores appellationes vetasse; licet revera de ista omissione subinde admoniti vidimus, abs te hoc loco assessores prohiberi tantummodo, quominus quicquam dono accipiant vel minimum, quocumque modo appellari possit. Sed hoc nihil demit de nostrarum querelarum veritate: si enim hoc loco prohibita minime est post secundam instantiam appellatio, prohibita quidem illa explicite est in ordinatione tit. VI., § 13, ut in eodem cap. V. nostrae responsionis advertimus § 16.

§ 17. Haec declaranda erant quoad officialatus tribunal et revisionis iudicium, missis quibusdam aliis levioris momenti, quae emendata propediem in nova editione prodibunt. Nunc autem postquam nos animi nostri candori et bonae fidei satisfecimus, molestum tibi ne sit, ven. frater, ex iniuncti nobis ministerii debito paterna charitate indicium tibi fieri de iis, quae certis auctoribus ad aures nostras modo pervenerunt. Nobis enim relatum fuit, te adhuc in abusu perstare eas concedendi dispensationes, quae tuam excedunt facultatem: ex quo fit, ut scandala in ecclesia et in republica magis augeantur.

§ 18. Illud praeterea non sine immenso animi dolore intelleximus, in tua Bonnensi universitate pessimae notae doctrinas tradi atque defendi, quae similiter scandalum pariunt subditis tuis bonisque omnibus, quaeque insuper populos in errorem coniiciunt, iisdemque spirituale generant detrimentum. Qua quidem in re ipsemet docuit eventus, quam prudens rectumque fuerit consilium a nobis susceptum, dum assensum nostrum vel ab initio a te requisitum pro pensitatione annui subsidii, a monasteriis dioecesis huic universitati praestandi, praebere renuimus; illud inter alia momenta recensentes in similibus litteris nostris die XXX. mensis aug. an. MDCCLXXXIII. ad te datis — isthic florere apud te audimus Hedderich illum, cuius eiusmodi quaedam sententiae thesesque pervulgatae sunt, ut facile intelligi valeat, plurimam inferri labem adolescentibus ab eo posse, ut multo

potius esset magisterio illos carere, quam talibus imbui disciplinis. Hinc agnoscis, approbari nobis nullo modo posse academiam ullam, in qua vel canonicum ius, vel aliam scientiam quamlibet ille profiteatur —. Nam et Hedderichius, et Spiegelius, et Spitzius, et Weimerus, et Froitzheimius, et P. Thaddaeus, et Schneiderus, aliique in eadem universitate magistri tantum attulere scandalum novis suis falsisque dogmatibus, ut opusculum cui titulus — Parallelismi inter Lovaniensium Bonnensiumque doctorum sententias specimen primum in bonum religionis catholicae a Theodulpho Iosepho van den Elsken, clerico Iuliacensi nepote patruo suo scriptum. Dusseldorpii apud Petrum Hauffman MDCCXC. —, nos ad eorumdem dogmatum proscriptionem impellat. Nos equidem horum omnium scripta ad trutinam revocabimus, adhibito etiam ad id consilio congregationis iam deputatae, de qua in praecedenti responsione nostra cap. VIII., § 14, verba fecimus. Verum tu quoque, ven. frater, in partem nostrarum sollicitudinum vocatus, et modo per nos etiam huiusce mali certior factus, ad tantam perniciem a tua dioecesi avertendam arma virtutis attinge, nosque retrahe ab usu efficacioris remedii, quod aegre quidem, sed ex apostolici muneris ratione nobis adhibendum foret, ut oves a mortifero ac veneno huiusmodi infectis pascuis retrahamus.

§ 19. Profecto quam de te, ven. frater, magnam animo concepimus fiduciam, ea nobis pollicetur fore, ut repente effraenis isthaec licentia coerceretur, totque alia gravissima damna cessarent, si membra illustriora proprio capiti adhaererent ea subiectione, quam hierarchicus ordo divinitus institutus exposcit. Nemini aeque ac nobis cordi est pax et concordia; dummodo sub concordiae specie assensus noster pro apostolicarum nunciaturarum abolitione, proque aliorum primatus iurium subversione non expetatur. Nos illaesa servavimus, ac perpetuo servabimus Metropolitanorum iura; ideoque tibi illud iterum iterumque affirmamus, quod tibi ipsi aliisque collegis tuis professi iam fuimus, scilicet ut, siqui abusus, nobis inscientibus, revera irrepserint in iura metropolitica, confidenter nobis exponas: hos enim cognitos diligenter curabimus de medio tolli sine mora, tibique in iis omnibus, quae aequitati nitantur, gratificari. Habes, ven. frater, ingenuos animi nostri sensus, quos a iusto quolibet rerum aestimatore probatum iri confidimus, utpote qui iura tua et caeterorum Metropolitanorum illaesa servantes, id a te et ab aliis Metropolitanis exposcunt, ut pari iustitia serventur et nostra. Hoc eximia tua collegarumque tuorum religione freti speramus futurum: atque interim in paterni amoris nostri pignus tibi, ven. frater, tuaeque curae concreditis ovibus apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV. martii MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

LXXXVII.

Decanum et capitulum cathedralis Coloniensis laudat quod nullam habuerint partem in errorum diffusione contra apostolicas nunciaturas, et quid ab eis sit agendum tradit ad pacem et tranquillitatem restituendam (1).

Dilectis filiis decano et capitulo cathedralis ecclesiae Coloniensis,

PIUS PP. VI.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Obsequentes illi in nos et in Apostolicam Sedem vestri animi sensus, quos vestrae literae ad nos datae XIII. kalendas huius mensis martii (2) praeseferunt, quos- Laudes capituli.

---

(1) Vide supra lit. *Retulit nobis — Deesse apostolico.*

(2) En harum exemplum: – Beatissime Pater. Devotio nostra submississima, qua erga Sanctitatem vestram sanctamque Sedem Apostolicam continuo ferimur, aeque ac nostrae intentionis solertia pro publico Ecclesiae Coloniensis bono ex nostris et antecessorum nostrorum gestis undique innotescit.

Cum nunc dicta Ecclesia Coloniensis, quae ut omnium dignior est, in maiori discrimine versetur, si perpendatur declaratio per serenissimum principem electorem Palatino-Bavaricum occasione modernorum dissidiorum super nunciaturis pontificiis cum nostro non exiguo moerore, et nullam faciendo partem subversantium in publico ordinum imperii congressu facta, qualiter nempe altefatus princeps elector dismembrationem suarum subiectarum provinciarum ab archiepiscopatibus mediante institutione novarum ecclesiarum episcopalium procurare intendat, quod ipsum autem archidioecesi et Ecclesiae Coloniensi respectu binorum eidem huc usque subordinatorum ducatuum Iuliacensis et Montiensis summopere nocivum, plenumque periculis ac insuper pessimae consequentiae foret, nostrumque dolorem de antedictis dissidiis augere deberet, quae tamen ut per amicabilem

que vos dicitis ex vestris et antecessorum vestrorum gestis repetendos, magnae nobis, ut et decessoribus nostris, semper consolationi fuerunt, et effecerunt, ut nos pariterque decessores nostri acceptam caramque habuerimus ecclesiam vestram, eiusque alumnos et filios honore affecerimus, et omni cumulaverimus benevolentiae ac studii significatione. Hinc facere omnino non possumus, quin digna commendatione vos prosequamur, quod aperte nobis declaratis, nullam vos partem habuisse in tanto turbarum aestu, qui nuper in apostolicas nunciaturas efferbuit, imo turbas huiusmodi et excitatas et nimis diu fotas fuisse cum vestro non exiguo moerore. Haec enim collegii vestri adeo eximii significatio quemadmodum certos nos facit, non sine calumnia pluribus in libris in vulgus editis iactitatum fuisse, nostram istam nunciaturam maximum sibi odium conflasse, perinde ac si omnem solitarum facultatum excesserit modum, ita spem fovet nostram, fore, ut nihil boni a vobis, qui tam bono animo estis, expectari non possit.

Laudantur ex quo curaverint avertere divisionem ducatuum Iuliacensis et Montiensis.

§ 2. Vestrae sane curae ac sollicitudines, propter quas ad nos fidenter confugitis, quo e vestra ista dioecesi divisionem illam arceatis ducatuum Iuliacensis et Montiensis, quam dilectissimus in Christo filius noster elector palatinus loci princeps minitatur, ut felicem optatumque exitum habeant, vos, et venerabilis frater, vester Archiepiscopus, elector potestis melius efficere, quam nos ipsi. Et re quidem vera minime vos latent gravissimae illae causae, quibus permotus elector palatinus dux Bavariae non vestrae tantum, sed aliis etiam metropolitanorum ecclesiis est divisionem huiusmodi minitatus, utpote quae satis enucleate in commentario explicantur, quod ipse ad omnes suffragantes comitiorum circumferri iussit, quodque vos etiam vestris in literis commemoratis.

Explicantur incommoda, quae ob divisionem huiusmodi obvenirent.

§ 3. Harum prima est contradictio, quae non sine omnium bonorum offensione excitata nuper est adversus non Monachiensem modo, sed alias etiam Germaniae nunciaturas in gravissimum Apostolicae Sedis et temporarii quoque principatus detrimentum. Altera est violatio praecipuorum iurium ex primatu manantium et divinitus nobis concreditorum, suprema in nos iurisdictione et potestate collata, tam super agnos quam super oves, seu, quod in idem recidit, super populos aeque ac super pastores oecumenicae ecclesiae; quae iura nos ipsi exercuimus, quibus decessores nostri semper usi sunt, quaeque imperii leges et concordata ipsa agnoscunt ac reverentur. Altera versatur super iis, quae a Metropolitanis in Episcoporum et Sanctae etiam Sedis damnum perpetrantur adversus iura appellationum, et illarum praesertim dispensationum, quae ab oecumenica Ecclesia uni Romano Pontifici adiudicantur; unde familiarum pax et tranquillitas prorsus evertitur: quo in loco doctrinae etiam genus animadvertitur novum, atque insolens et errore plenum, quod praedicari tradique coeptum est. Postrema gravissimas querelas complectitur, quod ultro ac passim exhibeatur cuilibet religiosae libertatis studium fallax, deceptionis et periculi plenum; quod hanc ipsam ob rem domestica regionum quies in discrimen vocetur; quodque luctuosissima discordiarum semina inter supremum Ecclesiae caput et Episcopos, inter Episcopos et principes, inter principes et populos eisdem subiectos serantur in vulgus.

Idem ut supra.

§ 4. Haec porro rationum momenta, ex perversis praesertim dogmatibus deprompta, si locum habent quoad dioeceses ele-

---

compositionem terminarentur, nostrum assiduum votum est, et huc usque fuit, quem in finem quoque serenissimum Archiepiscopum et electorem nostrum repetitis vicibus enixe implorare non intermisimus; ast benevolae eius voluntati alteram Sanctae Sedis in hac via amicabili plane obstare in responsum accepimus.

Hinc quamvis dubitare non possimus, Sanctitatis Vestrae mentem minime esse ad praememoratum desiderium Palatino-Bavaricum sese inclinatum renunciare, potissimum ob multas et graves difficultates, quae nullum videntur relinquere locum huic desiderio satisfaciendi; nihilominus iuxta zelum nostrum erga ecclesiam, et pro praevertendis quibuscumque impressionibus contrariis, Sanctitatem Vestram hisce ferventissime obsecramus, ut archidioecesim et Ecclesiam Coloniensem ab eiusdem summopere perniciosa et periculosa divisione salvam et liberam conservare, aut in eventum, quo opus fuerit, atque divisionis concessio penes Sanctam Sedem serio urgeretur, nobis benignissime indulgere dignetur, ut gravissima incommoda, pericula et dispendia, quae in ecclesiam huiusmodi totamque archidioecesim ex saepedicta divisione, seu dismembratione, necessario redundare debent, deinceps plenius exponere et demonstrare audeamus.

In cuius submississima fiducia beatissimos pedes devotissime exosculamur, et paterni affectus erga nos ecclesiamque Coloniensem continuationem humillime precamur, semper permanentes

Sanctitatis Vestrae

Coloniae XVII. februarii MDCCXC.

Devotissimi et humillimi
Decanus et Capitulum Ecclesiae
Metropolitanae Coloniensis.

ctoris Moguntini et Archiepiscopi Salisburgensis, quorum scripta quaedam iussu nostro examen subibunt particularis congregationis, ut in nostra responsione declaravimus super nunciaturis, cap. VIII., § 14, et cap. IX., § 7, suum aeque sibi vindicant locum in vestra ista dioecesi. Nota enim vobis est Archiepiscopi vestri pastoralis epistola die IV. februarii MDCCLXXXVII. quam pariter examini particularis congregationis subiecimus; multoque magis nota sunt vobis ea doctrinarum portenta ac monstra, quae ab Hedderichio, Spiegelio, Weimero, Frotzheimio, P. Thaddeo, Schneidero, aliisque professoribus traduntur in Bonnensi universitate, quam ab ipso suae institutionis initio improbatam a nobis fuisse nostrae literae ostendunt ad vestrum Archiepiscopum datae die XXX. augusti MDCCLXXXIII. In cuius quidem universitatis inauguratione Spiegelius et Hedderichius eo etiam devenerunt, ut commendatione dignam putarent eam reformationis ecclesiasticae normam, quam Bucerus et Melancton invenerant, quam compertum est doctrinae Lutheri esse consentaneam, quamque Hermannus de Weida Archiepiscopus canonicis sui capituli exhibuit, ut in proxima synodo in illam, tamquam in speculum, intuerentur, et exemplum sibi sumerent ad imitandum.

Idem ut supra.

§ 5. Nos equidem eiusdem congregationis subiiciemus examini istorum etiam professorum libros et scripta, nuper ad nostras manus delata. Sed vos interim, dilecti filii, hanc, quaeso, veritatem perpendite, deque illa vos ipsi pro vestri candore animi iudicate. Si e medio tollentur huiusmodi causae, quas memoravimus supra, idest, si Nunciorum agnoscetur auctoritas, si apostolicorum iurium violatio cessabit, si dogmata proscribentur, quae tantam inferunt ecclesiae et reipublicae labem, si professores, quorum adeo sublesta fides est, aut arcebuntur aut suos errores eiurabunt, nihil vobis erit, quod metuatis, et res in vado videtur esse. Quandoquidem ipse palatinus elector satis aperte suis scriptis declaravit, se non amplius novam, quam modo meditatur animo, curaturum dioecesum divisionem, ubi ea, quae modo deflet, incommoda et mala quam longissime e sua ditione emandentur; nosque semper sperare possemus futurum, ut princeps adeo religiosus et iustus novitatem moliri desinat, cessantibus causis, quae animum ipsius ad ea nova consilia induxerant.

Idem ut supra.

§ 6. Verum, si contra spem omnem expectationemque nostram minime exulabunt hae causae tum e dioecesi vestra, tum e dioecesibus aliorum Archiepiscoporum, si bellum adeo iniustum et vehemens fieri perget adversus apostolica iura, si corrupta et falsa Emsensis conventiculi dogmata defendendá suscipientur, si denique idem fiet de Hedderichii doctrinis, cuius libri novo praelo cudendi in ista civitate parantur ita, ut homines ad illos coemendos alliciantur, nemo vestrum persuadebit sibi, negari per nos minime posse ex officio apostolici nostri ministerii hanc, de qua loquimur, vestrae aliorumque archiepiscoporum dioecesis divisionem; cum illa petat flagitetque a nobis vir princeps, iustis et canonicis causis subnixus, ut pura servetur in sua ditione religio, ut debito obsequio Apostolicae Sedis iura colantur, ut populi sui errorum et schismatum discrimine liberentur; cum praesertim tum maiorum nostrorum memoria, tum nostra, tot fuerint in Germania levioribus etiam de causis divisi novique instituti episcopatus sine ulla imperii contradictione, et non sine Episcoporum Metropolitarumque dissensione, uti in nostra responsione, demonstravimus cap. II., § 10.

Quomodo causae divisionis huiusce arceri debeant suadetur.

§ 7. Quocirca si vestra interest, ut omne detrimentum cuiusvis generis ab ista ecclesia arceatur, vestra opera collatisque inter vos consiliis in id debetis incumbere, ut tam per vos ipsos, quam per Archiepiscopum vestrum, novae isthic causae omnes eliminentur. Ad vos quod pertinet, dilecti filii, si nullam partem habuistis in iis, in quibus est contradictum nunciaturis, imo si contradictiones huiusmodi graves vobis et molestae fuerunt, rem ita se habere opera ipsa demonstretis oportet: et si hactenus collegium vestrum per deputatos viros solitis prosequi officiis Apostolicum Nuncium neglexit, tum sui ipsius adventus, tum natalitiorum gaudiorum tempore, ne detrectetis modo erga eumdem debito hoc officio perfungi: eo vel magis quia vestris obversatur oculis istius civitatis magistratus exemplum, quem iuxta morem noluisse suo erga Nuncium Apostolicum officio deesse vestrates auctores testantur.

Nonnulla de Vicario generali Archiepiscopi observantur, et emendanda esse praefinitur.

§ 8. Vicarius Archiepiscopi generalis, a quo nullum non datur dispensationis genus, et cuius nomine inscripta tot adversus Nuncium mandata et decreta prodierunt, est collegii vestri canonicus. Eiusdem capituli canonicus est pariter Herrestorff, qui

delatum sibi munus officialis in tribunali officialatus exercet, iunctusque assessoribus laicis voto decisivo donatis, suam una cum illis sententiam in secunda instantia pronunciat in causis ecclesiasticis: quale iudicium et novum est, et ad novam invehendam instantiam excogitatum; vester item collega est canonicus de Merle, qui inter iudices pro-synodales ab Archiepiscopo nominatus, subinde iudicum commissariorum effectus est caput, eiusque munere fungitur; nam in tertia et ultima instantia suum is profert iudicium una cum reliquis iudicibus pro-synodalibus seu commissariis in gradu revisionis, licet hoc revisionis iudicium sit novissime invectum, licet solam habeant hi iudices commissionem Archiepiscopi, et licet de causis agatur ecclesiasticis, quae ad Sanctam Sedem unice pertinent, quaeque iuxta tridentinas sanctiones nequeunt a iudicibus pro-synodalibus sine speciali ipsius Sanctae Sedis commissione cognosci, itaut dubitari nequeat, quin vicarius aliique collegae vestri suam operam conferant ad sacros canones violandos, et ad apostolica iura pessumdanda. Si spectabiles isti collegae vestri eo, quo decet, obsequio significassent Archiepiscopo, nequire se huiusmodi invasionibus operam dare, suam profecto Archiepiscopus deceptionem, aliorum insidiis sibi paratam, deprehendisset, nec eo ferri illos coegisset umquam, quo salva conscientia se progredi posse negarent. Hoc itaque etiam in parte opus est, ut faciatis vestro muneri satis, monitis edocti Honorii III. a nobis in responsione nostra commemoratis cap. IV., § 7.

Quomodo cum Archiep. se gerere debeant significatur.

§ 9. Ad Archiepiscopum vero quod attinet, quemadmodum ex vestris literis intelligimus, vos repetitis vicibus ab illo postulasse, ut per amicabilem compositionem terminarentur dissidia omnia, ita debita laude vestrum studium prosequentes, vos etiam atque etiam hortamur, ut ista officia instauretis, utque eo ardentius in tot malorum, de quibus diximus, eversionem incumbatis. Haec autem per vos studia erga Archiepiscopum vestrum eo impendentur utilius, si illa adhibebitis, postquam fuerit officiis vestris, quantum in vobis est, cumulate per vos satisfactum. Convertite oculos ad vestrorum antecessorum exempla, qui metuentes, ne ope reformationis ecclesiasticae, quae hodie ex pulvere excitatur, et a Bonnensibus professoribus commendatur, exitiales adversus sanam doctrinam errores in istam dioecesim importarentur, nihil habuerunt antiquius, quam ut Archiepiscopi animum verbis, obsequio et constantia plenis sibi demerendum curarent, et ingruentem pestem averterent ac deprecarentur, ut literae patefaciunt ad ipsum datae die I. octobris anni MDXLIII., quae ab Arnoldo Meshovio referuntur.

Nihil omissurum Pontifex promittit ad pacem et concordiam assequendam.

§ 10. Ad nos tandem quod spectat, quantum in Domino possumus, nihil certe omittemus eorum, quae fieri valent, ut Metropolitanos ad pacis et concordiae sententiam reducamus. Tam responsio nostra, quae iam vulgata est, quam nostrae literae in forma brevis, modo ad vestrum Archiepiscopum conscriptae, nostram agendi rationem omnem satis cuique patefaciunt ostenduntque luculenter, sine ulla nostra culpa nondum revertisse eam pacem, quam ardenter optamus; nisi contra nos velit fortasse verti, quod abolitioni nunciaturarum aliorumque iurium e primatu manantium, a nobis fuerit denegatus assensus: nulla enim alia proposita hactenus est nobis pacis conciliandae ratio.

Conclusio.

§ 11. Nostris apostolicis curis si illa etiam accedent, quae vos praestetis oportet, equidem favente Deo, quem die noctuque flagitamus atque enixe obsecramus, speramus fore, ut vestri timores penitus dispellantur, et illa reddatur moerenti ecclesiae tranquillitas, quam modo deflet illa sibi ademptam. Hac spe freti nostrae in vos dilectionis testem ac pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII. martii MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

LXXXVIII.

Venerabili fratri Caesari Archiepiscopo Nisibensi et Apostolicae Sedis pro Hollandiae missionibus superiori concedit ius nominandi pios sacerdotes pro visitandis ecclesiis Hollandiae et Zelandiae occidentalis.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ratio, et tenor mandati.

§ 1. Cum in remotioribus christiani orbis partibus, quarum necessitates propius inspicere non valemus, ad animarum salutem et spiritualem consolationem fidelium et catholicae fidei propagationem valde uti-

lem esse sentiamus piorum catholicorum doctrina et orthodoxae fidei zelo praestantium virorum operam de dominici gregis reliquorum salute, quae in Hollandia, Zelandia, et aliis inferioris Germaniae partibus occulte aut aliter commorantur, Sathana instigante, a catholicae fidei obedientia desciverunt, paterna charitate solliciti, deque tua, qui dictis locis vicinior existis, fide, integritate, doctrina, atque catholicae religionis studio, aliisque virtutibus, ac generis nobilitate plurimum in Domino confidentes, tibi, dum illic nostri et Apostolicae Sedis munere fungeris, auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem tribuimus deputandi, quandocumque tibi videbitur, aliquem vel aliquos viros religiosos, pios, catholicos, eruditos et in primis zelantes, qui in illis Hollandiae, Zelandiae et occidentalis Frisiae, ac aliis earum partium locis, in quibus Episcopi sua munera pastoralia libere exercere nequeunt, omnia et singula ecclesias, domus, monasteria tam virorum, quam mulierum, et alia pia et religiosa loca etiam quandocumque et qualitercumque exempta, etiam Apostolicae Sedi immediate subiecta, ac personas ecclesiasticas quascumque tam saeculares, quam regulares cuiuscumque ordinis in illis degentes, tamquam Apostolicae Sedis delegati visitare, ac tam in capite, quam in membris, corrigere et reformare, ac in catholicae fidei et regularium institutionum observantia et Apostolicae Sedis obedientia confirmare, et alia, quae pro eorum salute et fidei catholicae propagatione secundum Deum expedire iudicaveris, dummodo iudicialiter non procedant, facere, nec non circa bona ecclesiastica, quae quoquomodo destituta erunt, ne ad manus haereticorum deveniant, opportune providere, et propterea de illis dummodo valorem mille scutorum eureorum fructus, redditus et proventus annui centum florenos monetae illarum partium non excedant, nec non etiam de illis bonis mobilibus et immobilibus, quae ecclesiasticis a poenitentibus pro tempore restitui contigerit, in pios usus aut alias disponere, ita tamen quod huiusmodi bona venditionis, permutationis, aut alias quovis titulo alienationis nullo pacto alienentur, nisi de eiusdem utilitate seu necessitate ecclesiae constiterit, et alienationis causa a te probata fuerit, cuius conscientiam desuper oneramus, et dummodo dispositio ista sic fiat, ut si aliquando contingat, quod nos desiderio desideramus, catholicam fidem ibi restitui, et provincias easdem a catholicis et legitimis dominis recuperari, bona praedicta ad ecclesias seu loca pia, ad quae pertinebant, redeant, ipso iure, ac illis restitui debeant; liceatque interim catholicis quibuscumque bona, quae ad ecclesias aliquando pertinebant, conducere, pactumque in locatione pretium locatori tamquam iusto possessori, sive haero, praestare, nec iusto domino ullatenus ad restitutionem teneantur, sed ut lucrum, quod inde forsan perceperint, salva conscientia possidere et retinere, ac etiam quod in eisdem locis dumtaxat illas personas, quae etiam forsan post publicationem Concilii Tridentini in eorum locis et parochiis legitime factam, sive uti iuris ignari, sive ob antiquum eius nationis abusum, vel quia, ecclesiis ab haereticis occupatis, catholico parocho destitutae neque alterius catholici sacerdotis copiam habentes, matrimonium inter se forma per dictum Concilium Tridentinum praescripta minime servata, et haereticorum more contraxerint, ac in matrimonio manere utrique coniùges cupiant, non tamen inter ascendentes et descendentes, et dummodo primo et secundo in linea aequali gradu consanguinitatis vel affinitatis non sint, nec aliqui eorum voto religionis et castitatis adstricti, seu aliquo sacro ordine initiati existant, imposita ipsis pro modo culpae poenitentia salutari ab haeresis labe, incestus reatu, et excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt, et excessibus in utroque foro absolvere, nec non cum eis, ut publice vel occulte ratione loci, personarum et temporis matrimonia inter se de novo contrahere, ac in eis postmodum remanere libere ac licite valeant dispensare, prolemque exinde susceptam et suscipiendam legitimam decernere, aut si post priorem contractum matrimonii mulier in haeresim lapsa sit, nec velit uti presbyteri catholici opera, aut iterum catholicam nuptiarum formam subire, habito solo utriusque mutuo consensu in matrimonio permanendi et commorandi, absque tamen contumelia Creatoris, ac prolem susceptam et suscipiendam legitimam decernere, ac cum aliis quibuscumque illarum partium personis catholicis, quae in quarto simplici, vel tertio et quarto consanguinitatis seu affinitatis gradu coniunctae, seu se attinentes, ob catholicorum penuriam matrimonium contrahere libere ac

licite valeant dispensare, prolem exinde suscipiendam legitimam nuntiare, atque laicorum opem in defectu religiosorum (dummodo de eorum in fide catholica, constantia et doctrina ita certi sint, ut nullus error ab ipsis timendus sit) in verbi Dei praedicationibus seu exhortationibus privatim et secreto cum fructu fieri solitis, uti libere ac licite valeant: quodque liceat illis habere altare portatile cum debitis honore et reverentia, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, antequam e luce dies, cum casus necessitatis postulaverit, missas celebrare valeant, quodque ipsi aliis illarum partium sacerdotibus eamdem facultatem habendi altare portatile pro missis modo praedicto et necessitate, ut praefertur, urgente, celebrandis concedere possint.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et locorum piorum praedictorum, illorumque ordinum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem quod si tu, aut aliqui eorum, qui a te ad hoc deputati fuerint, ut praefertur, ratione praemissorum aliquid muneris aut praemii, etiam sponte oblati, recipere, exigere, aut petere ausi fueritis, eo ipso excommunicationis latae sententiae poenam incurratis, et nihilominus quidquid per vos gestum fuerit irritum et inane existat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. augusti MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

LXXXIX.

Indulget ut ab utroque clero civitatis Mexicanae officium Sancti Eligii Episcopi sub ritu dup. minori cum missa et lectionibus propriis iam approbatis recitari possit (1).

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater modernus Archiepiscopus Mexicanus, quod ipse ad augendam erga S. Eligium devotionem et cultum, ut officium de com. Confess. Pont. sub ritu dupl. min. in honorem eiusdem S. Eligii cum lectionibus secundi et tertii nocturni, ac missa propriis, iam pro capitulo et universitate aurificum S. Mariae vinearum civitatis Ianuensis alias, nempe die XII. decembris MDCCLXXXVI., adprobatis, quotannis die prima decembris ab utroque clero suae civitatis Mexicanae recitari et respective celebrari possit, summopere cupiat; nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris: ut imposterum ab utroque clero civitatis Mexicanae quotannis die prima decembris officium de com. Conf. Pont. sub ritu dupl. min. in honorem S. Eligii praedicti cum lectionibus secundi et tertii nocturni, atque missa propriis ac, ut praefertur, adprobatis, recitari et respective celebrari possit ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus ordinationibus, dictaeque civitatis, eiusque cleri etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis aposto-

(1) Sub die I. octobris extendit indultum ad universam dioecesim Mexicanam.

licis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die x. sept. MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

XC.

Imminutionem festorum, iuxta modum, in civitate et dioecesi Bachiensi in Brasilia concedit.

Venerabili fratri Archiepiscopo Bachiensi in Brasilia,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut quaedam sunt, ut inquit S. Leo Magnus, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec Sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam in iis suam auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad maius divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur. Quoniam autem, sicut pro parte tua nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, in tuis civitate et dioecesi Bachiensi adeo excreverunt calamitates et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores incolaeque, et praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se addicere pro pane lucrando, et ideo facilius contingit propter excretum dierum festorum numerum: ac propterea nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in praedictis tua civitate et dioecesi Bachiensi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Iesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis et sequenti, Pentecostes et sequenti, ac Corporis Christi et Ascensionis, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, ac SS. Petri et Pauli, ac Iacobi Apostolorum, nec non commemorationis omnium Sanctorum; praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non S. Patroni aut titularis cuiuslibet loci, pro hominibus eiusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis, sive per hanc Sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales eiusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per maiores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra apostolica per

te commutari volumus, praeceptis praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupolo vacare possint, auctoritate nostra apostolica concedas et indulgeas, permittas ac statuas, praecipias et mandes.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dioecesis praedictae illiusque locorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. septembris MDCCXC. pontif. nostri an. XVI.

XCI.

Eximit nosocomium pauperum nativorum civitatis Mexicanae a iurisdictione parochiali.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Pia loca quaecumque, praesertim vero illa, in quibus misericordiae opera exercentur, nos decet apostolicae providentiae favoribus prosequi, atque ea libenter concedere, per quae locorum eorumdem felici ac tranquillo statui consulitur, ubi maxime ad id sublimorum principum preces accedant, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum a rege catholico super peracta unione.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod, cum ipse tum a suo pro-rege gubernatore et duce generali provinciarum novae Hispaniae, tum etiam a regio fiscali et a suo regio Indiarum consilio de pluribus contentionibus ac dissidiis, quae in civitate Mexicana inter parochos eiusdem civitatis ex una, et administratores nosocomii pauperum nativorum regni Mexicani ex altera parte propter iura mortualia quotidie exoriuntur, certior factus sit, et cum nil melius his firmiter occurri posse existimet, quam si regium nosocomium huiusmodi ab omni parochiali iurisdictione per nos eximatur; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Praevia derogatione iuris parochialis iurisdictio nosocomii et cura animarum superioribus conceditur.

§ 3. Nos igitur memorati Caroli regis catholici votis quantum cum Domino possumus annuere, ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, omnesque et singulas personas, quarum favore praesentes nostrae literae concernunt, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, nosocomium praedictum, illiusque cappellanos ministros, inservientes inter eius septa commorantes, ac in eo pro tempore degentes infirmos a quibusvis iuribus parochialibus ecclesiae parochialis, intra cuius limites nosocomium huiusmodi consistere dignoscitur, et ab illius pro tempore existentis parochi cura et subiectione, auctoritate apostolica tenore praesentium totaliter et omnimode eximimus et liberamus, et curam animarum tum infirmorum, tum eiusdem brephotrophii ministrorum et inserventium praedictorum sacerdotibus seu cappellanis pro tempore existentibus dicti nosocomii ab iis, ad quos spectat, vel pro tempore spectabit, legitime deputatis seu deputandis, et ab Ordinario approbatis committimus et demandamus, eosque in ipsorum parochos et animarum suarum rectores constituimus, illisque in iis, quae ad administrationem Sanctissimae Eucharistiae etiam pro viatico ac extremae unctionis sacramentorum praedictorum, servatis tamen sacris ritibus ac caeremoniis a Rituali Romano praescriptis, aliisque omnibus, quae ad curam animarum ac etiam ad ius tumulandi spectant, penitus et omnino eis

subiicimus, ita ut cura personarum sic exemptarum ac ius sepeliendi, dummodo ipsi non sibi aliunde sepulturam eligant, ad cappellanos huiusmodi privative, quoad dictum parochum super administratione omnium sacramentorum, quam iure sepeliendi in ecclesia dicto nosocomio adnexa seu adnectenda, absque ulla quartae et aliorum iurium parochialium, etiam si in alia ecclesia sepultura electa fuerit, praestatione seu solutione spectet et pertineat, ac spectare et pertinere debeat, ac in ecclesia praedicta Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ac sacrum oleum infirmorum servari libere ac licite possit et valeat concedimus et impertimur.

Parocho inhibetur sacramentorum administratio.

§ 4. Quapropter moderno et pro tempore existenti parocho, seu rectori parochialis ecclesiae praedictae, districtius inhibemus, ne in eorumdem sacramentorum (excepto dumtaxat sacramento matrimonii quoad ministros et alios inservientes praedictos, qui hac tantum ratione parocho et parochiae huiusmodi subsint) in dicto nosocomio administratione se ingerere, aut defunctorum sepulturae seu exequiis inibi faciendis, interesse, ullumve pro funere aut aliud quodlibet ius vel emolumentum parochiale petere et praetendere, ac desuper nosocomium, aut personas cappellanorum vel illorum aliquem, molestare audeat, seu quovis modo praesumat.

Tolluntur remedia iuris ne literarum executio remoretur.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod parochus praedictus, seu alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, seu alias specialis et individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes literae emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis iusta, legitima et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae, ac totalis laesionis, ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti posse; sed ipsas praesentes literas et in eis contenta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et in conciliis etiam universalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non parochialis ecclesiae praedictae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI. novembris MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

XCII.

Provinciali et praesidenti capituli triennalis provinciae Sancti Gregorii fratrum Ordinis Sancti Francisci de Observantia in insulis Philippinis facultatem concedit indulgendi fratribus, ut pecunias contrectare, et equitare, valeant.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Quoties a nobis illud petitur, quod religioni et Christifidelium bono convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Duarez frater expresse professus Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac procurator generalis et commissarius provinciae Sancti Gregorii Ordinis praedicti in insulis Philippinis, quod, cum fratres ordinis et provinciae praedictorum in disiunctissimis illis regionibus, tum ad sacras faciendas missiones ac convertendos infideles, tum ad cathechizandos, servandamque catholicam fidem inter innumeros neophitos indos continenter se occupent, nisi difficillime habent, cui tamquam syndico eleemosynarum pecuniarum synodorum nuncupatorum, quas carissimus in Christo filius noster Hispaniarum rex catholicus pro evangelicorum operariorum substentatione transmittit, custodiam et administrationem concredant; quapropter memoratus rex catholicus ad evitanda incommoda, quae ex inde proficiscebantur, decrevit, ut deinceps nisi cuilibet illorum certa eleemosynarum huiusmodi portio detur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, aliqui ex fratribus praedictis religione ducti, neglecta evangelicorum operariorum in illis regionibus inopia, aut missionariorum et cathechistarum onus non sine gravi animarum Christifidelium detrimento detrectant, aut saltem anxii sunt de instanti seraphicae regulae praecepto, quo omnis pecuniarum administratio illis prohibetur, contra vero necessitate quadam compulsi hasce eleemosynas habere, easque retinere, ac per se ipsos vel in proprium usum et utilitatem convertere, vel ad ecclesias pertinentes in divini cultus augmentum erogare, vel etiam tamquam boni patres familias patrimonia neophytarum familiarum sic administrare, ut si ipsi neophytorum syndici essent, cogantur: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut, quemadmodum felicis recordationis Honorius PP. III. et Urbanus PP. VIII. praedecessores nostri pro aliis fecerunt, sic nos in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur memoratorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia sectantes, ac fratrum huiusmodi religioni consulere, ac piis ipsius Ioannis procuratoris generalis et commissarii votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, ministro provinciali dictae provinciae Sancti Gregorii in insulis Philippinis, ac praesidenti triennalis capituli pro tempore existentibus, ipsis omnibus et singulis fratribus missionariis, cathechistis seu doctrinariis et procuratoribus praedictis, praevia etiam in casibus dubiis dispensatione, ut eleemosynas praedictas aliaque ad dictos neophytos pertinentia quomodolibet contrectare, ac easdem eleemosynas in suos religiosos usus et necessitates pro illorum arbitrio et conscientia convertere; neophytorum vero huiusmodi pecunias et bona in illorum utilitatem pariter convertere, nec non ob difficiles ac alpestres ac paludosas illarum regionum vias, quin ipsi in poenas a constitutionibus sui ordinis inflictas incurrant, equitare libere ac licite possint et valeant, auctoritate nostra apostolica prout ipsis iuxta rerum vices in Domino opportune videbitur, concedendi et indulgendi plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinis praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausu-

lis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII. nov. MDCCXC., pontificatus nostri anno XVI.

XCIII.

Instantibus monialibus sanctae Catharinae civitatis Limanae concedit, ut in earum ecclesia singulis anni sabbathis non privilegiatis missa propria Sanctissimi Rosarii celebrari possit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales asceterii Sanctae Catharinae Ordinis Praedicatorum civitatis Limanae nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro sua spirituali consolatione in earum ecclesia singulis anni sabbathis, atque etiam sabbatho sancto post expletas functiones, missam propriam Sanctissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis iam pro dicto Ordine adprobatam, quae incipit — *Salve radix sancta etc.* — cum cantu celebrari facere summopere cupiant:

Concessionis tenor.

§ 2. Nos dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati: audito dilecto filio moderno eiusdem ordinis procuratore generali, nec non magistro Dominico Coppola Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum secretario: ut imposterum in praedicta ecclesia singulis anni sabbathis non privilegiatis dumtaxat, et dummodo non occurrat festum duplex primae vel secundae classis, servatisque rubricis, praedicta missa propria Sanctissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis, ut praefertur adprobata, cuius initium — *Salve radix sancta etc.* — cum cantu celebrari possit et valeat, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedicti asceterii eiusque ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. februarii MDCCXCI., pontificatus nostri anno XVII.

XCIV.

Instante natione Illyrica, approbat et confirmat Breviarium Romanum slavonico idiomate et characteribus Sancti Hieronymi nuncupat. conscriptum, cum adiunctis officiis sanctorum pro aliquibus locis ex indulto apostolico separatim impressis.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Suprema potestas praescribendi ritus et ordinem ab universo clero servandum in publicis precibus Deo offerendis et laudibus, ac gratiarum actionibus statutis horis quotidie persolvendis, ex vetustissima universalis Ecclesiae consuetudine, sacrorum canonum ac sacrosancti Concilii Tridentini auctoritate confirmata, Romano semper Pontifici atque huic Apostolicae Sedi delata est: nimirum ea ratione, ut uno pontifice rem totam moderante, universae christiani orbis ecclesiae, quae in fidei unitate cum Romana coniunctae essent, eadem externi cultus divini lege devinctae etiam in hoc congruerent, unique redderentur formae, atque concordi concentu et una quasi voce unoque spiritu laudarent Dominum. Prooemium.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, breviarium, ritu quidem Romano, sed idiomate Slavonico et charactere Sancti Hieronymi vulgo nuncupato conscriptum, olim Ratio concessionis.

a felicis recordationis Ioanne PP. VIII. praedecessore nostro concessum, et ab anno MDCXLVIII. Innocentii PP. X. item praedecessoris nostri iussu reformatum, et typis editum, ac postea anno scilicet MDCLXXX. iterum recusum iamdiu desideraretur, utpote a centum et ultra annis nunquam amplius typis mandatum fuerit; atque inde acciderit, ut nonnulli ex natione Illyrica, qui ad horarum canonicarum recitationem tenentur, breviarii inopia laborantes, muneri debito, non sine gravi animi moerore et sollicitudine, satisfacere minime possint:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos praedecessorum nostrorum Sancti Pii V., Clementis VIII. et Urbani etiam VIII., qui Breviario Romano reformando, recognoscendo et approbando sedulam navarunt operam, vestigiis insistentes, commodo et conscientiae securitati eiusdem nationis Illyricae, quae late diffusa est, et, turcas inter et schismaticos posita, catholicam semper fidem servavit ac strenue propugnavit, quantum cum Domino possumus benigne consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, accitis ad hoc ex illa gente viris, tam linguam apprime callentibus, ac sacris literis non minus quam pietate instructis, postquam breviarium Slavonicum praedictum mandavimus diligenter ab ipsis recenseri, nec non recentiora officia sanctorum, quos hucusque haec Sancta Sedes publico donavit cultu, in idem Slavonicum idioma sedulo converti, illique inseri et superaddi, et servato idiomate Slavo literali in omnibus iuxta praescripta per felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri incipientes — *Ex pastorali* XVIII. kal. septembris anno XIV. expeditas literas, quod revera benedicente Domino perfectum omnino est, motu proprio et certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae Sedis potestate, dictum breviarium Slavonicum sic recensitum, emendatum et auctum, cum adiunctis sanctorum officiis recitandis pro aliquibus locis ex indulto nostro apostolico separatim impressis, tenore praesentium confirmamus et approbamus, et typis Congregationis Propagandae Fidei praedictae committi iubemus.

Poenae contra imprimentes eumdem librum sine apostolica licentia.

§ 4. Caeterum eiusdem Innocentii praedecessoris nostri exempla secuti, ut breviarium novum huiusmodi ubique inviolatum et incorruptum habeatur, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi valeat, poena prohibemus, ne dictum breviarium cum adiunctis superadditis officiis sanctorum pro aliquibus locis separatim impressis, alibi in toto orbe sine nostra vel speciali Sedis Apostolicae licentia, in scriptis obtinenda, imprimatur vel impressum proponatur.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis licentiis, et facultatibus breviaria huiusmodi imprimendi etiam titulo oneroso forsan etiam auctoritate apostolica concessa, nec non apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem, ut ipsarum praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. martii MDCCXCI., pontificatus nostri anno XVII.

XCV.

Ut ab utroque clero civitatis et dioecesis Mexicanae officium et missa S. Agnetis de Monte Politiano recitari possit, concedit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus Archiepiscopus Mexicanus nobis nuper exponi fecit, magna in suis civitate et dioecesi Mexicana erga Sanctam Agnetem de Monte Politiano vigeat devotio, cupiatque propterea, ut quotannis die vigesima aprilis illius officium cum missa de communi virginum, cum oratione et lectionibus secundi nocturni iam approbatum, sub ritu duplici minori ab utroque clero civitatis et dioecesis praedictarum possit recitari: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nec non audito dilecto filio magistro Dominico Coppola Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris praepositorum secretario: ut in posterum a clero saeculari et regulari civitatis et dioecesis Mexicanae quotannis die vigesima aprilis officium cum missa de communi virginum cum oratione et lectionibus secundi nocturni adprobatum in honorem dictae S. Agnetis de monte Politiano ritu duplici minori celebrari et respective recitari possit ac valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI. iunii MDCCXCI., pontificatus nostri anno XVII.

XCVI.

Instante procuratore generali fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo excalceatorum provinciae S. Alberti Indiarum, confirmat renunciationem ab eadem provincia factam, nec non abrogationem aliquarum legum in constitutionibus Ordinis pro dicta provincia latarum.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius a Sancto Ioanne Baptista Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispanae expresse professus, ac procurator generalis provinciae Sancti Alberti in Indiis ordinis et congregationis praedictorum, quod inter caetera, quae a novis constitutionibus eorumdem Ordinis et congregationis auctoritate apostolica per nostras in simili forma brevis die XIV. martii millesimo septingentesimo octogesimo sexto expeditas literas confirmatis pro eadem provincia Sancti Alberti disponuntur, illud in capite decimo octavo illarum tertiae partis expresse statuitur, ut deinceps provincia huiusmodi ius et facultatem habeat eligendi unum definitorem generalem, et cum ex antiquis constitutionibus illi unum dumtaxat ferendi suffragium in singulis capitulis generalibus pro tempore habendis ius esset, postmodum duo suffragia in capitulis huiusmodi ei tribuuntur. Cavetur praeterea, ut si provincialis provinciae praedictae morte praeveniatur, aut aliqua ex causa ab officio deponatur, itaut pro electione novi provincialis capitulum extraordinarium sit congregandum, tunc ad capitulum provinciale extraordinarium huiusmodi, quo expensis et itineris molestiis parcatur, nisi vicarius provincialis, quatuor definitores et priores conventuum, qui domo capitulari triginta tantum leucarum spatio distant, sint convocandi: tandem decernitur, ut ad admittendas officiorum provincialis, definitoris, aliorumque huiusmodi abdicationes seu renunciationes quatuor ex quinque suffragiis, ex quibus constat definitorium, convenire debeant.

Expositio precum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, provincia Sancti Alberti praefata considerans, quod usus sibi concessae facultatis ac iuris eligendi unum definitorem generalem, nec non ferendi duo suffragia in singulis capitulis generalibus, gravis potius, quam utilis sibi futurus foret, quod sumptibus ad tam longa carpenda itinera Hispaniam versus necessariis ob tur-

Ratio concessionis.

batam suorum conventuum rem familiarem satisfacere impar omnino esset, ac absentia probatiorum suorum alumnorum exitiora ipsi foret, praesertim cum ex usu compertum sit, Indos, quoties in Europam deveniunt, vel mori vel saltem ita valetudinarios fieri, ut, in patriam reversi, onera suae regularis professionis subire amplius non valeant: considerans praeterea, quod si altera earumdem constitutionum dispositio, ut scilicet in capitulis provincialibus extraordinariis vicarius dumtaxat provincialis, quatuor definitores actuales ac priores conventuum, qui ultra triginta leucas a domo capitulari non distant, ius suffragii haberent, vigeret, partium studiis, proindeque innumeris perturbationibus ac incommodis causa praeberetur: considerans demum quod singularis nimis sibique gravis esset tertia earumdem constitutionum lex, ut nempe pro admittendis officiorum provincialis definitorum aliorumque superiorum abdicationibus seu renunciationibus quatuor ex quinque suffragantibus consentire debeant, cum ab iisdem constitutionibus definitorium huius provinciae caeteris definitoriis aequiparetur, in quibus, prout iamdiu in eadem provincia Sancti Alberti in more erat, tria ad hoc tantum sufficiant suffragia. Hinc in capitulo generalis Ordinis et congregationis praedictorum in mense septembris anni transacti MDCCXC. habito, ac in illius sessione undecima diei sextae octobris eadem provincia Sancti Alberti per suum legitimum procuratorem non solum plene iuribus ac facultatibus sibi, ut praefertur, concessis a dictis constitutionibus ferendi scilicet duo suffragia in singulis capitulis generalibus, atque eligendi sibi definitorem generalem renunciavit; verum etiam ab eodem capitulo generali valde contendit, ut alias duas dispositiones abrogaret, utpote quae eidem provinciae minime utiles. Quamobrem capitulum generale huiusmodi postquam omnia adducta rationum momenta maturo examine perpendit, expostulata provinciae praedictae iusta atque aequa esse cognoverit, renunciationes praefatas admisit, probavitque atque insuper decrevit, ut procurator generalis dictae provinciae, qui in Hispaniis continenter commoraretur, nullo iure deinceps suffragii in capitulis generalibus, prout ei ab antiquis constitutionibus elargiebatur, potiri posset, utque de hisce omnibus a nobis et ab hac Sancta Apostolica Sede esset petenda confirmatio: pro postulata vero praefatarum legum abrogatione, quibus vel numerus vocalium in capitulis provincialibus extraordinariis cohibetur, vel quatuor ex quinque definitorii suffragiis ad admittendas officiorum abdicationes seu renunciationes omnino necessaria esse sancitur, ut a nobis pariter et ab hac Sancta Sede esset impetranda, scite constituit: nobis propterea memoratus Ignatius procurator generalis praedictus humiliter supplicari fecit ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur cum de utilitate ac iustitia expostulatorum provinciae Sancti Alberti praedictae, quae dicto capitulo generali praevio maturo examine gesta sunt, dubitari non sinant, illius bono, quantum in nobis est, consulere, suisque votis annuere volentes, ac omnes et singulares illorum, quorum interest, personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, acceptationem et admissionem abdicationis seu renunciationis tum iuris ferendi in singulis capitulis generalibus duo suffragia, tum facultatis eligendi sibi definitorem generalem a legitimo procuratore eiusdem provinciae Sancti Alberti factae, ac in convocato capitulo generali huiusmodi solemniter admissae, nec non ea, quae in illius correspectivitatem ab eodem capitulo generali subinde decreta sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Declaratio specialis.

§ 4. Praeterea, attento eiusdem capituli generalis consensu et voto, quo partium studiis in eadem provincia occasio tollatur, ac provinciae praedictae definitorium caeterarum provinciarum ordinis et congregationis praedictorum definitoriis magis magisque aequiparetur, aliisque iustis ac rationabilibus de causis, praevia eorumdem constitutionum abrogatione, cassatione et irritatione in ea parte tantum, quae infra constituendis adversatur, ut deinceps etiam in provincialibus capitulis extraordinariis iuxta rerum vices, et praesertim pro ele-

ctione novi provincialis, quippe qua alter vel defunctus sit, vel ab officio depositus habendus, omnes omnino priores conventuum dictae provinciae non secus ac in capitulis provincialibus ordinariis sint convocandi, utque pro admittendis officiorum abdicationibus seu renunciationibus ad instar aliarum provinciarum ordinis et congregationis huiusmodi definitorium, et prout apud eamdem provinciam iampridem in more positum erat, tria sufficiant ex quinque suffragia, auctoritate apostolica harum serie sancimus atque mandamus, statuimus et declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus memoratis nostris XIV. martii MDCCLXXXVI. in simili forma brevis expeditis literis novarun constitutionum ordinis et congregationis praedictorum confirmatoriis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XII. augusti MDCCXCI., pontificatus nostri anno XVII.

XCVII.

Translatio sedis episcopalis Gradiscanae una cum illius capitulo de ecclesia sanctorum Petri et Pauli civitatis Gradiscae ad ecclesiam Sancti Hilarii civitatis Goritiae in posterum Goritiensem seu Gradiscanam nuncupandam.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Recti prudentisque consilii ratio postulat, ut, quae a nobis iampridem pro assequendo faciliori alicubi episcopalis officii exercitio provide constituta et ordinata fuerunt, si mutatis rerum temporumque circumstantiis executioni tradi non posse compertum sit, in pristinum et opportuniorem statum restituantur, prout nos ipsi in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum ab imperatore Romanorum.

§ 2. Nuper quidem nobis nomine charissimi in Christo filii nostri Leopoldi secundi in imperatorem electi, ac Romanorum, Bohemiae et Hungariae regis apostolici dilectus filius noster Franciscus tituli Sanctae Crucis in Ierusalem Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Herzan de Harras nuncupatus, apud nos et Sedem Apostolicam minister plenipotentiarius, exponendi in mandatis habuit, quod et si ad populorum amplissimas sibi subiectas ditiones incolentium spirituale regimen aptius procurandum, gravioremque animarum pastoribus curam aliqua in parte allevandam, nos ipsi iuxta tunc oblatas nobis preces, praevia aliarum dioecesum episcopalium dismembratione, oppidum Gradiscae in civitatem, novumque illic ex integro episcopatum, Labacensi Archiepiscopo suffraganeum, illiusque parochialem ecclesiam ad honorem sanctorum Petri et Pauli iamdudum dicatam, in cathedralem sedemque episcopalem ac pariter dignitates et canonicatus, capitulum futurae cathedralis ecclesiae componentes, ereximus et instituimus, aliaque plura ad novi episcopatus constitutionem illiusque decorem disponere non omisimus, specialem illi assignando dioecesim, quam Episcopus facilius et saepius perlustrare valeret; quae quidem omnia in nostris apostolicis literis sub datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCLXXXVIII. tertiodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno quartodecimo, cumulate statuta et ordinata noscuntur.

Nihilominus subinde innotuit in nova Gradiscana civitate illam sub titulo sanctorum Petri et Pauli in cathedralem erectam ecclesiam, quae in usum Sedis Episcopalis cum choro pro capitulo aptanda foret, satis amplam non esse, neque in eadem civitate

aedem pro decenti et commoda Episcopi iuxta praemissas nostras literas assidua habitatione inveniri posse.

Ratio concessionis.

§ 3. Cumque, sicut eadem expositio addebat, praeter alia dioecesi Gradiscanae assignata loca illorumque parochiales ecclesias, illa in parte districtus olim metropolitanae et archiepiscopalis iam suppressae ecclesiae Goritiensis sub titulo Sancti Hilarii in eadem civitate Goritiae enumerata fuerit, atque in illius dioecesi comprehensa et assignata, quae e converso ampla est et elegantis structurae sacrarumque supellectilium copia instructa ac primaevum servat decorem; Goritiensis vero civitas illius comitatus caput nobiles et decentes pro Episcopo, singulasque de capitulo aedes complectitur: ideo pro parte ipsius Leopoldi in imperatorem electi et regis ab eodem Francisco Cardinali nobis fuit humiliter supplicatum, ut cathedralitatem, quam vocant, ecclesiae sanctorum Petri et Pauli civitatis Goritiae transferre dignaremur, ad quod tam venerabilis fratris nostri Francisci Philippi ab Insaghi Episcopi Gradiscani, quam dilectorum filiorum dignitatum et capituli ac canonicorum Gradiscanorum, nec non dilecti filii rectoris ecclesiae Sancti Hilarii civitatis Goritiae expressus iam praestitus est assensus.

Declaratio circa iura sedis Gradiscanae.

§ 4. Nos igitur, praemissis aliisque rationabilibus causis animum nostrum moventibus mature consideratis atque perpensis, et ipsius Leopoldi in imperatorem electi et regis piis providisque votis ac precibus quam libenter obsecundare volentes, sedem episcopalem Gradiscanam, universumque illius capitulum, dignitates nimirum et canonicos, ac clerum servitio cathedralis ecclesiae adscriptum, nec non curiam ecclesiasticam ordinariam, ac ius, exercitium ecclesiastici fori pro tempore existenti Episcopo Gradiscano competens, pariterque omnia iudicialia acta; ac insuper una cum omnibus mensarum episcopalis Gradiscanae ac respective capitularis redditibus, fructibus ac proventibus, insignibus, iuribus, iurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus iuxta enunciatas nostras literas episcopatus Gradiscanus illiusque capitulum frui et gaudere debeant,

Ecclesia S. Hilarii civitatis Goritiensis restituitur ad titul parochialem.

§ 5. Ad Goritiensem civitatem atque ad ecclesiam Sancti Hilarii, cuius collativus titulus per haec extinctus manet, sed parochialis ut antea esse debet, de apostolicae nostrae potestatis plenitudine praesentium nostrarum literarum vigore in perpetuum transferimus, et loco prioris ecclesiae sanctorum Petri et Pauli Gradiscae plenarie subrogamus et commutamus.

Exemptio Episcopi et capituli a residentia Gradiscana.

§ 6. Praeterea Episcopum Gradiscanum, illius capitulum, dignitates et canonicatus a quavis in civitate Gradiscae residentia penitus eximentes, Goritiensem civitatem pro assidua episcopali residentia constituimus; ecclesiamque Sancti Hilarii omnibus iuribus, honoribus, insigniis et praerogativis, quibus usque modo cathedralis ecclesia sanctorum Petri et Pauli Gradiscae de iure aut ex indulto vel privilegio gaudet et gaudere poterit, pariformiter uti, frui, potiri et gaudere debere iubemus et volumus. Hac statuta translatione, quae episcopalis et ecclesiastici ordinis praesefert decorem et divini cultus augumentum, expresse declarandum duximus integrum dioecesis ambitum Episcopo Gradiscano pro tempore existenti ex ipsis nostris literis designatum illi ut antea ordinario iure subesse debere.

Immutatio nominis ecclesiae cathedralis.

§ 7. Verum ecclesiam cathedralem, quae usque modo Gradiscana tantum denominata fuit, deinceps Goritiensem seu Gradiscanam fore nuncupandam, atque nuncupationem huiusmodi ab Episcopo pro tempore existente in omnibus actis publicisque monumentis adhibendam et servandam esse decernimus.

Ecclesia SS. Petri et Pauli de rectoribus providetur.

§ 8. Caeterum in ecclesia cathedrali sanctorum Petri et Pauli Gradiscae per presbyterum curatum animarum cura, ut prius, exerceatur, sacrisque sufficienter provisa illa sit ministris, qui verbum Dei populo annuntient et sacramenta ministrent; adeo ut ex translatione huiusmodi nullam Christifideles civitatem illam incolentes spirituale detrimentum sentiant et patiantur.

Idipsum decernitur pro ecclesia S. Hilarii.

§ 9. Itidem ad hoc, ut extincto ecclesiae Sancti Hilarii titulo collativo, et amoto illius rectore, animarum cura eidem ecclesiae alias assignata minime destituatur, sed illis amplius consultum sit, eidem Episcopo committimus ut ipse pro sui zelo et prudentia idoneos probosque seligat presbyteros, qui tanto muneri assidue incumbant. E contra vero, quia rector Sancti Hilarii ob tituli collativi illius ecclesiae extinctionem, cui assensum, ut praefertur, praebuit, suis proventibus et emolumentis ab ea hactenus perceptis destitutus esset, ad illius indemnitati occurrendum volumus, quod eidem moderno rectori annua pensio, quae proventibus et emolumentis praedictis aequiva-

leat, eius vita naturali durante, ex fundis illi ecclesiae pertinentibus percipienda assignetur et persolvatur, vel ab ipso Leopoldo in imperatorem electo et rege suppeditanda sit similis annua summa, donec aliunde de aliquo beneficio ecclesiastico annui non minoris redditus minime fuerit ei facta collatio.

Ius accipiendi possessionem de eccl. S. Hilarii.

§ 10. Demum per praesentes concedimus et indulgemus, ut Episcopus ipse et capitulum ac dignitates et canonici per se ipsos aut alium, seu alios eorum, respective nomine veram, realem et corporalem possessionem ecclesiae Sancti Hilarii inire et apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illaque uti et gaudere possint et valeant, ac debeant et teneantur, prout in enunciatis nostris literis quoad ecclesiam sanctorum Petri et Pauli Gradiscae illis impertitum fuerat.

Adversus executionem literarum omne remedium iuris submovetur.

§ 11. Praesentes vero nostras literas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari debere; ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis iuridica, pia, privilegiata ac speciali nota digna, etiam ex eo quod causae propter quas praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, vel quopiam alio quantumvis magno, substantiali et inexcogitato defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex alio quocumque capite notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris reduci; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, viceque Legatos, dictaeque Sedis Nuncios iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum etiam in synodalibus, provincialibus generalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis personis et ecclesiis concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus ac data specialis mentio fieret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum omnium validissimum effectum, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, defectus suppletionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo primo pridie idus septembris, pontificatus nostri anno decimo septimo.

XCVIII.

Instante serenissimo principe Brasiliae Magno Priore prioratus de Crato hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, applicat bona cuiusdam haereditatis seminario in loco Sernache do Bom Gardim intra fines loci prioratus erecto.

Veneralibi fratri Antonio Caietano Archiepiscopo Lacedemoniensi, ac in dioecesi Lisbonensi suffraganeo legitimo deputato,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Expedit quammaxime animarum Christifidelium saluti, ut qui in sortem domini sunt vocati, qui caeteris verbo et exemplo in viam salutis praeire tenentur, a teneris annis ad pietatem et religionem efformentur, ac ecclesiasticis studiis instituantur, ut hisce instructi disciplinis, dum in Ecclesiae munera assumuntur, nemini dent offensionem, sed exhibeant semetipsos sicut ministros Dei recte tractantes verbum veritatis: quamobrem in ecclesiasticorum seminariorum utilitatem atque incrementum apostolicae nostrae providentiae partes, quoad integrum nobis fuit, collocare nunquam destitimus, prout in Domino salubriter expedire arbitrati sumus.

Expositio precum porrectarum a regio principe Brasiliae. § 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectissimus in Christo filius noster Ioannes Maria Ioseph, regius princeps Brasiliae, ac magnus prior prioratus de Crato hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quod ipse piae institutioni ac rectae illorum educationi, qui intra fines dicti prioratus de Crato divino cultui propius se mancipare desiderant, prospicere volens, novum ecclesiasticum seminarium in loco Sernache do Bom Iardim sui prioratus praedicti propriis sumptibus e fundamentis erexit, illiusque regimen et administrationem dilectis filiis presbyteris secularibus congregationis Missionis, sub iurisdictione tamen sui vicarii generalis, commisit; quodque alias quondam Petrus Vaz Caldeira, instituta ex asse haerede cappella Domini nostri Iesu Christi Calvariae ab ipso in loco seu oppido da Ameira intra limites eiusdem prioratus erecta, testamento die XXII. maii MDCCXXVIII. resignato expresse cavit, ut, celebrato quotidie sacro in expiationem ac suffragium animae suae et eius uxoris, suppeditatisque praeterea tum oleo pro lampade eiusdem cappellae necessario, tum reis sex mille monetae Portugalliae, seu scutis sex monetae Romanae, quotannis titulo eleemosynae, ut concio de passione Domini nostri Iesu Christi tempore quadragesimae haberetur, quod reliquum erat ex fructibus sui integri patrimonii, detracta illorum decima parte pro stipendio administratoris suae haereditatis huiusmodi, in tot dotes valore reorum decem millia eiusdem monetae Portugallensis, seu scutorum decem monetae romanae, pro puellis orphanis in saeculum nubentibus. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pluribus ab hinc annis fructus ac redditus dictae hereditatis sequestro positi sint, atque ab eo tempore legatis oneribus minime fuerit satisfactum, hinc ex hisce depositis fructibus ac redditibus conflata est summa usque ad mensem iunii mox praeteriti sex conti ducentorum sexagintamille octingentorum septuaginta sex reis dictae monetae Portugallensis, seu scutorum sex mille et ducentorum sexaginta et obuli octoginta septem cum dimidio circiter monetae romanae, quorum summa duorum conti quatuorcentum triginta unius mille ducentorum reis praedictorum, seu scutorum duorum mille quatuorcentorum triginta unius et obuli viginti circiter monetae romanae iam in quincuncii foenore posita est: quo itaque eiusdem seminarii fabricae consulatur ac congruis ditetur redditibus, memoratus Ioannes Maria Ioseph regius Brasiliae princeps per nos, praevia condonatione ac remissione piorum legatorum onerum huiusmodi, quae hucusque adimpleta minime fuerunt, ac praevia pariter commutatione testamentariae dispositionis dicti Petri pro eo, quod spectat ad constitutam annuam eleemosynam pro concione de passione Domini nostri Iesu Christi tempore quadragesimae habenda et ad volitam dotium distributionem, eidem seminario non solum depositam tum sequestrariam, tum foeneratitiam summam praedictam, sed etiam quoscumque alios redditus ac proventus eidem cappellae pertinentes in perpetuum applicari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. § 3. Nos igitur piis eiusdem Ioannis Mariae Iosephi principis et magni prioris votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, omnesque et singulas personas, quarum favore praesentes nostrae literae concernunt, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, ac dicti Petri Vaz Caldeira testamentariae dis-

positionis praedictae tenorem et alia quaecumque etiam specificam mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac specificatis habentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cuius prudentia, fide, ac summa in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut omnia omnino onera ex fructibus dictae hereditatis Petri Vaz Caldeira adimplenda et quibus usque adhuc minime fuit, ut praefertur, satisfactum, auctoritate nostra apostolica condones ac remittas, prout tenore praesentium remittimus ac condonamus: deinde non solum omnem summam praedictam scutorum sex millium et ducentorum sexaginta et obul: octoginta septem cum dimidio monetae romanae, quae ex sequestratis fructibus ac redditibus dictae haereditatis Petri Vaz Caldeira usque ad mox transactum mensem iunii, ut praefertur, conflatam, vel sit interim in foenus data, vel adhuc in depositum sequestrarium remaneat, sed etiam quoscumque alios fructus ac redditus ad eamdem cappellam Domini nostri Iesu Christi Calvariae in loco seu oppido da Ameira, ut praefertur, erectam spectantes, dicto seminario ecclesiastico auctoritate apostolica unias et applices, atque unita et applicata esse et fore decernas ac statuas, prout tenore praesentium unimus atque applicamus.

Conditio adiecta.

§ 4. Volumus tamen, ut administratores pro tempore existentes dicti seminarii, omnia onera, quibus fructus ac redditus huiusmodi gravantur, praeter onus solvendi quotannis sex millia reis, seu scuta sex monetae romanae, in eleemosynam pro concione de passione Domini nostri Iesu Christi et distributionem dotium, deinceps omnino adimplere curent et studeant. Nos enim tibi omnem et quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa omnia ad optatum finem perducenda faciendi, gerendi et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas, etiam ex eo, quod administratores dictae cappellae, caeterique quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates ac quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quemquam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus memorati Petri ultima voluntate, quam quoad praemissa commutamus, de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cappellae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clau-

sulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. septembris MDCCXCI., pontificatus nostri anno XVII.

XCIX.

Confirmat et extendit literas Bened. XIII. de exemptione ab Ordinariis tertiariorum S. Francisci in favorem tertiar. B. M. de Monte Carmelo villae S. Salvatoris de Campos fluminis Ianuarii dioecesis.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister, confratres, prior et massarii tertiariorum duorum ordinum sancti Francisci scilicet et beatae Mariae de Monte Carmelo loci seu villae sancti Salvatoris de Campos dos Soyatacares fluminis Ianuarii dioecesis, quod alias felicis recordationis Benedictus PP. XIII. per suas in simili forma Brevis die XXX. aug. MDCCXXII. expeditas literas exemptionem a quavis iurisdictione et superioritate Ordinariorum, quam per alias suas diei XIII. dec. MDCCXXV. sub plumbo datas tertiariis ordinis Sancti Francisci concesserat, ad tertiarios ordinis praedicti beatae Mariae virginis de Monte Carmelo extendit et ampliavit, tenoris sequentis:

Benedictus PP. XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor literarum apostolicarum latarum a Bened. Pontifice.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo, quod, cum ille longa experientia comprobaverit nonnullas molestias ac vexationes utriusque sexus eiusdem ordinis tertiariis illatas ab illis locorum Ordinariis, qui eiusmodi tertiarios ad eorum subiectionem seu superioritatem adigere volunt, exoriri, idque iisdem tertiariis animi perturbationem spiritusque dispersionem, atque supradicti ordinis superioribus non modicam sollicitudinem afferre, dictus procurator generalis, quo similibus inordinationibus occurratur, literas nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei memoriam anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno secundo, expeditas, per quas, inter alia, tertiarii ordinis sancti Francisci iurisdictione et superioritate Ordinariorum eximantur, ad tertiarios primodicti ordinis per nos summopere extendi et ampliari desiderat. Nobis propterea praefatus procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati literas nostras praefatas, per quas tertiarii secundo dicti ordinis omnimodae iurisdictioni et regimini eorum ministri generalis subiiciuntur, ad tertiarios utriusque sexus primodicti ordinis auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo extendimus et ampliamus; ita ut illi priori generali pro tempore existenti huius ordinis curae et superioritati subiecti omnino sint, non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, primodicti ordinis etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut prae-

sentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiatica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. augusti MDCCXXVII., pontificatus nostri an. IV.

Locum ✝ Sigillo

P. Card. Oliverius

Flagitatur confirmatio praedictarum literarum, et omnium privilegiorum de quibus extat quasi possessio.

§ 2. Quamobrem exponentes praefati vigore apostolicorum indultorum huiusmodi iamdudum sunt in pacifica quasi possessione libere exercendi omnes omnino sacras functiones iuxta propria statuta in oratoria seu cappellas ab eis intra hospitia seu conventus fratrum ordinum huiusmodi aedificatas, quin parochi pro tempore existentes, vel episcopi Fluminis Ianuarii, eos hisce desuper umquam molestare aut perturbare praesumpserint. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet novissimis temporibus aliqua hisce desuper orta sit dubitatio, ipsi nihilominus in sua quasi possessione exemptionis huiusmodi adhuc permaneant, ad antevertendas tamen omnes perturbationes ac scandala, quae in posterum forsan moveri possent, atque insuper praeinsertae Benedictinae apostolicae literae firmius subsistant et serventur exactius, memorati exponentes non solum easdem praeinsertas literas cum in omnibus in eis contentis, sed etiam omnia et singula privilegia et gratias spirituales, indulgentias et remissiones peccatorum alias a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet tertiariis utriusque sexus ordinum fratrum sancti Francisci et beatae Mariae virginis de Monte Carmelo respective concessa per nos confirmari summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, praeinsertas Benedictinas literas ac omnia et singula in eis contenta, nec non quaecumque alia privilegia, ac gratias spirituales, indulgentias et remissiones peccatorum alias, ut praefertur, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris tertiariis utriusque ordinis praedicti, quae tamen nunc obtinent, concessa, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis, exponentibus ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos et Sanctae Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non tertiariorum praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. februarii MDCCXCII., pontificatus nostri anno XVII.

C.

Erigit in collegio seu seminario de Pachuca ordinis Minorum S. Francisci in Indiis commissarium et praefectum missionum cum plurimis indultis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Pastoralis officii humilitati nostrae divinitus iniuncti sollicitudo nos admonet, ut omni cura et studio ad ea iugiter in-

tendamus, per quae Christifidelium sub suavi religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, Dei gratia adiuvante, proferre satagentium, quieti et tranquillitati consulitur, atque ea removentur quae religiosorum illorum propositum turbare possunt; ut hinc nulla re praepediti, sublatisque animorum dissidiis et aemulationibus, iuxta regularia suorum ordinum instituta, ac Apostolicae Sedis desideria, in pacis amoenitate gratum Altissimo impendant famulatum.

Expositio precum, in quibus fit mentio de aliis apostolicis literis ad rem expeditis.

§ 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel Maria Trugillo frater expresse professus ordinis Minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum et commissarius generalis omnium provinciarum ac collegiorum fratrum ordinis huiusmodi in Indiis carissimo in Christo filio nostro Karolo Hispaniarum regi catholico subiectis consistentium, quod alias rec. mem. Innocentius PP. XI. praedecessor noster per suas in simili forma Brevis die XVI. octobris MDCLXXXVIII. expeditas literas nonnulla decreta et statuta a Petro Maria Sormane tunc temporis eiusdem ordinis ministro generali pro meliori regimine ac directione collegiorum seu seminariorum in provinciis eiusdem ordinis in Indiis occidentalibus existentium ad propagandam catholicam fidem erectarum apostolica auctoritate confirmavit et approbavit, et alias, prout in ipsius Innocentii praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Postmodum vero cum a felicis recordationis Benedicto PP. XIII. praedecessore itidem nostro per suas in simili pariter forma Brevis die III. apr. MDCCXXVIII. expeditas literas tributa fuerit fratribus dicti ordinis minorum S. Francisci discalceatorum et recollectorum strictioris observantiae nuncupatorum facultas erigendi novum collegium seu seminarium missionum de Propaganda Fide huiusmodi in unaquaque ex earum provinciis, huius facultatis vigore conventus S. Francisci de Pachuca in novo regno Mexicano ad provinciam sancti Didaci nuncupatam et ad eosdem fratres minores excalceatos spectantem in collegium seu seminarium missionum erectus fuit, et erectionem huiusmodi felicis recordationis Clemens PP. XII. praedecessor pariter noster per suas in simili forma Brevis die III. iulii anno MDCCXXXIII. approbavit et confirmavit, ita tamen, ut conventus seu collegium de Pachuca huiusmodi iuxta formam memoratarum literarum dicti Innocentii praedecessoris administrandum et gubernandum esset, quibusdam dumtaxat exceptis, prout in eiusdem Clementis praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Tandem felicis recordationis Clemens PP. XIV. praedecessor itidem noster, quo precibus a bonae memoriae Emmanuele de la Vega, dum vixit commissario generali familiae ultramontanae dicti ordinis, ac eiusdem exponentis praedecessore sibi humiliter porrectis annueret, piisque clarae memoriae Karoli III. dum pariter vixit Hispaniarum regis catholici votis obsecundaret, collegium seu seminarium de Pachuca praefatum a dicta provincia sancti Didaci, illiusque superiorum iurisdictione, auctoritate apostolica separavit ac divisit, voluitque praeterea, ut deinceps et perpetuis futuris temporibus idem collegium seu seminarium in omnibus et per omnia ad instar aliorum collegiorum seu seminariorum dicti ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia et iuxta formam privilegia et onera in memoratis Innocentii praedecessoris literis contenta et expressa regendum esset atque gubernandum, et alias prout, in suis hisce desuper in simili forma Brevis die IX. iulii MDCCLXXI. expeditis literis, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continentur.

Memorantur dissentiones et discordiae subortae inter collegia seu seminaria, quibus Pontifex occurrere satagit.

§ 3. Atque hinc plures emanarunt discordiae et dissentiones inter collegium seu seminarium de Pachuca praedicto ex una, et alia collegia seu seminaria missionum huiusmodi de Querentaro, Zacateras, Guatimala et Mexici dicti ordinis ex altera parte, in quibus sedandis compescendisque memoratus exponens omne nunc ponit studium. Siquidem, vix separatione dicti collegii seu seminarii de Pachuca a provincia S. Didaci confecta, idem collegium seu seminarium, quod in memoratis Innocentii praedecessoris literis, quibus, honor, qui ex officio commissariatus proficiscitur, aeque omnibus collegiis seu seminariis dicti ordinis existeret, statuitur, ut primus commissarius ab eo collegio seu seminario, quod primo fuit erectum, secundus a secundo sic deinceps de caeteris usque ad ultimum deligeretur, hinc officia commis-

sariatus seu praefecturae earumdem missionum vigore apostolicarum literarum felicis recordationis Clementis PP. XIV. praedecessoris nostri in simili forma Brevis die XXII. novembris MDCCLXIX. expeditarum insimul unita pariter cum collegiis seu seminariis de Queretaro, Zacateras, Guatimala et Mexici adversata sunt ex eo, quod alternativa ab Innocentio praedecessore praescripta in officiis commissariatus et praefecturae missionum ad ea dumtaxat collegia seu seminaria extendenda sit, quae regularis sunt observantiae, non autem ad collegia seu seminaria fratrum dicti ordinis excalceatorum, seu strictioris observantiae.

Ut querelis finis imponatur flagitatur concessio alternativae inter ipsa collegia pro exercitio commissariatus et praefecturae missionum.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in re tanti momenti plures habitae sint quaerelae ad officium memorati exponentis a dictis collegiis seu seminariis; immo collegium seu seminarium de Pachuca praedictum novissime in Europam procuratorem miserit, cui in mandatis dedit non solum omnia rationum momenta, quibus suum ius fulcitur, rite exponere, verum etiam a carissimo in Christo filio nostro Karolo Hispaniarum rege catholico, suoque supremo Indiarum consilio, et ab eodem exponente petere, ut declarassent ipsi eidem collegio seu seminario ius esse in alternativa commissariatus et praefecturae missionum cum aliis quatuor memoratis collegiis seu seminariis, vel saltem ei licitum esset ad evitanda scandala, atque ad felix missionum augumentum, aliisque de causis, nobis supplices dare preces, ut eidem collegio seu seminario de Pachuca suum proprium commissarium seu praefectum missionum ea lege concederemus, ut iuxta formam toties memoratae Innocentianae constitutionis et dum guardiani conventuum eliguntur, quolibet septemnio deputandus esset. Hinc memoratus Emmanuel Maria commissarius generalis, attento, quod Innocentiana constitutio praedicta huic petitioni minime adversari videatur, quippe quia in ea postquam alternativa praedicta fuit sancita, illius tamen observatio ministri generalis dicti ordinis pro tempore existentis arbitrio committitur, nisi aliter de assensu maioris partis collegiorum seu seminariorum huiusmodi missionibus utile ac proficuum futurum fore videretur, ac quatuor memorata collegia seu seminaria in hoc facile descendunt, ut scilicet collegio seu seminario de Pachuca proprius concedatur commissarius ac praefectus missionum, dummodo tamen alternativa praedicta inter collegia seu seminaria regularis observantiae dumtaxat locum teneat; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 5. Nos igitur pia eiusdem Karoli regis catholici desideria hisce desuper excipientes, ipsumque Emmanuelem Mariam commissarium generalem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, eidem collegio seu seminario de Pachuca suum proprium commissarium ac praefectum missionum, a commissario et praefecto missionum aliorum supradictorum quatuor collegiorum seu seminariorum penitus ac omnino separatum et divisum, perpetuis futuris temporibus auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ea tamen lege, ut septimo quoquo anno a missionariis dumtaxat dicti collegii seu seminarii, ac privative, novus commissarius ac praefectus huiusmodi eligendus sit: quod si durante septemnio huiusmodi dictus commissarius et praefectus viam universae carnis ingrediatur, tunc id servetur, quod circa guardianorum electionem a dicta Innocentiana constitutione praescribitur, excepta tantum convocatione capituli, quae tunc ab existente guardiano erit ineunda. Commissario porro ac praefecto huiusmodi sic electo, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, facultatibus, ac praerogativis, quibus commissarii et praefecti missionum aliorum collegiorum seu seminariorum regularis observantiae utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et potiri possunt, vel poterunt quomodolibet in futurum, etiamsi privilegia, gratiae, facultates, ac praerogativae huiusmodi eis specialiter et ad illorum dumtaxat petitionem nulla facta mentione de commissario et praefecto missionum dicti collegii seu seminarii de Pachuca praedicti fuissent concessa, uti, frui et gaudere libere ac licite possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis pariter impertimur.

Confirmatio facultatum praefecto pro tempore existenti iam concessarum.

§ 6. Insuper eidem commissario et praefecto pro tempore existenti viginti septem facultates alias a felicis recordationis Benedicto PP. XIV. praedecessore nostro dictis

quatuor collegiis seu seminariis sub die xv. decembris MDCCLVII. concessas specialiter tribuimus. Eique, ut durante munere suo huiusmodi sacramentum confirmationis, servata instructione a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum die xxi. martii an. MDCCLXXIV. edita, nec non servatis conditionibus, et signanter obtinendi in scriptis a locorum Ordinariis veniam, ab eadem Congregatione per suum decretum diei VIII. iulii eiusdem anni MDCCLXXIV. praescriptis, administrandi, nec non alium fratrem dicti collegii seu seminarii seu missionum nunc vel pro tempore eis concreditarum vel concredendarum alumnum, qui tamen probatae sit vitae ac aetatis, ut sacramentum confirmationis huiusmodi iuxta decretum dictae Congregationis a memorato Clemente XIV. praedecessore sub die x. iulii dicti anni MDCCLXXIV. approbatum ministrare posset, subdelegandi, suosque missionarios a praecepto non contrectandi neque accipiendi pecuniam in defectu sindicorum fidelium, ac sic urgente ac suadente necessitate vel earumdem missionum utilitate, quemadmodum per decretum dictae Congregationis de Propag. Fide die xx. sept. MDCXXXVIII. editum praefecto missionum fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum fuit concessum, dispensandi, ita tamen ut etiam guardiani collegii seu seminarii huiusmodi, tum fratres mendicantes rurales, tum missionarios, qui pro dicti collegii seu seminarii ac missionum utilitate iter habent, hisce desuper dispensare possint. Tandem commissario seu praefecto praedicto suos fratres ab onere recitationis divini officii seu horarum canonicarum eximendi, illudque in alias preces commutandi, a praecepto ieiunii et a carnium abstinentia, nec non a regula excalceatis ac pedibus incedendi regula hisce desuper illius onerando conscientiam, auctoritate nostra apostolica liberandi plenam et amplam facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Concessio officii et missae propriae S. Michaelis Archangeli.

§ 7. Tandem ad augendum sancti Michaelis Archangeli venerationem in terra, quemadmodum alias per nostrum decretum diei VI. aprilis MDCCLXXVII. collegiis seu seminariis de Querentano, Zacateras, Guatimala et Mexici indulsimus, sic eidem collegio seu seminario de Pacucha, ut festum diem eiusdem sancti Michaelis Archangeli veluti patroni principalis missionum sub ritu duplici primae classis cum octava vigesima nona septembris deinceps et futuris perpetuis temporibus celebrare libere ac licite possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis ac dictorum seminariorum seu collegiorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. martii MDCCXCII. pontificatus nostri anno XVIII.

CI.

Concedit nonnulla privilegia missionariis ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum.

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Aequitatis et iustitiae ratio postulat, ut iis qui in Ecclesia Dei strenue labora-

runt, praemia non desint, quibus et ipsorum honorificentiae consulatur, et alii ad huiusmodi labores alacriter subeundos excitentur. Ne itaque fratres ordinis minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, qui sacris missionibus in Georgia, Syria, Palestina, Romania, atque insulis maris Aegei in Indiis orientalibus et in aliis remotissimis partibus maximo cum labore, periculo et animarum fructu dant operam, iis frustrentur honoribus ac privilegiis, quae in propria regulari provincia pacatius morantes consecuti facile fuissent,

Tenor concessionis.

§ 2. De venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, qui relationem dilectorum filiorum moderni ministri generalis nec non definitoris generalis praedicti ordinis super praemissis attenderunt, consilio ac motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine modernis et pro tempore existentibus fratribus eiusdem ordinis, qui ex deputatione dictae Congregationis Cardinalium nunc et in posterum perseveranter ac laudabiliter sacras missiones in dictis partibus per decennium peregerint, et exinde ad proprias provincias reversi fuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, praecedentiis, gratiis et indultis quibus alii dicti ordinis fratres actu lectores tam de iure, usu et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo et absque ulla prorsus diffrentia uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si actuales lectores essent; ita ut inter ipsos fratres missionarios ac lectores servetur aequalitas, et quoad ordinem praecedentiae sola prioritas seu antianitas paternitatis attendatur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Declaratio specialis.

§ 3. Volumus autem, ut fratres missionarii praedicti privilegia aliaque indulta praedicta nullo modo assequi possint, nisi prius a memorata Cardinalium Congregatione testimonium referant se missionarii munus per decennium bene gessisse. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis imponendis poenis omnibus et singulis dicti ordinis superioribus fratribus et personis, ut missionarios praedictos huiusmodi gratiae commodo et effectu pacifice frui et gaudere sinant et faciant.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Non permittentes his desuper a quoquam indebite molestari, ac decernentes easdem praesentes literas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales et Sedis Apostolicae Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis eiusque provinciarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX. martii MDCCXCII., pontificatus nostri anno XVIII.

CII.

Committit Episcopo S. Iacobi de Chile, ut alternativam inter Croillos et Europaeos provinciae de Chile fratrum Ordinis S. Francisci statuat.

Venerabili fratri Episcopo S. Iacobi de Chile,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Decet Romanum Pontificem suae auctoritatis partes libenter circa ea interponere, per quae religiosorum statui opportune consulitur, ubi praesertim ex aemulationum ac dissidiorum incommodis adeo illorum animos scindi compertum sit, ut uberes fructus, quos Christifideles iure ac merito ex regularibus institutis sperant, quominus proferantur, quotidie praepediuntur.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§ 2. Nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli regis Hispaniarum catholici expositum est, quod, cum provincia de Chile fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci in divera studia divisa sit, suum regium Indiarum consilium, praevio maturo rerum examine, ad dirimendas controversias omnes, quae iamdiu eamdem provinciam perturbant, ac ad tollenda scandala, quae ex inde erumpunt, optimum futurum esse remedium consuluit, quatenus alternativa in muneribus ac officiis inter fratres dictae provinciae, Europaeos, scilicet Hispaniis natos, et Croillos, natos scilicet in America, constituatur: quapropter demandatum fuit commissario generali Indiarum ordinis praedicti, ut methodum in hac alternativa constituenda servandam proponeret, ut subinde, si ea opportuna dignosceretur, tibi illius exequutio esset committenda. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, methodus a memorato commissario Indiarum proposita ipsius Caroli regis catholici votis quam maxime accommodata visa sit: Nobis propterea memoratus Carolus rex catholicus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apoapostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur, qui eiusdem Caroli regis catholici desideriis, quantum in Domino possumus, semper favorabiliter annuere studuimus, supplicationibus huiusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cuius prudentia, fide, religionis zelo, ac summa in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut capitulum provinciale provinciae et ordinis praedictorum quantocius iuxta eiusdem ordinis constitutiones et statuta auctoritate apostolica approbata fieri poterit, auctoritate nostra apostolica convoces, in quo nostro et Apostolicae Sedis nomine te praesidentem cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus et oneribus similibus praesidentibus competentibus, ac alias solitis et consuetis auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus. Tibi tum ministrum provincialem, tum definitores dictae provinciae nominandi, et ubi etiam hi novi sic electi officiales inter se nimis discrepent, omnes alios superiores ac officiales ad omnia et singula eiusdem provinciae munera iuxta datam tibi a Domino prudentiam eadem auctoritate designandi et deputandi plenam et amplam facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur. Volumus insuper, tibique iniungimus, ut in eodem sic convocato capitulo alternativam praedictam inter Europaeos, in Hispaniis scilicet natos, et Croillos, in America videlicet natos, in fungendis dictae provinciae muneribus infrascriptis legibus ac conditionibus nostra auctoritate praedicta constituas et firmes.

Leges concessioni adnexae.

§ 4. Primo, ut nempe in posterum nunquam quod ad unam ex fratrum huiusmodi classe spectat, alteri incorporetur, atque in incorporatione huiusmodi perficienda, non loci, ubi regularis professio ab eis respective emittetur, sed ubi tantum nati erunt, ratio habeatur: quod idem dictum esse statuimus pro iis, qui nunc eamdem provinciam constituunt. Secundo: Ut omnia et singula officia et munera, quae in tabulas capitulares referuntur, aequis partibus inter duas memoratas fratrum classes, ita ut quilibet illarum officiorum ac munerum huiusmodi comprehensis praelaturis et cathedris medietatem sibi habeat. Tertio: Ut alternativa huiusmodi a classe Europaeorum exordiatur, ita ut provincialis, duo definitores, et custos ex Europaeis, alii vero duo definitores ex classe Croillorum seu Americanorum erunt sumendi; sic e contra in sequenti triennio, provincialis, duo definitores et custos ex Americanis, duo vero alii ex Europaeis erunt, et sic deinceps alternatim erit semper servandum. Quarto: Ut deficiente, vel dimittente, aut quavis alia de causa vacante provincialatu, seu officio custodis, in vicarium defecti provincialis aut in substitutum custodis alter ex eadem classe sufficiatur, qui usque ad exitum incoepti triennii dumtaxat munere

huiusmodi fungetur. Quinto: Ut sic pariter servetur, deficiente altero ex definitoribus, ut is nempe substituatur ei ex eadem classe, cui ex statutorum ac constitutionum dicti ordinis hoc ius competit. Sexto: Ut deficiente ex-provinciale seniori, aut patre immediato, tunc ea, quae a generalibus constitutionibus apostolicis ac legibus et statutis dicti ordinis praescribuntur, omnino serventur. Septimo: Cum provincia praedicta ex decem ac septem conventibus ac quatuor hospitiis constituatur, in quolibet propterea triennio classis, e qua assumptus erit provincialis, habebit octo dumtaxat guardianias, seu guardianos, et duos praesides, seu praesidentias, ex altera parte erunt seligendi caeteri novem guardiani et duo praesides, ita tamen, ut nulla ex guardianiis seu praesidentiis huiusmodi uni classi peculiariter assignetur; ut hinc utraque classis maiori aut minori conventuum et hospitiorum commodo aeque fruatur, ac omnia eis aeque communia sint. Octavo: Ut praelaturas, quae per unum triennium ab altera ex dictis classibus obtinentur, omnes et singulas in sequenti triennio altera classis adipiscantur, ut sic in omnibus utraque classis aequiparetur. Nono: Ut quod de praelaturis sancitum est, sic pariter dispositum habeatur pro substitutis nominandis usque dum officia praelaturarum, cathedrarum, pulpitorum, aliorumque huiusmodi in eadem classe conferantur. Decimo: Ut ex decem ac septem cathedris theologiae octo cuilibet classi assignentur, decima vero septima utrique classi alternatim, exordiendo a classe Europaeorum, conferatur. Undecimo: Ut nec secus constituatur pro sex cathedris philosophiae: subsistente vero septima cathedra huiusmodi in conventu de Mendoza, haec sic alternatim, ut de cathedris theologicis dispositum est, exordiendo semper a classe Europaea, erit conferenda. Duodecimo: Ut pulpiti quoque inter Europaeos ac Croillos, seu Americanos, aequis partibus dividantur, ita tamen, ut ubi duo essent praedicatores seu concionatores principales, singuli singulis donentur. Decimotertio: Ut cum commissario generali Indiarum dicti ordinis, ut asseritur, iuxta sui ordinis constitutiones et statuta spectet collatio cathedrarum tertiae theologiae, nisi praevia definitorii informatione de ac super qualitate candidatorum, ac servata semper inter duas classes alternativa praedicta, cathedras huiusmodi ei conferre liceat. Decimoquarto: Ut, quatenus in altera ex dictis classibus tot non reperiantur alumni capaces ad sustinenda munera ac officia classi huiusmodi debita, tunc et eo casu munera seu officia huiusmodi vacantia interim, ac per modum depositi, individuis alterius classis erunt demandanda, usquedum scilicet in prima classe tot esse alumnos capaces probetur, quot requiruntur ad eadem officia ac munera fungenda: hac tamen prima vice, quatenus eligendi sint hi interinales officiales, tuum erit eos seligere, quos magis ad eadem officia idoneos pro tuo arbitrio et conscientia reputabis, ita tamen, ut sic muneribus ac officiis huiusmodi fungentes omnibus praerogativis, privilegiis ac exemptionibus utentur, fruentur et gaudebunt, quibus iuxta constitutiones et statuta dicti ordinis usi, potiti et gavisi essent, si eadem officia ac munera non per modum depositi ac interim eis fuissent demandata, sed ea in sua classe obtinuissent. Decimoquinto: Ut omnes tam Croilli, seu Americani, quam Europaei, qui vel nuperrime eidem provinciae adfiliati sunt, vel in posterum concorporabuntur, ad omnia et singula munera ac officia dictae provinciae obtinenda iuxta illorum meritum ac idoneitatem capaces sint, ac etiamsi per tres annos munere guardiani perfuncti non sint, dummodo tamen in sua cuiusque classe alii non sint opportunis requisitis ac qualitatibus donati, in definitores eligi poterunt. Decimosexto: Ut pro eo, quod spectat ad alias faciendas electiones, omnino serventur canonica et dicti ordinis statuta, suffragium ferentibus decem iubilatis, quinque in singulam classem, et, uno ex eis deficiente, antiquior iubilatus eiusdem classis in illius locum erit sufficiendus; nullo vero classis huiusmodi existente, quemadmodum pro aliis officiis ac muneribus cautum praescriptumque est, sic pariter tunc per modum depositi ac interim antiquior iubilatus alterius classis suffragium ferret: quod idem retinendum erit pro praedicatoribus generalibus de numero. Decimoseptimo: Ut in qualibet capitulorum huiusmodi de ac super illorum interpretatione aut quavis alia re dubietate vel necessitate aliquid circa praemissa addendi, vel adimendi, prius a provisore et definitorio, vel a te erit perpendendum, statuendumque, subinde commissario generali significandum, ut hoc ipsum firmet, suamque sententiam consilio Indiarum praedicto ad illius obtinendam approbationem et executionem exhibeat.

Declaratio specialis.

§ 5. Haec sunt, venerabilis frater, quae ad constituendam memoratam alternativam per te in praedicto capitulo provinciali, ut praemittitur, praescribi desideramus. Volumus tamen, ut interim, et usque dum novi provincialis, definitorii, aliorumque praelatorum dictae provinciae electio fiat, modernos superiores praedictos in suis respective muneribus durare, licet terminus illorum respective electionis iam elapsus sit, hisce desuper omnes et singulos iuris et facti defectus, qui quomodolibet intervenerunt, sanando et validando, ita ut nunquam illorum administrationis et gubernii dictae provinciae validitas controverti aut in iudicium vocari possit, auctoritate nostra praedicta decernas atque declares. Nos enim tibi non solum omnem et quamcumque facultatem, quae circa praemissa et alia quaecumque per constitutiones et statuta dicti ordinis, atque apostolicas constitutiones commissario ganerali Indiarum eiusdem ordinis competet, sed etiam omnem aliam necessariam et opportunam ad haec omnia et alia quaecumque, quae ad praemissorum omnium prosperum exitum quomodolibet spectare possunt, faciendi, gerendi, exequendi, et exequi mandandi plenam et amplam facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis eorumdem fratrum superioribus quocumque nomine nuncupatis, caeterisque, ad quos spectat, ut te capituli provincialis praedicti, ut praefertur, convocandi nostro et Sedis Apostolicae nomine praesidentem reverenter suscipiant, tibique in omnibus et singulis praemissis pareant, obediant et adsistant, tuaque salubria monita et iussa humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Ac decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernunt, quomodolibet in futurum cuiusvis status, gradus et dignitatis existant, inviolabiliter et inconcusse observari, nec non de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Clementis PP. XIV. in simili forma brevis die XVI. maii anni MDCCLXXI. expeditis literis, quibus eidem provinciae alternativam *del Nord Sud* nuncupatam concesserat, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et provinciae praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. iulii MDCCXCII., pontificatus nostri anno XVIII.

CIII.

Utrique clero civitatis et dioecesis Angelopolitanae officium et missam Sancti Ioannis Nepomuceni sub ritu duplici secundae classis concedit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus Angelopolitanus, nec non dilecti filii capitulum et canonici dictae

cathedralis ecclesiae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Sanctum Ioannem Nepomucenum geruht devotionis, affectu, ritum officii eiusdem Sancti per nos elevari summopere cupiant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Carolo Erskine fidei promotore: ut in posterum ab universo clero saeculari et regulari dictae Angelopolitanae civitatis et dioecesis officium Sancti Ioannis Nepomuceni praedicti sub ritu duplici secundae classis recitari possit ac valeat, ad quem effectum ritum officii huiusmudi a duplici minori ad duplicem secundae classis pro utroque clero praedicto elevamus, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis et dioecesis praedictae eiusque cleri etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IV. ianuarii MDCCXCIII. pontificatus nostri anno XVIII.

CIV.

Pro ordinationibus Graecorum in Sicilia degentium Episcopum eiusdem ritus constituit; eique in perpetuum, nunc pro tunc, addicit abbatiam Maria de Gala *dioecesis Messanensis, assignatis interim reditibus beneficii S. Pancratii latini ritus.*

PIUS PP. VI.

ad perpetuam rei memoriam.

Commissa nobis divinitus Ecclesiarum omnium solicitudo postulat, ut quae a praedecessoribus nostris vel instituta vel incepta sunt ad orthodoxae Religionis uberiorem progressum, praesidium et decus, libenter confirmare servareque conemur, et quantum in Domino possumus ad optatum exitum perfectionemque deducamus.

§ 1. Cum itaque, sicut ex indubiis monumentis accepimus, venn. fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi usque ab anno MDCCXVIII., instantibus alumnis Collegii Graecorum de Urbe aliisque viris piis ac religiosis, in animo habuerint consulere spiritualibus indigentiis Italo-Graecorum seu Albanensium, quorum maxima copia est in regnis utriusque Siciliae et in Calabriâ praesertim, titularem ibi Archiepiscopum seu Episcopum iis in locis constituere, qui nonnullis abusibus in graecum ritum invectis salutaria compararet remedia, omniaque ad pristinum nitorem restitueret, eosdemque Italo-Graecos seu Albanenses graecarum literarum sacrarumque caeremoniarum proprii ritus omnino expertes instrueret, et ad sacros ordines promoveret: cumque proinde fel. record. Clemens PP. XII. praedecessor noster in Bisinianensi dioecesi Seminarium seu Collegium ecclesisticum, Corsinum nuncupatum, pro certo puerorum Italo-Graecorum in illo instruendorum et alendorum numero perpetuo erexerit dotaveritque, deinde vero eiusdem Collegii regimen et administrationem perpetuo commiserit Antistiti graeci ritus in parti-

bus infidelium, quibusdam ei attributis facultatibus, illâque inter ceteras, ut Antistes praefati Collegii praeses pro tempore existens in eiusdem Collegii ecclesiâ omnia et singula pontificalia exercere posset, et ad sacros ordines promovere non tam dicti Collegii alumnos, quam alios quoscumque Italo-Graecos utriusque regni Siciliae citra et ultra Pharum incolas, prout in decretis praedictorum venn. fratrum nostrorum die XXII. decembris MDCCXXXIV., et IV. februarii MDCCXXXV. ab eodem Clemente praedecessore nostro confirmatis duabus apostolicis literis in formâ Brevis, alteris sub datum IV. idus iunii MDCCXXXV. incipientibus *Super dispositione*, alteris sub datum prid. kal. aprilis MDCCXXXVII. incipientibus *Provida Pastoralis Officii*, latius uberiusque continetur (1).

§ 2. Cum autem praecipua ratio, quae laudatos viros venn. fratres nostros, eumdemque fel. record. Pontificem Clementem praedecessorem nostrum impulit, ut Antistiti graeci ritus, in praesidem memorati Collegii in eâdem Bisinianensi dioecesi sic electo et constituto, mox expressam tribueret facultatem pro cunctis Italo-Graecis in utrâque Siciliâ degentibus, in hoc versetur, ne iuvenes italo-graecae gentis huiusmodi pro dictis sacris ordinibus accipiendis incommoda et expensas amplius subire tenerentur accedendi ad Urbem nostram, ibique ab Episcopo graeci ritus, ad id muneris explendum per S. Sedem constituto, eosdem ordines suscipere iuxta praxim ad illud usque tempus servatam, et ad formam constitutionis fel. record. Clementis PP. VIII. praedecessoris itidem nostri desuper editae, cui quoad hoc Clemens praedictus PP. XII. expresse et specialiter derogavit; reliquum erat, ut quemadmodum huiusmodi graeci Antistitis in Bisinianensi dioecesi perpetuo residentis deputatione consultum fuerat Graecorum in Calabriâ degentium commodo et emolumento, ita quoque depûtatione alterius Antistitis titularis eiusdem graeci ritus, qui in Siciliâ ultra Pharum residens Italo-Graecis eam insulam incolentibus sacros ordines conferre valeret cum literis dimissorialibus Ordinariorum respective suorum, eorumdem Italo-Graecorum praedictae insulae utilitati consuleretur.

§ 3. Quod igitur praedicti Graeci in eodem Siciliae regno atque insulâ commorantes, aegreque ferentes pro sacris ordinibus suscipiendis longum aerumnosumque aggredi iter, accedendi vel ad hanc nostram Urbem vel ad Bisinianensem dioecesim, ubi unicus degit Antistes graeci ritus, iamdiu vehementer optabant, id nuperrime sunt consecuti pietate ac munificentiâ carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi utriusque Siciliae Regis, qui ut facilius a nobis obtineret deputationem alterius Antistitis titularis graeci ritus in Siciliâ ultra Pharum perpetuo permansuri, ibique sacros ordines collaturi hominibus eiusdem ritus eam insulam incolentibus, cum literis dimissorialibus respectivorum Ordinariorum, rogavit, ut eidem Antistiti pro tempore existenti pro eius congruâ, iuxta pontificalis dignitatis exigentiam, sustentatione Abbatiam S. Mariae de Gala sui regii patronatus perpetuo addiceremus, quam nunc obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta in commendam ad sui vitam ex regiâ nominatione, nec non ex concessione et dispensatione apostolicis praedicto Antistiti graeci ritus sic, ut praefertur, deputando, donec eadem Abbatia vacare contigerit, administrationem et reditus vacantis beneficii Sancti Pancratii ritus latini interea a nobis assignari posse consensit.

§ 4. Nos igitur, qui et piissimae praedicti Regis voluntati obsecundare, et quamplurimis incommodis atque expensis hactenus importatis per defectum Antistitis graeci ritus in Siciliâ ultra Pharum residentis dilectis filiis Italo-Graecis in eodem regno commorantibus, sacris ordinibus initiandis, parcere vehementer cupimus, motu proprio, auditoque etiam consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium praedictae Congregationis de Propagandâ Fide nobis per dilectum filium Stephanum Borgia eiusdem Congregationis Secretarium exhibito, Antistitem graeci ritus in partibus infidelium, qui apud Ecclesiam sibi commissam, impiâ eorumdem infidelium sic cogente tyrannide, personaliter residere non valens, in regno Siciliae ultra Pharum resideat, ibique Italo-Graecis eiusdem regni incolis, dimissoriales suorum respective Ordinariorum literas sibi exhibentibus, sacros ordines in ecclesiâ S. Demetrii loci vulgo *della Piana* nuncupati Panormitanae dioecesis, absque ullâ Ordinarii eiusdem loci, Archiepiscopi nempe Panormitani, licentiâ, in aliis vero ecclesiis tum Panormitanae

(1) Harum lit. secundam vide t. II., p. 485, primam in Appendici.

tum aliarum dioecesum, de Ordinariorum licentiâ, conferre, atque alias ecclesiasticas functiones graeci ritus peragere valeat, tenore praesentium perpetuo constituimus et deputamus.

§ 5. Eidemque Antistiti pro tempore existenti, et ab eodem carissimo in Christo filio nostro Ferdinando utriusque Siciliae Rege eiusque successoribus nominando, vigore sui regii patronatus, supradictam Abbatiam S. Mariae de Gala in dioecesi Messanensi, quam in commendam obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta, cum vacare contigerit, nunc pro tunc perpetuo addicentes, interinamque administrationem perceptionemque fructuum vacantis beneficii S. Pancratii latini ritus, regiique patronatus, queis, donec praedicta Abbatia vacare contigerit, se alere valeat propriamque dignitatem tueri, regio accedente consensu, indulgentes et condonantes, eas omnes facultates concedimus et impertimur, quoad sacras ordinationes Italo-Graecorum Regni Siciliae ultra Pharum, quas fel. recordationis praedecessor noster Clemens PP. XII. concessit Antistiti graeci ritus in Seminario Corsino a se in Calabriâ erecto degenti in suis supralaudatis apostolicis literis in formâ Brevis, quibus quoad ordinationes dumtaxat Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharum, hac nostrâ perpetuo valitura constitutione expresse ac specialiter derogatum volumus; iisdemque apostolicis literis quoad reliqua in suo robore permansuris.

§ 6. Non obstantibus etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX. ian. MDCCXCIII., pontificatus nostri anno XVIII.

CV.

Archiep. Goanum arguit, quod impeditus ab Anglis iurisdictionem suam in Bombainam insulam exerceat, nolit illam interim exerceri a Vic. Ap. ad id deput.; et declarat hunc statim a munere destituturum, cum Archiep. pristina iura exercendi fiat potestas (1).

Ven. fratri Emmanueli Archiepiscopo Goano,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Iamdudum a Goanis Archiepiscopis atque ab administris fidelissimae maiestatis pluries ad nos querimoniae deductae sunt de concessa a nobis Vicarii ad Imperium Mogol iurisdictione in Insulâ Bombaina, ac si eam proinde praedictis Goanis Praesulibus auferre nobis in animo fuisset. Unum vero semper idemque responsum dedimus, nihil profecto nos morari, quin Goanus Antistes plenissimam in illâ Insulâ iurisdictionem exerceat, cuius ne minimam quidem partem, eo exercente, nemo alius a nobis poterit impetrare. Iam enim ab anno MDCCXVIII. cum inde Angli Lusitanos omnes presbyteros Iesuitas primum, deinde Franciscanos, postremo vero ipsos Metropolitani Vicarios eiecissent, miser ille catholicorum grex, quum ducem et rectorem nullum haberet in viâ salutis aeternae, ad hanc universalis Pastoris Cathedram manus tetendit, aliquem efflagitans qui panem Evangelicum sibi frangeret; ac tunc, ipsis non abnuentibus Anglis, ab hac Apostolicâ Sede impertita est facultas Vicariis Apostolicis in Imperio Mogol degentibus, ut catholicos in Insulâ Bombainâ pascerent, donec, dissidiis ibidem inter Anglos Lusitanosque compositis, rursus Archiepiscopo Goano pristina sua iura exercendi potestas fieret. Te vero, ven. frater, quod omnes industriae tuae nervos conatusque exerueris, ut, amoto status Britannici impedimento, iurisdictionem Goanae sedis in eâ Insulâ restitueres, magnopere laudamus. Mirifice vere laetati sumus, quum id te feliciter obtinuisse cognovimus. Quid enim unquam optabilius esse potest, quam quod Ecclesia subditis suis plenâ imperet potestate? Cur etiam missionarios suos et Vicarios ubique gentium constituit haec Apostolica Sedes, nisi quod ut Episcopis, ubi adsunt suamque potestatem libere exercent, praesto sint, eorumque mandatis pareant, ubi vero desunt aut aliquâ ex causâ impediti praeesse fidelibus nequeunt, illorum vices suppleant, et Apostolicae Sedis auctoritate animarum regimen suscipiant?

(1) Ex Bull. de P. F. coll. cum Reg. Vat. ep. ad principes viros et alios.

Quando enim unquam ad facultates missionariis et Vicariis impertitas propriae et legitimae iurisdictioni praeferendas sese unquam induxit, nisi extremâ ad hoc necessitate coacta? Porro ne illud quidem Tibi esse debet inexploratum, doluisse nos ex animo, quum primum ex literis tuis audivimus, iterum iurisdictionem Goanae Sedis edicto Londinensis Curiae ex Insula Bombainâ ablatam fuisse. Quodque haec dolens ad nos perscripseris gemitusque tuos ad hanc S. Sedem effuderis, acceptum valde gratumque fuit. Maximas enim gratias tibi profitebimur, quotiescumque partem aliquam Apostolicae nostrae solicitudinis sublevare studueris. Verum quod petis, ut, te ab Anglis eiecto, nos etiam Vicarium nostrum Victorium Episcopum eiiciamus, id a caritate christianâ atque a iustitiâ omnino absonum arbitramur. Tunc enim rursus Bombainenses sine pastore ac duce oves misere errantes sub heterodoxo Imperio remanerent. Nonne vero tute ipse fateris Episcopum Victorium, statim ac spirituales Insulae habenae a te resumptae fuerunt, ab omni Ecclesiae regimine prorsus destitisse? Te ipso igitur confitente, tuam iurisdictionem Victorius nunquam tibi praeripuit, sed eam, qua modo cares, vicariâ nostrâ potestate administrat, donec eam denuo adipisci queas. Cur autem id ipsum nolis, ac nullum potius, si tu esse nequis, in Insulâ Bombainâ catholicum pastorem esse desideres? Numquid ergo per te divisus est Christus, ac quia Bombainenses iurisdictioni Archiepiscopi Goani parere non possunt, eos omni christianae Religionis pabulo destitutos idcirco esse pateris? Num ne aliquis Archiepiscopus Goanus pro Bombainensibus crucifixus est, aut in illius nomine baptizati? Atque ita quidem Corinthios increpabat Apostolus Paulus, eo quod schismata inter eos essent, atque unusquisque diceret: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae.* Optabat enim, ut quicumque Evangelii praeco esset, dummodo Christum praedicaret, ab omnibus absque ullâ divisione exciperetur et audiretur. Quapropter in Epistolâ ad Philippenses inquit: *Quidam ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Quanto magis et tu gaudere debes, ven. frater, quod non ad contentionem, neque ad tuae auctoritatis invidiam, missi ab hac Apostolicâ Sede operarii tuas supplentes vices in istis remotissimis regionibus spargant Evangelii semina, fidemque catholicam, quam latissime fieri potest, praedicent atque dilatent? Frustra autem de quibusdam calumniis ac dolis, tamquam de subortis offensionum causis inter Anglos et Lusitanos, ad nos conquereris. Nihil enim ad nos attinet eas cognoscere et investigare, quum tantum nostri sit muneris catholici gregis bono atque incolumitati, quantum quidem in nobis est, consulere ac providere. Quapropter si tibi imposterum per Anglos potestatem tuam in Insulâ Bombainâ exercere licebit, tunc nullus alius praeter te pastor ibidem esse debebit. Donec autem id ipsum non liceat, ad nos cura devolvitur, ne oves viduatae pastoribus ingemiscant, et a viâ salutis aberrent. Minime dubitamus, ven. frater, quin ipse eo excipias animo responsi huius nostri sensus, quo nos illud perscripsimus, ad animarum scilicet tuae fidei commissarum salutem singulariter respiciente, tibique una paternae benevolentiae pignus elargiente apostolicam benedictionem, quam item in divinorum munerum auspicium, ut tibi, ita isti universo gregi impertiri a nobis ex intimo corde velimus existimes.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXIII. ian. MDCCXCIII., pontificatus nostri anno XVIII.

CVI.

Instante rege catholico separantur provinciae clericorum regularium ministrantium infirmis in Hispania atque America existentes a corpore congregationis, ac eriguntur in novam congregationem.

PIUS PP. VI.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Apostolicae Sedis auctoritas, qua universi catholici orbis consulit felicitati, religiosorum ordinum commodo et tranquillitati sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sancitis legibus decreverit, quae ad illorum regimen atque incolumitatem conferre in Domino videretur. Prooemium.

§ 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, urgentissi- Expositio precum porrectarum a rege catholico.

mis de causis separationem provinciarum Hispanae scilicet et Americanae clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis a praeposito generali extero, ac easdem provincias in novam congregationem Hispanam per nos erigi summopore desiderare.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos, rite ac mature perpensis rationum momentis, quae separationem ac respective erectionem huiusmodi suadere poterant, atque enixis eiusdem Karoli regis catholici hisce desuper semel, iterum, ac tertio exhibitis precibus favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere, clericosque provinciarum ac congregationis praedictarum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus memorati Karoli regis catholici nomine nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas provincias clericorum congregationis ministrantium infirmis, omnes scilicet domos eiusdem congregationis in Hispaniis ac America eidem Caroli regi catholico subiectis consistentes, ac personas omnes a subiectione, iurisdictione, correctione, obedientia et visitatione praepositi generalis dictae congregationis perpetuo auctoritate apostolica tenore praesentium eximimus et liberamus, easdemque provincias seu domos praedictas sic exemptas et separatas in novam congregationem Hispanam clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis nuncupandam auctoritate et tenore praedictis erigimus et instituimus.

Consulitur bono regimini congregat.

§ 4. Praeterea, cum haec quoque congregatio sic a nobis per praesentes erecta ab uno Vicario generali, quatuor consultoribus, ac uno arbitro, et a secretis regi et gubernari debeat, qui omnes iisdem facultatibus, auctoritate, honoribus, praerogativis, privilegiis ac exemptionibus polleant, quibus praepositus generalis totius congregationis praedictae ac consulta generalis respective pollent, suisque officiis eodem prorsus modo et forma, quae ab apostolicis literis, decretis ac rescriptis itidem apostolicis et constitutionibus congregationis praedictae sunt praescripta, fungi debeant, clericos novae congregationis huiusmodi tum vicarium generalem, tum memoratos officiales iuxta regulares dictae congregationis constitutiones auctoritate apostolica confirmatas sibi eligendi, nec non etiam praefectos seu superiores locales deputandi plenam et amplam facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Concessio indultorum, privilegiorum et gratiarum.

§ 5. Tandem eidem congregationi sic noviter erectae, illiusque ecclesiis et clericis regularibus nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis favoribus, indulgentiis, exemptionibus, indultis, suffragiis, aliisque gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus eadem congregatio, illiusque ecclesiae ac clerici ante dismembrationem, separationem, et exemptionem praedictam utebantur, fruebantur ac potiebantur, seu uti, frui et gaudere poterant, pari modo etiam in posterum uti, frui et gaudere libere ac licite possint et valeant, in omnibus et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones et indulta huiusmodi ipsi congregationi post suam separationem et exemptionem praedictam, illiusque ecclesiis, et clericis specialiter concessa reperirentur, ita tamen ut defunctis suffragia praestent a capitulis generalibus ordinata, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, synodalibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac

cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXIX. ian. MDCCXCIII., pontificatus nostri anno XVIII.

CVII.

Ecclesiae confraternitatis S. Iosephi civitatis de Buenos Ayres in Indiis missam votivam per septem dies de S. Iosepho quotannis concedit.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis S. Iosephi et animarum purgantium coemeterii hospitalis Bethlehem nuncupati civitatis Ssmae Trinitatis de Buenos Ayres in Indiis, quod ipsi pro eo, quem erga eumdem Sanctum Iosephum gerunt, devotionis affectu in septemnario, quod in eius honorem quotannis celebrare consueverunt seu intendunt, unam missam votivam solemnem propriam, ut in die eius festo, celebrari facere posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris, eisdem, ac pro tempore existentibus confraternitatis praedictae confratribus, ut in posterum in eorum ecclesia per septem dies, in quibus quotannis peragetur dictum septenarium in honorem eiusdem Sancti Iosephi, una missa votiva solemnis propria, ut in die eius festo, ad instar votivae quotidie, dummodo non occurrat festum duplex primae et secundae classis, vel dominicae, aut feria privilegiata, celebrari libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque confraternitatis eiusque ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. iulii MDCCXCIII., pontificatus nostri anno XIX.

CVIII.

Instantibus monialibus B. M. V. Remediorum de Potosi Charcasensis dioecesis in Indiis, indulgetur eisdem, ut officium sanctissimi Sacramenti semel in mense, diebus non impeditis, recitare valeant sub ritu duplici.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii Beatae Mariae Virginis Remediorum nuncupatae Ordinis Sancti Augustini oppidi de Potosi Charcasensis dioecesis in Indiis exponi nobis nuper fecerunt, ipsae pro eo, quem erga Sanctissimum Sacramentum gerunt, devotionis affectu, semel in mense officium eiusdem Sanctissimi Sacramenti recitare posse summopere cupiant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, audito etiam dilecto filio Aloysio Gardelini pro-promotore fidei: ut imposterum dictis exponentibus liceat semel in mense, die non impedita ab officio novem lectionum, recitare officium Sanctissimi Sacramenti ritu semiduplici, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum, sive cum ieiunio, sive absque ieiunio, nec non feria secunda rogationum, atque aliis feriis in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici vel semiduplici translato, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, facta etiam potestate sacerdotibus omnibus in earum ecclesiam ad sacrificandum convenientibus missam respondentem eidem officio celebrandi.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii et ordinis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. martii MDCCXCIV., pontificatus nostri anno XX.

CIX.

Missionariis Ordinis Praedicatorum a California redeuntibus privilegia concedit iuxta tempus quo in missionibus peragendis perseveraverint.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter multa atque praeclara, quae reges Hispaniarum catholici pro sua pietate ad catholicam religionem propagandam divinumque cultum augendum usque gesserunt, omnem etiam curam ac studium impenderunt, ut in Caliphornia sibi subiecta, dispulsis idololatriae tenebris, evangelicum lumen per vigilantes ac sedulos operarios undique diffunderetur: quamobrem haec difficilis atque operosa provincia dilectis filiis fratribus Ordinis Praedicatorum concredita fuit.

Ratio concessionis.

§ 2. Verum, quia carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus avitae pietatis et religionis aemulus et imitator, ne fratres ordinis praedicti interdum spe graduum, quos in sua religione obtinuissent, quatenus in suis respective conventibus ad eos promerendos commorati essent, ab hoc ministerio suscipiendo averti possint, veretur; hinc memoratus Carolus rex catholicus aliquos gradus iis, qui in munere huiusmodi praeclare se praebuerunt, iuxta illorum merita per nos concedi summopere desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur, qui ex pastoralis officii humilitati nostrae ex alto concrediti debito, de iis, qnae ad religionem et animarum salutem pertinent, quammaxime solliciti esse tenemur, piis ipsius Caroli regis ca-

tholici votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac omnes et singulares personas, quibus hae praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, omnibus et singulis iuribus dicti ordinis, de quibus per literas testimoniales vicarii provincialis missionum, ordinarii ecclesiastici, et pro-patroni regii, etiam, quatenus opus erit, apud consilium regium Indiarum eiusdem Caroli regis catholici exhibendas, in regnis Indiarum se in optimos ministros evangelicos gessisse constet, si per duodecim annos gradum praedicatoris, seu concionatoris generalis, si per sexdecim annos gradum praesentati, si per viginti annos gradum magistri, et, quatenus etiam praeterea munere vicarii provincialis per quinquennium functi sint, gradum exprovincialis in omnibus et singulis suis provinciis ac conventibus cum omnibus respective honoribus, privilegiis, iuribus, gratiis et indultis, quae gradibus praedictis iuxta eiusdem ordinis statuta et stabilimenta vel de iure, usu et consuetudine adnexa sunt, in omnibus et per omnia perinde ac si eosdem gradus de iustitia obtinuissent, auctoritate apostolica sine ulla necessitate literarum patentalium magistri generalis dicti ordinis, sed vigore dumtaxat praesentium, concedimus et indulgemus.

Sanctio poenalis.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro infligendis poenis, omnibus et singulis superioribus, provincialibus, ac fratribus et personis, caeterisque quibuscumque, ad quos quomodolibet spectat, et in futurum spectabit, ut eos gradibus, honoribus ac privilegiis praedictis uti, frui et gaudere sinant et permittant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. iulii MDCCXCIV., pontificatus nostri anno XX.

CX.

Ut officium cum missa iam approbata Sancti Ioannis Nepomuceni quotannis die decima sexta mensis maii ritu duplici minori recitari possit in civitate et dioecesi de Popeian in Indiis indulget.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§ 1. Quum, sicut venerabilis frater Episcopus et dilecti filii decanus et capitulum cathedralis Ecclesiae de Popeian in Indiis nuper nobis exponi fecerunt pro eo, quo ipsi studio flagrant, ac pietate in Sanctum Ioannem Nepomucenum fortissimum Christi martyrem, valde cupiant illius cultum apud se radices agere, lateque diffundi; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur praefatos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volen-

tes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati; audito etiam dilecto filio magistro Dominico Coppola Congregationis sacrorum Rituum secretario, ut quotannis die XVI. mensis maii a clero saeculari eius civitatis et dioecesis, nec non a religiosis et monialibus, calendario dioecesano utentibus, recitari officium possit cum missa iam adprobata S. Ioannis Nepomuceni ritu dupl. min. servatis quidem diligenter rubricis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque civitatis et dioecesis consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI. iulii MDCCXCIV., pontificatus nostri anno XX.

CXI.

Damnatio quamplurium propositionum excerptaram ex libro italico idiomate impresso sub titulo « Atti, e decreti del concilio diocesano di Pistoia nell'anno 1786. » (In Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione), cum prohibitione eiusdem libri et aliorum quorumcumque in eius defensionem tam forsan editorum, quam posterum edendorum (1).

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Auctorem fidei et consummatorem Iesum aspiciente, nos iubet Apostolus (2), sedulo recogitare qualem quantamque ille substinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessum est, cum adversus corpus ipsummet Christi, quod est Ecclesia (3), dirae istius nec umquam desiturae coniurationis aestus acrius exardescit: ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius, scuto fidei protecti resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extinguere (4). In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda: gravior nobis, quibus pro credita pastorali nostrae sollicitudini gregis totius cura et moderatione, *maior cunctis christianae religionis zelus incumbit* (5). Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium, qui gravantur,* quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit nos, et sublevat apostolici huiusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut, qui semel tradita sibi a Christo ecclesiae gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione, ac tuendos haeredes dedisset.

Prooemium.

§ 2. Et in hisce quidem aerumnis quae undique circumstant, ad caeterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat nos gaudere, maiorem inde tri-

Temporum aerumnae referuntur.

(1) Utile et opportunum visum est celeberrimam constitutionem *Auctorem fidei* hic addere, qua Pistoriensem Synodum P. damnavit, et in qua plurima ad fidem catholicam et disciplinam Ecclesiae spectantia omnibus et ubique scitu necessaria continentur quamque PP. infra in medium afferunt.

(2) Ad Hebr. 12.
(3) Ad Coloss. 1.
(4) Ad Ephes. 6.
(5) S. Siricius ad Himerium Tarrac. *Epist. 1 ap. Coust.*

stitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctae Ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda* (1).

Mala agendi ratio Episcopi Pistoriensis et Pratensis reprobatur.

§ 3. Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis urbis et prope Apostolorum limina, fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Riccis antea Episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna caritate complexi sumus, qui vicissim nobis atque huic Apostolicae Sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemnis iurisiurandi religione obstrinxit. Atque is ipse non longo intervallo posteaquam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam christianae institutionis formam iam pridem invexerant ac pene defixerant, non ille pro eo ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Synodum indixisse refertur unde novum vulnus fuit religioni illatum.

§ 4. Quin etiam cum et hortatu nostro ad synodum dioecesanam animum adiunxisset, praefracta eius in suo sensu pertinacia effectum est: ut, unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane, postquam synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquandiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Acta synodalia theologis et sacrae Congregat. revidenda commisit Pontifex.

§ 5. Quae cum cerneremus, quo graviora sunt per se se, tanto impensius pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando vel comprimendo accommodatiora viderentur. Atque in primis, sapientis moniti memores praedecessoris nostri B. Zosimi (2), *ea quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare,* synodum ab Episcopo editam primum quatuor Episcopis, aliisque adiunctis e clero saeculari theologis, examinandam commisimus, tum et plurium S. R. E. Cardinalium aliorumque Episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram nobis voce et scripto edita excepimus: qui et synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione, plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt: quorum auditis perpensisque animadversionibus, illud quoque nobis curae fuit, ut selecta ex tota synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

Remedia adhibita ut errores irrepti in actibus synodalibus corrigerentur et reprimerentur.

§ 6. Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures nostri sanctissimi praedecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum, commendatumque reliquissent. Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui, catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum (3) latens error lenius influat in animos, fiatque ut, corrupta per brevissimam adiectionem aut commutationem veritate sententiae, confessio quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta, fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda, cuius est haec laus praecipua, eam

(1) S. Coelest. 1 *ep. 12 apud Coust.*
(2) S. Zosimus *ep. 2 ad Coust.*
(3) S. Leo M. ep. 129 edit. Baller.

in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correcta reperiantur, quasi procax isthaec affirmandi et negandi ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret: aut quasi rudibus, praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia, quae inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per se se componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani antistitis Nestorii literis iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione praedecessor noster Coelestinus (1) coarguit; quibus nempe in literis vestigatus veterator ille, deprehensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium saepe omni aetate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

Idem ut supra. § 7. Quam et nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos, (quod favente Deo in pluribus gaudemus iam feliciter evenisse) magno fore adiumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, iustae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illae testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde, si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui, si recte sapiunt, ut videri volunt, aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores praeseferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

§ 8. Nec dum tamen satis ex animo lenitati nustrae factum putavimus, seu verius caritati, quae urget nos erga fratrem nostrum, cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire (2). Charitas nempe illa urget nos, qua inductus praedecessor noster Coelestinus (3) etiam contra fas, seu maiori quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos expectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque patribus volumus et optamus homines prava docentes *pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat* (4). **Idem ut supra.**

§ 9. Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem praetermissum videretur, praefatum Episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis literis ad eum iussu nostro datis ad nos acciendum duximus, polliciti fore, ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur, quin, quae in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque expromeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in Episcopo maxime Augustinus (5) requirebat, cum simpliciter et candide, omni remota concertatione et acerbitate, recognoscenda ea proponerentur praecipua doctrinarum capita, quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile sese colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem praeseferrent, aperte repudiare: atque ita magna cum sui nominis existimatione, tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione, orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur (6). **Monita adhibita cum Episcopo, ut accedens ad limina S. Sedis errores retractaret.**

(1) S. Coelestinus ep. 13, n. 2 ap. Coust.
(2) S. Coelest. ep. 12 ad populum C. P. n. 8 ap. Coust.
(3) Ep. 13 ad Nestor. n. 9.
(4) Ep. 176, n. 4, 178, n. 2 edit. Maur.
(5) L. 4 de Bapt. cont. Donat. c. 5 et l. 5, c. 26.
(6) S. Coelest. ep. 16, n. 2 ap. Coust.

Excusationes propositae ab Episcopo ne ad S. Sedem accederet.

§ 10. Nunc vero cum ille oblato beneficio incommodae valetudinis nomine minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus, quin apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve dioecesis periculum agitur: *universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur* (1). Undique iam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae apostolicae Sedis iudicium. Absit, ut vox Petri in illa umquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem (2). Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare (3). Abscidendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciatur (4). Atque divina opitulante pietate providendum, ut, amputatis dissensionibus, fides catholica inviolata servetur, et, his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniatur (5).

Damnatio propositionum erronearum in libro contentarum.

§ 11. Implorato itaque cum assiduis nostris tum et piorum Christifidelium privatis publicisque precibus Spiritus Sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut praefatum est, cuique appositis notis et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus.

Sunt autem quae sequuntur:

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA.

Ex decr. de Grat. § *1.*

I.

Tenor propositionum damnatarum.

§ 12. Propositio, quae asserit *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi.*

Haeretica.

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIAE ATTRIBUTA, UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR.

Epist. Convoc.

II.

Alia similis supra potestatem Ecclesiae tributam.

§ 13. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas.

Haeretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA.

Decr. de Fid. § *8.*

III.

Alia de capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici tributa.

§ 14. Insuper quae statuit *Romanum pontificem esse caput ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia.

Haeretica.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUO AD CONSTITUENDAM ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM.

Decr. de fide §§ *13. 14.*

IV.

Alia de potestate Ecclesiae super disciplina exteriori.

§ 15. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde,* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis;*

(1) S. Coelest. ep. 21 ad Episcopos Galliarum.
(2) S. Chrys. ep. ad. Eutychem.
(3) S. Coelest. ep. 12, n. 2.
(4) Idem ep. 11 Cyrillo n. 3.
(5) S. Leo M. ep. 23 Flaviano C. P. n. 2.

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda.

Haeretica.

V.

Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione;

Quatenus intendat Ecclesiam ***non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio, ac salubribus poenis coercendi atque cogendi.***

Ex Bened. XIV. In Brevi *Ad assiduas*, anni 1755 Primati, Archiepiscopis et Episcopis regni Poloniae.

Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

IURA EPISCOPIS PRAETER FAS ATTRIBUTA.

Decr. de Ord. § *25.*

VI.

Aliae de iuribus Episcoporum.

§ 16. Doctrina synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos pontifices et concilia generalia pro universa Ecclesia.

Schismatica, ad minus erronea.

VII.

Item in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem*, idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei, et maiori aedificationi fidelium;*

Per id quod supponit Episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt, aut probatae, et vim legis obtinent.

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

VIII.

Item quod et sibi persuasum esse ait, *iura Episcopi a I. C. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere, in originaria sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae ecclesiae;*

In eo quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio iudicio censuerit minus id expediri maiori bono suae ecclesiae.

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

IUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINAE.

Epist. convoc.

IX.

§ 17. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus Episcoporum,*

Aliae de iuribus perperam tributis sacerdotibus inferioris ordinis, in decretis fidei et disciplinae.

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subver-

siva, favens haeresi Arianae a Calvino innovatae.

Excep. convoc. ex ep. ad vic. for. ex orat. ad syn. § *8. ex sess. 3.*

X.

Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

XI.

Orat. synod. § *8.*

Sententia enuntians veteri maiorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse ***ut decreta, aut definitiones, aut sententias etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana,***

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.

CALUMNIAE ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI AB ALIQUOT SAECULIS EMANATAS.

De fide § *12.*

XII.

Aliae super decisionibus in materia fidei.

§ 18. Assertiones synodi complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia, vel paucis pastoribus, profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et Ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX.

Or. synod. § *2 in nota.*

XIII.

Alia supra pacem dictam Clementis IX.

§ 19. Propositio relata inter acta synodi, quae innuit Clementem IX. pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII. praescripti,

Falsa, temeraria, Clementi IX. iniuriosa.

XIV.

Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIAE.

Append. n. 28.

XV.

Alia de coagmentat. corporis Ecclesiae.

§ 20. Doctrina, quae proponit Ecclesiam ***considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei patris in spiritu et veritate;***

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate,

Haeretica.

DE STATU INNOCENTIAE.

De grat. §§ *4, 7, de sacr. in gen.* § *1, de poenit.* § *4.*

XVI.

Alia de statu innocentiae.

§ 21. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium;

Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae.

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS.

De bapt. § *2.*

XVII.

Alia de immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

§ 22. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab Apostolo spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut iustam poenam culpae originalis;*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio;

Captiosa, temeraria, Apostolo iniuriosa, alias damnata.

DE CONDITIONE HOMINIS IN STATU NATURAE.

De grat. § *10.*

XVIII.

Alia ut supra de conditione hominis in statu naturae.

§ 23. Doctrina synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam I. C. allaturus erat,* tamen *Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum,* ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis,*

Doctrina, ut iacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere,

Suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE.

Ibid.

XIX.

Aliae ut supra de conditione hominis sub lege.

§ 24. Item quae subiungit, hominem sub lege *cum esset impotens ad eam observandam praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit,* superadditque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris;*

Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit evitare, qui pius est,*

Ex S. Caesario serm. 73 in append. S. Augustini.
Serm. 273. edit. Maur.
Ex S. Aug. de Nat. et Gr. c. 43.
De grat. et lib. arb. c. 16.
Enar. in psal. 56, n. 1.

Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.

XX.

Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratiae potuisse concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salu-

tem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis,*

Ex concil. Araus. II. can. 3.

Propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi Semipelagianae.

DE GRATIA ILLUMINANTE ET EXCITANTE.

De grat. § *11.*

XXI.

Alia super grata illuminante et excitante.

§ 25. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti: hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam I. C., inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam novi testamenti, quae nos liberat a servitute peccati et constituit filios Dei;*

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid. sess. 6, c. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur;

Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum, ut haereticum, eumque renovans.

DE FIDE VELUT PRIMA GRATIA.

De fide § *1.*

XXII.

Alia de fide velut prima gratia.

§ 26. Propositio, quae innuit, fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam,* esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia, illa, quae *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem;*

Ex S. Aug. de dono persev. c. 16, num. 41.

Suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

DE DUPLICI AMORE.

De grat. § *8.*

XXIII.

§ 27. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; Alia de duplici amore.

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur: aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum, ut haereticum, iterum in Baio damnatum artic. 40.

---

§ *12.*

XXIV.

Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae imaginis Dei;*

Ex S. August. de Spir. et lit. c. 28.

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,*

non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur,*

Ex S. August. serm. 349, de carit. edit. Maur.

Falsa, alias damnata.

DE TIMORE SERVILI.

De poenit. § 3.

XXV.

Alia super timore servili.

§ 28. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae;

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi patrum sententiae, opus esse, *iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam,* ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas.

Ex S. August. in epist. Iohan. c. 4. tract. 9. n. 4, 5.
In Iohan. evang. tract. 41. n. 10.
Enarratione in psal. 127. n. 7.
Sermone 157 de verbis Apostoli cap. 13.
Sermone 161 de verbis Apostoli num. 8.
Sermone 349. de caritate num. 7.

DE POENA DECEDENTIUM CUM SOLO ORIGINALI

De bapt. § 3.

XXVI.

Alia de poena decedent. cum solo originali peccato.

§ 29. Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani,

Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa.

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI CUM ADIUNCTA CONDITIONE.

De bapt. § *12.*

XXVII.

Alia super sacram., et forma samentali sub conditione.

§ 30. Deliberatio synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione,

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

DE PARTICIPATIONE VICTIMAE IN SACRIFICIO MISSAE.

De euch. § *6.*

XXVIII.

Alia de participatione victimae in sacrificio missae.

§ 31. Propositio synodi, qua postquam statuit *victimae participationem esse partem sacrificio essentialem,* subiungit, *non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de victima participant: et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet:

Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA.

De euch. § *2.*

XXIX.

Alia de efficacia consecrationis ritus.

§ 32. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis

circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2. Tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica:

Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII.

De euch. § *8.*

XXX.

Alia super applicatione fructus sacrificii.

§ 33. Doctrina synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* dein continuo subiicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet:* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, caeteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum:

Sess. 23 cap. 1 de reform.
Bened. XIV. constit. *Cum semper oblatas* § *2.*

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

DE CONVENIENTI ORDINE IN CULTU SERVANDO.

De euch. § *5.*

XXXI.

§ 34. Propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere, — Aliae de convenienti ordine in cultu servando.

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc saeculis in Ecclesia praesertim latina vigenti, et probato mori iniuriosa.

Ibid.

XXXII.

Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve apponantur,

Temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori iniuriosa.

Ibid. § *6.*

XXXIII.

Propositio synodi qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiae ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet:

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

DE ORDINE POENITENTIAE.

De poenit. § *7.*

XXXIV.

Aliae circa ordinem poenitentiae.

§ 35. Declaratio synodi qua postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt;*

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta:

Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi iniuriosa.

De poenit. § *10, n. 4.*

XXXV.

Propositio his verbis concepta: *Si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius caritatis, oportet ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod ieiunium post iam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet praecedere absolutionem, longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis.*

Quatenus innuit poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi, ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen, servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem:

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.

DE PRAEVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS POENITENTIBUS AD RECONCILIATIONEM.

De grat. § *15.*

XXXVI.

§ 36. Doctrina synodi, qua postquam praemisit: *Quando habebuntur signa non aequivoca auctoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in sacramentis,* subdit, *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles*: consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad sacramenta,* quae signa, ut deinde tradit (§ 17), *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis,* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet *(de poenit.* § *10) velut* dispositionem, quae *debet praecedere absolutionem;* — Aliae super dispensatione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tan-

quam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa.

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI.

De poenit. § *10, n. 6.*

XXXVII.

Aliae de auctoritate absolvendi.

§ 37. Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta ordinationem enuntiat, ***post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive iure quodam personali,*** propterea quod ***aliter confusio induceretur et perturbatio;***

Quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo, ***conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;*** sic intellecta tamquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam;

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.

Ibid. § *11.*

XXXVIII.

Item doctrina, qua postquam synodus professa est, ***se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae,*** ut ait, ***ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem, relapsus esset in culpam,*** subiungit, ***per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum fraenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent,***

Contraria can. 13 concilii Nicaeni I., decretali Innocentii I. ad Exuperium Tholos., tum et decretali Coelestini I. ad Episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus pontifex exhorret.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE.

De poenit. § *12.*

XXXIX.

§ 38. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur eiusmodi confessiones, Alia super peccatorum venialium confessione.

Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a s. Conc. Trid. probatae contraria.

DE INDULGENTIIS.

De poenit. § *16.*

XL.

§ 39. Propositio asserens, ***indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti;*** Aliae super indulgentiis.

Quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam,

Falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in artic. 19 Lutheri damnata.

Ibid.

XLI.

Item in eo quod subditur, ***scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Chri-***

sti et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum;

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum,

Falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in artic. 17 Lutheri damnata.

Ibid.

XLII.

Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerea isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos;*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in artic. 22 Lutheri.

Ibid.

XLIII.

In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc.,

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

DE RESERVATIONE CASUUM.

De poenit. § *19.*

XLIV.

Aliae super reservatione casuum.

§ 40. Propositio synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem:*

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

Ibid.

XLV.

Item de spe quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab Episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare,

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum pontificum auctoritati derogans et iniuriosa.

DE CENSURIS.

De poenit. §§ *20, 22.*

XLVI.

§ 41. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae;* Aliae de censuris.

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans,

Ex S. Aug. ep. 250 Auxilio Episcopo, tract. 50 in Ioan. n. 12.

Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

---

§§ *21, 23.*

XLVII.

Item quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias, dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu,

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati iniuriosa, erronea.

---

§ 21.

XLVIII.

Item quae pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset;*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae iniuriosa.

---

§ 24.

XLIX.

Item quae damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia,*

Falsa, perniciosa, in Trid. iniuriosa.

Ibid.

L.

Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1 de ref.) suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae,

Iurisdictionis praelatorum Ecclesiae laesiva.

DE ORDINE.

De ordine § *4.*

LI.

Aliae super ordine.

§ 42. Doctrina synodi, quae perhibet, in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, *ut siquis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset: neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est;*

---

§ *5.*

LII.

Item quae innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in Concilio Calcedonensi: subiunges (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

---

§ 7.

LIII.

Item quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3), Ecclesia insistens apostoli vestigiis, neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem.

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt;

2. Sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu apostolico, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent:

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam, iniuriosa.

---

§ *23.*

LIV.

Item quae velut turpem abusum notat umquam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis, et sacramentis admini-

strandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolae*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offerretur.

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiae, dum secundum receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur,

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosa.

---

§ *14.*

LV.

Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis, velut acolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando eius generis officia non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendis redacta erant.

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. prov. IV Mediol.): idque ad mentem Tridentini (Sess. 23, c. 17), *ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquandiu intermissae, iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tamquam otiosae traducantur,*

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.

---

§ *18.*

LVI.

Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in iure expressis, ullam umquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

Aequitatis et moderationis canonicae a sacro Concilio Tridentino probatae laesiva, auctoritati et iuribus Ecclesiae derogans.

Ibid. § *22.*

LVII.

Praescriptio synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum reiicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur: item in eo quod subiungit, certum sibi esse iuxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini sess. 7, c. 5, et sess. 24, cap. 17.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

Libel. memor. circa sponsalia etc. § *2.*

LVIII.

§ 43. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere; Alia super sponsalibus, et matrimonio.

Quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae,

Falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus VI. canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

De matrim. §§ *7, 11, 12.*

LIX.

Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie*

spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, quod *ius originarium* praeterea dicitur cum *iure dispensandi essentialiter connexum,* subiungens, *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit, in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12, sess. 24 Concil. Trid. eversiva, haeretica.

Cit. libel. memor. circa sponsal. § *10.*

LX.

Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani,* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradùm iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;*

Quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,

Libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

DE OFFICIIS, EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS.

Et primum de adoranda humanitate Christi.

De fide § *3.*

LXI.

§ 44. Propositio, quae asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;* Aliae de officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus.

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Ex concil. C. P. V. gen. cap. 9.

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.

De orat. § *10.*

LXII.

Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata,

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa.

De orat. § *10, et append. n. 32.*

LXIII.

Item in eo quod cultores cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae;

Quasi fideles cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Iesu, cor nempe personae verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro,

Captiosa, in fideles cordis Christi cultores iniuriosa.

DE ORDINE PRAESCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS.

De orat. § *14, append. n. 34.*

LXIV.

Aliae de ordine praescripto in exercitationibus obeundis.

§ 45. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;*

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum vel externarum actionum, praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium iniuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

De poenit. § *10.*

LXV.

Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia, vel missiones... forte nunquam, aut saltem perraro, eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura;*

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato iniuriosa.

DE MODO IUNGENDAE VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIAE IN PRECIBUS PUBLICIS.

De orat. § *24.*

LXVI.

Alia de modo iungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

§ 46. Propositio asserens *fore contra apostolicam praxim, et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae;*

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae,

Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE LECTIONE SACRAE SCRIPTURAE.

Ex nota in fine decr. de gratia.

LXVII.

§ 47. Doctrina perhibens a lectione sacrarum scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare,* subiungens ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

Alia super lectione Sacrae Scripturae.

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

DE PROSCRIPTIS LIBRIS IN ECCLESIA PUBLICE LEGENDIS.

De orat. § *29.*

LXVIII.

§ 48. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commentationes in novum testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tamquam solidis religionis principiis referta in suis quisque paroeciis populo post reliquas functiones perlegant,

Alia de proscriptis libris legendis.

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae iniuriosa, schisma fovens et haeresim.

DE SACRIS IMAGINIBUS.

De orat. § *17.*

LXIX.

§ 49. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Aliae super sacris imaginibus.

Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.

Ex brevi *Sollicitudinis nostrae* Benedicti XIV. anni 1745.

LXX.

Item doctrina et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.

Ex S. Aug. ep. 78 clero, senioribus, et universae plebi Ecclesiae Hipponen.

LXXI.

Item quae vetat ne imagines, praesertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur praeter quam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat,

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi b. praesertim Virgini debitae iniuriosa.

LXXII.

Item quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines,

Temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE FESTIS.

Libell. memorial. pro fest. reform. § *3.*

LXXIII.

§ 50. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae et finis earumdem solemnitatum originem duxisse, Aliae de festis.

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

Ibid. § *8.*

LXXIV.

Deliberatio synodi de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis: idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit Episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis: aut indictum missae audiendae praeceptum abrogare,

Propositio falsa, iuris conciliorum generalium et summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

DE IURAMENTIS.

Libell. memorial. pro iur. reform. § *5.*

LXXV.

§ 51. Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini praeceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet iurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano* Aliae de iuramentis.

indignus: insuper *continuatam patrum seriem demonstrare iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse:* indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit: statuitque adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali,

Falsa, Ecclesiae iniuriosa, iuris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

De collat. ecclesiast. § 1.

LXXVI.

Aliae de collationibus ecclesiasticis.

§ 52. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

Ibid.

LXXVII.

Item in eo quod subdit, *mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae et probatae obliterari umquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis,

Propositio falsa, temeraria, erronea.

LXXVIII.

Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinae,* subiungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo quod est inutile aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem, et materialismum;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIQUAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS USQUE ADHUC AGITATAS.

Orat. ad synod. § 2.

LXXIX.

§ 53. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronunciandum censuit,

Aliae respicientes convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.

Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

Libell. memorial. pro reform. regularium § 9.

LXXX.

Aliae de tribus regulis fundamenti loco a synodo positis pro reformatione regularium.

§ 54. Regula 1 quae statuit universe et indiscriminatim *statum regularem, aut monasticum, natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis,*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae patres et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiae mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria: quasi monachi quos morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, *non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae,* clericorum officiis *aggregentur.*

Ex S. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.

LXXXI.

Item in eo quod subiungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset,

Scandalosa, in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

LXXXII.

Regula 2 *multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem:* item in eo quod praemittit § 4 *regularium fundatores* qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat,

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores, eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices iniuriosa.

LXXXIII.

Regula 3 qua postquam praemisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars eiusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas et noxias,

Falsa, temeraria, regularibus institutis a Sancta Sede ad religionis profectum approbatis iniuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

DE SYSTEMATE, SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE DUCTA EX ALLATIS REGULIS, ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

§ *10.*

LXXXIV.

Aliae de systemate pro reformatione regularium.

§ 55. Art. 1. *De uno duntaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae caeteris regula Sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius ordinis merita: sic tamen ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum-regium lucem praeferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam curati vel cappellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore*

psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, literarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantumdem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium.

5. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et ab communitatibus regularium spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio, et christianismi ornamentum extiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiae non admittentur instar communis et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

8. *Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali regula numer. 2 statuta, sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duae in diem missae celebrentur, satisque ceteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.*

ITEM PRO REFORMATIONE MONIALIUM.

§ *11.*

Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendae: a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae: expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui;

Systema vigentis atque iam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum perniciosum, constitutionibus apostolicis, et plurium conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini, sanctionibus oppositum et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota, et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

DE NATIONALI CONCILIO CONVOCANDO.

Libell. memorial. pro convoc. concil. national. § 1.

LXXXV.

§ 56. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unum esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem; *Aliae super convocatione concilii nationalis.*

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes in ecclesia quacumque subortae, per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret,

Schismatica, haeretica.

---

§ 57. Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant, contra quam in hac nostra constitutione declaratur, ita ut quicumque illas, vel earum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis, ipso facto, absque alia declaratione subiaceat. *Censuris plectuntur qui damnatas doctrinas profitentur.*

§ 58. Ceterum per hanc expressam praefatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae sive illis, quae supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae doctrinae *Reservatio super aliis in synodo contentis.*

et disciplinae temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et Apostolicam Sedem animum praeseferunt.

Declarationes respicientes propositiones de Sanctissima Trinitate.

§ 59. Duo vero speciatim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio § 2 decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum posteaquam rite praemisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subiungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alia ut supra.

§ 60. Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset quod edoctus ab Augustino Angelicus praeceptor (1) vicissim ipse docuit *in nomine verbi eamdem proprietatem importari, quae in nomine filii,* dicente nimirum Augustino (2), *eo dicitur verbum quo filius.*

Alia super laudibus tributis declarat. conventus Gallicani a. MDCLXXXII.

§ 61. Neque silentio praetereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quae pridem improbatam ab Apostolica Sede conventus Gallicani declarationem an. 1682 ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane non gravior longe se nobis offert de synodo, quam praedecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae Ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Idem ut supra.

§ 62. Quamobrem, quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, praedecessor noster ven. Innocentius XI. per literas in forma brevis die XI. aprilis an. MDCLXXXII., post autem expressius Alexander VIII. constit. *Inter multiplices* die IV. augusti anni MDCXC. pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt, multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam ac praesertim post edita praedecessorum nostrorum decreta huic Apostolicae Sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

Improbantur etiam alia articula de fide alias reiecta a S. Sede.

§ 63. Ad id genus fraudis pertinet, quod synodus in hoc ipso decreto de fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI. iudicium detulerunt, tum et alios duodecim a Card. de Noailles Benedicto XIII. oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultraiectensi concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis iactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos: cuius tamen assertae commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quae in nostrae supremae inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse iudicium.

Damnatio libri, et poenae contra inobedientes.

§ 64. Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus — *Atti e decreti del concilio diocesano di Pistoia dell'anno* MDCCLXXXVI. — *In Pistoia per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione,* sive praemisso sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque et quocumque idiomate, quavis editione aut versione

(1) S. Th. 1. p. q. 34, art. 2 ad 3.

(2) Aug. de Trinit. l. 7, c. 2.

hactenus impressum, aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in eius, sive eius doctrinae, defensionem, tam scripto, quam typis forsan iam editos, seu, quod Deus avertat, edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem et usum omnibus et singulis Christifidelibus sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendae, prohibemus pariter et interdicimus.

Brachii saecularis invocatio.

§ 65. Praecipimus insuper venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et poenas praefatas, aliaque iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Fides habenda transumptis.

§ 66. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 67. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae, millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, quinto kalendas septembris, pontificatus nostri anno vigesimo.

CXII.

Electio B. M. V. in patronam principalem ordinis Bethlehemitici.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum, pro dilectis filiis praefecto generali, et definitorio generali ordinis Bethlehemitici nuncupati decretum est factum tenoris qui sequitur:

Ordinis Bethlehemitici.

Decretum sacrae Congregationis Rituum.

Relatis ad sacram Rituum Congregationem ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Archinto praefecto humillimis precibus praefecti generalis et definitorii generalis ordinis Bethlehemitici supplicantium pro confirmatione electionis Beatae Mariae Virginis sub titulo de Bethlehem in patronam principalem eiusdem ordinis, licet ut alterum patronum principalem venerentur Sanctum Iosephum: sacra eadem congregatio comperiens huiusmodi electionem servatis servandis et legitime factam fuisse, eamdem confirmavit et approbavit, atque festivitati ipsius Beatae Mariae Virginis de Bethlehem in patronam principalem electae praerogativas omnes sanctorum protectorum principalium festis competentes attribuit atque concessit, quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die vigesima tertia augusti millesimo septingentesimo nonagesimo quarto.

Loco ✝ Signi

L. Card. Archintus praef.

Confirmatio apostolica.

§ 2. Quum autem, sicut eiusdem praefecti et definitorii nomine expositum nobis fuit, decreto huiusmodi, quo maiorem vim habeat, confirmationem nostram accedere vehementer illi cupiant, nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, decretum supra insertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis Cardinalium.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per

quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die v. sept. MDCCXCIV., pontificatus nostri anno XX.

CXIII.

Instante rege catholico et attento statu rerum in Galliis, revocat const. Inter multiplices *dat. a.* MDCCLXXXVII., *ac statuit custodem Terrae Sanctae esse debere Cismontanum Procuratorem Hispanum, Vicarium vero illum, quem discretorium elegerit, cuiuscumque sit nationis.*

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Exponitur tenor praecedentium literar.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quod nos alias precibus clarae memoriae Karoli III., dum vixit, earumdem Hispaniarum regis catholici nobis humiliter porrectis annuentes per nostras in simili forma brevis diei vigesimae septimae novembris anni millesimi septingentesimi octogesimi septimi expeditas literas, quo spirituali ac temporali regimini custodiae Terrae Sanctae dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum accuratius consuleretur, ac animi fratrum huiusmodi variarum nationum inibi commorantium magis magisque mutuae charitatis vinculo devincerentur, alternativam in tribus officiis seu muneribus guardiani scilicet, vicarii et procuratoris dictae custodiae Terrae Sanctae inter nationes eorumdem fratrum Hispanam, Gallicanam, Lusitanam et Cismontanam, ad sexennium respective a capitulo provinciali totius custodiae praedictae eligendis fratribus fore servandam constituimus ac voluimus insuper, ut quatuor discreti, qui ius suffragii in dicto capitulo provinciali habebunt, ex quatuor nationibus Italiana, Hispana, Gallica et Germanica in singula triennia assumerentur, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius contitetur.

Ratio cur literarum praedictarum revocatio imploratur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, mutatis provinciarum Galliae circumstantiis, noxium prorsus ac statui tum spirituali tum temporali dictae custodiae Terrae Sanctae alienum esset, si adhuc dictarum literarum nostrarum dispositio esset custodienda, hinc cum memoratus Carolus rex catholicus hisce desuper per nos prospicere summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor revocationis.

§ 3. Nos igitur eiusdem regis catholici votis quantum cum Domino possumus annuere volentes, ac illorum singulares personas, quarum favorem praesentes nostrae literae concernunt, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, literas nostras praedictas tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus; ac proinde, ut electiones ad dicta officia seu munera deinceps ad formam statutorum ac constitutionum dicti ordinis, quae ante emanatas nostras literas praedictas servabantur, ita ut frater familiae Cismontanae munere guardiani custodis sancti montis Sion, frater natione Hispanus procuratoris ac munere seu officio vicarii, quod alias a fratre natione Gallo exercebatur, deinceps in eius locum, et usque dum perturbationes regni Galliarum durabunt ac provinciae ordinis et nationis huiusmodi erunt in pristinum statum restitutae, is fungatur, qui a dilectis filiis discretorio dictae custodiae Terrae Sanctae, cuiuscumque sit nationis, eligetur, auctoritate ac tenore praedictis constituimus atque declaramus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: et ab eis respective

inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus memoratis nostris literis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et custodiae praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIII. septembris MDCCXCIV., pontificatus nostri anno XX.

CXIV.

Instante Episcopo Pacensi in Indiis confirmat decretum Congregationis sacrorum Rituum de recitando officio cum missa Sanctissimi Redemptoris, ac eiusdem pretiosi Sanguinis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Quum venerabilis frater Episcopus Pacensis, sicut exponi ipse nobis nuper fecit, vehementer laboret, quo sibi crediti fideles maiori in dies pietate colant unum mediatorem Dei et hominum Christum Iesum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, suasque spes omnes in eo collocent, atque in eius sanguine multo melius clamante, quam Abel; nobis propterea supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur, quibus hoc studium eius quam maxime probatur, ipsum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Domino Coppola Congregationis sacrorum Rituum secretario, ut posthac ab universo clero saeculari, nec non a religiosis et monialibus, utentibus calendario dioecesano civitatis et dioecesis Pacensis, recitari possit quotannis in dominica tertia iulii ritu duplici secundae classis, sine octava, officium cum missa Sanctissimi Redemptoris iam adprobatum pro civitate Venetiarum, demptis tamen a sexta lectione verbis illis — *Hanc igitur immensae largitatis etc.* usque ad finem: atque etiam in una ex feriis sextis quadragesimae, vel mensis martii, semel in perpetuum ab eodem Episcopo destinanda, ritu duplici maius officium cum missa itidem adprobata pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi; dummodo in eadem feria sexta non occurrat officium ritus duplicis, quo casu transferatur officium pretiosissimi Sanguinis ad primum diem non impeditum iuxta rubricas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eius civitatis et dioecesis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore per-

mansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCXCV., pontificatus nostri an. XXI.

CXV.

Brasiliae Antistitibus facultatem concedit dispensandi in quocumque gradu consanguinitatis et affinitatis, praeter primum; delegandi presbyterum ad sacramentum confirmationis administrandum.

Venn. fratribus Antistibus Brasiliae, degentibus in ditione carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae.

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Magnam profecto curam et cogitationem suscipiendam existimavimus de eo, quod expositum nuper nobis est charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae nomine, ut remedii aliquid adhiberemus Brasiliae vestris populis laborantibus, quos etiam, tamquam oves suas, pastorum princeps nobis pascendos et ducendos commendavit. Renunciatum nam est, apud illos ex natura locorum, qua familiae altera ab altera longius disterminantur, et commercia eas inter prohibentur, atque ex aliis multis causis, quae difficilem habent explicatum, connubia passim iniri inter propinquos, nec inde eos deterreri posse, aut religionis sanctitate, aut poenarum ab Ecclesia propositarum metu, aut Antistitum auctoritate ulla, sed infinitum malum quotidie serpere et manare latius: quominus vero ab Sede hac sancta apostolica identidem dispensatio petatur, tantum maris ac terrarum spatium oppositum esse; illud praeterea adiectum fuit sacramento confirmationis, quo ut baptizatos homines adversus communes nostrae salutis hostes armarent ac munirent, adeo solliciti erant Apostoli, eo sane plerosque in Brasilia destitui, quod Episcopus, qui ordinarius eius minister sit, ne se ad illos conferat in abditis ac vastis et asperrimis locis, fere dispersos, retineatur, aut aetate affecta, aut valetudine, aut longitudine et difficultate itinerum; aut negotiis etiam suae ecclesiae gravioribus, quae illum tamdiu abesse a sua cathedrali non sinunt. Quae cum ita se habeant, nobis eiusdem regiae maiestatis nomine supplicatum fuit, ut de ea plenitudine potestatis ligandi atque solvendi, quam a Domino accepimus, prospicere istius regionis incolis velimus, pro quibus idem Dominus vitam ipsam profudit.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur hoc tam praeclarum studium, hancque tam piam Mariae Franciscae reginae in suos voluntatem ipsi gratulantes, votisque ipsius quantum cum Domino possumus annuentes, vobis, venerabiles fratres, vestra nimirum pietate, doctrina et prudentia freti, ut in sua quisque vestrum dioecesi, cum fidelibus vestrae cuiusque curae commissis, quocumque, praeter primum, consanguiunitatis tam in linea recta, quam transversa, praeterque primum affinitatis in lineae transversae gradu, ac etiam si secundus lineae transversae gradus attigerit primum, vel ad matrimonia deinceps contrahenda, vel ad permanendum in iam contractis, pro utroque foro gravibus de causis gratis dispensare, atque eos praeterea, qui neglectis propinquitatis eiusmodi gradibus, contra leges ecclesiasticas, tametsi scienter, nefariam matrimonium iungere ausi fuerint, ab excessibus, excommunicatione, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis etiam pro utroque fore absolvere, ac prolem inde susceptam legitimam declarare; et quoniam metuendum est, quod flentes dicimus, ne aliquot suo scelere eo processerint, ut affinitate in primo gradu lineae rectae ex illicito concubitu implicati sint, erga hos quoque, in occultis, et in foro conscientiae tantum, dummodo certo constet, quod coniux proles non sit ab altero contrahentium genita, dispensationis et absolutionis commemoratae beneficio uti possitis et valeatis facultatem, quam cum idoneis presbyteris communicare, magno tamen iudicio et delectu adhibito, vobis integrum sit auctoritate nostra apostolica per praesentes literas, quae ad viginti quinque annos, nec ultra, vim habeant, impertimur. Illud vero etiam, ut presbyterum aut saecularem, aut cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, ab hac S. Sede adprobati, regularem, iis quidem instructum virtuti-

bus, quas divus Paulus requirit epistolis ad Timotheum ac Titum suis, qui in iis cuiusque vestrum dioecesis partibus, quo vos adire nequeatis, sacramentum confirmationis, chrismate per vos aut catholicum alium Episcopum gratiam et communionem nostram et Sanctae Sedis huius habentem, benedicto, eodemque novo, si praesto sit, sin minus, etiam antiquo, rite administret, eligere nostro et Sanctae Sedis huius nomine, deputare et delegare possitis et valeatis, eadem auctoritate nostra apostolica per ipsas praesentes literas ad viginti quinque annos, ut dictum est, valituras concedimus et indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Pii PP. VI. praedecessoris nostri *de registrandis in camera,* aliisque apostolicis, atque in universalibus, synodalibusque et provincialibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Monitum ad Episcopos.

§ 3. Pulchre vero intelligitis, venerabiles fratres, ecquid extraordinariae et amplae potestatis a nobis fuerit ad vos delatum, quanta sit opus ad illam gerendam fide, vigilantia, diligentia, solertia. In id praecipue etiam atque etiam incumbite, ut Sedis huius apostolicae benignitatem in se agnoscant, gratoque semper animo prosequantur ii, quibuscum ea uti necesse habebitis. Quae de dispensationibus in causa matrimoniorum, inter propinquos Concilium Tridentinum tam sapienter praecepit, *capite quinto de reformatione sessionis vigesimae quartae,* sunt illis, occasione oblata, dilucide explicanda, vehementerque inculcanda; simulque ostendendum, hanc tantam lenitatem, quam Romana Ecclesia, *tamquam nutrix foveat* filios suos, erga ipsos modo adhibet, hoc unum spectare, ut *sciant* denique *vas suum* possidere in *sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum* (1 ad Thessalonic. 4).

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem, harum ut literarum exemplis etiam impressis notarii publici manu subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem omnino fides adhibeatur, quae ipsis originalibus in iudicio et extra adhiberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVI. ianuarii MDCCXCVI., pontificatus nostri anno XXI.

CXVI.

Ut ritus officii patrocinii Beatae Mariae Virginis a duplici maiori ad duplicem secundae classis sine octava elevari possit in civitate et dioecesi de Guatimala in Indiis Occidentalibus indulget.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut ven. frater Archiepiscopus, nec non dilecti filii presbyteri et homines civitatis de Guatimala in Indiis Occidentalibus nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam praeseferunt, affectu, eiusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, audito dilecto filio magistro Dominico Coppola sacrorum Rituum Congregationis secretario, ut in perpetuum pro eadem civitate et dioecesi de Guatimala ritum officii patrocinii Beatae Mariae Virginis a duplici maiori ad duplicem secundae classis sine octava elevari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis et dioecesis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad

verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat., die VIII. martii MDCCXCVI., pontificatus nostri an. XXII.

CXVII.

Consuli Hispano Algerii et Hispanis omnibus, qui ibi commorentur, iisque qui eorum mensâ utantur, concedit ut diebus abstinentiae et ieiunii iis vescantur cibis, quibus in Hispania vescerentur, eosque insuper ab ordinariâ eximit iurisdictione, ac subiicit Cappellano maiori exercituum Regis Hispaniae (1).

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Est id plane regium, vigilare assidue ac longe in posterum providere, suorumque popularium utilitati et saluti tempore consulere, ac eorum neminem, quamvis magno locorum intervallo disiunctum, non sine curâ et cogitatione complecti.

§ 1. Quamobrem omnino benigne accepimus quod expositum nobis nuper fuit carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis catholici nomine pro suo Consule ac reliquis Hispanis omnibus Algerii commorantibus, qui diebus abstinentiae et ieiunii vesci nequeant eo ciborum genere quo tum oporteat; quippe quod raro admodum eo importetur ob perpetuum fere pestis metum, quodque, etiamsi suppetat, insalubre et noxium censetur humanis corporibus eo grassante morbo, qui paternâ idcirco nostrâ indulgentiâ egeant: adiectum illud quoque fuit eiusdem regiae maiestatis nomine, opportunissimum sibi videri, ad omnia discordiarum et contentionum semina radicitus evellenda, totam Hispanorum eo in oppido multitudinem, non solum Consulem eiusque cohortem, sub potestatem ordinariam redigi cappellani maioris, eiusque vicarii generalis regiorum exercituum.

§ 2. Quibus nos votis igitur annuentes, de nostrae apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium literarum, quae perpetuo sint valiturae, veniam concedimus tum regio Hispaniarum Consuli ac vice-consuli, qui Algerii sint, quique deinceps sint futuri, tum omnibus et singulis Hispanis, qui Algerium migraverint aut migraturi sint, et cuiusque familiae, atque iis adeo qui eorum mensa utentur, ut diebus commemoratis abstinentiae et ieiunii iisdem cibis alantur, quibus ex huius S. Sedis privilegiis iam impetratis ali possent, si intra fines regni Hispaniarum versarentur.

§ 3. Eosdem praeterea Consulem, viceconsulem, Hispanos omnes et singulos, qui in Algerium transtulerint vel transferent et cuiusque familiam iurisdictioni ordinariae in spiritualibus cappellani maioris eiusdemque vicarii generalis exercituum Regis Hispaniarum catholici ac eius delegatorum subiectos postmodum esse constituimus, praecipimus et iubemus: eosque ab omni alterius cuiuscumque iurisdictione ordinariâ liberos pronunciamus et declaramus.

§ 4. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respectivea inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus vel personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus

(1) Ex Reg. Vat. epist. ad Princ. etc.

omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XV. aprilis MDCCXCVI., pontificatus nostri anno XXII.

CXVIII.

ALLOCUTIO

Episcoporum et cleri Maronitarum electionem confirmat Philippi Petri Gamaliel arch. Cypri in Patriarcham Syro-Maronitarum, eique pallium concedit; Concilii Libanensis observantiam iniungit, et denuo damnat monialis Agami sectatores (1).

Venerabiles fratres.

Ex illis Orientalis Ecclesiae partibus, quae sunt in coniunctione fideque Apostolicae huius Sedis, quaeque propterea praecipua nostrae solicitudinis in se studia convertunt, recens allatus est nuntius, quem hic vobiscum communicare suscipimus. Defunctus scilicet est in patriarchali Maronitarum Cathedrâ ven. fr. Michael Fadel die XVII. maii anni proxime elapsi, nondum confectis in suo Patriarchatu duobus annis, nempe electus die X. sept. anni MDCCXCIII., statim ipse ad hanc S. Sedem Ablegatum miserat, qui et canonicae electionis suae documenta ad nos deferret, a nobisque ipsius nomine et electionis confirmationem et sacri Pallii donum postularet. Sed ob iter et longum et lente ab Ablegato confectum, accidit, ut inde in hanc almam Urbem circa id tempus pervenerit, quo ipse Antistes iam plenus dierum meritorumque senex ex hac mortali ad immortalem vitam emigrarat. Is ad nos allatus nuncius est, cum iam perspectâ illius legitimâ electione in eo eramus, ut de eiusdem Patriarchatu postulationem ratam redderemus. Sed mutatâ rerum vice, defunctum debuimus tanto maiori desiderio ac dolore prosequi, quanto certior erat nostra nostraeque de Propagandâ Fide Congregationis de eius pietate omnique pastorali virtute expectatio. Quam igitur vivo per tempus non licuit, eam nunc vel extincto approbationem confirmationemque damus, ipsumque in serie Patriarcharum Maronitarum poni censerique volumus, etiam si morte praeventus honorem Pallii recipere a nobis non potuerit.

Paucos post menses celeriter ad nos pervenit dilectus filius Arsenius Cardachi monachus Antonianus ab electo Patriarchâ extincti successore delegatus. Cum enim die XIV. iunii anni proxime praeteriti convenissent in S. Mariae de Bekorke conventum Maronitae Episcopi, omnibus suffragiis unanimes in suum Patriarcham elegerunt ven. fratrem Philippum Petrum Gemaiel Cypri Archiepiscopum, consentiente etiam ven. fratre Gabriele Kinaider Aleppensi Episcopo, qui legitime impeditus episcopalibus non interfuerat comitiis. Electus est Philippus Gemaiel sextum agens et quinquagesimum aetatis annum, anno undecimo Cypri Episcopatus sui, cum antea ibidem Archipresbyteri munus sub Episcopo Eliâ suo patruo obiisset. Conferuntur in eum universim doctrinae, prudentiae, benignitatis, vitaeque irreprehensibilis laudes, eiusque electioni non minus ab ecclesiasticis quam ab omnibus eius nationis

---

(1) Die decima septima maii anni MDCCXCV. cum e vivis excessisset Rm̃us D. Michael Fadel Patriarcha Antiochenus Syrorum Maronitarum, qui Iosepho Stephani iam tum a die XX. sept. MDCCXCIII. successor electus fuerat, suumque ablegatum ad S. Sedem miserat, sed nondum ab eâdem fuerat confirmatus: peractis de more novendialibus, Archiepiscopi et Episcopi eiusdem nationis Syrorum Maronitarum, quibus eligendi Patriarchae ius competit, convenerunt die XIII. iunii eiusd. an. MDCCXCV. in conventu S. Mariae de Bekorke; et unanimi omnium consensu elegerunt in Patriarcham, et die sequenti proclamaverunt Rm̃um D. Philippum Petrum Gemaiel, quemadmodum ex synodico ipsorum decreto perspicuum redditur.

Referente Em̃o et Rm̃o D. Cardinali Antonello postulationem ab Episcopis et clero Maronitarum de more factam R. P. D. Philippi Petri Gemaiel Archiepiscopi Cypri, viri zelo, doctrinâ et prudentiâ, ceterisque virtutibus plurimum commendati, in Patriarcham Antiochiae eiusdem nationis, in locum R. P. D. Michaelis Fadel defuncti, necnon preces eorumdem Episcoporum, cleri et populi Maronitarum pro supradictae postulationis admissione, et Patriarchae confirmatione, S. Congregatio censuit, die XIII. martii MDCCXCVI., consulendum esse SSm̃o pro admissione praedictae postulationis, et confirmatione eiusdem R. P. D. Philippi Petri in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum.

Quam S. Congregationis sententiam SSm̃o relatam a R. P. D. Caesare Brancadorio Archiepiscopo Nisibeno in audientiâ habitâ die XXIV. aprilis eiusdem anni, Sanctitas Sua in omnibus adprobavit, et in Consistorio secreto habito die XXVII. iunii eiusdem anni postulationem confirmavit.

laicis singulariter applauditur. Ipse etiam suas ad nos dedit literas plenas observantiae ac fidei in nos et Apostolicam hanc Sedem, singularisque studii in ecclesiasticam disciplinam; ex quibus in magnam spem venimus fore, ut integre ab ipso soliciteque Libanensis Concilii decreta sint stabilienda, et evellendae prorsus, si quae adhuc Endianorum errorum stirpes latenter serpant, quos scilicet monialis Agemi forsan illusa in dominico agro conseverat, quosque nos, paulatim quasi in sectam auctos ac diffusos, nostro Brevi die XVII. iulii MDCCLXXIX. (1) dato proscripsimus ac reprobavimus. His omnibus rite per nostram de Propagandâ Fide Congregationem expensis, auditâque eiusdem sententiâ, confirmationem electionis in Maronitarum Patriarcham Antiochenum ven. fratri Philippo Petro Gemaiel concedendam existimamus cum Pallii honore, quem per suum procuratorem flagitat; ita tamen, ut idem legitimus Procurator nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat Pallii traditio, professionem fidei emittat iuxta formulam ab Urbano VIII. praedecessore nostro statutam, et id ipsum subinde fieri ab ipso Patriarchâ debet.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et adprobamus electionem seu postulationem in Maronitarum Patriarcham Antiochenum rite factam de personâ praedicti Philippi Petri Gemaiel, quem absolvimus a vinculo quo tenetur Ecclesiae Cypri, ac transferimus ad Patriarchalem Maronitarum Sedem, praeficientes in Patriarcham et Pastorem suae nationis pro qua electus est, prout in decreto et schedulâ consistoriali exprimetur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Quoniam autem Delegatus supramemorati Patriarchae Maronitarum exposuit nobis, ipsum ratione habitâ electionis a populo Beryti factae favore dilecti fr. Michaelis Fadel, elegisse eumdem Fadel et instituisse in Archiepiscopum Berytensis Ecclesiae; nos ad eiusdem Delegati preces nomine sui Patriarchae factas, eumdem Michaelem Fadel approbamus et confirmamus in Archiepiscopum Berytensem cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CXIX.

Gratulatur Paulo I. ad Russiae Imperium exaltato, ei commendat catholicos omnes, praesertim recenter imperio adnexos, eique significat Legatum ad eum se mittere, ut utrumque et gratulationis et commendationis officium pontificio nomine coram praestet (2).

Serenissimo, Potentissimo ac Magno Domino Paulo Imperatori et Magno Duci universae magnae, parvae, et albae Russiae Auctocratori, nec non magnorum dominiorum orientalium et occidentalium Patrono augustoque haeredi, Domino et Dominatori,

PIUS PP. VI.

Serenissime etc.

Cum primum intelleximus, augustissimam maiestatem tuam ex divinâ, qua mundus universus regitur, providentiâ ad maiorum tuorum solium conscendisse, ac tum maxime recordati fuerimus eorum omnium excellentium decorum, quae in te nobis admirari contigit cum huc advenisses, tuarumque virtutum lumen per Urbem una cum praestantissimâ coniuge tuâ diffunderis; incredibile est quantum eo nuncio laetati essemus, quantosque inde et imperio tuo gloriae cumulos et populis faustitates auguraremur. Idcirco contineri non possumus, quin tuam illam humanissimam praesentiam ac suavissimam nobiscum amicitiam prae oculis habentes, has ad te demus literas omnibus plenissimas officiis gratulationis, gaudii ac mirificae cuiusdam de te tuâque regnandi praestantiâ expectationis. Quas iucundissimas partes dum summo animi studio tecum, potentissime Imperator, peragendas suscipimus, illuc etiam progredi non dubitamus, ut vel ipso hoc tui imperii initio (sancta est nostra de te fiducia) nostri quibusdam rationibus singularem ac pernecessariam gratiam tuam conciliemus:

(1) Vide supra pag. 241. *Apostolica.*

(2) Ex Reg. Vatic. epist. ad principes.

commendemus scilicet tibi catholicos omnes populos, praesertim qui recenter per invictissimam matrem tuam Russicae adiuncti sunt ditioni. Non tamen minus gravis supervenit causa, quae nobis agenda pro ipsis fuit; iamque in eo eramus ut ad istam imperialem aulam, quando illa non dissensisset, unum e nostris praelatis Legatum extraordinarium mitteremus, Thebarum nempe Archiepiscopum, quemadmodum antea miseramus in non dissimili causâ Andream Archettum nunc Cardinalem, plurimum illius animi magnitudine ac in nos benevolentiâ confidentes fore, ut, pro summa etiam qua pollebat mentis intelligentiâ, precibus nostris non refragaretur. Ipsâ e vivis sublatâ, teque in summum imperii culmen succedente, in te etiam illae spes nostrae recidunt, at quanto maiores, cum quam faciles, quam propensi erga nos essent sensus tui, quamque humani et clementes erga ceteros omnes, iidem nos coram perspexissemus, ac intimo essemus plausu et praeconio prosequuti! Itaque nobis omnino persuademus, non solum a maiestate tuâ libenter exceptum iri illum, quem delegimus Legatum nostrum, sed etiam pergratum tibi futurum ob ipsius praeclaras, non solum splendidi generis, sed et ingenii, candoris, prudentiae, ceterasque animi dotes, quas nobis in maximis sibi commissis muneribus nunquam non egregie comprobavit. Itaque ut huic decretae iam a nobis legationi assentiri, eamque humanissime pro tua generositate excipere velis, te etiam atque etiam rogamus, idque geminam ob causam, atque utramque gravissimam: quarum prima ac praecipua est, ut in huiusmodi novo deferendo a nobis gratulationis officio, publice omnibus patere possit, qualis quantaque nostra sit de tuâ ad supremum in humanis gradum evectione animi significatio, quamque impense atque amice gloriae, virtuti, felicitati tuae studeamus: altera vero causa est, ut praesto istic sit, qui verbis nostris excitet regiam clementiam tuam in catholicos tibi subiectos populos, quo ipsi in suo, ut antea, religionis cultu remanere eumque libere exercere valeant, caeterisque, ut prius, rebus omnibus frui ad suam religionem spectantibus. Ad quam concedendam gratiam, quo inclinatiorem reddamus augustum animum tuum, illud iam nunc certissime asseveramus, ipsos ex divino praecepto ac ex nostris etiam monitis semper futuros tuae supremae potestati morigeros ac obsequentes, neque ulli e tuis immensis populis in fide servandâ exequendisque impigre iussis tuis unquam esse concessuros. Sed in his omnibus cum tuae aequitati, sapientiae, magnanimitati satisfeceris, valde cupimus accedat nonnihil ponderis ab enixis de hoc impetrando beneficio votis nostris, qui in tuâ animi beneficientiâ maxime innitimur, Deumque praeterea opt. max. precamur ut maiestatem tuam diutissime salvam, florentem semperque felicem praestet ad tanti imperii gloriam, totque populorum utilitatem, una cum amantissimâ coniuge tuâ imperatrice, in quam item omnia nostra ex animo cumulamus debitae gratulationis gratissimaeque recordationis officia, nec non et cum augustis liberis, ut tua per eos regnandi exempla ad ultimam posteritatem nunquam interrupto decorum splendore pertingant.

Datum Romae, die VII. ian. MDCCXCVII. pontificatus nostri anno XXII.

CXX.

ALLOCUTIO

Nunciat et confirmat electionem Iosephi Thian Episcopum Vicarium Marchalen. in Patriarcham Antiochenum Maronitarum licet XXXVII. *annos natum* (1).

---

(1) Nondum annus affluxerat, ex quo in Antiochenum Maronitarum Patriarcham electus fuerat Rm̃us D. Philippus Petrus Gemaiel, cum hic repentinâ apoplexiâ correptus, pridie idus aprilis superioris anni MDCCXCVI. morte occubuit, antequam eius electio auctoritate apostolicâ confirmaretur. Tum Archiepiscopi et Episcopi nationis ex praescripto Synodi Libanensis, in coenobio congregati S. Mariae de Bekorke, IV. kal. maii eiusdem anni summâ et liberâ voluntate cunctis suffragiis Rm̃um Praesulem Iosephum Petrum Thian, Patriarchae Vicarium, in successorem eius elegerunt. Hinc et electus Patriarcha et electores ipsi observantissimis literis SSm̃o D. N. Pio Papae VI. supplicarunt, ut supremâ auctoritate suâ electionem confirmare dignaretur, et electum Patriarcham sacri Pallii munere decoraret. Sanctitas Sua rem discutiendam commisit S. Congregationi de Propagandâ Fide, quae SSm̃o consulendum decrevit pro confirmatione et sacri Pallii honore, praeviâ sanatione, quatenus opus esset, quorumcumque defectuum etiam substantialium. Hac auditâ sententiâ, Sanctitas Sua petitam electionis confirmationem sacrumque Pallium benigne concessit in consistorio secreto habito die XXIV. iulii huius anni MDCCXCVII.

Venerabiles fratres.

Facienda sunt nobis verba de Maronitarum patriarchatu. Extincto repente ex apoplexi ven. fratre Philippo Gemaiel Patriarchâ die XII. aprilis anni proxime praeteriti, ante quam ad eum pervenisset apostolicae confirmationis, quam mors duobus pene mensibus iam praevenerat, nuncius, eius nationis Archiepiscopi et Episcopi die XXVIII. eiusdem aprilis congregati in monasterio S. Mariae de Bekorke Patriarchali Sede, omnibus elegerunt in novum Patriarcham suffragiis ven. fratrem Iosephum Petrum Thian Episcopum Patriarchalem Vicarium. Quoniam vero abfuit ab eâ suffragatorum Synodo ven. frater Gabriel Kinaider Aleppensis Archiepiscopus, legittime nimirum impeditus, is per epistolam suam ei se assentiri electioni sponte declaravit. Electus Patriarcha ad S. hanc Sedem statim suum Delegatum misit dilectum filium Aloisium Bilaibel Antonianum monachum, ad praestandum nobis Patriarchae nominè fidelitatis et obedientiae sacramentum, et ad implorandam confirmationis et sacri Pallii gratiam. Attulit iste ad nos nostramque de Propagandâ Fide Congregationem literas debitis officiis plenissimas, in quibus praecipue electus Patriarcha scribit omnibus se inhaerere apostolicis constitutionibus, nec non et eiusdem Congregationis decretis, rogatque, ut confirmationem ac Pallium sibi indulgeamus. Alias item reddidit literas omnium Archiepiscoporum et Episcoporum Maronitarum, nec non et regularibus praepositorum, eiusque nationis primatum, suam universaeque gentis laetitiam et plausum de eâ electione ob electi perspectam morum probitatem, prudentiam, zelum et doctrinam concordi sensu testantium, instanterque memoratas gratias implorantium. Non iam hae novae ad nos afferuntur electi laudes, quarum egregium dedisse specimen ipsum scimus, cum in hoc Romano Maronitarum Collegio institueretur, ubi religiosissimi, studiosissimi omnique laude dignissimi iuvenis extat praeconium. Ibi philosophiae ac theologiae laureâ insignitus, ac domum porro ad Libanum reversus, cum praestantibus inclaruisset meritis, consecratus in Episcopum fuit, ac in Vicarium Patriarchalem delectus. Nunc vix annum vitae septimum et trigesimum egressus, natus scilicet die XV. martii MDCCLX., aetate adhuc iuvenis, at senex virtute, dignissimus visus est electoribus, ut in Patriarchatus Sedem promoveretur. Paulo post, quam praeclare esset erga Apostolicam Sedem eiusque constitutiones animatus, in suis ad proprium Romae Delegatum literis, factâ mentione celebris Hendie Agemi, opportune atque aperte declaravit. Nos de nostrae de Propagandâ Fide Congregationis consilio libenter admittimus delatas pro confirmatione preces, proque Pallii honore novo huic Patriarchae deferendo. Itaque non sine plurimâ animi nostri iucunditate hunc Maronitarum Patriarchalis Ecclesiae successum vobis nunciamus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in Maronitarum Patriarcham Antiochenum rite factam de personâ praedicti Episcopi Iosephi Thian, ac, praeviâ quorumcumque defectuum etiam substantialium sanatione, praeficimus in Patriarcham et pastorem Maronitarum nationis, pro qua electus est, prout in decreto et schedulâ consistoriali exprimitur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CXXI.

ALLOCUTIO

Nunciat et confirmat electionem Agabii Mattar Archiepiscopi Sidonis in Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum, eique pallium concedit (1).

Venerabiles fratres.

Quem elapso anno confirmavimus iam electum in patriarchatum Antiochenum Graeco-Melchitarum ac pallii honore insi-

(1) Relatis ab Emo et Rmo D. Cardinali Borgia literis Episcoporum Graeco-Melchitarum enixe supplicantium SSmo Domino Nostro, ut dignetur approbare et confirmare electionem seu postulationem Patriarchae catholici pro Ecclesiâ Patriarchali Antiochenâ nationis Graeco-Melchitae vacante per obitum bo. mem. Cyrilli Siagi Patriarchae peractam de personâ R. P. D. Agabii Mattar Episcopi Sidoniensis; Emi Patres, praehabitâ uberi notitiâ de rectâ fide, prudentiâ, zelo ceterisque virtutibus eiusdem R. P. D. Agabii, censuerunt consulendum esse Sanctitati Suae pro admissione electionis seu po-

gnivimus ven. fratrem Cyrillum, eumdem nunc vobis, VV. FF., antequam tesseram hanc communionis apostolicae per suum Delegatum accepisset, ex hac mortali vitâ ad aeternam emigrasse, inviti sane moerentesque nunciamus (1). Convenerunt statim octo eius nationis Episcopi in S. Georgio Hugarb, ac, praesentibus duarum Congregationum monasticarum S. Salvatoris et S. Ioannis in Soairo praefectis, die XXXI. augusti in defuncti successorem canonice pacificeque elegerunt ven. fratrem Agabium Mattar Sidonis Archiepiscopum, dieque III. septembris per epistolam testati sunt nobis praestitam abs se novo Patriarchae obedientiam, ac supplices, interpositâ congregatione nostrâ de Propagandâ Fide, petierunt, ut illi confirmationem apostolicam et Pallium largiremur; de quo ipso instant itidem supra memorati duo monachorum praefecti. Ipse vero electus Patriarcha et nobiscum et cum hac Congregatione accurate peragit, quae debet, officia, quae per Delegatum abs se missum explesset, si impedita non fuissent per Turcarum copias Libani Montis itinera. Ad hoc tamen perficiendum munus constituit iam in hac almâ Urbe commorantem dilectum filium Athanasium Debbas Vicarium suum, transmissis ad ipsum, quorum opus erat, documentis omnibus, praesertim fidei professione solemniter iuratâ super altari Sancti Georgii, testantibus id ipsum, qui aderant, Episcopo Acriensi et tribus apostolicis missionariis. Novus hic Patriarcha per sua merita ad eum, in quem evocatus est, gradum ascendit, nam duodecim per annos rexerat Congregationem S. Salvatoris, eiusdem per quatuor triennia continenter electus abbas; tum petente populo cleroque Sidonis ad illum est evocatus Archiepiscopatum, probante illâ ipsâ Congregatione nostrâ nobisque confirmantibus. Bis Romam advenerat pro suae Congregationis negotiis. Patriâ Damascenus est, aetate annorum sexaginta, rectâ fide, prudentiâ, zelo, pietate, ceterisque virtutibus conspicuus. His omnibus rite per nostram de Propagandâ Fide Congregationem expensis, auditâque eiusdem sententiâ confirmationem electionis in Patriarcham Antiochenum nationis Graeco-Melchitae ven. fratri Agabio Mattar concedendam existimamus cum pallii honore, quem per suum procuratorem flagitat; ita tamen, ut idem legitimus procurator nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat pallii traditio, professionem fidei emittat iuxta formulam ab Urbano VIII. praedecessore nostro statutam, et id ipsum subinde fieri ab ipso Patriarchâ debet.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in Graeco-Melchitarum Patriarcham Antiochenum rite factam de personâ

---

stulationis, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus esset, nec non ut praeviâ absolutione a vinculo Ecclesiae Episcopalis Sidoniensis praefatus Agabius Episcopus Ecclesiae Patriarchali Antiochenae Graecorum-Melchitarum praeficeretur, eique pallium insigne pontificalis plenitudinis benigne tribueretur.

Quam S. Congregationis sententiam a R. P. D. Caesare Brancadorio Archiepiscopo Nisibeno Secretario relatam SSmo D. N. Pio Papae VI. in audientiâ habitâ die XXV. iunii praedicti, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit et annuit, et praesenti alloc. consistoriali, habita die XXIV. iulii, confirmavit electionem et pallium electo concessit.

(1) Pont. allocutione habita in consist. seq. die XXVIII. iunii an. MDCCXCVI. confirmabat electionem Cyrilli Siagi Ep. Haramensis in Patriarcham Antiochenum Graecorum-Melchitarum.

ALLOCUTIO

Annunciamus vobis ad patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis Graeco-Melchitae vacantem per obitum ven. fr. Athanasii Giohar die primâ decembris MDCCXCIV. defuncti, electum canonice in ipsius successorem fuisse ab octo Praesulibus die decimâ eiusdem mensis in monasterio S. Eliae in Rusmeja ven. fratrem Cyrillum Siagi Episcopum Haramensem, de cuius rectâ fide, prudentiâ, zelo, ceterisque virtutibus cum illis Episcopis optime constaret, idque persuasum esset nostrae de Propagandâ Fide Congregationi; nos huius permoti consilio minime dubitamus, illorum admittere pro electione postulation., proque pallii honore novo huic Patriarchae deferendo. Is quintus est in serie a Cyrillo, qui primus fuit ab hac Sede Apostolicâ confirmatus, consanguineo celebris illius Euthymii, qui tantopere laboravit, suâque operâ, Deo iuvante, perfecit illam Graeco-Melchitarum unionem, suâque egregiâ praesidendi ratione stabilivit. Horum exemplo valde confidimus fore, ut constanter insistat hic alter Cyrillus, eorumque merita suis ipse laudibus aemuletur. Itaque nos benigne annuimus delatae ad nos postulationi, ac non sine plurimâ animi nostri iucunditate hunc Graeco-Melchitae Ecclesiae annunciamus vobis eventum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et adprobamus electionem seu postulationem in Graeco-Melchitarum Patriarcham Antiochenum rite factam de personâ praedicti Cyrilli Siagi, quem absolvimus a vinculo, quo tenetur, Ecclesiae Haramensis, ac transferimus ad patriarchalem Graeco-Melchitarum Sedem, praeficientes in Patriarcham ac Pastorem suae nationis, pro qua electus est, prout in decreto et schedulâ consistoriali exprimitur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

praedicti Agabii Mattar, quem absolvimus a vinculo, quo tenetur, Ecclesiae Archiepiscopalis Sidonis, ac transferimus ad patriarchalem Graeco-Melchitarum sedem, praeficientes in Patriarcham et pastorem suae nationis, pro qua electus est, prout in decreto et schedulâ consistoriali exprimitur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CXXII.

Approbat XXVIII. articulos a Commissario Gen. Minorum Ob. S. Francisci in Indiis propositos ad dubia tollenda, quae in regimine Collegiorum de Propaganda Fide eiusdem Ordinis in Indiis oriebantur.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Decet Romanum Pontificem libenter in iis pastoralis suae providentiae auctoritatem interponere, quae ad tollendas animorum ambages, regularemque disciplinam sancita sunt, ut ea sic in aevum stare certius possint, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum. § 2. Nuper siquidem dilectus filius Paulus de Moya frater Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum ac commissarius generalis Indiarum nobis exponi fecit, quod, cum alias munera seu officia commissariorum generalium in Indiis residentium interdicta seu suspensa fuerint, plura hinc dubia inter fratres sui ordinis missionarios in Indiarum regnis commorantes sibi subiectos exorta sunt, quorum solutio ab eius auctoritate enixe postulabatur quippe una, ad sedandas omnes animorum perturbationes, nec non religiose custodiendas Innocentianas constitutiones pro collegiis apostolicis de Propaganda Fide editas, optima videbatur. Quodque insuper iidem fratres missionarii ab eo desiderabant, ut ipse aliqua praemia pro exantlatis laboribus cuique in futurum constitueret: quapropter ut hisce postulationibus pro debito sui officii munere faceret statis, atque ut quantum in eo est suorum subditorum quieti et regulari disciplinae studeat, viginti et octo concinnavit articula tenoris, qui sequitur:

I.

§ 3. Constituimus, ut decennium fratribus ad Collegia de Propaganda Fide pro missionibus migrantibus a die ipsa, in qua naves conscendunt Indias versus, dummodo iam sacerdotes sint, vel, si nondum sacerdotes reperiantur, a die, qua ad hunc sacrum ordinem erunt promoti, numerandum sit: et sic pariter annus approbationis requisitus ad obtinendum ius utriusque suffragii in guardianorum capitulis erit computandus: ut frater, qui per annum in collegiis commoratus est, ad provincias transit, et dein ad eadem collegia regreditur, habendus sit veluti missus ad ferendum suffragium in electionibus, quin denuo annus approbationis ab eo sit suscipiendus, quod idem servandum venit pro commigrantibus ex uno in aliud collegium. Nemo ius alieni suffragii habebit, seu in praelatum eligi poterit, quin a quatuor annis eidem collegio sit incorporatus: electio vero guardianorum et commissariorum, qui missionibus praesunt, deinceps sic erit omnino peragenda: tres ex omnibus vocalibus cuiusque capituli erunt pluribus suffragiis eligendi, cui maior pars vocalium suffragata erit, praeses eiusdem capituli eum guardianum seu commissarium praefectum omnino renuntiabit, nullo ei hisce desuper relicto arbitrio iuxta dispositionem secundae Innocentianae constitutionis sub numero trigesimo, alii vero duo erunt discreti; ac deinde a vocalibus praedictis tertius et quartus discreti erunt designandi, ita ut, qui duo plura tulerint suffragia, in discretos etiam erunt costituendi. Quo autem consentiatur dispositioni statuti tum generalis Romae anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, tum custodiarum de Propaganda Fide anno millesimo septingentesimo octogesimo ab Emmanuele de la Vega editi pro electionibus visitatorum, praesidentium capitulorum provincialium et custodialium, ubi nominati a praelato generali suum adventum diutius different, statuitur, ut si expletis duobus solidis annis cum dimidio officii guardianorum praedictae superiorum dispositiones nondum pervenerint, tunc quaeque discretoria suos visitatores et praesidentes, aut ex alumnis sui cuiusque collegii, aut ex alumnis provinciae eis, quoad suffragia unitae eligere poterunt et debebunt: sic vero electi suis muneribus fungentur cum iisdem prorsus facultatibus, quibus nominati a superioribus generalibus utuntur: ita ta-

Tenor articulor., et de computatione decennii pro fratribus conscendentibus naves Indias versus.

men ut, si diplomata commissaria pro muneribus praedictis nondum solido triennio exacto accipiantur, quamvis, ut praefertur, electi visitationem susceperint, illico ab ea desistent, et in eo statu a commissario generali Indiarum pro tempore existente nominati illas continuabunt, usque dum praesidentiae capitulorum, eorumque incidentiae iuxta ordinis praedicti statuta ad effectum sint redditae, atque ad praecavenda incommoda guardianus et discreti de ipso celebrationis capituli anno certiorem facient commissarium generalem, ut ipse ad proximum futurum capitulum visitatores et praesidentem opportune deputet.

II.

De suffragiis faciendis pro animabus eorum qui Indias petunt.

§ 4. Ut obeunte fratre, priusquam navim conscenderit, suffragia in ipsius animae expiationem erunt facienda a provincia, seu collegio, a quo discessit; si autem ascensa iam navi, tunc eadem suffragia per provinciam, seu collegium, cui erat assignatus, erunt explenda: quod si aliqui ex iis, qui collegiorum decennium iam exegerunt, postquam a collegio seu provinciis missi fuerunt, decesserint, quoties id contingat, aut priusquam navim Hispaniam versus ascenderint, aut antequam alicui ex provinciis Indiarum fuerint addicti, tunc onus suffragiorum erit seminario, cui inservierunt: si vero iam conscensa navi, tunc erit provinciae, ad quam revertuntur, illorum animae suffragari: si tandem hi missionarii alicui ex provinciis Indiarum fuerint adiuncti, expleto decennio in collegiis, tunc hi tanquam fratres seniores quoad suffragia censentur.

III.

De privilegiis eisdem concessis.

§ 5. Ut si missionarii, exacto decennio, in suis collegiis iuxta apostolicas constitutiones, ac praesertim secundum Innocentianam constitutionem numero xxv., ad aliquam ex provinciis Indiarum adiungantur, erunt subinde idonei et capaces ad omnia munera et officia eiusdem provinciae obtinenda a die, qua fuerunt adgregati.

IV.

Idem ut supra.

§ 6. Ut collegiorum missionarii deinceps hisce fruantur privilegiis, qui nempe, emensis laudabiliter duodecim annis, aut ad suas matres provincias regredi, aut provinciis Indiarum, cum Hispani sint, aggregari desiderant, in iisdem provinciis erunt semper admittendi et recipiendi cum honore et gradu concionatoris seu praedicatoris generalis de iure. Qui autem per sexdecim annorum curriculum sua obsequia ordini praestiterunt, iis eadem spectabunt privilegia, perinde ac si fuissent definitores, iusque erit eligendi pro suo arbitrio quemque conventum provinciae, ut in eo affilientur, et ad illum adiungantur: si vero per viginti annos inservierint, perfunctis interim muneribus seu officiis commissariorum missionum et illarum collectorum, hi, sicut pariter guardiani et collegiorum discreti, et qui per quindecim annos munus magisterii in aliqua utili scientia seu facultate exercuerint, omnes hi, si aut ob infirmam valetudinem, aut ex alia iusta causa apostolico ministerio se abdicare postulaverint, tunc non solum iure sibi eligendi pro suo arbitrio quemlibet conventum, verum etiam omnibus et singulis privilegiis tam de iure, quam usu et consuetudine ministris provincialibus inter limites provinciarum suae filiationis aut adgregationis competentibus uti, frui et gaudere libere ac licite poterunt: immo fratres provinciarum Hispanarum dicti Ordinis, qui ad provincias Indiarum erunt adiuncti, postquam laudabiliter memoratum annorum curriculum emensi fuerint, a die, qua eisdem provinciis fuerunt adgregati pro alternativa, censentur habilitati. Hisce tamen addendum est, ut collectores missionum in suis respective collegiis sint discreti perpetui, eodem prorsus modo, quo commissarii missionum, ac guardiani tam actuales, quam habituales; ita tamen ut omnes praedictae praeeminentiae atque exemptiones subrogationis habendae sint sine praeiudicio patrum immediati et senioris, atque aliorum, qui sunt ex-provinciales ex iure subrogationis, quoad dictos patres immediatum et seniorem.

V.

De confessariis.

§ 7. Ut confessores in suis respective provinciis constituti illorum institutionis vi omnium subditorum ordinis praedicti sacramentales confessiones excipere, nec non propria peccata, cui confessario eiusdem ordinis voluerint, quamvis nisi a ministro provinciali ipsi facultates habeat, confiteri poterunt: salvo tamen semper iure Ordinariorum suarumque facultatum.

VI.

De nominatione praedicatorum.

§ 8. Ut guardianus et collegiorum discreti praedicatores et confessarios tum fratrum, tum monialium nominare, dimissoria ad ordines concedere, ac illos Ordinariis praesentare poterunt, quos ad verbum Dei evangelizandum atque Christifidelium utriusque sexus confessiones audiendas idoneos et capaces reputabunt, non secus ac provinciales; quoad suos subditos sine pariter iurium ac facultatum Ordinariorum localium praeiudicio.

VII.

De concessione habitus regularis.

§ 9. Ut guardianus et collegiorum discreti regularem habitum concedere, atque ad religionem et professionem regularem emittendam eos admittere queant, in quibus et vera vocatio elucebit atque ea erunt, quae ab Innocentiana constitutione sub numero 21. praerequiruntur; sicuti pariter arbitrii maioris partis discretorii erit illos interdum inter fratres ordinis praedicti accipere, qui viginti et unius anni aetatem nondum exegerunt, ita tamen ut hisce desuper illorum conscientia onerata sit, et omnia iuxta sacrosancti Tridentini Concilii decreta fiant, ac nemo recipiatur ultra illorum numerum, qui commode ex eleemosynis sustentari possunt.

VIII.

De fratribus missionariis in quolibet collegio recipiendis.

§ 10. Ut fratres missionarii post decursum decennium in aliud collegium recipi possint: quod si iustis de causis ante emensum decennium translationem huiusmodi postulent, ad aliud pariter collegium adgregari poterunt, accedente tamen utriusque discretorii consensu, et retento quod iam fuit praescriptum pro translatione de una ad aliam provinciam.

IX.

De praesidibus hospitiorum et conversionum.

§ 11. Ut hospitiorum et conversionum praesides easdem habeant facultates, quibus per statuta ordinis praedicti vicarii conventuum, absente guardiano, utuntur, utque in electionibus praesidum huiusmodi ea, quae a toties memorata constitutione Innocentiana pro electione vicarii conventuum praescribitur, omnino sint servanda.

X.

De exclusione discret. ab officio praesidum.

§ 12. Ut collegiorum actuales discreti in praesides huiusmodi neque eligi, neque domibus conversionum assignari possint, durantibus eorum respective officiis.

XI.

De remotione praesidum ab officio.

§ 13. Ut praesides praedicti ab eorum officio amoveri possint, quoties guardianus et discreti maius Dei et regis catholici servitium id exigere censebunt.

XII.

De iis qui praesidere debent electionibus guardianorum et commissariorum.

§ 14. Ut in qualibet communitate, seu domo conversionis, frater sit, qui capitulis ad eligendos guardianos seu commissarios praesit: utque si contingat fratres de familia discrepare in electione praedicta, tunc ex duobus aut pluribus designatis, qui officium obtinebit, erit sorte legendus: qui tamen in scriptis vocem seu suffragium activum abdicabit, haecque renuntiatio capitulo et discretorio erit exhibenda.

XIII.

De iure praesidis eligendi et deputandi vicarium.

§ 15. Ut si guardianus aliquis frater absens renuntiatus fuerit praeses capituli cum discretis commorantibus in collegio, eadem pollet facultate, quae a secunda Innocentiana constitutione sub numero trigesimo secundo novo guardiano ad eligendum vicarium attribuitur, qui subinde tamquam praeses in capite rem omnem administrabit primum locum occupans usque dum electus guardianus in collegium perveniat; quod si novus electus guardianus interim e vita excedat, vel officium recuset, vicarius praedictus in suscepta administratione et gubernio communitatis veluti praeses in capite usque ad exitum unius anni cum dimidio electionis perget: si porro guardianus intra ipsum suae electionis deficiat annum, vicarii erit intra breve trium dierum spatium a die obitus, seu dimissionis aut renunciationis, vocales omnes, quot intra spatium viginti dierum haberi poterunt, convocare pro novi guardiani electione, cui electioni dignior collegii praeerit; et recens electus suum gubernium usque ad incepti triennii exitum geret: si autem guardianus in secundo aut tertio sui gubernii anno deficiet, tunc vicarius praedictus tamquam praesidens in capite usque ad proximam capituli convocationem, quae nunquam ultra solitum triennium protrahatur, communitatem moderabitur, ea tamen lege, ut haec omnia commissario generali signi-

ficentur, ut hinc ab illo iuxta rerum ac temporum opportunitates necessaria capiantur consilia.

XIV.

De requisitis necessariis ad admittendam dimissionem guardianorum ab officio.

§ 16. Ut quod ad admittendam guardianor. dimissionem suorum officiorum, seu guardianatuum intra annum cum dimidio sui officii a ministro provinciali illarum provinciarum, ad quas quoad suffragia adgregati sunt, spectat, prout cavetur in dicta Innocentiana constitutione sub num. 31. consuetudo in dictis collegiis a die retenta, qua commissarii generales Peruvianus et Mexicanus defecerunt, semper firma remaneat.

XV.

De missionibus instituendis.

§ 17. Ut guardiano, et, eo absente, vicario integrum sit tum missiones ad fideles populos committere non solum per sex menses ab Innocentianis constitutionibus praedictis expressos, sed etiam in aliud tempus, prout mature pensatis locorum distantiis ei opportunum ac necessarium videbitur; tum missionariis concedere, qui recusare non poterunt, ut concionari, sermocinari, ac de laudibus Sanctorum moraliter verba facere valeant, vitia evitanda, ac virtutes ad Sanctorum, qui laudantur, imitationem sequendas annuntiando.

XVI.

De domibus conversionum a nemine recusandis.

§ 18. Ut nemo deinceps ad domus conversionum, atque ad antiquas doctrinas suorum respective collegiorum se conferre recusare possit, quamvis iter vel terra vel mari habendum sit; ita tamen ut pro conversionibus infidelium in omnibus collegiis, quod a memorata secunda Innocentiana constitutione sub numèro sexagesimo tertio disponitur, indiscriminatim ac religiose custodiatur, sint collegiales vel e Hispaniis, vel habitum susceperint ac professionem regularem in eisdem collegiis emiserint.

XVII.

De electione fratrum pro absolutione a casibus reservatis.

§ 19. Ut guardianus ac discreti cuiusque collegii, absque ullo iurium ac facultatum Ordinariorum praeiudicio, tot fratres tum intus tum extra collegia, quot iuxta alumnorum cuiusque collegii numerum conveniens erit, nominare possint pro absolutione poenitentium a casibus reservatis, pro habilitatione incestuosorum, aliisque ad forum conscientiae spectantibus peragendis.

XVIII.

Idem ut supra.

§ 20. Ut collegiorum guardianis absque pariter ullo iurium ac facultatum Ordinariorum praeiudicio sit concedere facultatem absolvendi a casibus reservatis in ordine praedicto absque temporis limitatione, et toties quoties destinati e collegio discedant, aut extra claustra degant, qua quidem facultate eodem prorsus modo, nec aliter quam guardiani praedicti, utentur commissarii missionum pro suis subditis, qui infidelium ac neophitorum missionibus inserviunt.

XIX.

De iuribus guardianorum.

§ 21. Ut quidquid provinciali erga suos subditos licet, liceat pariter et guardianis collegiorum in suos; quidque provinciali cum suo definitorio, et guardianis itidem cum suis discretis fas erit.

XX.

De receptione fratrum missorum a seminariis.

§ 22. Ut provincialis et definitorium, cum quibus incorporatum est respective collegium quoad suffragia, eos fratres qui a seminariis missi erunt in provinciam, omnino recipiant, prout cavetur in secunda Innocentiana constitutione num. 13, ita tamen ut de hisce certiorem facere commissarium generalem Indiarum teneantur: sicuti pariter commissario generali praedicto, si regiis sumptibus hi missi fratres fuerint ducti, haec regio Indiarum consilio significare incumbet.

XXI.

De nominatione syndicorum.

§ 23. Ut liceat guardiano cum suis discretis ubique collegiorum et domorum conversionis syndicos, sic exigente necessitate, nominare ac instituere etiam non audito commissario generali.

XXII.

De distributione eleemosynarum.

§ 24. Ut in collegiis, in quibus exstant eleemosynae et pia opera ad missiones spectantia, onus sit praesidentis capituli cum discretorio in singula triennia aliquem ex fratribus cum titulo procuratoris conversionis deputare, ut ipse hosce proventus et fructus summa sedulitate curet, quo

etiam diligenter suo officio huiusmodi fungente, eis integrum erit, illum in munus huiusmodi ad aliud sibi benevisum tempus confirmare, eique etiam aliquod congruum munus elargiri et assignare.

XXIII.

De unione officii commissarii missionum cum officio praefecti.

§ 25. Ut officium commissarii missionum cum officio earumdem missionum praefecti deinceps unitum sit, quemadmodum pro eis, qui in nova Hispania degunt a fel. record. Clemente PP. XIV. per suas in simili forma Brevis die XXII. novembris MDCCLXIX. expeditas literas incipientes *Alias pro parte dilecti filii Michaelis del Rosal* fuit dispositum, et a supremo Indiarum consilio sub die X. maii MDCCLXX. fuit recognitum.

XXIV.

De electione commissarii missionum.

§ 26. Ut commissarius missionis praedictus in quolibet collegio iuxta dictas constitutiones Innocentianas fundato in singula sexennia eligatur, eodem prorsus modo, quo in singula triennia guardiani eliguntur, prout expressum legitur in declaratione primi dubii; omnibus vero sacerdotibus, qui ab anno in collegio commorantur iuxta consuetudinem electionum commissariorum septemnalium, et primam Innocentianam constitutionem sub num. 21, huic electioni suffragium ferendi ius erit: omnes praefecti commissarii missionum sic, ut praefertur, in singula sexennia electi tamquam delegati commissarii generalis omnem habebunt et obtinebunt superioritatem in missionibus et in conversionibus, quae quodammodo ad respectiva collegia spectant, atque illius oneri et servitio stant, cum teneantur illas visitare, atque illarum progressui invigilare, etiam fratres missionarios de uno in alterum populum seu missionem transferendo, quando illarum bonum atque utilitas sic postulet. Quam quidem auctoritatem etiam quoad ipsos fratres, qui actu missionibus inserviunt, hi commissarii exercere poterunt, eos corrigendo, ac ad claustra etiam revocando, qui obliti vocatione, qua vocati sunt, ei in sibi concredito ministerio haud responderent, aut sua mala vivendi ratione Indos perverterent: quae quidem de consensu guardiani sui cuiusque collegii fieri debent, nisi res ita urgeret, ut necessarium foret, ut ipse per se hisce incommodis prospiceret. Quod si memorati praefecti commissarii missionum ex aliqua gravi aut utiliori causa distenti haec per se exequi non poterunt, tunc suas facultates vice-praefecto missionum, seu alteri missionario eiusdem seminarii, qui probitate vitae commendabilis in Domino sit, committent, prout iam ab Innocentianis constitutionibus dispositum fuit.

XXV.

De facultatibus commissarii.

§ 27. Ut commissarius, ut praefertur, electus per integrum suum sexennium omnibus facultatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis utatur, quas memoratae Innocentianae constitutiones electo ad septemnium tum commissariis, tum praefectis concedunt.

XXVI.

De forma servanda in ferendis suffragiis.

§ 28. Ut quae usque adhuc in more fuit ad formam dispositionis secundae Innocentianae constitutionis sub numer. 34 in ferendis suffragiis discretorialibus ac in eorum subrogatione, qui illa ferre debent, etiam in posterum sint religiose retinenda.

XXVII.

De convocatione capituli pro electione praefecti commissarii.

§ 29. Ut eveniente obitu vel dimissione aut abdicatione commissarii praefecti actualis nondum exacto triennio, guardianus sui collegii sub poena privationis officii post triduum a die habitae notitiae computandum omnes fratres absentes ad novum capitulum coget, atque iis perventis, quibus facile fuit inter viginti dierum terminum venire, communitas sit convocanda, novumque eligendum commissarium iuxta disposita in articulo I. Cui quidem capitulo dictus guardianus praeerit, atque factam electionem cum omnibus necessariis facultatibus confirmabit, atque sic electus usque ad proximum futurum capitulum guardianale, in quo novus commissarius erit eligendus, suo fungetur officio.

XXVIII.

De guardianorum et discretorum iure definiendi ea quae in constitutionibus expresse non reperiantur.

§ 30. Tandem constituitur, ut ea omnia, de quibus haec articula expresse non disponunt, guardianus et discreti (si ipsi unanimi consensu id ad Dei cultus augmentum ac regis catholici servitium pertinere reputabunt) per se ipsi, et quomodolibet eis cum adsistentia superioris generalis licuerit, decidere, definire ac statuere va-

leant, prout disponitur a decreto sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quod incipit *Sacra Congregatio* die XVI. novembris MDCCLXXXVIII. sub numero 6: ita tamen ut guardianus et discreti praedicti quidquid novi ab eis statuetur, commissario generali significare teneantur, qui etiam de hoc ipso supremum consilium Indiarum certiorem reddet; utque nihil adversus haec vigesima septima articula disponere eis fas sit. Utque quoad gratias, exemptiones et privilegia pro fratribus dicti ordinis de observantia supra notata et concessa fuerunt, ea etiam valeant pro missionariis excalceatis de Propaganda Fide Indiarum, qui cum eodem missionum religionis et status progressu et utilitate in eodem apostolico ministerio multos exantlant labores: sicuti pariter iisdem gratiis et exemptionibus utentur missionarii conscripti ad missiones provinciarum, hac tamen tantum ratione, non autem quoad alternativam, aut paraecias, aut doctrinas visitationi Ordinariorum dioecesanorum subiectas. Quod si intra duodecim annos requisitos ad obtinendas exemptiones et privilegia praedicatorum generalium, aut sexdecim annos pro privilegiis definitorum, aut viginti annos pro privilegiis patrum provinciae, ut praefertur, respective necessarios hi aliquam praelaturam de officio, quae institutum cursum intercidit, consecuti sint; tunc transactum tempus nihil eis proderit, cum dictae graduationes iis tantum debeantur, qui sine ulla interruptione susceptum curriculum emensi sunt. Ut porro haec omnia religiose serventur, sciant provinciales et definitores eis haud licere quoquomodo variare ac mutare assignationem, propter quam fratres conscripti fuerunt, aut propter missiones scilicet, aut propter alternativam. Insuper declaratur, quod commissarii praefecti missionum et harum collectores iisdem ac patres provinciae gaudere debeant exemptionibus, et quod electio et nominatio commissariorum praefectorum missionum, qui a provinciis, non autem a collegiis de Propaganda Fide sustentantur, ad commissarium generalem Indiarum privative spectet tum pro primo sexennio tum etiam pro futuris usquedum aliter disponendum sit, ex quibus tamen nihil in iis, quae in articulis primo et vigesimo quarto, ubi de electionibus commissariorum praefectorum collegiorum fuit dispositum, innovatum aut mutatum censendum erit.

Confirmatio apostolica.

§ 31. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quo praeinserta articula firmius subsistant et serventur exactius, memoratus exponens apostolicae firmitatis patrocinio communiri summopere desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, omnia et singula praeinserta articula ac quaecumque in eis inserta, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 32. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; atque illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 33. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes,

illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. dec. MDCCXCVII. pontificatus nostri anno XXIII.

CXXIII.

Instantibus rectore, et superioribus collegii Angli civitatis Lisbonensis, privilegia, quae alias a felicis recordationis Gregorio XV. et Urbano VIII. alumnis dicti collegii concessa fuerunt, extendit ad alios iuvenes Anglos, qui in eodem collegio educationis et studiorum causa pro tempore commorabuntur, licet consuetum missionum iuramentum non emittant.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii rector et superiores collegii Angli Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli civitatis Lisbonensis, quod alias fel. recor. Gregorius PP. XV. et Urbanus PP. VIII. praedecessores nostri per suas in simili forma Brevis die XXII. septembris anni MDCXXII. et die XIV. octobris MDCXXVII. respective expeditas literas omnia et singula privilegia, gratias et indulta, quae alias a fel. record. Gregorio PP. XIII. praedecessore itidem nostro collegio Anglicano de Urbe fuerunt concessa ad alumnos dicti collegii Angli Lisbonensis auctoritate apostolica extenderunt atque ampliarunt, prout in memoratis apostolicis literis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praeter alumnos Anglos dicti collegii, qui iuramentum missionum iuxta eiusdem collegii apostolicas constitutiones et statuta praestare tenentur, alii etiam iuvenes Angli in eodem collegio excipiantur, qui licet iuramentum huiusmodi non emittant, tamen sperari potest fore, ut quam maxime eisdem missionibus sint; hinc memorati exponentes ad hosce iuvenes Anglos memorata privilegia, gratias et indulta per nos ampliari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas, quorum interest, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, gratias et indulta, ut praefertur, a memoratis Gregorio et Urbano praedecessoribus nostris alumnis dicti collegii Angli Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli civitatis Lisbonensis concessa, ad alios etiam iuvenes Anglos tantum, qui non praestito solito missionum iuramento in eodem collegio educationis ac studiorum causa commorantur, vel pro tempore commorabuntur, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et ampliamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non eiusdem collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effe-

ctum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Senis sub annulo Piscatoris die XX. martii MDCCXCVIII., Pontificatus nostri anno XXIV.

CXXIV.

Indulgetur missionariis collegii apostolici de Guadalupe Guadalaxariensis dioecesis, ut in eorum ecclesia missa votiva de Beata Maria Virgine celebrari possit quotannis.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii missionarii collegii apostolici ordinis Seraphici titulo beatae Mariae Virginis de Guadalupe nuncupatae de Guadalaxeriensi dioecesi nobis exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem in eamdem beatissimam virginem praeseferunt, affectu, eiusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio Vincentio Benucci sacrorum Rituum congregationis pro secretario, ut in posterum in die duodecima cuiuslibet mensis in eorum ecclesia una missa votiva solemnis propria de eadem Beata Maria Virgine, dummodo non occurrant festa dupl. primae vel secundae classis, nec non feriae privilegiatae, celebrari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Senis, sub annulo Piscatoris, die X. aprilis MDCCXCVIII., pontificatus nostri anno XXIV.

CXXV.

Vicario Apostolico Tunkini Occidentalis eiusque Coadiutori, et Vicario Apostolico Cocincinae ac eius coadiutori concedit, ut quilibet eorum in proprio vicariatu superstes sit altero decedente vel etiam cessante, sibi eligat Coadiutorem cum futura successione unum ex presbyteris proprii vicariatus, eumque consacret Episcopum (titulo decedentis assignato) assistentibus duobus presbyteris vel etiam sine ipsis si desint, re tamen quamprimum S. Sedi denuncianda (1).

Venerabilibus fratribus Iacobo Beniamino Longer Episcopo Gortinen. Vicario Apostolico in Tunkino Occidentali et Carolo Lamothe Episcopo Castorien. suo in Vicariatu Apostolico huiusmodi Coadiutori, necnon Petro Iosepho Pigneaux Episcopo Adranen. Vicario Apostolico Cocincinae, et Ioanni Labartette Episcopo Veren. suo in Vicariatu Apostolico huiusmodi Coadiutori,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exigit pastoralis solicitudo, quae nullis nostris suffragantibus meritis, sed ex

(1) Ex Bull. Pont. de P. F. coll. etc.

immensâ Dei bonitate humilitati nostrae concredita est, ut de christifidelibus in dissitissimis regionibus commorantibus peculiarem curam geramus, ac propterea ad ea antevertenda ac praecavenda mala, quae ex locorum distantiâ ac itinerum difficultatibus necessario quasi existerent, specialis providentiae nostrae intuitum convertamus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur. Cum itaque, sicut accepimus, quamvis vobis, o Iacobe Beniamine Gortinen., et Petre Ioseph Adranen. Episcopi, in Tunkino Occidentali et in Cocincinâ Vicarii Apostolici, Carolus Castorien. et Ioannes Veren. Episcopi in Coadiutores in vestris respective Vicariatibus Apostolicis ab Apostolicâ Sede alias deputati fuerint; quod tamen fieri potest, ut tum ob vestram ac vestrorum Coadiutorum aetatem, tum praesertim ob exantlatos in vineâ Domini labores, atque infirmam vestrum valetudinem, non diu post obitum alterutrius vestrum vel Coadiutorum vestrorum superstes quoque viam universae carnis ingrediatur, priusquam a nobis vel ab Apostolicâ Sede novus Coadiutor in vestris respective Vicariatibus Apostolicis superstiti deputetur, unde christifideles vestrum curae concrediti, suis quasi viduati pastoribus, plurimis spiritualibus forent obnoxii periculis; hinc nos animarum christifidelium huiusmodi, quantum cum Domino possumus, saluti consulere volentes ac de vestrâ fide, pietate, integritate, prudentiâ, caritate, pastorali vigilantiâ et catholicae Religionis zelo plenam in Domino fiduciam habentes, ac vestrum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, fraternitatibus vestris ac unicuique vestrum in suis respective Vicariatibus Apostolicis, qui alteri, quem praemori contigerit, superstes fuerit, ut unum ex presbyteris sui cuiusque Vicariatus Apostolici, quem in Domino magis idoneum et tanto muneri exequendo aptiorem iudicaverit, Ecclesiae in partibus infidelium, quae per obitum praedefuncturi ex vobis pastoris solatio fuerit destituta, in Episcopum ac pastorem auctoritate nostrâ apostolicâ praeficere, eique sic praefecto munus consecrationis cum adsistentiâ aliorum duorum presbyterorum, etiamsi non sint Episcopi neque in ecclesiasticâ dignitate constituti, si adfuerint, sin minus etiam sine illorum adsistentiâ, servatis tamen, quantum locus et tempus ferent, caeremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illo nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, impendere libere ac licite possit et valeat, facultatem dictâ auctoritate tenore praesentium tribuimus et impertimur.

§ 2. Ac eumdem Episcopum sic ordinandum, ex nunc prout ex tunc, postquam ordinatus et consecratus fuerit in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem illius, qui ex vobis alteri erit superstes, cum plenâ, liberâ et omnimodâ facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinent, etiam ea quae sunt ordinis et officii pontificalis, faciendi, gerendi, procurandi et exercendi, de illius qui superstes erit ad id habito vel habendo, ac requisito seu requirendo, et accedente consensu, auctoritate et tenore praefatis constituimus et deputamus: nec non superstite cedente vel decedente, aut quomodolibet ab officio Vicarii Apostolici huiusmodi desinente, ex nunc prout ex tunc et e contra, ipsum sic ordinatum et consecratum in Vicarium Apostolicum in partibus supradictis loco ipsius coadiuti cedentis aut decedentis, cum omnibus et singulis facultatibus vobis ab Apostolicâ Sede alias attributis, donec tamen et quousque a nobis vel ab eâdem Apostolica Sede aliter mandatum et dispositum fuerit, auctoritate et tenore praedictis deputamus, substituimus et subrogamus. Volentes tamen ut de hisce praemissis, quanto citius fieri poterit, superstes nos et Apostolicam Sedem certiores facere omnino debeat.

§ 3. Ceterum praedicto Episcopo, ut ipse ad Ecclesiam, cui vigore praesentium praefectus fuerit, quamdiu illa ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime teneatur, dictâ auctoritate et harum serie concedimus et indulgemus. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici

subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum apud Monasterium Ordinis Monachorum Carthusien. extra moenia civitatis Florentinae sub annulo Piscatoris, die XXII. iulii MDCCXCVIII., pontific. nostri an. XXIV.

CXXVI.

Facultatem eligendi coadiutorem cum futura successione Vic. Ap. Sutchuensi concedit.

PIUS PP. VI.
ad futuram rei memoriam.

Uberes fructus, qui ob vigilantiam ac vere pastoralem solicitudinem tum Vicariorum Apostolicorum, tum aliorum sacerdotum, quibus difficilis ac satis onerosa evangelizandi Dei verbum inter dissitissimas nationes ab Apostolicâ Sede cura demandata est, quotidie capiuntur, nos provocant, ut, quantum in nobis est, ad spiritualem illarum utilitatem providentiae nostrae intuitum convertamus, atque ea omnia avertere studeamus, quae quodammodo impedire possent, quominus in dies etiam maiores proferantur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

§ 1. Nuper siquidem ad praecavenda incommoda, atque spiritualia pericula, quibus christifideles intra limites Vicariatus Apostolici in Sutchuen. commorantes ob locorum distantiam, ac in hisce praesertim luctuosissimis temporibus, navigationum difficultatem exponerentur, si ob mortem ven. fratris Ioannis Desiderii Episcopi Caradrensis diu Vicariatus Apostolicus praedictus vacare contingeret, per alias nostras in simili formâ Brevis, diei XXIII. mox elapsi iulii expeditas literas eidem Ioanni Desiderio Episcopo facultatem sibi inter suos sacerdotes suum Coadiutorem cum futurâ successione in eodem Vicariatu eligendi, eumque in Episcopum Tabracensem consecrandi, impertiti sumus: et quatenus eaedem nostrae literae post ipsius Ioannis Desiderii obitum illuc pervenissent, dilectum filium Gabrielem Taurinum Dufresse, iam ab eo in suum Coadiutorem designatum, in Episcopum Tabracensem elegimus cum indulto suscipiendi munus episcopalis consecrationis a quocumque catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente: eumque in Vicarium Apostolicum in dictâ provinciâ de Sutchuen. cum omnibus iisdem facultatibus, quibus memoratus Ioannes Desiderius Episcopus, dum viveret, utebatur, constituimus ac subrogavimus, ac alias, prout in memoratis nostris literis uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut postmodum accepimus, dictus Gabriel Taurinus electus Tabracen. infirmae atque aegrae sit valetudinis, unde metui potest, ne ipse quoque laboribus attritus non diu post debitum naturae persolvat, hinc nos memorato Ioanni Desiderio Episcopo Caradrensi, nec non Coadiutori sibi, ut praemittitur, vigore facultatum electo, et postquam fuerit in Episcopum Tabracensem consecratum, de quorum fide, pietate, integritate, prudentiâ, caritate ac religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ex certâ scientia et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine illis, ac unicuique illorum, qui scilicet alteri, quem praemori contigerit, superstes fuerit, ut unum ex presbyteris Vicariatus praefati, quem in Domino magis idoneum et tanto muneri exequendo aptiorem iudicaverit, Ecclesiae in partibus infidelium, quae per obitum praedefuncturi pastoris solatio fuerit destituta, in Episcopum et pastorem praeficere, eique sic praefecto munus consecrationis cum adsistentiâ aliorum presbyterorum duorum, etiamsi non sint Episcopi, neque in ecclesiasticâ dignitate constituti, si adfuerint, sin minus etiam sine illorum adsistentiâ, servatis tamen, quantum locus et tempus ferrent, caeremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto prius ab illo nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, impendere libere ac licite possit et valeat, facultatem tenore praesentium tribuimus ac impertimur.

§ 3. Ac eumdem Episcopum sic ordinandum, ex nunc prout ex tunc, postquam

ordinatus et consecratus fuerit, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem illius, qui alteri erit superstes, cum plenâ, liberâ et omnimodâ facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi coadiutoris officium de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet pertinent, etiam ea, quae sunt ordinis et officii pontificalis, faciendi, gerendi, procurandi et exercendi, de illius, qui superstes erit, ad id habito vel habendo, ac requisito seu requirendo et accedente consensu, motu, scientiâ, auctoritate, et tenore praefatis constituimus et deputamus: nec non, superstite cedente vel decedente, aut quomodolibet ab officio Vicarii Apostolici huiusmodi desinente, ex nunc prout ex tunc, vel contra, ipsum sic ordinatum et consecratum, in Vicarium Apostolicum in dictâ provincia Sutchuensi loco ipsius coadiuti cedentis aut decedentis, cum omnibus et singulis facultatibus illi ab Apostolicâ Sede alias attributis, donec tamen et quousque a nobis vel ab eâdem Apostolicâ Sede aliter mandatum et dispositum fuerit, motu, scientiâ et auctoritate paribus, earumdem praesentium tenore substituimus et subrogamus.

§ 4. Quod si interim memoratus Ioannes Desiderius Episcopus Caradrensis ac Vicarius Apostolicus deficiat, ita ut dictus Gabriel Taurinus Dufresse vigore praedictarum nostrarum literarum in eius locum suffectus sit, eidem Gabrieli Taurino, postquam ad Ecclesiam Tabracensem, ut praefertur, fuerit promotus, atque in Episcopum huiusmodi ordinatus et consecratus, et administrationem Vicariatus Apostolici praefati susceperit, illi easdem facultates sibi, nempe eligendi in Coadiutorem unum ex presbyteris Vicariatus Apostolici praefati eumque in Episcopum Caradrensem ordinandi et consecrandi, motu, scientiâ, auctoritate et tenore praedictis concedimus pariter et indulgemus: sicque ab eo electum ac in Episcopum Caradrensem ordinatum et consecratum in suum Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem, cum omnibus et singulis iuribus, facultatibus et auctoritate similibus coadiutoribus solitis et consuetis, ac coadiutori vigore praesentium eligendo impertitis, constituimus et subrogamus. Volentes tamen, ut de praemissis, quanto citius fieri poterit, vel superstes vel memoratus Gabriel Taurinus nos et Apostolicam Sedem certiores facere omnino debeat. Ceterum praedicto Episcopo sic, ut praemittitur, eligendo, ut ipse ad Ecclesiam, cui earumdem praesentium vigore praefectus fuerit, quamdiu illa ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, motu, scientiâ et auctoritate paribus, harum serie concedimus et indulgemus.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum apud monasterium Monachorum Ordinis Carthusien. extra moenia civitatis Florentinae, sub annulo Piscatoris die VIII. augusti MDCCXCVIII., pontificatus nostri anno XXIV.

CXXVII.

Elevat ritum officii exaltationis Sanctae Crucis a duplici maiori ad duplicem secundae classis cum octava pro civitate Limana.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii clerus saecularis et regularis civitatis Limanae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in Christi Domini passionem afficiuntur, devotionis affectu, eiusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. **Ratio concessionis.**

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis in- **Tenor concessionis.**

clinati, ut in posterum pro eadem civitate Limana ritum officii exaltationis Sanctae Crucis a duplici maiori ad duplex secundae classis cum octava pro clero saeculari et regulari elevari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro pleno et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum apud monasterium monachorum Ordinis Carthusiensis extra moenia civitatis Florentinae sub annulo Piscatoris die XXIV. septembris MDCCXCVIII., pontificatus nostri anno XXIV.

CXXVIII.

Confirmantur articula pro recta directione Collegii Missionariorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Abbazia in Villa de Balthanas Palentin. Dioecesis erecti.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea, quae vel pro tuenda, vel pro regulari disciplina, si interdum ex misera rerum humanarum conditione alicubi collapsa est, restituenda, scite ac prudenter disposita sunt, quoties ad id postuletur, apostolicae auctoritatis providentia confirmare, prout in Domino salubriter expedire arbitratur. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii definitorium provinciale et provincialis provinciae Sancti Pauli Castellae Veteris fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Excalceatorum nuncupatorum, quod inter caeteros conventus ordinis et provinciae praedictorum etiam auctoritate fel. recor. Benedicti PP. XIII. praedecessoris nostri collegium missionariorum eiusdem ordinis in villa seu loco de Balthanas Palentinae Dioecesis erectum fuit, in quo iamdiu plures viguerunt optimi missionarii, qui per plures annos verbo et opere Vineam Domini sedulo atque utiliter coluerunt. Ast nuperrimis temporibus adeo pristino statu excidit, ut ex operariorum penuria Episcoporum postulationibus vel minime fieri satis possit. Quamobrem exponentes praedicti quaedam articula seu decreta, quae tum circa numerum alumnorum dicti Collegii et officia, tum circa regularem observantiam, cum demum circa praemia ac privilegia iis, qui laudabiliter suo munere functi sunt, debita versantur, e re sua concinnare putarunt, ex quibus futurum, ut collegium praedictum ad suum primaevum splendorem restituatur, omnino confidunt. Articula vero seu decreta ab eodem Definitorio edita tenoris sunt qui sequitur:

Numerus et munia missionariorum.

§ 1. Quoad numerum igitur et munia missionariorum statuitur, ut in praefato collegio viginti duo tantummodo sint missionarii, eorumque electio fiat a P. Provinciali, qui ad ministerium apostolicum aptiores eligat, eius desuper onerata conscientia; iique eligi poterunt statim ac a sua provincia in Concionatores fuerint destinati, eoque munere per viginti quatuor, et non ultra, annos sint perfuncti, nisi aliter singulares alicuius religiosi suadeant animi dotes, in hoc enim casu religiosus iste de iudicio venerabilis Definitorii poterit admitti. Pater autem provincialis, novis subinde advenientibus operariis, dimittat antiquos, qui ob adversam valetudinem, impotentiam et infirmitates actu ad Missiones peragendas idonei amplius minime deprehendantur; ita ut in collegio nullus sacerdos ultra numerum missionariorum, ut supra praefixum, esse debeat. Et in eo nec Concionator Conventualis, nec praesides, nec Visitator sit; sed Guardianus, consulto P. Provinciali, tres ex operariis, qui hisce perfungantur muneribus, praefiniat, quin ex hoc praepediantur ad Missiones peragendas, quoties eis a praelato praecipiatur. Ad Guardiani autem munus alter ex missionariis erit omnino assumendus, et nemo ex illis, derelicto Collegio, guardiani officium

in altero ex provinciae conventibus, quin annos sui apostolici ministerii expleverit, sub poena amissionis honorum ei competentium, admittatur. Inibi tamen sit commissarius a provinciali electus, et hic erit definitor actualis sive habitualis vel honorarius, missionibus tamen addictus, cuius erit collationibus Moralibus et Rhetoricae praeesse, quae sunt disputanda proponere dubia vel casus, qui occurrant definire, Ordinariorum, in quorum dioecesibus missiones habendae sint, licentias vel facultatem impetrare, de consensu Patris Guardiani quos quotque in singulos annos ad missiones progredi debeant, praefinire, et hanc praefixionem pro confirmatione in scriptis dare Patri Provinciali, constitutionum observantiam studiose curare, et Missionariorum defunctorum scripta servare.

Regularis observantia.

§ 2. Quo vero ad regularem missionariorum observantiam decernitur, ut cunctis omnino diebus, iis tantummodo exceptis, in quibus festum ab Ecclesia et religione sub ritu duplici primae classis colitur, ac illo, in quo per hebdomdam animi relaxatio habebitur, post completorium, omnes missionarii quantumvis qualificati mentis orationi per horam vacent, ac silentium in singulis diei horis, et ubique in conventu, exceptis temporibus quieti et animi relaxationi destinatis, inviolabiliter servetur. Per singulos vero dies, festis exceptis, post vesperas per horam moralis, ac, in duobus per hebdomadam diebus a Patre Guardiano designandis, per dimidium horae de mane Rhetoricae collatio respective habeatur. Saecularibus autem interiorem conventus partem quovis praetextu adire denegatur, praeterquam si quis ecclesiasticus, vel saecularis, ut spiritualibus exercitiis vacet, collegium ipsum petere intendat; interdicitur vero religiosis ab illo egressus praeterquam si ad quaestuandum, ad audiendas christifidelium sacramentales confessiones, mortique proximis auxiliandum, benefactorum cadavera associanda, eorumque exequiis interessendum illinc egredi debeant, ea tamen sub lege, ut, dum hisce ultimo dictis charitatis operibus in villa de Balthana intererint, nullam aliam praeter illam, in qua huiusmodi caritatis opus explendum est, domum ingredi valeant, et in hisce casibus aeque ac dum praelatus villam petet, ut sui muneris expleat partes, socius ab unoquoque assumendus, missionarius minime sit, sed alter ex conversis. Demum missionarii, qui ex obedientia ad guardianiae loca se conferant, oportet, negotio sibi commisso peracto, in collegium se recipiant, ita ut a nemine voluntaria extra illud permanentia etiam minima in eis deprehendatur.

De praedicatione.

§ 3. Ut autem necessariae religiosorum substentationi consulatur, poterunt missionarii in maioribus Hebdomadis et in Dominicis conciones ac orationes panegiricas in loco et extra illum habere, nequeant autem aliquam aliam orationem panegiricam sine consensu Patris Provincialis et universae communitatis admittere, caeteris aliis secus admissis illico reiectis. Missionarii autem, qui ad missiones progrediuntur, extra conventum a mense octobris usque ad Pascha Resurrectionis, quatenus in maiori hebdomada conciones in religione, in qua reperiuntur, habere debeant, et non ultra, permanere debeant, ac in reliquis regularem observantiam respicientibus missionarii uti veri provinciae filii quidquid in ea quoad regularem observantiam huiusmodi sancitum est, dummodo supradictis non adversertur, servent omnino, et in Missionibus pium Viae Crucis exercitium promovere, et Calvarium in Locis, in quibus eas peragunt, ad praescriptum Benedicti PP. XIV. curent collocare.

De praemiis.

§ 4. Quoad praecedentias, levamina et praemia missionariorum decernitur, ut missionarius, qui per decennium concionatoris munus expleverit, locum immediatum post concionatorem conventualem; si per viginti annos, post eum qui semel Guardianus extitit; si per viginti et octo annos, post eum qui semel et iterum Guardiani munus obivit; si tandem per triginta sex annos conciones habuerit, post Definitores canonice electos respective habeant in provincia. Missionarius autem, qui per viginti annos concionator fuerit, levaminibus et exemptionibus, quae a provincia ei qui semel Guardianus extitit, concessae reperiuntur; si autem munus praedicationis per viginti et octo annos obierit, exemptionibus ab eadem provincia ei, qui semel et iterum Guardiani munus prosequutus est, assignatis perfruatur. Qui vero triginta sex annorum curriculum in concionibus habendis consumpserit, definitoribus honorariis aequiparetur, et cunctis levaminibus, honoribus, exemptionibus et praeeminentiis gaudebit, quibus definitores in capitulo electi, excepta solummodo praecedentia, hisce semper praestanda, quae quidem praecedentia inter ipsos missiona-

rios ab habitus susceptione servanda erit, perfruatur.

Si quis vero ex concionatoribus ad collegium designatus lectoris Philosophiae et Theologiae munere pro qualibet facultate huiusmodi per triennium functus sit, gradus definitoris honorarii cum omnibus praeeminentiis sibi adnexis, et supra recensitis, emenso trigesimo quarto praedicationis anno, ei conceditur. In singulis novenniis a capitulo proxime futuro computandis guardianus conventus de Balthanas in quartum definitorem omnino eligatur; curet hinc pater provincialis in guardianum illum eligere, qui definitura dignus sit, quin id impediat, quominus in hoc proximo futuro capitulo, vel in quolibet alio ex successivis, quilibet ex concionatoribus missionariis pro tempore existentibus in definitorem eligi queat. Ut autem missionarius omnibus hisce levaminibus, praeeminentiis et exemptionibus fruatur, saltem quolibet triennio, nisi secus praelatus praeceperit, ad missiones peragendas progredi oportet. Si quis vero ex missionariis ob infirmitatem, vel aliquam aliam causam iustam a patre provinciali cognitam, e collegio egrediatur, levaminibus et praeeminentiis gaudeat, quae iuxta praerecensitum ordinem annis, quibus missionum munus expleverit, respondeant. Si missionarius, absoluto trigesimo sexto praedicationis anno, ad missionum exercitium adhuc aptus, et spiritualis animarum salutis zelo perculsus, permanere vellet in collegio et missiones prosequi, id ei integrum erit; si vero inhabilis iam reperiatur, vel prosequi nequeat, collegium deserat oportet, et preces porrigat patri provinciali, ut conventum petenti benevisum ad inibi morandum assignet, et pater provincialis ei suffragari debebit ad hoc ut ipse ab anteactis quiescat laboribus et levaminibus quibus mater provincia labores huiusmodi rependit, perfrui valeat. Lectoribus autem vel concionatoribus deinceps dictum collegium ingressuris, uti etiam missionariis antiquis, qui uti ad missionum exercitium adhuc apti inibi moram trahunt, nec non missionariis, qui actu extra collegium reperiuntur, quosque pater provincialis uti idoneos et aptos ad ferendum missionum opus ad collegium revocare existimet, his omnes et singuli honores, praeeminentiae et exemptiones adiudicari debebunt; secus autem quoad missionarios antiquos, qui ob eorum fractam salutem, et infirmitates, et quam inhabiles ad missiones peragendas, a collegio, uti supra sancitum est, sunt dimittendi; hi enim in conventu de Balthanas gaudent, qui quidem honores, praeeminentiae et exemptiones caeteris missionariis antiquis actu extra collegium degentibus pariter denegantur. Tandem, ut missionarii praefati in possessionem omnium horum honorum ac exemptionum immittantur, patentes literas a patre provinciali impetrare debebunt, qui eas denegare nequeat, quoties missionarius se per recensitos annos Concionatoris munus exercuisse doceat.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quo praeinserta articula seu decreta firmius subsistant et serventur exactius, memorati exponentes apostolicae firmitatis patrocinio per nos communiri summopore desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuriis, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, praeinserta articula seu decreta, atque omnia in ea contenta, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

De usu facultatum.

§ 6. Volumus tamen, et harum serie decernimus, ut omnes facultates, quae per eadem articula seu decreta soli provinciali conceduntur, ipse iis uti non valeat, nisi cum suo definitorio, sicuti pariter eidem provinciali ac definitorio auctoritatem eadem articula seu decreta in rebus dubiis, atque in iis, quae maior collegii utilitas atque profectus postulabit, glossandi, interpretandi atque declarandi, prout in Domino arbitrabuntur, auctoritate et tenore praesentium reservamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia

plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, provinciae et collegii praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum apud Monasterium Ord. Carthusien. extra moenia civitatis Florentiae die XXIV. septembris MDCCXCVIII. pontificatus nostri anno XXIV.

CXXIX.

Erectio oppidi Varsaviensis in episcopatum, eiusque collegiatae in cathedralem.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ad universam agri dominici curam et inspectionem ubi primum fuimus ex divinae bonitatis consilio, nulloque nobis assistente meritorum suffragio, vocati, nedum nos plane ad hoc constitutos esse intelleximus, ut iuxta verbum propheticum prava germina evellere, ac noxia quaeque curaremus destruere, ut fructuosa plantaremus, atque aedificaremus utilia; sed vicissim agnovimus vigilis esse et industrii agricolae studium praecipuum, ut, ubi inspexerit partem aliquam ipsius agri bonis undique florentem arboribus et plantis, illic satagat coloniam instruere, novumque praeficere cultorem, ut circa eam duplicatis operariorum labore et industria nullum in posterum, quod mereatur succidi, germen appareat, sed herbis ita salubribus virescere videatur, ut dulcia pabula fiant, quae gregem eo advenientem valeant saginare; ac denique, repetente Domino cuiusque villicationis rationem, et nos de iniuncto nobis munere gaudeamus, et de traditis quisque sibi talentis relatos fructus uberius ei possit exhibere.

Descriptio oppidi Varsaviae.

§ 2. Cum itaque, sicut ex insinuatione nobis a Friderico Guillelmo hoc nomine tertio Borussiae rege nuper facta accepimus, satis insigne nomine suo Varsaviae oppidum sub dioecesi Posnaniensi in ultimis ferme orientem versus finibus provinciae Borussiae meridionalis, in ea nempe regione, quae Masovia dicebatur consistens, in elatiori planitie, quae per longum terrarum tractum ab occidente in orientem late patere dignoscitur, fluviumque Vistulam attingit, quo traiecto devincit subito solum, rursusque in vastissimam planitiem orientem versus protenditur. Fundatum arce regia munitum, regioque itidem palatio, et diversorum procerum curiis magnificis, ac privatorum domibus, quarum pleraeque eleganti opere e latere cocto sunt constructae, reliquae vero ligneae extremam dumtaxat praedicti oppidi partes occupantes exornata, nec non populi frequentia celebre, utpote sexaginta et aliquot millium habitatorum numero, inter quos quamplurimae nobiles aliaeque honestae civilique cultu viventes ac pro temporum conditione satis locupletes enumerantur familiae refertum, ob situs amplitudinem, sive ambitum, octo Italorum milliaria, suburbiis, ipsomet oppido splendidioribus hoc in calculo comprehensis facile complectens, aerisque mitis et temperati salubritatem, soli amoenitatem, humanarumque rerum ubertatem, et praecipue pro eo, quod in ipso oppido praedictae nobiles familiae per maximam anni partem hyemali potissimum tempore resident; inibique mons Pietatis provide institutus reperitur, licet attenta illius reddituum tenuitate, quae praesentibus necessitatibus nequeant respondere, pignoratoria societas, quae montis Pietatis huiusmodi vice abunde supplet subrogata

existat, et insuper duo ecclesiastica puerorum seminaria, alterum nempe prope infrascriptam collegiatam ecclesiam, cui sacerdotes saeculares vitae communis genere addicti praesunt, in quo octodecim circiter alumni educari consueverunt; alterum vero prope parochialem ecclesiam Sanctae Crucis praedictae dioecesis, quae una cum ipso secundodicto seminario a presbyteris congregationis Missionis nuncupatae administratur, congruisque pro sexdecim alendis clericis redditibus iampridem dotatum respective erecta et fundata existunt. Quae quidem seminaria licet non levem in eorum redditibus, hisce praesertim temporibus, perpassa fuerint iacturam, adeo ut in posteriore nunc quinque tantum clerici manuteneri queant, spes tamen effulget, ut ope et ministerio summam rerum administrantium seminaria ipsa nedum in eorum necessitatibus relevamen recipiant, verum etiam ad florentiorem statum redigantur, ac praeter tres urbanas duasque suburbanas nuncupatas parochiales ecclesias, quae ambitu suo partem eiusdem oppidi attingunt, ac regularium diversorum respective ordinum infra exprimendorum domus et coenobia tam intra, quam extra praedictum oppidum existentes et existentia, inter quae unum videlicet clericorum regularium pauperum matris Dei Scholarum Piarum maius, et aliud nobilium respective nuncupata, ac reliquum clericorum itidem regularium Sanctissimi Redemptoris respective collegia pro adolescentibus humanis divinisque literis instituendis adnumerentur. Ac unum eremitarum Sancti Augustini, nec non duo Sancti Dominici Praedicatorum nuncupatorum; ac quatuor minorum Sancti Francisci conventualium et observantium, ac recollectorum et cappuccinorum respective nuncupatorum; ac denique duo Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo quoque nuncupatae respective ordinum coenobia, ac unam Sancti Augustini canonicorum regularium, ac aliam fratrum Sancti Pauli primi eremitae nuncupati, ac reliquam Ss. Trinitatis redemptionis captivorum respective quoque ordinum regulares domus, seu conventus; nec non quinque sanctimonialium monasteria diversorum quoque respective ordinum.

Descriptio locor. extra oppidum, sed intra ambitum archidiaconatus Varsaviensis existentium.

§ 3. Et extra oppidum praedictum intra ambitum praedicti archidiaconatus Varsaviensis quindecim praeterea virorum diversi itidem ordinis paria coenobia praeter alia bina mulieribus virginibus addicta, nec non complures domus officiis caritatis exhibendis designatas, inter quas merito quidem primo recensentur xenodochium amplissimum sub invocatione seu titulo infantis Iesu curae eorumdem presbyterorum congregationis missionis huiusmodi et sororum caritatis nuncupatarum commissum, ubi infantes expositi, et orphani aluntur, ac aegrotis et pauperibus victum ex quotidiana eleemosyna sibi comparantibus perfugium offertur. Ac unum et alterum Sancti Spiritus et Sancti Rochi respective nuncupata nosocomia, quae a sororibus caritatis, ut praefertur, nuncupatis praedictis reguntur, aegrotis itidem destinata. Ac aliud pariter curae et sollicitudini fratrum congregationis Sancti Ioannis de Deo nuncupatorum demandatum, ac reliqua duo Sancti Spiritus videlicet et Sancti Lazari respective nuncupata similiter nosocomia, quorum posterius coeltica lue laborantibus est assignatum. Ac ulterius domum Sancti Casimiri nuncupatam, ubi puellae parentibus orbatae, aut illae, quarum parentibus huiusmodi tenuiores sunt facultates, educantur; quae domus et pro puellarum conservatorio haberi potest, regiturque ab eisdem sororibus caritatis, ut praefertur, nuncupatis, quae ipsae et in domo ad vitam instituto suo respondentem informantur. Ac demum ultra laicorum confraternitates in omnibus ferme ecclesiis tam saecularibus quam regularibus praedicti oppidi existentes, binasque ecclesias, alteram nempe olim ad suppressam societatem Iesu spectantem, alteram vero Sancti Benonis nuncupatam sodalitatibus nationis Germanicae attributas.

Descriptio ecclesiae collegiatae.

§ 4. Adest saecularis et admodum insignis collegiata, quae etiam parochialis existit ecclesia divo Ioanni Baptistae dicata, quae licet vetusta existat, ex ipsa tamen vetustate structurae, quantae sit soliditatis, plane dignoscitur. Ipsa quidem eius est amplitudinis, ut confluentem populum solemnioribus maiorique apparatu celebratis celebrandisque festis facile recipiendi capax existat, ac fonte baptismali, choro, organo, coemeterio, sacrario, quod pluribus sacris ad pontificalia officia peragenda ornamentis sufficienter provisum existit instructa, et in qua collegiata ecclesia de Sanctissimae Crucis ligno pars quaedam, et spina e sacra Salvatoris nostri corona, et superstes e corpore divi Ioannis Baptistae eiusdem collegiatae, quae etiam parochialis existit, ecclesiae patroni particula, aliorumque san-

ctorum lipsana priora illa, videlicet thecis ornatioribus acclusa, speciali cultu et veneratione decenter asservantur.

Insignitas capituli memoratur.

§ 5. Ac cuius insigne capitulum decano scilicet, qui decanatum inibi principalem, ac archidiacono, qui archidiaconatum secundam, ac praeposito, qui praeposituram tertiam, et custode, qui custodiam quartam, ac scholastico quintam, et cancellariatum sextam, nec non primicerio, qui primiceriatum septimam respective dignitates, et inibi existentes, quam quidem posteriorem dignitatem pro tempore obtinens utpote de iurepatronatus laicorum gentilitio certe illarum partium familiae existens, suosque redditus extra fines ditionis Borussiae constitutos possidens, nihil cum capitulo dictae collegiatae, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit, ecclesiae habet commune, praeter stallum in choro, vocemque et votum in capitulo ipso, ac duodecim canonicis, qui totidem canonicatus, similesque praebendas (qui tamen, prout et dignitates praedictae, non nisi presbyteris, aut saltem clericis ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum obstricti, conferri solent) respective obtinent, componitur, ac cuius capitularis mensa, licet satis superque redditibus prîmum foret dotata, cum illi ante quinquennium duodecim millium scutorum monetae Romanae annuam excederent summam, factum tamen est inde postremis hisce temporibus, ut quam maximam et fere in iis omnibus iacturam experiatur, cui quidem malo, quod et universo huic collegiatae, quae etiam parochialis, ut praefertur, existit, ecclesiae, addicto clero commune fuit infrascriptae erectionis ministerio, quae meliorem capitulo ipso in redditibus ex regia benignitate certe pollicetur sortem, consultum, prospectumque iri autumatur.

Numerantur vicariae, et ecclesiae parochiales.

§ 6. Ac praeter capitulares huiusmodi novem vicariae, quas pro tempore respective obtinentes curam animarum parochianorum dictae collegiatae, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit, ecclesiae sub illius capituli directione et subordinatione exercent. Novemque pariter mansionariae et septem cappellaniae, quarum vicariarum et mansionariarum, nec non cappellaniarum respective possessores inferiorem in dicta collegiata, quae etiam parochialis, ut praefertur, existit, ecclesia clerum constituunt, respective erectae et institutae reperiuntur. Ita idcirco celebre esse noscuntur, ut inter illustriora illarum partium oppida, optimo quidem iure recenseatur, et tam oppidum ipsum, ut ad episcopalis civitatis honorem evehatur, quam dicta collegiata, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit ecclesia, ad cathedralis ecclesiae statum et dignitatem promoveatur, respective dignum et digna reputentur.

Ratio decernendae erectionis, et processus adhibitus ad hunc effectum.

§ 7. Proindeque nos, quibus iampridem innotuit, quantae foret utilitatis unam in dicto oppido episcopalem sedem instituere intuitu etiam extensae et peramplae dioecesis Posnaniensis, quique usque etiam de anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo quarto postquam Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium rebus concistorialibus praeposita, cui res huiusmodi pro illius cognitione commissa fuerat, matura super hoc prius habita deliberatione ad erectionem ipsam, praevia approbatione certi tunc expressi tractatus, ac mediante divisione et separatione ab episcopatu Posnaniensi, attenta illius sedis episcopalis vacatione tunc pridem secuta, et provisione et perfectione ecclesiae Posnaniensis pastoris solatio sic destitutae de Episcopo per nos eatenus nondum facta partis illius dioecesis certis limitibus subiectae, quae et Varsaviense oppidum praedictum complectitur, deveniendum fore censuerat, prout in decreto eiusdem congregationis sub die prima mensis februarii supradicti anni desuper edito plenius continetur. Decretum ipsum apostolica auctoritate approbavimus, et successive ex processu a venerabili fratre nostro Iosepho Ribinski Episcopo Wladislaviensi in vim facultatis apostolicae sibi ad id specialiter et expresse delegatae in partibus desuper confecto compertum habuimus nedum congruum et consentaneum, verum et utile et necessarium fore, ut nova in oppido Varsaviensi praedicto episcopalis sedes pro catholicae fidei propagatione divinique cultus incremento et spirituali populorum bono instituatur.

Ecclesiae collegiatae titulus, et parochialitas extinguitur.

§ 8. Ad tam utile opus exequendum omne studium universamque pastoralis officii nostri sollicitudinem convertentes, motu proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine dictam collegiatam, quae etiam parochialis, ut praefertur, existit, ecclesiam, et in ea titulum, denominationem, naturam et essentiam collegialitatis, ita ut illa ex nunc collegiata esse desinat, et de caetero uti talis amplius denominari, inscribi, censeri, vel reputari non possit, salva tamen et illaesa illius parochialitate remanente de consensu di-

lectorum filiorum modernorum capituli et canonicorum dictae collegiatae, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit, ecclesiae, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo supprimimus et extinguimus.

Oppidum in civitatem episcopalem erigitur.

§ 9. Itaque sic suppressa et extincta praedictum oppidum in civitatem episcopalem Varsaviensem, ut prius nuncupandam, cum omnibus iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignatae, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum.

Ecclesia collegiata cathedralis declaratur.

§ 10. Dictam vero collegiatam, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit, ecclesia per nos sic, ut praefertur, suppressam et extinctam, in cathedralem parochialem, ut antea, extituram ecclesiam sub praefata eiusdem Sancti Ioannis Baptistae invocatione, et in ea dignitatem et sedem episcopalem pro uno deinceps Episcopo Varsaviensi nuncupando, qui eidem ecclesiae, illiusque civitati Varsaviensi, ut praefertur, nuncupandae et dioecesi etiam Varsaviensi, ut infra assignandae, praesit.

Concessio privilegiorum.

§ 11. Abbates, inferiores praelatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia et singula iura et officia et munia episcopalia habeat, et exerceat cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, nec non iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae in contermediis provinciis illarum partium cathedrales ecclesiae, illarumque praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari, similiter utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, praedictique Sancti Ioannis Baptistae honorem, fideique catholicae exaltationem dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium etiam perpetuo erigimus et instituimus, dictamque cathedralem ecclesiam per nos sic, ut praefertur, erectam et institutam Sedi Apostolicae immediate subiectam semper et perpetuo fore et esse eadem apostolica auctoritate declaramus.

Distributio dignitatum in capitulo.

§ 12. Deinde vero supradictum capitulum eiusdem collegiatae, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit, ecclesiae per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae et in cathedralem ecclesiam, ut praefertur, erectae in capitulum cathedralem Ecclesiam Varsaviensem nuncupandam, ac decanatum, qui principalis in dicta collegiata, quae etiam, ut praefertur, parochialis existit ecclesia per nos, ut praefertur, suppressa et extincta, dignitas hactenus existit, in maiorem post pontificalem, archidiaconatum vero secundam et praepossituram tertiam, ac custodiam quartam, et scholastriam quintam, et cancellariatum sextam, nec non primiceriatum septimam respective dignitates huiusmodi in totidem sub eodem quo enumerantur ordine similiter dignitates. Ac eosdem duodecim canonicatus, totidemque praebendas ipsius collegiatae, quae etiam, ut praefertur, parochialis, existit, ecclesiae per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, eorumque, ac praedictarum septem dignitatum ut infra subrogandarum respective modernos et pro tempore existentes possessores in totidem canonicatus et praebendas, ac respective dignitarios et canonicos, parique modo easdem novem vicarias et novem mansionarias, septemque cappellanias, earumque respective quoque possessores in totidem vicarios, ac mansionarias et cappellanias, et respective in totidem vicarios et mansionarios, ac cappellanos dictae cathedralis ecclesiae Varsaviensis per nos, ut praefertur, erectae et institutae, eadem apostolica auctoritate ipsarum quoque tenore praesentium similiter perpetuo respective substituimus et subrogamus, ac substitutas et subrogatas, nec non substitutos et subrogatos esse et fore, omnesque et singulos tam dignitates ac canonicatus et praebendas, quam vicarias et mansionarias, nec non cappellanias huiusmodi respective nunc obtinentes per eos huc usque habita possessione absque alia eis desuper de novo facienda provisione, et in eorumdem fructuum, reddituum et proventuum, quos de praesenti respective percipiunt, illorumque pariter etiam sibi in futurum attribuendorum fruitione libere et licite remanere posse et debere, salvis, firmis et illaesis remanentibus favore eorumdem modernorum et pro tempore existentium capituli et canonicorum dictae cathedralis ecclesiae Varsaviensis per nos, ut praefertur, erectae et institutae per nos, sicut praefertur, subrogatorum huiusmodi privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praeeminentiis, insigniis, praerogativis, honoribus, indulgentiis, aliisque gratiis quibuscumque tam spi-

ritualibus, quam temporalibus et mixtis, aliisque respective iuribus eisdem capitulo et canonicis aliisque membris praedictae cathedralis ecclesiae Varsaviensis, per nos, ut praefertur, erectae, subrogatis, huiusmodi apostolica vel alia quavis auctoritate hactenus quomodolibet concessis, ac etiam de iure, consuetudine, aut alias quomodolibet competentibus, dummodo tamen illa sint in usu et revocata non sint ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis non repugnent, in omnibus et per omnia, perinde ac si status collegialitatis huiusmodi minime immutatus foret, eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque decernimus et ordinamus.

Assignatio territorii pro nova dioecesi.

§ 13. Ut autem dioecesis Varsaviensis, illiusque ecclesiae episcopalis respective territorium constitui possit, a dioecesi Posnaniensi oppidum ipsum Varsaviense praedictum, omnemque partem seu regionem, quae sub archidiaconatu Varsaviensi praedicto comprehenditur, et a quarum tunc in humanis agente Michele Poniatowski dum viveret Archiepiscopo Gnesnense, uti in administratore in spiritualibus et temporalibus apostolica auctoritate praedicta deputato regebatur, et ad praesens sub temporali praefati Friderici Guillelmi regis ditione existit, finitimis terminis apprime descriptam iuxta tractatum divisionis et separationis huiusmodi superius expressum, et successivum decretum praedictae congregationis, servatis de iure servandis, ab eo tunc sancitum, et per nos etiam, ut praefertur, dicta apostolica auctoritate approbatum, cum omnibus et singulis locis, terris, pagis et vicis in ea existentibus dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo dismembramus, dividimus et separamus, dictumque Varsaviense oppidum et partem, seu regionem, sub archidiaconatu praedicto, ut praefertur, comprehensam, sic dismembratas, divisas et separatas una cum locis, terris, pagis et vicis etiam, ut praefertur, dismembratis, divisis et separatis, atque in eis respective contentis paraeciis, beneficiis, conventibus, monasteriis, locis piis, aliisque regularibus domibus, nec non utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos presbyteros beneficiatos et religiosos quoscumque cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate venerabilis fratris nostri moderni, et pro tempore existentis Episcopi Posnaniensis, ad tramites tractatus et decreti praedictorum, dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo disiungimus et eximimus, ac oppidum Varsaviense praedictum in civitatem episcopalem per nos, ut praefertur, erectam, ac partem seu regionem sic, ut praefertur, comprehensam, nec non terras, loca, pagos et vicos sic, ut praefertur, dismembratas, divisas et separatas, ac dismembrata, divisa et separata, nec non dismembratos, divisos et separatos, et in eis, ut praefertur, consistentes et consistentia, paroecias, beneficia, monasteria, loca pia, conventus, aliasque regulares domus huiusmodi, et utriusque sexus habitatores et incolas, tam saeculares, quam ecclesiasticos, et quorumvis ordinum regulares personas superius expressas novae ecclesiae episcopali Varsaviensi per nos, ut praefertur, erectae, illiusque futuro praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero et populo; ita quod liceat personae ecclesiae episcopali Varsaviensi, per nos, ut praefertur, erectae et institutae, tam a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae, in Episcopum dicta apostolica auctoritate praeficiendae per se, vel alium, seu alios eius nomine, veram, realem, actualem et corporalem possessionem, seu quasi regiminis spiritualis et omnimodi iuris dioecesani in dicto oppido Varsaviensi, et in parte, seu regione, ac locis, terris, pagis et vicis, sic per nos, ut praefertur, dismembratis, divisis et separatis, propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, venerabilis fratris nostri moderni et pro tempore existentis Archiepiscopi Gnesnensis vel cuiuvis alterius licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo assignamus et respective supponimus atque subiicimus.

Dotatio mensae episcopalis.

§ 14. Mensae vero episcopalis Varsaviensis per nos, ut praefertur, erectae dotationi, ad hoc ut primo futurus et pro tempore existens Episcopus Varsaviensis pontificalem dignitatem decenter tenere valeat, providere volentes, congruam et muneri huiusmodi respondentem iam statutam summam octo millium scilicet scutorum monetae Romanae, duodecim millia taleorum Borussicorum constituentium, ab omni prorsus onere liberam, immunem et exemptam, annuatim perpetuis futuris temporibus primo futuro et pro tempore existenti Episcopo Varsaviensi e regio aurario in parata pecunia pendendam; ita quod liceat eidem

primo futuro et pro tempore existenti Varsaviensi Episcopo dictam summam ei, ut praefertur, attributam percipere, exigere, levare ac in suos dictaeque mensae episcopalis per nos, ut praefertur, erectae usus et utilitatem convertere, cuiusvis quoque licentia desuper minime requisita.

Assignatio habitationis pro Episcopo.

§ 15. Eidemque primo futuro et pro tempore existenti Episcopo Varsaviensi pro sui commoda et decenti habitatione amplissimum palatium aeque ac magnificum et omni in parte integerrimum iam pro huiusmodi usu assignatum, in quo ipse residentiam suam facere debebit, dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo respective concedimus et assignamus.

Concessio iuris condendi statuta favore capituli.

§ 16. Caeterum, ut erecta in praedicta cathedrali ecclesia rerum dispositio in iis, quae illius capitulum concernunt, in futurum servetur, eisdem futuris et pro tempore existentibus decano et archidiacono, ac praeposito et custodi, ac scholastico et cancellario ac primicerio, singulisque canonicis dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae, sic, ut praefertur, subrogatis huiusmodi, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae, illiusque mensae capitularis, nec non sacristiae, eorumque respective rerum et bonorum, ac iurium tam spiritualium, quam temporalium prospero et felici statu, regimine, gubernio et directione, nec non onerum illis nunc et pro tempore quomodolibet incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funerum, anniversariorum et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes, et divinis officiis huiusmodi suis loco et tempore non interessentes, seu onera et ministeria eis et eorum cuilibet respective incumbentia subire negligentes incurrendarum, servitio chori praestando singulorum praesentiis notandis, caeremoniis ac ritibus in praedicta cathedrali ecclesia per nos, ut praefertur, erecta, illiusque choro, capitulo, processionibus et aliis actibus capitularibus huiusmodi servandis, officialibus et ministris dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae, necessariis deputandis et amovendis, ac ministeriis per ipsos subeundis, salariis et stipendiis praestandis, ac quibuscumque aliis rebus in praemissis et circa praemissa quomodolibet necessariis et opportunis, statuta, ordinationes et decreta alia hactenus edita, quoties opus fuerit, cum approbatione tam ipsius futuri Episcopi Varsaviensis in meliorem formam redigere et reformare, seu etiam alia de novo ex integro sacris canonibus et constitutionibus apostolicis decretisque Concilii Tridentini minime adversantia, et, ut praefertur, per praedictum futurum Episcopum Varsaviensem examinanda et approbanda, ac per eos, ad quos nunc spectat et pertinet, ac pro tempore quomodolibet spectabit et pertinebit, observanda sub poenis in contravenientes infligendis, similiter edere libere et licite possint et valeant, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus et impartimur.

Concessio privilegiorum.

§ 17. Eisdemque futuris et pro tempore existentibus decano et archidiacono et praeposito ac custodi et scholastico ac cancellario et primicerio, singulisque canonicis, et vicariis, mansionariis et cappellanis dictae cathedralis ecclesiae, per nos, ut praefertur, erectae, sic per nos, ut praefertur, subrogatis huiusmodi, ut ipsi et eorum quilibet, nec non ipsorum respective officiales et ministri, ac res, bona, proprietates, iura quaecumque omnibus et singulis tam spiritualibus, quam temporalibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus aliae similes illarum partium cathedrales ecclesiae, earumque capitula, canonici et dignitates ac beneficia in eis obtinentes, illarumque ministri, et bona, iura, res et proprietates de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso aut ex indulto seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum similiter et pariformiter aeque principaliter et absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini praedicti decretis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis non repugnent, et uti, frui, potiri et gaudere quoque possint, et valeant, perinde ac si eis specialiter nominatim et expresse concessa fuissent, eadem apostolica auctoritate perpetuo pariter respective concedimus et indulgemus.

Omnia in praesentibus literis disposita exequenda esse decernitur, sublato quovis remedio iuris in contrarium faciente.

§ 18. Ac suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, declarationem, substitutionem, subrogationem, decretum, ordinationem, dismembrationem, divisionem, separationem, disiunctionem, exemptionem, suppositionem, subiectionem, concessionem, assignationem, licentiae et facultatis impartitionem, concessionem, indultum, nec non easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causa quantumvis iuridica et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa quantumvis iusta, rationabili, iuridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra et aliis superius expressis nullibi appareret notari, impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris huiusmodi vel facti, aut gratiae vel iustitiae, remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concesso et impetrato vel emanato quempiam uti seu se iuvari in iudicio vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, etiam in crastinum assumptionis nostrae et successorum nostrorum Romanor. Pontificum pro tempore existentium ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas et in posterum edendas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 19. Sicque, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativa et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque iudicio et in quacumque instantia iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum quoque et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 20. Postremo autem desiderantes, ut praemissa omnia sic per nos, ut praefertur, provide disposita et ordinata ad suum feliciter perducantur effectum, et quaecumque, quae in similibus forsan suscitari solent, obstacula dirimantur, hinc praedictum Iosephum Episcopum Wladislaviensem in exequutorem pro exequutione earumdem praesentium apostolica auctoritate praedicta constituimus et deputamus; eidemque Episcopo Wladislaviensi facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro huiusmodi exequutionis effectu subdelegare libere et licite possit, ac tam eidem Episcopo, quam dilectis etiam filiis modernis illius vicario in spiritualibus generali, aut officiali vel delegato huismodi, ut ipsi et eorum quilibet super quacumque oppositione in actu executionis huiusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen quae fuerint de iure servanda, definitive pronunciare libere quoque et licite valeat, dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 21. Non obstantibus nostris et cancellariae apostolicae praedictae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de suppressionibus, dismembrationibus et unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri et ab ecclesia membra distingui et dividi prohibentis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Posnaniensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis et concedendis; quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio et quaevis alia etiam expressio habenda, seu quaelibet alia, etiam exquisita, forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse, nec non opportune et valide hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine similibus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de erigendis praebendis theologali et poenitentiaria.

§ 22. Et attento, quod in praedicta collegiata, quae etiam, ut praefertur, suppressa et extincta ac in cathedralem ecclesiam, ut praefertur, erecta hactenus theologalis et poenitentiaria respective praebendae institutae minime existunt, volumus, quod una et altera praebendae huiusmodi per primo futurum Episcopum Varsaviensem iuxta praescriptum Concilii Tridentini erigi et institui debeant, conscientiam ipsius futuri Episcopi super hoc onerando.

Onus Episcopis impositum expediendi bullas.

§ 23. Volumus etiam quod personae dictae Ecclesiae Varsaviensi per nos, ut praefertur, erectae tam pro hac prima vice, quam dum illam in futurum pro tempore pastoris solatio destitui contigerit, per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes in Episcopos praeficiendae, literas apostolicas sub plumbo per cancellariam apostolicam praedictam desuper de more expedire debeant et teneantur.

Praeceptum de inscribendis fructibus mensae in literis camerae.

§ 24. Praeterea etiam volumus, quod fructus praedictae mensae episcopalis Varsaviensis per nos, ut praefertur, erectae ad octingentos florenos auri taxari, et huiusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Sanctio poenalis.

§ 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, declarationis, substitutionis, subrogationis, decreti, ordinationis, dismembrationis, divisionis, separationis, suppositionis, subiectionis, concessionis, assignationis, licentiae et facultatis, impartitionis et concessionis, indulti, decreti, constitutionis, deputationis, posterioris licentiae et facultatis impartitionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum prope Florentiam in coenobio Carthusianorum, decimo septimo kalendas novembris millesimo septingentesimo nonagesimo octavo, pontific. nostri anno XXIV.

CXXX.

Erectio ecclesiae monasterii Ordinis Sancti Basilii Magni sub titulo Beatae Mariae Virginis et Sancti Ioannis evangelistae Graeco-Rutheni uniti ritus in ditionibus Kiovensi et Bretensi respective dioecesibus existentibus.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Susceptam a nobis, divina sic disponente clementia, imparibus sane meritis pastorale officium exigit, ut spiritualibus

dominici gregis, cui tamquam universalis pastor praesidemus, utilitatibus provide firmiterque prospicere curemus, quod si per plures gregis huiusmodi oves a propriis eorum pastoribus, quos in partem sollicitudinis nostrae vocavimus, earum cura et inspectione pastoribus ipsis nobis hoc in munere adiutoribus concredita temporum humanarumque rerum vicissitudine seiunctas atque distractas et spirituali pabulo destitutas novimus, de apostolicae potestatis plenitudine illas ab eorum, quibus modo subsunt, pastoribus perpetuo segregando, novam intra praefinitos agrorum, ubi ipsae consistunt, limites pastoralem satagimus instruere sedem, ovesque sic distractas in unum reducere gregem, qui provido pastori eas probe noscenti et nutrienti specialius commissus, spiritualibus proficere valeat incrementis.

Ratio decernendae erectionis, et unionis.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, fideles nationis Graeco-Rutheni ritus catholicae Romanae Ecclesiae inviolabili unitatis foedere iunctae in districtibus Kioviensis et Bretensis respective dioecesum, et temporali Friderici Guillelmi hoc nomine III. Borussiae regis illustris dominio subiecti ob plures nec superabiles rerum circumstantias et difficulates necessariis sacrosanctae religionis subsidiis, quae a legitimis ecclesiarum suarum pastoribus consequi solebant antequam ii eorumque episcopales sedes alienae temporali ditioni cessissent, adeo destituti evaserint et de praesenti reperiantur, ut ad rectam rursus inter pastores ipsos eorumque gregum distractas portiones in supradictis dioecesibus existentes communicandi aperiendam viam, qua suas quisque pastor circum habeat oves spirituali pabulo nutriendas, novae episcopalis sedis erectio eiusdem Graeco-Rutheni uniti ritus in loco ad hunc effectum, iuxta populorum illarum regionum non praesuli adiiciendorum vicinitatem, aptiori nedum utilis, verum etiam necessaria dignoscatur; cumque, sicut ex insinuatione praedicti Friderici Guillelmi regis nobis facta pariter accepimus, in provincia Lithuaniae adsit Suprasliae locus olim in limitibus magni eiusdem Lithuaniae ducatus, nunc vero in novo orientali Borussia sub temporali eiusdem Friderici Guillelmi regis ditione in planitie positus, qui licet circum adiacentes habeat sylvas, amoenitate tamen positionis et salubritate aeris gaudet, et in quo celebre monasterium Suprasliense nuncupatum Ordinis Sancti Basilii Ruthenorum viginti-duobus monachis eorumdem ordinis et ritus expresse professis constans (quod quidem monasterium e fluvio Suprasliensi nuncupato ipsum alluens nomen sumpsit), iam pridem fundatum reperitur; ad ipsum autem monasterium, cui attiguum est palatium pro habitatione pro tempore existentium illius abbatum, alias per quondam tunc in humanis agentem Leonem Kiszka, dum viveret, Archiepiscopum Kioviensem, unaque simul monasterii praedicti abbatem ex solido muro extructum spectet ecclesia Deo in honorem Annunciationis Beatae Mariae Virginis et divi Ioannis evangelistae dicata usque et de anno eiusdem Domini millesimo quingentesimo tertio per quondam pariter tunc in eisdem humanis agentes Iosephum Soltan Kioviensem pariter dum viveret Archiepiscopum, et Alexandrum Chodhiecviez a fundamentis, ut fertur, aedificata, lamina alba ferrea cooperta, ac quatuor turribus, quinta autem eminentiori supra medium tecti, exornata, fonte baptismali et sacrario necessariis ad divina peragenda et ad pontificalia exercenda officia, suppellectilibus utpote in monasterio abbatiali sat bene proviso instructa, nec non, praeter lignum sanctissimae crucis, quam pluribus sanctorum decorata reliquiis, inter quas illae sanctorum martyrum Iustini Iosaphat, dum viveret, Archiepiscopi Plocensis adnumerantur, quae in tumbis eleganter excitatis, exornatisque speciali cultu et veneratione decenter asservantur, nec non choro, organis, ac segregata ab ipsa ecclesia turri cum campanis non mediocribus ditata, suum penes sylvam non procul ab ipsa ecclesia sepibus circumductum habens caemeterium, quod ab illo monachorum omnino separatum existit, cum cadavera eorum in cathacumbis in horto prope monasterium huiusmodi existentibus, super quibus cappella extructa reperitur, pie condantur; hic sane Suprasliae locus, qui suam ex ipso monasterio mutuatur celebritatem, ut ad episcopalis civitatis honorem evehatur, dictique monasterii ecclesia ad cathedralis ecclesiae statum ac dignitatem promoveatur respective dignus et digna reputentur:

§ 3. Proindeque nos, qui iam usque et de anno eiusdem Domini millesimo septingentesimo nonagesimo septimo ad tanti momenti opus, ac qua par est maturitate inchoandum, praevio consilio Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium eccle-

Processus confectus super utilitate et convenientia unionis.

siasticis istarum regionum negociis praepositorum, auditisque pariter ecclesiarum superius expressarum praesulibus, quorum dioeceses infrascriptae necessariae dismembrationi fuissent obnoxiae, animum nostrum adiiecimus, ac singularem pro illius prosecutione et perfectione annuentiam demonstravimus, quique ex processu a venerabili etiam fratre nostro Onuphrio Caietano Szembek moderno Plocensi Episcopo tunc temporis coadiutori cum futura successione quondam tunc eisdem humanis agenti Hilario etiam Szembek tunc, dum viveret, Episcopo Plocensi in regimine et administratione ipsius Plocensis Ecclesiae apostolica auctoritate praedicta deputato in vim facultatis utrique eorum ad id specialiter et expresse delegatae in partibus confecto, de erectionis huiusmodi necessitate plene instructi fuimus, eximiam praedicti Friderici Guillelmi regis erga catholicos suis in ditionibus existentes humanitatem et beneficentiam, regiamque simul liberalitatem summopere commendantes, fideique catholicae propagationem in illis praesertim regionibus, quantum in Domino possumus favere, simulque indubium huic inclytae genti apostolicae nostrae benignitatis testimonium praebere volentes,

Erectio loci Suprasliae in civitatem, et concessio privilegiorum.

§ 4. Motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictum Suprasliae locum in civitatem Supraslienseṁ nuncupandam cum omnibus iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignitae, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum: praefatam vero eiusdem monasterii ecclesiam in cathedralem ecclesiam sub praedicta Annunciationis eiusdem beatae Mariae Virginis et Sancti Ioannis Evangelistae invocatione saecularem eiusdem Graeco-Rutheni uniti ritus extituram, in qua eiusdem monasterii monachi praedicti, ut antea, remanere et opportune ecclesiae ipsi in cathedralem, ut infra, erigendae et primo futuro et pro tempore existenti Episcopo obsequia praestare et exhibere, et in assuetis eorum piis operibus et religiosis officiis, ritibus et caeremoniis iuxta Ordinis eiusdem Sancti Basilii regularia instituta perseverare valeant, antiquis eiusdem monasterii fundationibus salvis, firmis et illaesis, ut antea, remanentibus;

Erectio sedis episcopalis et capituli.

§ 5. Et in ea dignitatem ac sedem episcopalem pro uno deinceps Episcopo Supraslienṡi nuncupando eiusdem ritus, qui eidem ecclesiae illiusque civitatis Supraslienṡis, ut infra, assignandae praesit, abbates, inferiores praelatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat, cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, nec non iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae illarum partium cathedrales Ecclesiae eius ritus, illarumque praesules quomodolibet (non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari) similiter utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum;

Distributio dignitatum capitularium.

§ 6. Atque in ea unam post pontificalem maiorem pro uno presbytero, qui capituli eiusdem cathedralis ecclesiae, ut infra, erigendae caput existat, ac tam in choro, quam in eodem capitulo, actibusque capitularibus publicis et privatis, processionibus, aliisque functionibus quibuscumque praesit, ac praeeminentiam et praecedentiam, primumque et digniorem locum habeat; ac aliam secundam nuncupandam respective dignitates extituras pro uno itidem presbytero respective futuris dictae cathedralis ecclesiae, ut infra, erigendae praepositis seu praelatis, nec non quatuor canonicatus, totidemque praebendas pro quatuor similiter presbyteris respective quoque futuris dictae cathedralis ecclesiae, ut infra erigendae, canonicis, qui illius capitulum constituant, et apud cathedralem ecclesiam praedictam, ut infra, erigendam personaliter certis a futuro Supraslienṡi Episcopo in statutis, ut infra, condendis praefiniendis diebus et temporibus residere, horasque canonicas tam diurnas quam nocturnas, caeteraque divina officia iuxta eorum ritum, servataque Ecclesiae disciplina, ad instar aliarum cathedralium ecclesiarum eiusdem ritus recitare, decantare et psallere, eidemque cathedrali Ecclesiae, ut infra, erigendae laudabiliter deservire respective debeant et teneantur; qui quidem canonici, prout etiam dignitates praedictas in dicta cathedrali ecclesia, ut infra, erigenda ad residendum continuo apud illam minime adstricti, parochiales ecclesias, earumque perpetuas vicarias eiusdem Graeco-

Rutheni uniti ritus eis canonice conferendas una cum suis dignitatibus, seu canonicatibus et praebendis, ut infra, erigendis absque dispensatione apostolica consequi et retinere queant, ad quem effectum opportunam eis ex nunc pro tunc licentiam tribuimus et facultatem, ad omnipotentis Dei, beatissimae Virginis laudem et gloriam, praedictique Sancti Ioannis Evangelistae honorem, fideique catholicae exaltationem dicta apostolica auctoritate perpetuo erigimus et instituimus.

Nova cathedralis Ecclesia soli Sedi Apostolicae subiicitur.

§ 7. Dictamque cathedralem Ecclesiam per nos sic, ut praefertur, erectam Sedi Apostolicae immediate subiectam semper et perpetuo fore et esse eadem apostolica auctoritate declaramus. Cum autem dioecesis Suprasliensis, illiusque ecclesiae episcopalis respective territorium constitui debeat ex illis dioecesum portionibus eiusdem Graeco-Rutheni uniti ritus sub praedicti Friderici Guillelmi regis temporali dominio praedicto existentibus ad hoc, ut oves distractae ad proprium perducantur ovile, simulque providus pastor praefinitos habeat agrorum limites, ubi illas pascuis doctrinae salubribus valeat saginare;

Dismembrationes aliarum dioecesum pro nova erigenda.

§ 8. Cumque, sicut accepimus, pro infrascriptae dismembrationis executione procedendum in primis sit a dioecesi Kioviensi et a dioecesi Bretensi Lithuanae in longum praeter civitatem Varsaviensem per nos nuper apostolica auctoritate praedicta erectam, in qua unica dumtaxat reperitur monachorum praedicti Ordinis Sancti Basilii regularis domus, quam vocant residentiam, a fluvio Niemeri ad fluvium Bug numerando triginta milliaria, in cuius meditullio praedictum Supraslieuse, ut praefertur, nuncupatum extat monasterium; in latum vero quoniam declive procedit ad summum ad duodecim, ad minimum autem ad quatuor milliaria protenditur; adsint praeterea futurae dioecesi huiusmodi adiicienda viginti septem oppida, et quadringentae septuaginta quatuor villae, in quibus ecclesiae Kioviensi avellendae triginta una, et ex Bretensi respective ecclesiis triginta septem adnumerantur, quarum quidem ecclesiarum respective parochiani sacramentorum poenitentiae et eucharistiae capaces quadraginta quinque millium et ultra numerum constituunt, minime tamen comprehendendo parochianos latini ritus, qui duas ubique locorum in iis partibus distinctas habent parochiales ecclesias: inter has ecclesias praeter monasterium Suprasliense praedictum sint duae regulares domus, quae residentiae itidem appellantur, eidem monasterio per primaevas suas fundationes annexae, ad quas pro habitatione monachi eiusdem Ordinis ab ipso monasterio transmittuntur, scilicet residentia Kuanicensis in Borussia nova orientali septem milliaribus, et Varsaviensis in Borussia meridionali triginta duobus milliaribus a monasterio praedicto distantes post secutam divisionem regni Poloniae; reperiatur insuper in Borussia nova orientali residentia itidem monachorum praedicti Ordinis Sancti Basilii in civitate Drogiezya quatuordecim milliaribus ab eodem monasterio dissita antea ad provinciam Lithuanam pertinens, quae a dilecto filio moderno generali praedicti Ordinis Sancti Basilii Magni ex re mutati dominii abbati monasterii huiusmodi extitit subiecta; Kuanicensis et Varsaviensis residentiae huiusmodi suas habeant parochiales ecclesias, earumque pastores curam animarum parochianorum sui ritus exerceant: ac demum Drochiensis quoque residentia pro sacris peragendis missionibus pie reperiatur fundata, in quibus quidem regularibus domibus, seu qualibet residentia huiusmodi tres eiusdem Ordinis monachi continuo commorantur;

§ 9. Ac praeter praedictas residentias nulla amplius nec virorum nec monialium eiusdem Graeco-Rutheni uniti ritus enumerentur monasteria: Nos propterea praedictum Suprasliae locum, et cum eo monasterium praedictum, ac superius descriptas illarum dioecesum portiones, ubi oppida, loca, villae, ecclesiae, et regulares domus seu residentiae huiusmodi praedicti Graeco-Rutheni uniti ritus, ut praefertur, consistunt, quaeque temporali praedicti Friderici Guillelmi regis dominio subsunt, ab eisdem dioecesibus, ubi oppida, loca, villae, ecclesiae et regulares domus seu residentiae huiusmodi comprehenduntur, dicta apostolica auctoritate perpetuo dismembramus, dividimus et separamus, dictumque Suprasliae locum, unaque simul monasterium praedictum, ac huiusmodi dioecesum portiones, in quibus oppida, loca, villae, ecclesiae, et regulares domus seu residentiae huiusmodi, ut praefertur, consistunt, et in eis quoque contentas utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos et presbyteros quoscumque cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis, dummodo tamen eiusdem Graeco-Rutheni uniti ritus existant, ab ordinaria

Erectio nova dioecesis.

iurisdictione, potestate et superioritate venerabilium fratrum nostrorum modernorum et pro tempore existentium illarum ecclesiarum respective praesulum, quibus modo subesse dignoscantur, dicta apostolica auctoritate perpetuo disiungimus atque eximimus: ac locum Suprasliae praedictum in civitatem episcopalem per nos, ut praefertur, erectum, et monasterium huiusmodi, nec non memoratas illarum dioecesum portiones, oppida, loca, villas, ecclesias et regulares domus seu residentias huiusmodi, ut praefertur, complectentes, et in eis itidem, ut praefertur, contentos utriusque sexus habitatores et incolas tam laicos quam clericos, et presbyteros superius expressos, praedicti Graeco-Rutheni uniti ritus novae ecclesiae episcopali Suprasliensi illiusque futuro praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero et populo, ita quod liceat personae ecclesiae episcopali Suprasliensi per nos, ut praefertur, erectae et institutae tam a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in Episcopum dicta apostolica auctoritate praeficiendae per se vel alium seu alios eius nomine, veram, realem, actualem et corporalem possessionem, seu quasi regiminis spiritualis et omnimodi iuris dioecesani in dicto Suprasliae loco et monasterio, praedictisque oppidis, locis et villis sic per nos ab eisdem dioecesibus, ut praefertur, dismembratis, divisis et separatis, propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere: venerabilis quoque fratris nostri moderni et pro tempore existentis Archiepiscopi Kioviensis, vel cuiusvis alterius, licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate praefata similiter perpetuo assignamus, et respective supponimus atque subiicimus.

Providetur curae animarum monachis antea concreditae.

§ 10. Et quoniam, sicut pariter accepimus, eiusdem monasterii monachi praedicti animarum curam in villis circa monasterium ipsum existentibus, quae a parochialibus ecclesiis sunt remotiores, exercent; cum consensu vero parochorum loci, dum constituetur Episcopus, facile foret propinquiores villas ecclesiae cathedrali per nos, ut praefertur, erectae adiungere, curamque animarum huiusmodi monachis saepedictis committere; eidem propterea primo futuro Suprasliensi Episcopo, ut ipse id pro sui arbitrio et conscientia, servatis tamen de iure servandis, facere et exequi libere et licite possit et valeat, plenam et absolutam licentiam et facultatem dicta apostolica auctoritate tribuimus et impertimur.

Mensis episcopali et cathedrali providetur.

§ 11. Utriusque vero mensae, episcopalis scilicet et capitularis, dotationi, quam praedictus Fridericus Guillelmus rex, ut quoque accepimus, in se suscepit constituendam, providere volentes, adhuc ut primo futurus et pro tempore existens Suprasliensis Episcopus pontificalem dignitatem decenter tenere ac futuri quoque et pro tempore existentes capitulum et canonici dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae congrue substentari, ac onera eis et eorum cuilibet respective pro tempore quomodolibet incumbentia supportare respective valeant, primo futuro et pro tempore, ut praefertur, existenti Suprasliensi Episcopo praedicto, videlicet summam quatuor millium talerorum Borussicorum e regio aerario quotannis in parata pecunia pendendam; capitulo vero et canonicis praedictis pro praedictarum duarum dignitatum ac quatuor canonicatuum et praebendarum per nos, ut praefertur, erectarum et erectorum respectiva dote congruam itidem annuam summam ex regia liberalitate illas et illos pro tempore respective obtinentibus annuatim pariter tribuendam. Ita quod liceat eidem primo futuro et pro tempore existenti Suprasliensi Episcopo praedicto, videlicet praedictam iam sibi, ut praefertur, attributam seu designatam; dignitates vero ac canonicatus et praebendas per nos, ut praefertur, respective erectas et erectos pro tempore respective obtinentibus, eis, ut praefertur, tribuendam respective summas huiusmodi respective percipere, exigere, levare, et in eorum ac episcopalis et capitularis respective mensarum per nos, ut praefertur, erectarum respective usus et utilitatem convertere, cuiusvis quoque licentia desuper minime requisita.

Concessio palatii pro Episcopo.

§ 12. Eidemque primo futuro et pro tempore existenti Suprasliensi Episcopo palatium in parte aedificii eiusdem monasterii iuxta combinationem cum illius monachis praedictis iam factam, quod satis decens et pro commoda Episcopi habitatione sufficiens existit, sumptus tamen aliquos pro illius restauratione et conservatione requiret, et licet eidem monasterio sit coniunctum, segregatos tamen ab illo habet aditus; in quo quidem palatio idem primo futurus et pro tempore existens Supra-

sliensis Episcopus residentiam suam facere debebit dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo respective concedimus et assignamus.

Concessio insignium pro capitulo.

§ 13. Ac propterea iisdem primo futuris et pro tempore existentibus dictae cathedralis per nos, ut praefertur, erectae praepositis, seu praelatis ac canonicis, ut ipsi eorumque in singulis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis respective successores, pro maiori dictae cathedralis Ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae decore, et in ea divini cultus augmento, et ad ingerendam in animis populorum erga Dei ministros in dicta cathedrali ecclesia per nos, ut praefertur, erecta ecclesiasticis ministeriis et officiis addictos maiorem venerationem, consuetam pectoralem crucem iuxta formam ab eodem primo futuro Suprasliensi Episcopo praefiniendam tam in dicta cathedrali ecclesia per nos, ut praefertur, erecta, quam extra, in processionibus et funeralibus, anniversariis et aliis quibuscumque actibus et functionibus publicis et privatis, ac inter missarum et horarum canonicarum diurnarum ac vesperarum, aliorumque divinorum officiorum huiusmodi celebrationem, ac etiam extra praedictam civitatem et dioecesim Suprasliensem per nos, ut praefertur, erectas et ubique locorum, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, etiam in praesentia dictorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium etiam de latere Legatorum, vice-Legatorum et Sedis Apostolicae praedictae Nuntiorum, Archiepiscoporum et Episcoporum, ac Ordinarii etiam proprii, vel aliorum quorumcumque, deferre et gestare, illaque respective uti libere et licite possint et valeant.

Privilegia, et aliae gratiae concessae.

§ 14. Ac ulterius, ut ipsi et eorum quilibet, nec non ipsorum officiales et ministri, nec non res, bona, proprietates et iura quaecumque omnibus et singulis tam spiritualibus quam temporalibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus aliae similes illarum partium cathedrales ecclesiae eiusdem ritus, eorumque capitula, canonici ac dignitates in eis obtinentes, illarumque ministri, ac bona, iura, res, proprietates de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso aut ex indulto seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac aeque principaliter absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu et non revocata nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis non repugnent, etiam uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant perinde ac si eis specialiter, nominatim et expresse concessa fuissent, dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo respective concedimus et indulgemus.

Ius condendi statuta pro eodem capitulo.

§ 15. Caeterum, ut recta in praedicta cathedrali ecclesia per nos, ut praefertur, erecta in iis quae illius capitulum concernunt, ecclesiastica disciplina servetur, eisdem primo futuris et pro tempore existentibus dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae praepositis seu praelatis, singulisque canonicis, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae, illiusque mensae capitularis, nec non sacristiae, eorumque respective rerum et bonorum ac iurium tam spiritualium, quam temporalium prospero et felici statu, regimine, gubernio et directione, nec non onerum illis nunc et pro tempore quomodolibet incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funerum, anniversariorum et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes, et divinis officiis huiusmodi suis loco et tempore non interessentes, seu onera et ministeria eis et eorum cuilibet respective incumbentia incurrendarum incursu, servitio chori praestando, singulorum praesentiis notandis, caeremoniis ac ritibus in praedicta cathedrali ecclesia per nos, ut praefertur, erecta, illiusque choro, capitulo, processionibus et aliis actibus capitularibus huiusmodi servandis, officialibus et ministris dictae cathedralis ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae necessariis deputandis et amovendis, ac ministeriis per ipsos subeundis, salariis et stipendiis praestandis, ac quibuscumque aliis rebus in praemissis et circa praemissa quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta, ac eisdem sacris canonibus et Con-

cilii Tridentini praedicti decretis huiusmodi minime adversantia, et per futurum Supraliensem Episcopum prius examinanda et approbanda, edere, et edita, praevia dicti futuri Episcopi approbatione, declarare, interpretare, et in meliorem formam redigere et reformare, seu etiam alia de novo, ex integro, eisdem tamen sacris canonibus et constitutionibus apostolicis decretisque praedictis minime adversantia, et, ut praefertur, per dictum Episcopum prius examinanda et approbanda, ac per eos, ad quos spectat et pertinet, ac pro tempore spectabit et pertinebit, observanda sub poenis in contravenientes infligendis, similiter edere libere et licite possint et valeant, plenam liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem dicta apostolica auctoritate perpetuo concedimus et impertimur.

Omnia iuris remedia tolluntur, quae obstare possent in nova erectione.

§ 16. Ac erectionem, institutionem, declarationem, dismembrationem, divisionem, separationem, disiunctionem, exemptionem, suppositionem, subiectionem, utriusque licentiae et facultatis impartitionem, concessionem, assignationem, indultum, nec non easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac ullo umquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causa quantumvis iuridica et legitima, etiam ex eo, quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis et invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quocumque alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de iure vel facto, seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis aut quocumque alio colore, praetextu, aliave ratione vel causa quantumvis iusta, rationabili, iuridica, pia, privilegiata et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra et aliis superius expressis nullibi appareret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris huiusmodi vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concesso et impetrato quempiam uti seu se iuvari in iudicio vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus aliisque contrariis dispositionibus per quoscumque literas et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, etiam in crastinum assumptionis nostrae et successorum nostrorum Romanor. Pontificum pro tempore existentium ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter ex quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de iisdem praesentibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat, editas et in posterum edendas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 17. Sicque, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae Cardinales, etiam de latere, ut praefertur, Legatos, dictaeque Sedis Nuncios huiusmodi, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa ac privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque iudicio et in quacumque instantia, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane dicta apostolica auctoritate motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 18. Postremo autem desiderantes, ut singula praemissa sic per nos, ut praefertur, ad spiritualem animarum salutem, divinique nominis gloriam, ut praefertur, disposita et ordinata, debitae exequutioni demandentur, et quaecumque obstacula, quae

forsan desuper oriri possent, dirimantur; hinc praedictum Onuphrium Caietanum, ut praefertur, modernum Episcopum Plocensem in executorem pro executione tantum earumdem praesentium apostolica auctoritate praedicta constituimus et deputamus. Eidemque Onuphrio Caietano Episcopo facultatem, ut ipse dilectum etiam filium suum in spiritualibus vicarium generalem sive officialem, aut quamcumque personam in dignitate tamen ecclesiastica constitutam, pro huiusmodi executionis effectu subdelegare libere et licite possit, ac tam eidem Onuphrio Caietano Episcopo, quam vicario aut officiali, vel delegato huiusmodi, ut ipsi et eorum quilibet super quacumque oppositione in actu executionis huiusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen quae fuerint de iure servanda, definitive pronunciare libere quoque et licite valeant ac respective valeat, eadem apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus nostris et cancellariae praedictae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de dismembrationibus et unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis Concilii uniones et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a iure permissis fieri, et ab ecclesiis membra distingui ac dividi prohibentis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum, quae dismembrationem huiusmodi patiuntur, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessis et concedendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, seu quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide ad praemissorum validissimum effectum motu, scientia et potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, declarationis, dismembrationis, divisionis, separationis, disiunctionis, exemptionis, suppositionis, subiectionis, licentiae et facultatis, impartitionis, concessionis, assignationis, indulti, decreti, constitutionis, deputationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum prope Florentiam in coenobio Carthusianorum anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pridie nonas martii, pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

CXXXI.

Facultas Archiepiscopo Limano elevandi ritum officii exaltationis Sanctae Crucis ad dupl. secundae vel etiam primae classis sine octava.

Venerabili fratri Archiepiscopo Limano,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Augustinus Vasquez de Noboa y la Plaza Maldonado, Limanus, quod ipse, pro eo quo cum suis concivibus in Christi Domini passionem afficitur devotionis affectu, eiusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut, inspectis omnibus circumstantiis, ritum officii exaltationis Sanctae Crucis pro clero saeculari et utriusque sexus regulari eiusdem civitatis Limanae a dupl. mai. ad dup. vel secundae vel primae etiam classis sine octava, prout magis in Domino expedire iudicaveris, elevare pro tua prudentia et conscientia auctoritate nostra apostolica possis et valeas, facultatem tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum apud monasterium Ordinis Monachorum Carthusianorum extra moenia civitatis Florentinae sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

CXXXII.

Facultas Episcopis Hispaniarum et Americae, ut ad dimittendum publicum debitum convenire possint in alienationem bonorum ad nosocomia, hospitia aliaque loca pia spectantium, ita tamen ut ab aerario regio eisdem locis piis solvantur fructus trium in singula centena et annos.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis caeteris locorum ordinariis regnorum ac insularum tam citra quam ultra mare carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico subiectarum,

PIUS PP. VI.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Quoties animo repetimus, in quae difficillima incidimus tempora, inter ipsas tribulationes, quae invenerunt nos nimis, et quibus, nisi gratia Iesu Christi adiuvasset nos, certo obrueremur, nobis visum est, haud inopportunum fore, si precibus carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, ac de christiana republica optime meriti, nobis humiliter porrectis obsecundaremus.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§ 2. Nobis siquidem eiusdem Caroli regis catholici nomine expositum fuit, quod cum debitum publicum adeo excreverit, ut immensa sint pertimenda damna in suos subditos, quod ipse maturo considerans nil opportunius inter caetera remedia futurum fore duxit, quam si, venditis ac alienatis fundis ac bonis ad nosocomia, hospitia, brephotrophia, confraternitates, caeteraque opera pia ac iuripatronatus laicalia, nec non ad cappellanias collativas aliasque ecclesiasticas fundationes similis iurispatronatus etiam ecclesiastici quomodolibet pertinentibus et spectantibus, ac inter limites suae ditionis consistentibus, illorum pretium in dimissionem atque extinctionem publici aeris alieni huiusmodi erogetur, pollicita interim fundorum ac bonorum huiusmodi possessoribus quadranti usura eis per regium aerarium solvenda. Quod quidem si a nobis ei concedatur, nedum in praeiudicium, sed in manifestam eorumdem bonorum piorum ac fundationum utilitatem convertetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur eiusdem Caroli regis catholici votis, quantum cum Domino possumus, annuere, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti,

aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitatibus ac discretionibus vestris respective per praesentes committimus ac mandamus, ut, quatenus vobis constet de evidenti locorum piorum etiam ecclesiasticorum, utilitate, pro ea tantum parte fundorum ac bonorum huiusmodi, quorum alienatio ac distractio erit utilis, quibus desuper uniuscuiusque vestrum conscientiam districte oneramus, ac dummodo fructus trium in singula centena pretii, quod ex publicatis ac venditis bonis habitum erit, et ab aerario regio persolvendi adeo certe constituantur, ut nullo umquam casu fructus huiusmodi deficere, aut illorum perceptio intercipi possit, alienationem ac distractionem fundorum ac bonorum huiusmodi intra uniuscuiusque vestrum dioecesum limites consistentium absque ullo suspensionis, interdicti aliarumque ecclesiasticarum poenarum incursu, servata tamen in venditionibus ac alienationibus huiusmodi constitutionum apostolicarum forma, ex speciali dono gratiae nunquam in exemplum traducendae, auctoritate nostra apostolica pro vestro arbitrio et conscientia permittatis.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quorumcumque piorum testatorum aliorumque fundatorum dispositionibus, etiam ultimis voluntatibus, quibus per praesentes in ea tantum parte, quae huic indulto adversatur, expresse derogamus, apostolicis ac in universalibus vel provincialibus ac synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eorumdem locorum piorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum de speciali mandato nostro sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo septingentesimo nonagesimo nono, pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

PIUS PP. VII.

CONSTITUTIO I.

Derogatis lit. Clemen. XIV. Dominus ac Redemptor, *Societatem Iesu in regno Russiaco, annuente Paulo I. imperatore, restituit* (1).

Dilecto filio Francisco Kareu, presbytero ac superiori congregationis Societatis Iesu in imperio Russiaco,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio decernendae restitutionis societatis in Russiaco imperio.

§ 1. Catholicae fidei in amplissimis Russiaci imperii regionibus conservandae et excolendae, nec non spirituali fidelium regimini instaurando prospiciens rec. mem. Pius PP. VI. praedecessor noster, annuente Catharina II. tunc in humanis agente, totius Russiae imperatrice per apostolicum legatum Ioannem Andream Archiepiscopum Chalcedonensem, nunc S. R. E. Cardinalem et Episcopum Sabinensem, unam cathedram archiepiscopalem cum suo capitulo in civitate Mohiloviae erexit, eidemque in Archiepiscopum et pastorem praefecit venerabilem fratrem Stanislaum Siestrzencewicz cum ordinaria facultate ac potestate super catholicos latini ritus in iis omnibus provinciis ac regionibus totius Russiaci imperii, in quibus nulla esset erecta sedes episcopalis. Novis aliis provinciis, quae pridem regi ac reipublicae Polonicae suberant, imperio Russiaco adiectis, praeclara serenissimi imperatoris Pauli I. in catholicos voluntate factum est, ut idem praedecessor noster Pius PP. VI. per alterum legatum venerabilem fratrem Laurentium Archiepiscopum Thebarum episcopales catholicorum graeci ac latini ritus cathedras, in iisdem regionibus dudum erectas, firmaverit, stabiliverit, atque apostolica auctoritate muniverit, ipsam quoque Mohiloviensem ecclesiam metropolitica potestate auxerit, et decoraverit. Verum, quamvis multa hinc sint ex Apostolicae Sedis providentia et supremi principis Pauli I. benignitate catholicis ad eorum spiritualem salutem comparata subsidia, quid tamen illa sunt, aut quomodo satis esse possunt in tanta regnorum latitudine, quae in Europae et Asiae partes protenditur, in quibus nec ullae sunt sedes episcopales, nec regularium ullius ordinis coenobia, exiguus vel nullus sacerdotum numerus, plurimi pascua quaerentes, sed non habentes, qui pascua salutaria demostrent, ut idcirco nos, qui pastores sumus in universa domo Israel, repetere saepius cum Christo redemptore nostro debeamus: *Messis quidem multa, operarii autem pauci?* Quamobrem, cum nonnulli extinctae per apostolicas Clementis PP. XIV. praedecessoris nostri literas Societatis Iesu presbyteri in illis partibus a pluribus annis commorantes, erudiendae, ac bonis moribus et fidei catholicae rudimentis imbuendae iuventuti, verbi Dei praedicationi ac sacramentis administrandis sese obstringere valde exoptent, eorum praesertim opera uti se velle ad spiritualem catholicorum subditorum suorum curam ac institutionem clementissimus imperator Paulus I. declaravit, eosque in unum corpus coniungi ac nostra auctoritate muniri, enixe postulavit. Tu itaque tuo ac praedictorum isthic degentium presbyterorum nomine humillimas ad nos dedisti preces, in quibus obsequenti animo supplicasti, ut, quo ne coetus iste, ac societas vestra nullis fulcita praesidiis, quibus apostolica Sedes regulares ordines ac congregationes munire consuevit, eorum, qui nunc vivunt, interitu dilabatur, in societatem vos pristinam uniri et canonice posse existere, apostolica auctoritate decerneremus.

Bona quae a restitutione societatis sunt expectanda.

§ 2. Nos, qui ad apostolicae servitutis onus, quamvis imparibus viribus, subeundum a Deo vocati sumus, nullum pro nostra pastorali sollicitudine praetermittere officium debemus, quin clericos et presby-

(1) Has literas de restituta Societate Iesu transcribimus, quod ad missiones Russiarum pertineut; eadem de causa vide eiusdem P. literas, quibus Societatem istam in universo orbe instauravit, et Leonis XIII., qui eiusdem Soc. privilegia confirmavit.

teros, qui studium et laborem in excolenda vinea Domini non refugiunt, novis stimulis excitemus, et gratiis etiam ac favoribus prosequamur. Nil vero ad vitia resecanda, ad morum disciplinam retinendam, ac fidei praeceptis christianam plebem informandam aptius remedium adhiberi posse censemus, quam ecclesiasticos viros in unum corpus consociatos, communibus legibus ac institutis sub unius praesidis potestate coniungere, ut dimicando adversus humani generis hostem, quae eius multiplices atque insidiosae artes nocendi sunt, non dispersis et disiunctis viribus, sed uno veluti agmine facto, ac districto verbi Dei gladio frangant et illum penitus expugnent. Vere enim tunc expletur regii psaltis votum: *O quam bonum et iucundum habitare fratres in unum.... quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum;* et iterum alio loco: *habitantes in domo Domini unius moris et labii sunt, dulces simul capientes cibos in domo Domini cum consensu.* Non eos sane cibos, qui ad alimoniam corporis inserviunt, sed spirituales cibos, qui animae vires augent reficiuntque famelicos panem quaerentes, nec invenientes, qui illum eis porrigat.

Annuentia imperatoris, datis ad id quoque specialibus literis.

§ 3. Aequa igitur ac honesta cum sit, et catholicae religionis cultoribus perutilis, haec postulatio tua, maximum vero ei pondus accedit ex potentissimi ac praeclarissimi imperatoris Pauli I. commendatione. Iam enim humanissimis suis ad nos datis literis die XI. augusti superioris anni millesimi octingentesimi, benevolo se admodum erga vos esse animo ostendit, vestramque postulationem a nobis admitti gratissimum sibi fore significavit, utilissimum ratus catholicos subditos suos hoc novo spirituali praesidio iuvare: nihil enim magis ad iuventutem in Dei cultu, in morum disciplina, in obsequio erga sublimiores potestates informandam conducere posse arbitratus est, quam si ecclesiastici probatique viri huic subeundo oneri praeficiantur; quod de vestra fide, integritate ac scientia sibi maxime pollicetur. Quare iam inprimis templum, quod pro catholicis Petropoli aedificatum est, vobis custodiendum ac sacris ministeriis celebrandum magna liberalitate commisit, collegia instaurare ac vobis commendare, aliaque moliri paratus est, quae nostrae communionis hominibus maxime profutura confidimus. His autem tantis ac tam magni principis in nostros catholicos collatis beneficiis, nonne gratiam referre debemus, eiusque votis assentiri, nec sinere irritam ac inanem apud nos esse vestram ab eo susceptam commendationem?

Tenor concessionis. et restitutionis congregat. cum honoribus et privilegiis.

§ 4. Perpensis itaque rebus omnibus, ac praesertim mature consideratis iis temporum, locorum, ac personarum varietatibus, quae nova consilia capessenda aut priora moderanda, prout Ecclesiae utilitas postulat, nobis, qui supremi eiusdem moderatores sumus, suadent ac prope imperant; implorato primum enixis precibus divini Numinis praesidio, accitisque in consilium nonnullis S. R. E. Cardinalibus, postulationes vestras benigne excipere volentes, te tuosque socios a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, certa scientia et ex apostolicae nostrae potestatis plenitudine, te caeterosque presbyteros isthic degentes, aut qui in posterum adventuri sunt, quique dudum istiusmodi congregationi nomen dederunt, aut deinceps daturi sunt, in unum corpus et congregationem Societatis Iesu uniri, adunari, coniungi posse, intra tamen Russiaci imperii fines dumtaxat et non extra, in una aut pluribus domibus arbitrio superioris designandis, eadem apostolica auctoritate permittimus et indulgemus.

Deputatio superioris et assignatio regulae.

§ 5. Huius autem congregationis superiorem seu praesidem generalem ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, te, dilecte fili, deputamus et constituimus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis; primigenam Sancti Ignatii regulam a Paulo PP. III. praedecessore nostro suis apostolicis constitutionibus confirmatam et approbatam sequi et retineri posse concedimus; tuosque, quos in congregationem cooptaveris, socios ad puerorum institutionem in bonis moribus et disciplinis incumbere, collegia et seminaria regere, et, probantibus et consentientibus locorum Ordinariis, confessiones fidelium excipere, verbum Dei annuntiare, sacramenta administrare libere et valide posse, item decernimus ac declaramus. Vosque praeterea omnes et Congregationem istam Societatis Iesu, sub nostra et Sedis Apostolicae immediata protectione ac subiectione recipimus,

et quae ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, si quae irrepserint, repurgandam in Domino visum fuerit expedire, nobis et successoribus nostris praescribenda ac sancienda reservamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes has easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus quibuscumque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque et indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac illis praesertim Clementis PP. XIV. incipien. *Dominus ac Redemptor* sub annulo piscatoris expeditis die XXI. iulii MDCCLXXIII., in iis dumtaxat, quae praesentibus nostris contraria sunt et pro domino imperii Russiaci tantum. Quibus omnibus et singulis illorum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum tantum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVII. martii MDCCCI., pontificatus nostri anno I.

II.

Instante congregatione S. Philippi Nerii graeci ritus dioecesis Montis Regalis, facultatem concedit suvplendi eius numerum ex latinis presbyteris, qui ritum graecum in omnibus ea in congregatione manentibus debeant sequi, quandiu inopia quidem erit presbyterorum graeci ritus.

Venerabili fratri Archiepiscopo Panormi, et Montis Regalis,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Expositum nuper nobis fuit dilectorum filiorum presbyterorum nomine, qui in oppidulo dioecesis Montis Regalis, quod ab indigenis *Piana* appellatur, congregationem Oratorii Sancti Philippi Nerii nuncupatam constituunt ritus quidem graeci, at caelibem vitam agentes, se ad paucorum numerum redactos esse magna cum iactura suorum oppidanorum; neque enim se iam sufficere ad ingentia onera sustinenda, quae sibi fuerint imposita, cum et adesse aegrotis, ac praesertim morti proximis, et collegio virginum, quae puellas ad bonas artes moresque informant ex instituto bonae memoriae Corradini Cardinalis, fidelem praebere operam, et iuventutem erudire ac literis et pietate imbuere susceperint; deficere autem prorsus a graeca disciplina presbyteros sine uxore, quos in suum contubernium adsciscant; rogare se idcirco magnopere et orare, veniam ut sibi demus, suam parvam manum ex latinis presbyteris suppleri, qui tamen quamdiu apud se fuerint, eumdem, quem ipsi graecum ritum observent in divino sacrificio peragendo, atque in aliis sacris officiis, tum in quadragesimarum et caeterorum ieiuniorum ratione, tum in reliquis rebus omnibus nihil a se plane discrepent: ita nos magnum adiumentum allaturos christiano gregi satis amplo, qui in ea congregatione praeclarum semper solatium reperit.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur istorum presbyterorum inducti precibus, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, fraternitati tuae per has literas committimus et mandamus, ut illis, quod postulant, siquidem vera esse narrata compereris, tuque in Domino expedire iudicaveris, quoad inopia tanta erit presbyterorum graeci ritus caelibum qui illis aggregentur, auctoritate nostra apostolica pro arbitrio et conscientia tua concedas et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die II. iunii MDCCCI., pontificatus nostri anno II.

III.

Instantibus fratribus Ordinis Minorum S. Francisci provinciae S. Fidei de Bogota in America, confirmat electionem sanctorum Ioannis Baptistae et Iosephi in patronos dictae provinciae.

PIUS PP. VII.
ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii superiores et fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupati provinciae Sanctae Fidei de Bogota in America Hispana nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Sanctos Ioannem Baptistam et Ioseph Beatae Mariae Virginis sponsum praeseferunt, devotioni saffectu, eorumdem sanctorum cultum et venerationem in dies augeri et declarari summopere desiderent, eosdemque sanctos in protectores suos principales elegerint; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra de benignitate apostolica indulgere dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Iulio De Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario, electionem Sancti Ioannis Baptistae et Sancti Iosephi in patronos principales eiusdem provinciae a fratribus dicti ordinis rite factam, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac festis eorumdem sanctorum praerogativas omnes festis patronorum principalium competentes attribuimus, atque ritum officii patrocinii S. Iosephi quod in dominica tertia post Pascha recitatur, ad dupl. secundae classis cum octava pro iisdem fratribus elevamus, et lectiones proprias recitandas in diebus octavae iam pro Ordine Carmelitarum Excalceatorum approbatas ad eos extendimus; nec non, ut in singulis coenobiis dictorum fratrum in praedicta provincia comprehensis die decima nona cuiuslibet mensis, dummodo non occurrat officium duplex primae vel secundae classis, post missam conventualem de die, post nonam una missa votiva cum cantu de eodem Sancto Iosepho cum gloria tantum, servatis in reliquis rubricis, celebrari possit, auctoritate et tenore praedictis indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac rubrica XXVII. novi breviarii Romani Seraphici, nec non dictae provinciae et ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die IV. sept. MDCCCI., pontificatus nostri anno II.

IV.

Instante utroque clero oppidi de Sancta Fè Granatensis dioecesis, mandat, ut servari possit consuetudo recitandi quotannis officium S. Christophori martyris, et aliud S. Augustini Episcopi cum octava, itèmque dedicationis ecclesiae collegiatae.

PIUS PP. VII.
ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae collegiatae, nec non cle-

rus saecularis et regularis oppidi vulgo de Sancta Fè, Granatensis dioecesis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo erga Sanctum Christophorum martyrem et Sanctum Augustinum Episcopum, itemque dictae ecclesiae dedicationis solemnitatem afficiuntur devotionis affectu, eorumdem sanctorum cultum et ecclesiae venerationem in dies augeri summopere desiderent; nobis hinc sibi humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Iulio De Carpineo Sacrorum Rituum congregationis secretario, ut in posterum ab utroque clero dicti oppidi servari possit consuetudo multis ab hinc annis incepta recitandi quotannis infrascripta officia, videlicet die trigesima iulii Sancti Christophori martyris, die vigesima octava augusti Sancti Augustini Episcopi cum octava, et die quarta novembris dedicationis supradictae ecclesiae collegiatae.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti oppidi et dioecesis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. novembris MDCCCI. pontif. nostri anno II.

V.

Instante rege catholico, pro fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini in Indiis missionum munere functis statuit dignitatis gradus.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Laudes regis catholici.

§ 1. Quam singularis in divino honore promovendo, fideque augenda, et religione nostra propaganda Hispaniarum regum catholicorum semper extiterit zelus, cum ex multis ab ipsis regibus fortiter sapienterque gestis apparet, tum etiam ex eo quod religiosis viris evangelicum lumen apud remotissimas et efferatas gentes diffundere nitentibus gratia, studio, ope et praesidio adesse nullo umquam tempore destiterunt.

Ratio concessionis.

§ 2. Quamquam vero evangelicorum operariorum huiusmodi labores, curae et pericula in illis regionibus tot tantaque sunt, ut humanis praemiis non apte decorari posse videantur, tamen ne quis existimet, eosdem religiosos viros dignitatis gradibus, quos in nationalibus suis conventibus degentes assequi potuissent, prorsus privari, atque immortali gloriae sibi paratae in coelis quidquam decoris praecedat etiam in terris, carissimus in Christo filius noster Carolus earumdem Hispaniarum rex catholicus, ac regnorum non minus quam avitarum virtutum haeres, anno MDCCXCIV. ab hac Apostolica Sede petiit et obtinuit, ut per apostolicas in simili forma Brevis tunc expeditas literas nonnulli statuerentur honores fratribus Ordinis Praedicatorum, qui in California sibi subiecta se in sacris missionibus explendis ad statutum tempus exercuissent: nunc autem, ut quibus communes sunt labores, communia sint et praemia, eosdem honorificos gradus pro fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini excalceatorum recollectorum nuncupatorum in Indiis eodem evangelico ministerio fungentibus, a nobis et Sede praedicta constitui plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur, quibus pro pastoralis officii humilitati nostrae ex alto commissi sollicitudine nihil gratius, nihil antiquius esse debet, quam in eos beneficia effundere, qui de catholica religione sunt benemeriti, piis ipsius Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac omnes et singulas personas, quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, omnibus et singulis fratribus ordinis praedicti, de quibus per literas testimoniales vicarii provincialis, seu superioris missionum, ordinarii ecclesiastici et pro-patroni regii etiam, quatenus opus erit, apud regium consilium Indiarum eiusdem Caroli regis exhibendas, se in regnis Indiarum optimos evangelicos ministros gessisse constet, si per duodecim annos, gradum ex-definitoris provinciae, si per sexdecim annos, gradum lectoris iubilati, si per annos viginti, gradum ex-provincialis cum loci praecedentia, sed sine ferendo suffragio in capitularibus congressibus; et quatenus praeterea munere etiam vicarii provincialis per quinquennium functi sint, eumdem ex-provincialis gradum cum suffragio ferendo in dictis capitularibus congressibus, sed sine praecedentia loci, quae ex-provincialibus, quos de iure appellant, etiam iunioribus remaneat, cum omnibus et singulis reliquis respectivis honoribus, privilegiis, iuribus, gratiis, exemptionibus et indultis, quae gradibus praedictis iuxta ipsius ordinis statuta et stabilimenta, vel de iure, usu et consuetudine respective annexa sunt, in omnibus et per omnia, perinde ac si eosdem gradus revera ac de iustitia obtinuissent, apostolica auctoritate, quin ullam habeant necessitatem literarum patentalium superioris generalis ordinis, sed vigore dumtaxat praesentium, concedimus et indulgemus.

Praeceptum de obediendo.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque abitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis superioribus ac fratribus ac personis, caeterisque quibuscumque, ad quos quomodolibet spectat et in futurum spectabit, ut eosdem evangelicos ministros gradibus, honoribus ac privilegiis uti, frui, et gaudere sinant et permittant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. decembris MDCCCI., pontificatus nostri an. II.

VI.

Patriarchae Grec. Melchitarum committit inquirere in personas et scripta Germani Adami Arch. Aleppensis eiusdem

ritus eiusque fautorum: literas apostolicas Super sodalitate *et* Auctorem Fidei *ab ipsis subscribendas et contra renuentes iuxta canones agere.*

Venerabili fratri Agapio Graecorum Melchitarum Patriarchae,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. In acerbissimo dolore, quo sumus adfecti ex eo motu, quo pleraeque Occidentis partes convulsae sunt, non minus certe ob quamdam opinionum perversitatem, quas homines impii disseminare et pertinaciter defendere contenderunt, quam ob diuturni belli clades et incendia, levabatur animus noster et valde recreabatur, cum se ad Orientis catholicas ecclesias converteret, quas laetabamur quiete agere, et priscam fidem a sanctissimis Patribus acceptam per Antistites doceri, neque dum istic exauditas *profanas vocum novitates,* quibus viciniorum nobis populorum aures misere personarunt. Atqui veremur, ne inanes nostrae hae cogitationes fuerint et ne erroris scelerisque contagio vel ad tam remotas terras manarit. Perlatum namque ad nos est, ven. fratrem Germanum Adamium Aleppi Archiepiscopum, eiusmodi *doctrinis variis et peregrinis abduci* se passum aliter atque Apostolus praecipit, indeque simplici gregi, cui praeest, pabula mortifera pro salutaribus praebere. Ac multis illum quidem fidei catholicae capitibus, non crebris sermonibus solum sed etiam literis, non obscure adversari, aut eorum eversionem artificio quodam moliri, aut noctem iis offundere conari, praesertim vero de Romano Pontifice successore Petri, quem omnium agnorum et ovium suarum pastorem Dominus constituit, cui caelorum regni claves tradidit, quem suam vicem plane voluit summâ cum potestate sustinere et gubernare omnem, qua se cumque diffundit, Ecclesiam, *quae est corpus eius et plenitudo eius.* Eodem scelere esse alligatos accepimus nonnullos alios usu et familiaritate eo cum Archiepiscopo coniunctos, eiusdemque adseclas et administros. Nec te sane praeterit, ven. frater, illos qui arma Ecclesiae inferunt, quae est *ut castrorum acies ordinata,* atque ad illam perdendam coniurant, non diversam rationem tenere atque rex ille Syriae, de quo in Paralipomenon libro (II, c. 18), qui praelium commissurus praeceperat ducibus equitatus sui dicens « *ne pugnetis contra minimum aut contra maximum, nisi contra solum Regem Israel* »: haud secus istorum impetus in eum omnis fere incumbit, cuius vi, potestate et moderatione Ecclesiae salus continetur. Atque utinam non aliunde etiam indicia et argumenta magni ponderis suppeterent, quibus permoveamur ad fidem tam tristibus de Aleppi Archiepiscopo nunciis adhibendam.

§ 2. Quamobrem non est cunctandum nobis, non dissimulandum, non segnius agendum, cum non de unâ tantum ove quaerendâ et reducendâ negotium sit, pro qua vel unâ nihil intentatum relinquere deberemus; at de tanto ovium numero, deque earum pastore, qui officii et personae, quam suscepit, oblitus plane esse perhibetur; cum negotium de fide sit, adnitendumque nobis, *ut quemadmodum una est Dei essentia,* quod pulchre S. Caelestinus I. praedecessor noster scripsit, *ita inter omnes rectae fidei veritas teneatur* (Ep. XXII. Const.). Itaque eo devenimus, quo Patres nostri semper in similibus discriminum et periculorum casibus decurrerunt; ac magnopere confisi prudentiâ, consilio, gravitate et religionis studio, quo praestare te maxime oportet, ven. frater, tibi mandamus, ut solertissime omnia et acutissime de Archiepiscopo Aleppi isto, deque eius consiliorum sociis indages, ac praesertim illius aliorumve si qua scripta extant, ea conquiras diligentissime, atque ad nos seu ad Congregationem Cardinalium Propagandae Fidei cures protinus perferenda, quo hic lente et accurate admodum discutiantur.

§ 3. Mittimus tibi deinde exemplum literarum apostolicarum in formâ Brevis: *Super soliditate,* quas is qui ante humilitatem nostram Petri Cathedram proxime obtinuit, Pius VI. s. m., edidit contra pestilentissimum Eybelii cuiusdam librum, tum Bullae dogmaticae eiusdem immortalis Pontificis, cuius est initium *Auctorem Fidei,* adversus acta et decreta Synodi Pistoriensis, quae tu exempla simul atque acceperis, continuo auctoritate nostrâ et nomine Archiepiscopum Aleppi iube utrique suâ manu subscribere, ac palam, sincere, sine fuco et fraude ullâ profiteri et declarare, se ea omnia et singula amplecti prorsus toto suae mentis animique adsensu quae

illic fidelibus proponuntur, contra respuere se et repudiare et abiicere, quae ibidem damnantur et improbantur, atque in hanc sententiam paratum se esse populum suae curae traditum docere. Quod ubi ille praestiterit, eadem tu exempla, quibus is subscripserit, ad nos remittito, ut iucundissimo nimirum adspectu notarum, quae incorruptam eius Archiepiscopi fidem demonstrent, animum nos expleamus, ac suspicionem de illo omnem atque moerorem susceptum deponamus. Quod si forte minus promptum ad parendum, haesitantemque eum eris nactus, denunciato eidem libere, suum sibi locum non posse constare, inque illum secundum sacros canones animadversum iri. Neque secus te geres adversus ceteros, quibus eiusdem nefarii adeo criminis nota fuerit adspersa.

§ 4. Agnoscis, ven. frater, quanti referat, praeclare te eiusmodi defungi munere, quod nos tibi pro tot animarum Christi morte redemptarum incolumitate et salute, pro eius doctrinâ conservandâ, quam suo obsignatam Sanguine nobis reliquit, imponimus; neque dubites, quin amantissimus Salvator tibi strenue ac fortiter suâ causâ laboranti adsit; pro quo illum rogare et obsecrare non desistimus. Nullâ re aliâ potes de Ecclesiâ Dei mereri illustrius deque hac S. Sede Apostolicâ deque nobis, qui te singulari caritate paternâ complectimur, cuius pignus apostolicam benedictionem tibi uberrime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. februarii MDCCCII., pontificatus nostri anno II.

VII.

Salvatorem Cheriana Presb. Congr. Mis. Vic. Ap. Algeri constituit.

Dileto filio Salvatori Presbytero Congregationis Missionis,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benediotionem.

Pro nostri pastoralis officii munere iis potissime invigilare debemus, quae curam christifidelium, ut in viam mandatorum Domini dirigantur, obiter respiciunt. Quum itaque, sicut accepimus, ob dimissionem Ioannis Claudii Vicherat presbyteri Congregationis Missionis, munus Vicarii Apostolici Iulio-Caesareae seu Algeri vacaverit et ad praesens vacet, nos, audito ven. fratre Archiepiscopo Miren. Sacrae Congregationis de Propaganda Fide secretario, plurimum in Domino de tua fide, prudentia, doctrina et catholicae religionis zelo confisi, teque specialibus etc. volentes etc. censentes, te ipsum Vicarium Apostolicum dictae Iulic-Caesareae seu Algeri cum solitis iuribus, facultatibus et oneribus, sine tamen titulo ac charactere episcopali, ad nostram et Apostolicae Sedis beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, mandantes omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctoritate Domini, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus etc. ordinationibus, nec non quibusvis etiam consuetudinibus, privilegiis etc. innovatis; quibus omnibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIII. augusti MDCCCII., pontificatus nostri anno III.

VIII.

Stephano S.R.E. Card. Borgia mandata aliasque scripturas, quovis nomine nuncupatas, S. Cong. de P. F. vita sua durante, subscribere concedit.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum bon. mem. Hiacyntus dum vixit S. R. E. Presbyter Cardinalis Gerdil nuncupatus alias a fel. rec. Pio PP. VI. praedecessore nostro ad mandata, et alias Scripturas quae et quas de ordine et mandato Congregationis venerabilium FF. nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae in universum mundum Fidei praepositorum pro tempore quomodolibet fieri contingeret, subscribendum proprioq. sigillo muniendum deputatus, diem vitae

obierit extremum, nos pro pastorali nostra vigilantia negotiorum ac bonorum et rerum dictae Congregationis, ne aliqua propterea patiantur detrimenta, felici directioni et progressui, quantum cum Domino postulare consulere volentes, ac de singulari dilecti filii nostri Stephani S. R. E. praedictae presbyteri Cardinalis Borgia nuncupati fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, eidem Stephano Cardinali, ut quaecumque mandata, aliasque scripturas quovis nomine nuncupatas, tam ad quasvis pecuniarum summas percipiendas, exigendas et levandas, nec non solvendas et exbursandas, quam haereditatem et legatorum acquisitiones, locorum montium et aliorum bonorum ,emptiones, ac quosvis alios contractus et negotia cuiusvis generis, qualitatis et speciei concernentia et concernentes, quae et quas de ordine et mandato dictae Congregationis pro tempore quomodolibet fieri contigerit, subscribere et proprio sigillo munire libere et licite, vita sua durante, possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et impertimur.

§ 2. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ac singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus literis rec. mem. Gregorii PP. XV. praedecessoris nostri super applicatione annulorum ipsius S. R. E. Cardinalium eidem Congregationi facta sub die XXII. iulii MDCXXII. expeditis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis dictae congregationis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet emanatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. augusti MDCCCII., pontificatus nostri anno III.

IX.

Instante sodalitate sanctis. Sacramenti civitatis Limanae, confirmat rescriptum congregationis rituum.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. § 1. Cum, sicut dilecti filii moderni moderatores sodalitatis sub titulo sanctissimi Sacramenti, sanctissimae Trinitatis et Conceptionis beatae Mariae Virginis in ecclesia sanctorum Petri et Pauli, civitatis Limanae canonice, ut asseritur, erectae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in sanctissimum Eucharistiae sacramentum ac eamdem Deiparam afficiuntur devotionis affectu, eorum cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis rescripti sacrae congregationis Rituum. § 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes; supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Marco Antonio Cattaneo sacrorum rituum congregationis protonotario, venerabili fratri Archiepiscopo Limano arbitrium auctoritate nostra apostolica indulgendi, si ita ei expedire videbitur, ut quotannis in posterum in praedicta ecclesia in die proprio festi Conceptionis B. M. V., et per eius octavam, in omnibus missis eiusdem festi adhiberi possint paramenta, vestesque sacrae auro intertextae, et colore caeruleo parce vermiculatae: praeterea, ut in una dominica cuiusque mensis, non tamen primae classis, in qua peculiari cultus significatione fit renovatio hostiae consecratae, celebrari possit una missa cum cantu votiva solemnis de sanctissimo

Eucharistiae sacramento. Tandem, quod a cappellano ipsius sodalitatis celebrari possit missa privata in altari, in quo est expositum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, permittimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. septembris MDCCCIII., pontif. nostri anno IV.

X.

Archiepiscopo Moguntino exponit agendi rationem tenendam cum iis, qui, obtenta a iudicibus haereticis sententia de nullitate vel solutione matrimonii iam contracti, petunt vi legum civilium novum inire matrimonium, vel, hoc iam inito, ad sacramenta admitti, etc. (1).

Ven. fratri Carolo Archiepiscopo Moguntino S. R. I. Principi Electori,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Etsi fraternitatis tuae litteras die XVI. aprilis proxime elapsi ad nos scriptas iampridem acceperimus, tamen iis hactenus respondere minime licuit, tum propter multas easque gravissimas Apostolatus nostri curas, quarum pondere in his praesertim temporum perturbationibus undique premimur, tum etiam propter magnitudinem gravitatemque rerum, quas in iisdem contineri perspeximus. Quum enim exortas isthic quasdam non leves de matrimoniis referas quaestiones, ac de iis nostrum exquiras apostolicum iudicium, quo certam regulam omnes unanimi sensu teneant atque sequantur, ut maturius in re tanti momenti deliberare possemus, adhibitis in consilium nonnullis venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, eorumque non minus, quam aliquorum theologica doctrina praestantium virorum exquisitis suffragiis, easdem coram nobis examinandas curavimus. Caeterum religionem zelumque tuum in primis, tuamque in hanc S. Sedem observantiam effusis ac plane debitis prosequimur laudibus, quod ex veteri more institutoque maiorum hanc Petri Cathedram consulendam esse censueris (2), non ignarus antiquis regulis sancitum fuisse, ut quidquid, quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum esse, nisi ad notitiam Almae Sedis nostrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iusta quae fuisset pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent caeterae ecclesiae, velut de natali suo fonte, praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae manarent fidei sacramenta salutis.

Quaesita ab Episcopo exponit.

§ 2. Atque, ut ad rem accedamus, illud primo nobis in praedictis tuis litteris significasti, Electorem Palatinum, die VIII. novembris anni proxime elapsi, Monachii pro tota sua ditione dedisse mandatum, quo protestantium matrimoniorum dissolutionem, a catholicorum conventuum sententia decretam, ubique tamquam validam habendam esse, nullumque impedimentum parti ita solutae, si catholico vel catholicae nubere velit, interponendum esse: tum vero a Marchione Badensi idem quoque mandatum, decreto diei XXXI. ianuarii currentis anni, adoptatum fuisse tam pro terris Palatinatus inferioris ad tractum Rheni, quam pro reliqua tota sua ditione, ea tamen apposita conditione, parochum catho-

---

(1) Ex editis exemplaribus in Reg. Vat. asservatis.

(2) In Epist. Afrorum ad Theodorum Papam in Concil. Lateran. sub Martino I. act. 2, tom. 6, Concil. Labb. pag. 128 inserta.

licum, ut secundis his nuptiis intersit, si suae religionis principiis id sibi vetitum iudicaverit, neutiquam esse cogendum, sed illas iniri cupientibus liberum esse sibi per acatholicum ministrum copulationem procurandi, atque ita coniunctos potestate civili, quin eorum conscientiae foro sese ullo modo immisceat, quantum ad civiles effectus fovendos tuendosque esse, perinde ac si coram catholico parocho copulati fuissent: tum denique in eadem Badensi Ditione ad istam Wormatiensem dioecesim pertinente exinde iam iterato contigisse, ut, attentata per sententiam haeretici consistorii matrimonialis vinculi solutione, partibusque in libertatem ad alia transeundi vota dimissis, harum una, vivente adhuc altera, novum matrimonium cum catholica parte inire contenderit, atque sacerdotalem benedictionem desuper expetierit. Porro, ut addebas, parochi anxio animo haerentes postulant, opportune instrui a te atque edoceri, quomodo in relatis similibusque casibus se gerere debeant. Quaerunt propterea primo: an tuta conscientia secundis illis nuptiis interesse possint? secundo: an si hae coram acatholico ministro contrahantur, partem catholicam ad poenitentiae sacramentum accedentem absolvere, ad sacram Eucharistiam admittere, prolemque inde nasituram, etiam quantum ad ecclesiasticos effectus, uti legitimam habere licite possint? De his autem, concludebas, ad nos scribere voluisse, ut controversiae omnes facilius et tutius iudicio nostro praeciderentur, tum in ista dioecesi tua, tum in aliis quoque dioecesibus atque ditionibus, ad quas memoratas leges extendi contingeret, atque ut norma seu regula quaedam generalis praefigeretur, cuius ope Episcopi uniformi congruoque sensu de secundi matrimonii valore iudicium ferre, et parochi confessariique omnem hac super re conscientiarum perturbationem amovere et privatam publicamque quietem tueri possint ac valeant.

Iudicium Ecclesiae de matrimon. mixtis et de sententiis locorum tribunalium exponit.

§ 3. Ut ergo super praedictis ex nostro Apostolicae sollicitudinis ministerio tibi opportune et cumulate respondeamus, duo hic praemittenda esse ducimus, quae sane totius rei sunt veluti prima capita, quaeque, ubi praesertim agitur de matrimoniis tum catholicorum cum haereticis, tum haereticorum inter se vel ineundis vel dissolvendis, semper prae oculis haberi debent. Atque horum primum est, catholicorum cum haereticis connubia Ecclesiam catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse, quod innumeris possemus conciliorum summorumque Pontificum decretis demonstrare, nisi abunde sufficerent ea, quae hac de re immortalis mem. Pontifex Bened. XIV. praedecessor noster scripsit tum in Encyclicis litteris ad Poloniae regni Primatem, Archiepiscopos et Episcopos (1), tum in praeclaro suo opere de Synodo dioecesana (2). Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem ea connubia tollerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas, quemadmodum haud ita pridem fel. rec. Pontifex Pius VI. Episcopis Wratislaviensi, Rosnaviensi et Scepusiano rescripserat - Alterum vero est, sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, eorumque vinculis attentatur dissolutio, nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse. Nam, praeterquam quod ad ecclesiasticos iudices privative spectat de huiusmodi causis iudicium ferre, prout a Tridentina Synodo speciali canone sancitum, neminem latet haereticorum consistoria in praefatis causis expendendis ac diiudicandis, eas ut plurimum causas pro vinculi coniugalis solutione praetexere, quae ab Ecclesia catholica numquam receptae, imo a sacrosanctis Ecclesiae Conciliis, atque a Tridentino praesertim (3), expresse improbatae sunt. Ex quo sane consequitur, sententias huiusmodi tum semper tamquam irritas ob iurisdictionis defectum in iudicibus, tum saepe etiam tamquam iniustas ob damnata momenta rationum, quibus innituntur, contemni ac reiici omnino debere.

Quomodo iudex ecclesiasticus se gerere debet in iisdem causis.

§ 4. Verum, cum contingere quandoque possit, ut ipsi coniuges a Consistorio acatholico coniugii vinculo soluti sentiant, nullam vim inesse apud Ecclesiam catholicam istiusmodi iudicio, atque idcirco percupiant

(1) Vol. III. h. *turis* pag. 372 *Magnae nobis*, et *Matrim. quae*, necnon ep. ad Ep. Poloniae *Matrimonii* in notis pag. 22.

(2) Lib. VI., cap. 5, § 3 et lib. IX., cap. 3.

(3) Sess. 24, can. 5 et 7.

eius auctoritate matrimonium solvere, operae praetium est, significare tibi quomodo iudex ecclesiasticus se gerere debeat. In hoc igitur instituendo iudicio curabit primum iudex ecclesiasticus, ut in conficiendis actis methodus illa ordoque servetur, qui a praelaudato Benedicto XIV., constitutione quae incipit *Dei miseratione,* perspicue sapienterque praescribitur. Quod si non ferat id rerum temporumque conditio, facultatem tibi, ac per te episcopis suffraganeis tuis communicandam, hoc in casu ad quinquennium concedimus et impertimur a praefata methodo recedendi sub his tamen duabus conditionibus. Prima: ut numquam in tractatione similium causarum deficiat matrimonii defensor, qui ex officio matrimonii, de quo est quaestio, iura et robur, seu validitatem secundum canonum praecepta, tueatur. Altera: ut si acta iudiciali methodo, propter horum temporum calamitates, confici nequeant, extraiudicialibus saltem, atque omni alio, quo fieri poterit, modo suppleatur, ita ut numquam desint clarae concludentesque probationes ad illustrandam confirmandamque rei veritatem omnino necessariae. Curandum etiam omnino est, et summopere cavendum, ne in proferendo iudicio de nullitate aut validitate alicuius matrimonii, iis iudex utatur inanibus rationum momentis, ex quibus passim acatholici pronuntiant matrimoniale vinculum posse dissolvi. Haud unquam id tolerari potest, sed probandae sunt causae, quae concordi SS. Patrum sententia, Conciliorum ac Tridentini (1) praesertim sanctionibus aptae iudicatae sunt ad nexus matrimonialis dissolutionem, quaeque sunt vel impedimentum dirimens, quod matrimonio praecesserit nec dispensatione legitima fuerit relaxatum, vel conditiones, quae inter dirimentia impedimenta recenseri adhuc possunt, quaeque in pactum a coniugibus deductae, ipsius matrimonii substantiae opponuntur, quemadmodum eas quae in Calvinistarum praesertim matrimoniis interponi solere plurimi affirmant, qua de re egregie disserit Benedictus XIV. in laudato opere de synodo (2). Neque satis praeterea esset unius dumtaxat iudicis sententia totum hoc negotium absolvere. Ex memorata enim eiusdem Benedicti XIV. constitutione decretum est, post primam sententiam matrimonii nullitatem decernentem, ab ipsius matrimonii defensore interponendam esse appellationem, quae si deseratur ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, is qui ex coniugibus, non absoluto prius per duas sententias iudicio, nuptias celebrare ausus fuerit, iis poenis plectatur, quae adversus eos, qui matrimonio contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statutae sunt, ac praesertim a cohabitatione alterius coniugis separetur, quoad usque altera sententia praecedentis confirmatoria super nullitate matrimonii emanaverit. Quae hactenus disseruimus, eo praesertim spectant, ut, cum de matrimonii nexu dissolvendo agitur, posthabita neglectaque acatholici consistorii sententia, qualiscumque ea fuerit, novum atque integrum a iudicibus ecclesiasticis rite iudicium instruatur ac conficiatur.

Quid in his casibus a parocho catholico agendum sit.

§ 5. Praestat nunc alia perpendere quaestionum capita, quae tuis litteris nobis proposuisti. Quaerebas quid agendum sit a parochis catholicis, cum aliquis ex coniugibus per sententiam consistorii acatholici solutus a priori matrimonio, ac suae libertati restitutus, si velit cum catholico aut catholica nubere, possitne parochus his nuptiis assistere et benedictionem nuptialem impertiri, quod bis tentatum fuisse in tua dioecesi narrabas? At tu ipse ea, qua praestas, sapientia, vides, venerabilis frater, gravissimum commissuros scelus, suumque sacrum ministerium prodituros esse eos parochos, qui has nuptias sua praesentia probarent, suaque benedictione firmarent: neque enim illae nuptiae dicendae sunt, sed potius adulterina connubia. Perstat enim, immotumque manet impedimentum ligaminis ex vinculo prioris matrimonii, quod per sententiam acatholici consistorii relaxari ac dissolvi non potuit; quo durante ac persistente impedimento, si vir foeminae coniungatur, adulterium est. Quapropter suavibus verbis, ac blando et efficaci sermone potius a parocho adhortandus est coniux ille, ne tantum facinus committat ac ne contra Dei legem peccet, quam idem ab ipso mundi primordio tulit, inquiens: « Quod Deus coniunxit, homo non separet. » Quod si propositi tenax morigerum se parochi monitis praebere renuat, et turpi adulterio cum coniuge acatholico copuletur, sitque aleae ac periculi plenum, ipsique religioni fortasse noxium ulterius obsistere et contra niti; silere quidem, et tolerare tam immane facinus parochus pot-

(1) Sess. XXIV.

(2) Lib. XIII., cap. 22.

erit, numquam vero vel copulationi interesse, multoque minus benedictionem impertiri. Iubeat, increpet, minetur laica potestas « obedire magis Deo oportet, quam hominibus ». Sacerdos Dei (verbis utimur divi Cypriani) evangelium tenens et Christi praecepta custodiens, occidi potest, vinci non potest (1). Hanc in parochis tuis constantiam, te auctore atque vindice, minime esse defuturam nobis in Domino pollicemur. Veruntamen oportet, quemadmodum vehementer abs te, venerabilis frater, petimus, atque enixe efflagitamus, ut eos erigas, doceas, atque horteris, ne, ut decet ministros Christi et fideles dispensatores mysteriorum Dei, sancta canibus proiiciant, atque propterea numquam scelestis hisce nuptiis sese immisceant, imo etiam si catholicum coniugem suae professionis oblitum apud ministrum acatholicum palam et publice se copulare faciat, quoniam peccatum istud publicum ac notorium cum maxima bonorum offensione evasurum esset, illum, posthabita omni temporalis iacturae formidine, a sacramentorum participatione reiicere, prolemque ex adulterio suscipiendam, quoad ecclesiasticos effectus, tamquam adulterinam habere et recognoscere tenentur. Neque vero nos ea tanta, quae efferuntur, pericula terrent, neque ab iis principibus, qui in istis regionibus tuo spirituali regimini concreditis imperant, quidquam formidamus, quod parochos Christique sacerdotes in eas adigat angustias, ut vel suo muneri desint, vel Principis indignationem incurrant. In ditione Badensi eo edicto, cuius ab initio meminimus, vis nulla infertur parochorum conscientiae, si novis nuptiis illorum coniugum, qui a Consistoriis acatholicis prioris matrimonii vinculo sunt liberati, interesse nolint. In Bavarica aut Palatina, quamvis asperius quidquam sit hac de re mandatum, haud tamen parochis catholicis praeceptum est, ut novis nuptiis intersint, easque sua benedictone confirment. Speramus autem serenissimum Bavariae ducem catholicum et egregiae indolis principem suomet ingenio et tuis etiam precibus hortationibusque adductum iri, ut saniora hac de re consilia suscipiat.

Quid sentiend. de theolog. opinionib. in subiecta materia.

§ 6. Veremur potius parochorum constantiam labefactari posse ab ea opinandi libertate, quae passim nunc serpit, ac plurimorum mentes corrumpit, atque a servandis Sanctissimis Ecclesiae legibus, et praesertim huius Apostolicae Sedis constitutionibus abripit ac divertit. In hac ipsa, de qua agimus, causa tres inquis esse theogorum ac iuris canonici peritorum sententias, diverso tamen iure subnixas, quae conciliandis his novis nuptiis cum parochorum catholicorum praesentia favent ac suffragantur. Alii sentiunt haereticorum matrimonia sacramenta non esse, sed civiles tantum contractus, atque adeo perpetui ac indissolubilis vinculi lege non teneri. Alii haereticos autumant Ecclesiae haud esse subiectos, neque suis legibus obnoxios, quin possint ad alia vota transire, si publica consistorii auctoritate a prioris matrimonii vinculo liberentur. Alii demum tuentur haereticorum matrimonia coram ministro haeretico inita insito quodam nullitatis vitio infici, ac proinde si iterum nubant coram parocho catholico, aut inter se, aut cum catholico coniuge, hoc secundum matrimonium uti validum esse agnoscendum. Opérae praetium ducimus delibare aliqua ad has opiniones refutandas ac eliminandas, nam omnia persequi neque nostri instituti est, neque tuam doctrinam ac iuris canonici peritiam fugere potest, quanta sit illarum opinionum vel perversitas vel falacia.

Quod enim eos attinet primo loco memoratos, praetermissa quaestione illa (de qua nihil modo statuere volumus) an haereticorum coniugia coram ministro acatholico contracta sacramenta sint, nec ne, illud certe quod ad rem pertinet exploratum est, coniugale foedus a prima sua institutione, antequam ad sacramenti dignitatem elevaretur, divino iure indissolubile prorsus perpetuumque extitisse, quemadmodum egregie observasse patres Tridentini in doctrina de sacramento matrimonii ipsemet Benedictus XIV. luculenter ostendit (2). Et licet talis indissolubilitas matrimonii vinculo conveniat maxime quatenus est sacramentum, tamen eidem etiam quatenus est naturae officium convenit, ut dissolvi non possit.... et prolis educandae studio, et aliis matrimonii bonis repugnat, ut eius vinculum sit dissolubile, quemadmodum cathechismus eiusdem Concilii Tridentini iussu editus disertis verbis nos edocet (3).

(1) Ep. 55 ad Cornel.
(2) De Synodo lib. XIII., cap. 22.
(3) Part. II. de Sacram. matrim. cap. VIII., § 2.

Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui putant haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici, atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant scripturae, concilia, traditio denique universa. Omnium istarum sit sacrosancta Tridentina Synodus, quae Sess. XIV. Cap. 2, non baptizatos a baptizatis distinguens, illos tantum Ecclesiae iudicio, proindeque legibus non subiici adfirmat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Si baptizati, ergo Ecclesiae filii (quamquam rebelles et transfugae), qui eiusdem ecclesiae legibus subiiciuntur. Quare suam in illos potestatem exercere numquam praetermisit Ecclesia, potestate sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum historiarum monumentis testatum est, ac idemet Concilium Tridentinum non modo novissimos de matrimonio eiusque indissolubitate haereticorum errores, sed ipsos quoque errorum auctores diro anathemate perculit (1). Verum neque hic locus est vindicandi Ecclesiae ius, quo haereticos suis legibus comprehendit: neque enim de ecclesiastica lege, sed de divina agimus, quam Deus ipse tulit de matrimonii indissolubili vinculo, cui nemo refragari potest, sit ille haereticus sive etiam paganus.

Tertia demum illorum opinio docentium, matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse, atque adeo validas fore secundas eorum nuptias, si modo coram catholico parocho contrahantur, neque undique vera est, nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit fraternitas tua huius generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis, in quibus Concilii Tridentini decretum (2) vel numquam publicatum fuit, vel numquam observatum, tamquam eiusdem Concilii Decretum, vel si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Hinc factum est, ut praedicta opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico generatim nulla et irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Benedicto XIV. anno MDCCXLI., pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam declarationem (3).

Cave igitur, venerabilis frater, tuoque exemplo tuisque monitis edoce Episcopos suffraganeos tuos, ne, in praedictis matrimonialibus causis expendendis ac diiudicandis, pravis hisce doctrinis fallacibusque rationibus decipiantur, sed Concilii Tridentini canones et decreta adamussim observent et sequantur. In hoc enim iudiciorum genere instituendo, si quandoque coniuges ab acatholico consistorio matrimonii vinculo soluti, haud confidentes tam levi atque infirmae auctoritati ad Ecclesiae forum confugiunt, suumque matrimonium irritum declarari petunt, iterum dicimus atque mandamus, iudicem sequi debere formam conficiendi processum ea methodo, quam supra praescripsimus, matrimonium vero irritum minime renuntiari posse declaramus, nisi ex iis causis, quas superius recensuimus, quasque utpote cum Ecclesiae doctrina et unanimi patrum et doctorum catholicorum sententia consentaneas Sedes Apostolica approbavit.

Utrum huiusmodi coniuges possunt ad sacrament. participationem admitti.

§ 7. Ad plenam propositae abs te quaestionis explanationem, restat nunc declarandum, an ii coniuges catholicae religionis cultores, qui sola acatholici Consistorii auctoritate, excusso prioris matrimonii vinculo, ad secundas nuptias coram ministro acatholico properaverint, deinde admissi sceleris poenitentes veniam humiliter petant, possint ad sacramentorum participationem admitti. Sed nulla hac in re potest esse dubitatio, siquidem veros poenitentiae fructus faciant, quorum primum illum esse oportet, ut a secundo coniuge separentur, si prior vivat adhuc. Sin vero decesserit, et uterque coniux sit catholicus, Episcopus statuet quid facto opus fuerit, ut rite sancteque matrimonium contrahi possit. Sed si acatholicus alter ex coniugibus fuerit, qui cum catholico velit nuptias inire, vel in eo casu, quo vinculum prioris sui matrimonii per duplicem sententiam iudicis ecclesiastici rite ac legitime dissolutum fuerit, vel in altero quod per mortem alterius coniugis primum matrimonium suapte natura disruptum ac discissum fuerit, tunc caute et maxima adhibita diligentia se ge-

(1) Sess. XXIV., de Ref. matrim. c. 1.
(2) Sess. XXIV. de Reform. matrim. c. 1.
(3) Vide vol. III. *Matrimonia, quae.*

rant Episcopi. Huiusmodi enim matrimonia inter unam partem haereticam et alteram catholicam, cum Ecclesia semper detestata fuerit, et severissimis legibus interdixerit, eo vel maxime quod plerumque subest grave periculum pervertendi et abstrahendi a fide catholica coniugem, et anceps ac dubia sit educatio prolis utriusque sexus in religione catholica, christiana caritate et suavitate quantum fieri poterit, avertant Episcopi ac reiiciant talia coniugia. Quod si periculum perversionis coniugis removeatur, et prolis educatio in tuto sit, iis adhibitis conditionibus, quas Benedictus XIV. in supramemoratis litteris ad Primatem et Poloniae Episcopos diligenter servare praescripsit, tuque, ven. frater, aut Episcopi tui suffraganei a nobis petierint aliquo in casu, et ex urgentissima causa dispensari, non recusabimus vestris precibus assentiri, si id religionis bonum et animarum salus postulare videatur.

De circumstantiis in quibus Episcopi possunt a Pontifice dispensation. super mixtis matrimoniis petere.

§ 8. Haec ad te plenius scribenda putavimus, venerabilis frater, non solum ut postulatis tuis faceremus satis, sed etiam ut in iis quaestionibus, quas circa matrimonia proposuisti, certam haberes ab hac Apostolica Sede regulam, quam si tenebis, facile ac tuto eas solvere ac dirimere poteris. Ac tibi, venerabilis frater, ovibusque tuis apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. dioecesis sub annulo Piscatoris die VIII. octobris MDCCCIII., pontificatus nostri anno IV.

XI.

Supprimit Commissarios congregationis S. Ioannis De-Deo in Americanis provinciis Hispaniae ditioni subiectis, et Provinciales in eorum locum substituit.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inscrutabili divinae providentiae consilio ad regendam Christi Ecclesiam, licet immerentes, constituti, nostrarum partium intelligimus esse curas omnes et sollicitudines nostras eo convertere, unde non modo mala, si qua sunt, a fidelibus, quantum fieri potest, arceantur et amoveantur, verum etiam, quae eorum bono utilitatique sunt, in eos provenire possint.

Ratio decernendae suppressionis.

§ 2. Quibus in cogitationibus dum dies noctesque, quantum in nobis est, sine intermissione versamur, accidit, ut carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus pro flagranti studio, quo in utilitates omnes et commoda incensus est hominum regiae suae ditioni subiectorum, atque in primis eorum, qui morbis atque infirmitatibus afflicti et vexati, propter rerum omnium inopiam ad hospitalia confugere atque in iis levamen subsidiumque suis necessitatibus quaerere ac postulare coguntur, cognoverit, hospitalia quaedam ex eorum numero, quorum cura et administratio congregationi fratrum S. Ioannis De Deo nuncupatorum credita est, et quae in Americanis ipsius regis catholici ditionibus sunt constituta, eo in statu ac conditione versari, ut aptior in iis atque utilior earum rerum administratio constitui necesse sit, quae ad levandos infirmos destinatae sunt, idque tam circa praedia, quorum possessionibus iampridem gaudent, quam circa eleemosynas, quae a fidelium pietate ac charitate conferuntur; cognoveritque praeterea, hanc aptioris utiliorisque administrationis necessitatem ex eo maxime proficisci, quod nimis pauci sunt praedictae congregationis S. Ioannis De Deo commissarii, et impares omnino sunt prospiciendis praevidendisque rebus omnibus, quae sunt eorum muneris ac necessariae, praesertim in tanta et tam dissita illarum regionum catholico regi subditarum amplitudine, ita, ut his ipsis de causis etiam concilium provinciale Mexicanum IV. celebratum anno MDCCLXXI., cui venerabilis frater noster Cardinalis De Lorenzana nuncupatus, tunc Archiepiscopus Mexicanus, praefuit; existimaverit ac proposuerit, incommodis, quae ob allatas causas in hospitalia proveniebant, auctoritate Sedis Apostolicae consulendum esse. Harum igitur cognitione permotus rex catholicus, pro ea, qua in subditos suos, praesertim pauperes, fervet charitate, humiliter nobis supplicari fecit, ut malis huiusmodi remedium afferre atque auctoritate nostra apostolica providere dignaremur, et quo res succedere facilius maturiusque posset, ipse quasdam nobis proponi iussit rationes, quibus aptior illa et utilior praedictorum hospitalium in rebus temporalibus administratio posset institui, prout latius in precibus nomine catholici regis ab eiusdem ministro plenipotentiario in hac alma urbe nostra degente continetur.

Tenor decretae suppressionis.

§ 3. Nos igitur piis religiosisque eiusdem Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, pro nostra in eum benevolentia annuere volentes, illud etiam in animo considerantes, congregationem praedictam Sancti Ioannis De Deo conflatam esse religiosis viris maxima ex parte laicis, qui solemni voto pauperibus infirmis omni ope iuvandis se se dicant; motu proprio, ac certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quemadmodum a praefata synodo Mexicana propositum fuerat, commissariatuum huiusmodi officia seu gradus in dictis provinciis, et aliis ipsius Caroli regiis dominiis, Americanis dumtaxat, ut praefertur, existentibus, abolemus, supprimimus, extinguimus et perpetuo abrogamus, atque in eorum locum provinciales et definitores provinciales, ut infra, eligendos, eo numero et locorum intervallis, quae ab Episcopis, tamquam specialiter ad id ab hac Sede Apostolica delegatis, annuente rege catholico, magis expedire iudicabuntur, substituimus et subrogamus, cum iisdem facultatibus, praeeminentiis, honoribus et oneribus (cohaerentur tamen ad ea, quae infra statuemus) et auctoritatibus, quibus dicti commissarii generales pollebant. Statuentes, ut praedictorum provincialium electio libere a sexennio in sexennium fiat a religiosis vocalibus ipsius Ordinis Sancti Ioannis de Deo iuxta formam et tenorem in constitutionibus eiusdem Ordinis pro huiusmodi electionibus peragendis constitutum, praesidentibus eisdem Episcopis, salva tamen et integra remanente exemptione et libertate electionis.

Subiectio hospitalium iurisdictioni suorum Ordinariorum.

§ 4. Mandamus insuper, ut quaecumque ad hospitalium regimen et eorumdem bonorum et eleemosynarum administrationem dumtaxat pertinebunt, respectivorum Ordinariorum pro tempore existentium utpote delegatorum apostolicorum directioni, curae et vigilantiae subiiciantur, ita ut possint ac debeant in id potissimum intendere, ne hospitalium redditus et eleemosynae praedictae ad alios usus distrahantur, sed ad infirmorum, pro quibus datae sunt, subsidium prorsus erogentur, utque praeterea rationes bonorum et eleemosynarum huiusmodi a dictis confratribus repetere possint ac debeant, omninoque invigilent atque attente provideant, ut dicti redditus quam optime rectissimeque administrentur erogenturque in utilitatem, subsidium et levamen pauperum infirmorum, caeterosque fines, quorum gratia vel a piis fundatoribus praedia et bona legata fuerunt, vel a benefactoribus donata, qui manualibus quotidianis eleemosynis ad conservationem incrementumque operis tam salutaris concurrunt, salvo semper iurepatronatus ad praedictum regem catholicum pertinente. In iis vero, quae ad internum conventuum regimen et ad conservationem, integritatem, incolumitatem et observantiam disciplinae regularis pertinent, volumus et mandamus, ut praedicti confratres, priores, provinciales, definitores et conventus quicumque in ea, in qua hactenus fuerunt, a confratre maiori in Hispania degente dependentia permaneant et perseverent, et a quacumque respectivorum Ordinariorum potestate exempti sint, iuxta privilegia, quae, ut praefertur, eidem ordini concessa fuerunt; ut, servata uniformi membrorum ab eodem generali capite dependentia, uniformitas quoque disciplinae servetur, regularis observantia consistat, ac illius integritas ipsiusque congregationis unitas habeatur.

Ampliatio facultatum dictorum Ordinariorum pro recta administratione hospitalium.

§ 5. Praeterea locorum Ordinariis, quibus vigore praesentium, ut praefertur, cura invigilandi super recta quorumcumque reddituum dictorum hospitalium administratione demandata est, facultatem concedimus, utpote huius Sanctae Sedis delegatis, cognoscendi in gradu appellationis de omnibus decretis et provisionibus ad administrationem dictorum hospitalium pertinentibus tam emanatis quam emanandis, a provincialibus et definitoribus eligendis, ut supra, quoad superiorem generalem dictae congregationis in Hispania residentem recurratur, ita postulante dictorum decretorum ac provisionum natura; quae cum ad bonum publicum tam urgens ac necessarium pertineant, qualis est infirmorum curatio, providendum est, ut quam celerrime fieri potest, executioni mandentur, quin eorum executio tamdiu retardetur, quandiu necessarium esset, si ante illorum executionem expectanda essent praedicti superioris generalis Hispani responsa et decisiones; salva tamen ac firma remanente ipsi superiori generali facultate cognoscendi ac decidendi super quibuscumque aliis causis et quaestionibus, quae oriri possent circa internam conventuum disciplinam, et circa regimen communitatis religiosae, itemque salva et firma remanente praedicti Ordinis sive congregationis sub unico capite unitate. Ordinariis autem locorum,

quibus ea cura demandata est, de qua supra, volumus, ut ad formam decretorum alias a Congregatione Concilii editorum, et a felicis recordationis Urbano PP. VIII. praedecessore nostro auctoritate apostolica confirmatorum, nihil prorsus solvatur, nec eorum officialibus pro rationibus exigendis, et caeteris praemissis exequendis, neque a visitatis procuratio sive in pecunia sive in victualibus debeatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilecto filio nostro, et huius Apostolicae Sedis nunc et pro tempore existenti in Hispaniarum regnis Nuncio vel pro Nuncio, motu et potestate similibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel per alium, seu alios, praesentes nostras literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte dictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, confratris maioris, definitorum provincialium ac superiorum, et confratrum congregationis Sancti Ioannis De Deo huiusmodi, seu alicuius eorum, fuerit requisitus, solemniter publicans eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra apostolica easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque huiusmodi inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, et poenas etiam pecuniarias, aliaque iuris et facti remedia auctoritate nostra praedicta, appellatione postposita, compescendo, ac, legitimis super iis habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocando.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus super praemissis dumtaxat quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam speciali mentione dignis, nec non congregationis praedictae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis etiam motu simili ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XV. novembris MDCCCIII., pontificatus nostri anno IV.

XII.

Deputat Episcopum titularem ad exercenda pastoralia munia in loco del Paposo *in Indiis.*

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Dum Redemptor noster Iesus Christus Apostolis suis spiritum sapientiae et intellectus ad manifestandum gentibus magnalia Dei et ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus saeculorum conspector, misericorditer suscitavit in cordibus; Petrum, cui oves suas pascere iniunxit, clavesque regni coelorum tradidit, inter illos principem constituit, eique fidelium directionem ad viam salutis, uti supremum Pontificem, pertinere statuit; hinc nos uti Petri successor ad universalis Ecclesiae regimen, licet nullis suffragantibus meritis, nostrisque viribus penitus impares, a Christo Domino misericorditer constituti, officii nostri debitum adimplere cu-

pientes, quid animarum omnium saluti conferre valeat, mentis nostrae acie sedulo considerare nunquam desistimus; ideoque dilectissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici piissimis desideriis obsecundantes, ut orthodoxae fidei propagationi, quoad vires nostrae suppetunt, Deo opitulante, consulatur, muneris nostri esse ducimus postulationibus huiusmodi clementer indulgere.

Expositio precum.

§ 2. Cum itaque dilectus filius eques Antonius De Vargas y Laguna, apud nos et Sedem Apoptolicam eiusdem Caroli regis plenipotentiarius administer, nomine ipsius Caroli regis nobis significaverit, quod usque ab anno domini MDCCXC. eidem regi notitiam pervenit, eximia pietate et labore dilecti filii Raphaelis Andreu y Guerrero presbyteri, in regno de Chile, centum leucarum intervallo a villa nuncupata *de Copiapò*, aliquos habitatores absque ullo catholicae religionis auxilio, et deinde ad incognitas regiones aperto aditu in medio deserti di Atacama nuncupati in loco pariter nuncupato *del Paposo* maiorem habitatorum numerum respective inventum fuisse, quos idem Raphael orthodoxae fidei praeceptis erudiebat, et alios probabiliter inventum iri, atque idcirco putari necessarium, ut aliqua ecclesiastica persona designaretur, cui animarum iis in locis degentium cura a respectivis Ordinariis committeretur, pro eo, quod, attenta quadringentarum leucarum distantia a praecipua civitate praefati regni, nullo alio modo spirituale auxilium animabus huiusmodi opportune posset subministrari;

Ratio concessionis.

§ 3. Cumque idem Carolus rex optime agnoverit, quod populi isti de potestate tenebrarum erepti, et ad gratiam coruscantis luminis sempiterni perducti, e remotissimis illis locis ad respectivos Antistites eorum preces nisi magnis incommodis et animarum quoque periculis, transmittere minime valerent, ideo iuxta votum etiam venerabilis fratris Episcopi Sancti Iacobi de Chile, ad cuius dioecesim magna locorum huiusmodi pars pertinet, spirituali earumdem profectui opportunum videretur, personam ecclesiasticam ad erudiendos tales populos deputatam episcopali dignitate insigniri, ut animarum populorum curae supradicti S. Iacobi de Chile et infrascriptorum Episcoporum commissorum, congruo regimini, illorum vice, valeret consulere:

Tenor concessionis.

§ 4. Nos itaque pastorali sollicitudine votis eiusdem Caroli regis superius expositis propensius annuentes, ac in praemissis omnibus providere volentes, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac fidei catholicae propagationem praecipimus atque statuimus, ut in super expressis locis ad dioeceses de Plata vulgo *Charcas*, S. Iacobi de Chile, Tucumanam et de Arequipa respective pertinentibus, unus presbyter vel saecularis, vel cuiusvis ordinis regularis, in theologia seu decretis graduatus, habilis et idoneus per ipsum Carolum et pro tempore existentem Hispaniarum regem catholicum semper et etiam pro hac prima vice nominandus, ac per nos et Romanum Pontificem ad episcopalem ecclesiam titularem promovendus, qui praecipue in portibus et oris Sancti Nicolai et Beatae Mariae Virginis *del Paposo* resideat, illiusque populi tam christiani, quam gentilis, nec non oppidorum, terrarum et locorum in eorumdem territoriorum limitibus, terminis et locis praefatis consistentium respective spiritualem curam nomine ac vice respectivorum Ordinariorum ex eorum speciali delegatione habere, et inibi praedicare, ac etiam per alias personas ecclesiasticas ab eo deputandas praedicari facere, gentilesque praedicti ut ad orthodoxae fidei cultum convertantur studere, et conversos, in eadem fide confirmare atque baptismi gratiam et confirmationis, nec non matrimonii et sacrorum quoque ordinum sacramenta impendere, et tam illis sic conversis, quam omnibus aliis fidelibus in territoriis huiusmodi, eorumque respective oppidis, terris, villis, locis ac limitibus pro tempore degentibus, et ad ea declinantibus, omnia spiritualia munera tamquam deputatus in auxilium supradictorum Archiepiscopi et Episcoporum, atque uti ipsorum Archiepiscopi et Episcoporum, nec non etiam Sedis Apostolicae specialis delegatus in huiusmodi locis respective, ministrare, et administrari quoque facere et procurare possit et valeat. Ita ut ipse omnia et singula, quae ad divini cultus augmentum et ad. animarum salutem expedire cognoverit, quaeque Archiepiscopus et Episcopi antedicti facere possent ac deberent, in iis locis nomine ac vice eorumdem Archiepiscopi et Episcoporum, atque uti ab iis specialiter respective delegatus, gerere possit ac debeat, assignata tamen per dictum Carolum Hispaniarum regem annua summa ab aerario regio huiusmodi Episcopo

titulari in praedictorum Antistitum auxilium deputato pro eius congrua substentatione persolvenda.

Protestatio super assensu praebendo ab Episcopis.

§ 5. Minime vero dubitamus quin moderni, et pro tempore existentes, Archiepiscopus de Plata vulgo *Charcas*, et Sancti Iacobi de Chile, de Tucuman et de Arequipa respective Episcopi huiusmodi dispositioni nostrae catholicae religionis incrementum et spiritualem populorum salutem unice respicienti libentissime sint assensuri, ac tali Episcopo titulari in eorum auxilium designato facultates omnes respective delegaturi sint, quae ad bonum perficiendum opus necessaria erunt atque opportuna.

Iniunctiones speciales servandae ab Episcopo titulari.

§ 6. Antedicto autem Episcopo titulari in praedictorum Archiepiscopi et Episcoporum auxilium deputato iniungimus, ut loca existentia in territorio ipsius curae a memoratis Antistibus delegato, et ab infrascripto praesentium nostrarum literarum executore declaranda, quantum fieri poterit, pastorali visitatione perlustret; in quem finem liberum ipsi erit unam aut alteram locorum partem eligere, ac, certioratis de causa sui itineris tam Episcopo dioecesano, quam regio vice patrono, ut opportuna unusquisque valeat ei auxilia praestare, sese ad eam transferre, in eaque per tempus iudicio suo congruum permanere, et iter hac vel illac prosequi ad curandum illorum habitatorum spirituale bonum, absque eo, quod aliquis ex praefatis Archiepiscopis et Episcopis, vel quisvis alius ullam possit in hoc ipsi efferre molestiam vel impedimentum. De statu vero eorumdem locorum, ac praesertim de baptizatorum numero, de catholicorum matrimoniis, de clericorum ordinatione, deque aliis praecipue ecclesiasticis negociis, cum primum commode iuxta opportunitates identidem se se praebeat occasio, Archiepiscopum et Episcopos supradictos respective certiores reddere omnino debeat; itemque de peractis suis itineribus, de rebus aliis illa spectantibus teneatur scientes facere vice reges, gubernatores aliosque regios superintendentes illarum partium, ut hoc pacto nulla ei desint consilia et adiumenta ad huiusmodi pium opus, etiam iuxta catholici regis vota, feliciter prosequendum.

Deputatio Episcopi titularis in Legatum Sanctae Sedis.

§ 7. Nos enim, ut animarum saluti in remotis illis regionibus quovis modo ac tempore opportune consultum sit, huiusmodi titulari Episcopo in antedictorum Archiepiscopi et Episcoporum auxilium deputato in singulis casibus, in quibus vel tempus vel modus ei non suppetat potestatem habendi delegatam ab Archiepiscopo et Episcopis respective supramemoratis, licentiam et auctoritatem tribuimus, ut ipse tamquam ab hac quoque Apostolica Sede deputatus, facultates tam ordinarias, quam extraordinarias, occasione praesertim visitationis pastoralis, etiam quoad sacros ordines et matrimonia, eorumdem Archiepiscopi et Episcoporum vice ac nomine exercere libere ac licite valeat, quae a praefatis Archiepiscopo et Episcopis essent respective exercenda.

Facultas concessa regi catholico nominandi executorem apostolicum.

§ 8. Ut perfecte demum pia vota ipsius Caroli regis ad exitum perducantur, et ea omnia, quae praesentibus nostris literis disposuimus, magis fideliter observentur, idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, quae a memorato catholico rege nominabitur, in earumdem literarum exequutorem deputamus, ut iuxta instructiones ei ab ipso Carolo rege tradendas territorium et loca expresse declaret, in quibus antedictus Episcopus titularis in auxilium Archiepiscopi et Episcoporum praedictorum designatus, pastoralia officia eorum vice debeat exercere, atque Archiepiscopum et Episcopos supradictos de hisce nostris literis certiores reddat. Ad hoc vero ut nullum talis boni operis expedito progressui obstet impedimentum, eidem personae ecclesiasticae ab ipso rege nominandae omnes ad hunc effectum necessarias et opportunas tribuimus facultates.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 9. Decernentes praesentes nostras literas validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ex quocumque capite vel quilibet causa quantumvis iuridica, etiamsi quicumque cuiuscumque gradus, dignitatis, conditionis aut praeeminentiae, in praemissis et circa ea quomodolibet et ex quavis causa, ratione et actione, vel occasione, ius vel interesse habentes aut habere praetendentes, illis aut non plenissime, aut minime consenserint, aut ad id vocati et auditi, et causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio aut intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio substantiali, etiam individuam mentionem et expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, aut in ius vel controversiam vocari, aut adversus illam quodcumque iuris

vel facti aut gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio similiter concesso et impetrato vel emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, sed eas validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. Sicque et non alias in praemissis omnibus per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa et privilegio ac praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio seu instantia, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus omnibus etiam cancellariae nostrae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, aliisque etiam in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque de Plata seu Charcas, Sancti Iacobi de Chile, Tucumanae et de Arequipa respective ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis seu earum praesulibus pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, eisdem praesentibus, perinde ac si, nihil omisso, hic inserti forent, pro insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse motu simili derogamus, ac derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius publici notarii aut alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, declarationis, derogationis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo tertio, octavo kalendas decembris, pontificatus nostri anno IV.

XIII.

Deputat suffraganeum seu vicarium in loco del Paposo *pro conversione infidelium in deserto* di Atacama *nuncupato.*

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Dum redemptor noster Iesus Christus Apostolis suis spiritum sapientiae et intellectus ad manifestandum gentibus magnalia Dei, et ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus saeculorum conspector, misericorditer suscitavit in cordibus, Petrum illum, cui oves suas pascere iniunxit clavesque regni coelorum tradidit, inter illos principem constituit, eique fidelium directionem ad viam salutis uti supremum Pontificem pertinere statuit: hinc nos ad universalis Ecclesiae regimen, licet nullis suffragantibus meritis, nostrisque viribus penitus impares, a Christo Domino misericorditer constituti, officii nostri debitum adimplere cupientes, quid maiori Dei cultui et gloriae, quid animarum saluti conferre valeat, mentis nostrae acie sedulo considerare nunquam desistimus, ideoque dilectissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici piissimis desideriis obsecundantes, ut orthodoxae fidei propagationi, quoad vires nostrae suppetunt Deo opitulante, consulatur, muneris nostri esse ducimus postulationibus huiusmodi clementer indulgere.

Expositio precum.

§ 2. Cum itaque dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna, apud nos et Sedem Apostolicam eiusdem Caroli regis plenipotentiarius administer, nomine ipsius

catholici regis nobis significaverit, quod usque ab anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo, eidem regi notitiam pervenit, eximia pietate et labore dilecti etiam filii Raphaelis Andreu y Guerrero presbyteri, in regno de Chile nuncupato, centum leucarum intervallo a villa nuncupata *de Copiapò*, aliquos habitatores absque ullo catholicae religionis auxilio, et deinde ad incognitas regiones aperto aditu, in medio deserti *di Atacama* nuncupati in loco pariter nuncupato *del Paposo* maiorem habitatorum numerum respective inventum fuisse, quos idem Raphael orthodoxae fidei praeceptis erudiebat, ita ut necessarium fore putaretur, aliquam ecclesiasticam personam designare, cui animarum iis in locis degentium cura committeretur, pro eo quod attenta quatuorcentum leucarum distantia a praecipua civitate praefati regni, nullo alio modo spirituale auxilium animabus huiusmodi subministrari potuisset;

Ratio concessionis.

§ 3. Cumque idem Carolus rex optime agnoverit quod populi isti de potestate tenebrarum erepti, et ad gratiam coruscantis luminis sempiterni perducti, e remotissimis illis locis ad respectivos Antistites eorum preces nisi magnis incommodis, et animarum quoque periculis, recurrere minime potuissent, ideo iuxta votum etiam venerabilis fratris Episcopi Sancti Iacobi de Chile, ad cuius dioecesim maior locorum huiusmodi pars pertineret, spirituali earumdem profectui opportunum videretur personam ecclesiasticam ad erudiendos tales populos deputatam episcopali dignitate insigniri, ut animarum populorum suae curae commissorum congruo regimini valeret consulere:

Tenor concessionis.

§ 4. Nos itaque pastorali sollicitudine votis eiusdem Caroli regis superius expositis propensius annuentes, ac in praemissis omnibus providere volentes, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac fidei catholicae propagationem, praecipimus atque statuimus, ut loca illa, quae divisim ad dioeceses de Plata vulgo Charcas, Sancti Iacobi de Chile, Tucumanam, et de Arequipa respective pertinerent, ex nunc et in posterum distincta remaneant, iisque in locis unus presbyter vel saecularis vel cuiusvis ordinis regularis in theologia seu decretis graduatus, habilis et idoneus, per ipsum Carolum et pro tempore existentem Hispaniarum regem catholicum, etiam pro hac prima vice, deputandus, per nos ac Romanum Pontificem ad episcopalem ecclesiam titularem promoveatur; qui praecipue in portibus et ecclesia S. Nicolai et B. Virginis *del Paposo* resideat, illiusque populi tam christiani quam gentilis, nec non oppidorum, terrarum et locorum in eorumdem territoriorum limitibus, terminis et locis praefatis consistentium, respective spiritualem curam habere et inibi praedicare, ac etiam per alias personas ecclesiasticas ab eo deputatas praedicari facere, gentilesque praefati ut ad orthodoxae fidei cultum convertantur studere, et conversos in eadem fide confirmare, atque baptismi gratiam ac confirmationis, nec non sacrorum quoque ordinum sacramenta eis impendere, et tam illis sic conversis, quam omnibus aliis fidelibus in territoriis huiusmodi, eorumque respective oppidis, terris, villis, locis ac limitibus pro tempore degentibus, et ad ea declinantibus, omnia spiritualia munera tamquam locorum huiusmodi specialis delegatus ordinarius, nomine ac vice supradictorum Archiepiscopi et Episcoporum, etiam absque ulla expressa eorumdem licentia, ministrare, et administrari quoque facere et procurare possit et valeat.

Iurisdictio concessa novo vicario.

§ 5. Ac denique ipsum tamquam Archiepiscopi et Episcoporum praedictorum suffraganeum et vicarium specialiter a Sede Apostolica deputatum cum plena, libera et omnimoda spirituali et ecclesiastica ac ordinaria iurisdictione in foro tam interiori quam exteriori, omniaque et singula alia, quae Archiepiscopus et Episcopi antedicti iis in locis ac territoriis praefatis habere, gerere et exercere deberent, similiter et pariformiter, nullaque prorsus differentia, prout divini cultus augmento et populi animarum saluti expedire cognoverit, respective gerere, facere et exequi; assignata tamen per dictum Carolum Hispaniarum regem annua summa ex aerario regio suffraganeo et vicario huiusmodi pro tempore existenti pro congrua ipsius substentatione persolvenda, de apostolicae potestatis plenitudine declaramus.

Monitum ad electum vicarium, seu suffraganeum.

§ 6. Huiusmodi autem suffraganeo seu vicario praecipimus et mandamus, ut omni diligentia studeat idoneos ac dignos presbyteros assumere in exercitium curae illarum animarum, utque loca in territorio sibi assignato, prout fieri poterit, visitare, in quem finem liberum omnino ei erit

unam potius aut alteram locorum partem eligere, et ad eam sese conferre, in eaque per tempus pro suo iudicio congruum permanere, ac iter prosequi ad curandum illorum habitatorum spirituale bonum, absque eo quod aliquis ex praefatis Archiepiscopo vel Episcopis seu quisvis alius ullam possit in hoc ipsi afferre aut molestiam aut impedimentum, et de statu eorumdem locorum ac praesertim de baptizatorum numero, de catholicorum matrimoniis, de clericorum ordinatione, deque aliis praecipuis ecclesiasticis rebus identidem iuxta opportunitates, cum commoda sese praebeat occasio, Archiepiscopum et Episcopos supradictos certiores respective reddere omnino debeat et teneatur: atque insuper de memoratis suis itineribus, deque causis illa spectantibus scientes faciat vicereges, gubernatores, aliosque regios superintendentes illarum partium, ut nulla ei desint consilia et adiumenta ad huiusmodi pium opus etiam iuxta catholici regis vota feliciter prosequendum.

Deputatio executoris apostolici.

§ 7. Minime vero dubitamus quod moderni et pro tempore existentes Archiepiscopus de Plata vulgo *Charcas*, et Sancti Iacobi de Chile, de Tucumana et de Arequipa respective Episcopi, huiusmodi dispositioni nostrae, catholicae religionis augmentum et spiritualem animarum salutem tantummodo respicientes, consensum non sint praebituri; verumtamen huiusmodi mandata ut perfecte absolvantur, ac ad felicem perducantur exitum, venerabili fratri Antonio S. R. E. presbytero Cardinali de Sentmanat y Cartellà nuncupato Patriarchae Indiarum committimus, ut ipse per se, vel alium, seu alios ad hoc specialiter subdelegandum vel subdelegandos, dicto suffraganeo et vicario loca et limites suae iurisdictionis assignet, quodque Archiepiscopum et Episcopos supradictos de hisce nostris literis certiorando, assensum ab unoquoque eorum pro memorati suffraganei et vicarii deputatione exquirat. Nos enim, si contingat aliquem ex iis irrationabiliter ab huiusmodi statutis providentiis dissentiri, ipsius consensui de apostolicae potestatis plenitudine derogatum esse decernimus; atque ne ullum talis boni operis expedito progressui obstet impedimentum, ex nunc dictum suffraganeum et vicarium, ad liberum plenae ordinariae iurisdictionis exercendum munus habilitando, singulas ad id necessarias et opportunas tribuimus facultates. Praeterea si forte accidat, quod minime putamus, aliquas circa res in hisce nostris literis dispositas oriri quaestiones, volumus ut praefatus Cardinalis Patriarcha, vel eius subdelegatus aut subdelegati, eas absque mora diiudicent solvantque difficultates et dissentiones componant, ea forma, qua ad orthodoxae fidei propagationem magis in Domino iudicaverint expedire.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 8. Decernentes praesentes literas validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ex quocumque capite vel qualibet causa, quantumvis iuridica, etiamsi quicumque cuiuscumque gradus, dignitatis, conditionis aut praeeminentiae, in praemissis et circa ea quomodolibet, et ex quavis causa, ratione et actione, vel occasione, ius vel interesse habentes, aut habere praetendentes, illis aut plenissime aut minime consenserint, aut ad id vocati et auditi, et causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio substantiali, etiam individuam mentionem et expressionem requirente, defectu notari, impugnari, invalidari, aut in ius vel controversiam vocari, aut adversus illam quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio similiter concesso et impetrato vel emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, sed eas semper validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. Sicque et non alias in praemissis omnibus per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios ac alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativa et privilegio ac praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio seu instantia iudicari et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane etiam decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus omnibus etiam cancellariae nostrae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis, etiam in synodalibus provinciali-

busque et universalibus conciliis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictarumque de Plata seu Charcas, Sancti Iacobi de Chile, Tucumana, et de Arequipa respective ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis seu earum praesulibus pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem praesentibus, perinde ac si nihil omisso hic inserti forent, pro insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse motu simili derogamus, ac derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius publici notarii, aut alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis ac sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, declarationis, derogationis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae MDCCCIII., octavo kal. decembris pontif. nostri an. IV.

XIV.

Episcopales ecclesias de Cuba et de Benecuela in archiepiscopales erigit.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. In universalis Ecclesiae regimine semper cordi fuit Romanis pontificibus, decori et ornamento ecclesiasticae hierarchiae opportuna forma prospicere, quod ut facilius assequerentur, eorum qui in partem apostolicae sollicitudinis vocati sunt, sedes ad varios per orbem catholicum gradus sustollere consueverunt; ita nos etiam praedecessorum nostrorum vestigia sectantes, aliquas ex iis sedibus sublimiori titulo decorare et peculiaria illis insignia elargiri expediens in Domino arbitramur.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§ 2. Nomine dilectissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nuper nos animadvertere studuit dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna, apud Sedem Apostolicam eiusdem Caroli regis plenipotentiarius administer, quod post cessionem insulae S. Dominici ab eodem Carolo rege peractam favore Gallicanae reipublicae, vigore concordatorum inter Carolum regem praedictum et ipsius reipublicae consules initorum, episcopales ecclesiae illae, quae suffraganeae metropolitanae ecclesiae S. Dominici antea erant assignatae, similem Metropolitanum intra fines dominii eiusdem catholici regis non amplius in posterum haberent, quodque ut populi omnes eisdem ecclesiis subiecti, eidemque Carolo regi obtemperantes, facilius in necessitatibus ad Metropolitanum appellare, eiusque auxilium, si ratio postulet, implorare opportune valerent, opportunum videtur eas a metropolitico iure praefatae ecclesiae Sancti Dominici abdicare, et deinde vel alicui archiepiscopatui subiicere, vel etiam earum unam vel plures ad archiepiscopalis ecclesiae gradum extollendo, alias in suffraganeas eisdem designare.

Ratio decernendae novae erectionis.

§ 3. Et subinde cum ipse Carolus rex catholicus semper excogitaverit ea omnia in suis regnis statuere, quae tam bono catholicae religionis expedirent, quam populis sibi subditis commoditatem tribuerent; ideo si una de Cuba et altera de Benecuela vulgo Caraccas respective episcopales ecclesiae ad archiepiscopalium ecclesiarum gradum eveherentur, et ad illam de Cuba, alias Sancti Christophori de Havana et de Portorico, ad alteram vero de Benecuela vulgo Caraccas, aliam de Guajana respective episcopales ecclesias in earum respective ecclesias suffraganeas assignarentur, personarum tam ecclesiasticarum quam laicarum in illis partibus degentium necessitatibus optime occurreretur:

Idem ut supra.

§ 4. Quin immo in eumdem finem cum episcopalis ecclesia Emeritensis, vulgo de Maracaibo, archiepiscopatui S. Fidei suffra-

ganea, magno locorum intervallo a suo Metropolitano disiuncta sit, ad dioecesanos omnes praefatae ecclesiae Emeritensis commodum afferendum, si ecclesia ipsa episcopalis a metropolitica subiectione Archiepiscopi S. Fidei subduceretur, et una cum praedicta ecclesia de Guyana novo archiepiscopatui de Benecuela tamquam eius suffraganea subiiceretur, opportune respective populorum commoditati foret consultum:

Tenor concessionis.

§ 5. Zelo itaque antedicti catholici regis, quo pro ecclesiarum splendore et populorum utilitate, ac rerum omnium expedito ordine, incensum aspicimus, apostolica auctoritate libenter accurrentes, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, antedictas de Cuba, de Benecuela, S. Christophori de Havana, de Portorico et de Guayana respective episcopales ecclesias, antea archiepiscopatui S. Dominici in suffraganeas assignatas, a superioritate, iurisdictione et metropolitica subiectione praefati archiepiscopatus S. Dominici, ad praesens vacantis, et extra catholici regis ditione existentis, seiungimus et abdicamus, ac in posterum separatas et minime archiepiscopatui praedicto subiectas esse volumus atque decernimus.

Exemptio a iurisdictione Archiepiscopi.

§ 6. Ad hoc pariter ut, iuxta superius expressa praefati regis desideria, commoditati populorum in dioecesi Emeritensi vulgo, ut diximus, de Maracaibo degentium, quorum episcopalis ecclesia, ut praefertur, metropolitico iure archiepiscopalis ecclesiae s. Fidei subiacet, opportune provideatur, antedictam quoque ecclesiam episcopalem Emeritensem a metropolitica subiectione, iurisdictione et superioritate tam ipsius archiepiscopalis ecclesiae s. Fidei, quam illius pro tempore existentis Archiepiscopi, ex nunc et in posterum modo tamen et forma infrascriptis etiam similiter eximimus et liberamus, ac minime eidem subiectam esse censeri mandamus.

Erectio novarum sedium archiepiscopal.

§ 7. Episcopales profecto ecclesiae superius expressae sic abdicatae, et a metropolitica subiectione suorum Archiepiscoporum liberatae, unam et alteram earum, videlicet de Cuba et de Benecuela, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et Beatissimae Virginis Mariae, ac sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non fidei catholicae exaltationem, totiusque militantis Ecclesiae decus, in ecclesias archiepiscopales, et sedes illas usquemodo episcopales in Archiepiscoporum sedes, pro duobus Archiepiscopis, qui pallii et crucis usum more aliorum Archiepiscoporum habeant aliisque gaudeant privilegiis, honoribus et praerogativis similibus Archiepiscopis debitis et concessis, quibus primi ac successive pro tempore existentes illarum ecclesiarum Archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, ac etiam debeant, apostolica nostra auctoritate, ipsarum tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus ac nomine, titulo, insigniis et honore archiepiscopali respective decoramus. Nec non dictarum ecclesiarum praesules usque modo Episcopi, eorumque respective successores pro tempore existentes, in Archiepiscopos declaramus; ita quod ipsi, absque alia de illarum ecclesiarum de novo facienda provisione et praefectione, unum in de Cuba et alterum in de Benecuela respective Archiepiscopos praefatos esse intelligantur. Praeterea eisdem Archiepiscopis, suisque successoribus, ut ipsi et illorum quilibet omnia et singula, quae ad similes Archiepiscopos in eorum civitatibus et dioecesibus ad archiepiscopale munus exercendum, de iure vel consuetudine, aut alias quoquomodo spectare et pertinere solent et debent, gerere, facere exercereque libere et licite possint, plenam et omnimodam auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Assignatio ecclesiarum suffraganearum.

§ 8. Alteras postmodum, videlicet Sancti Christophori de Havana, de Portorico, de Guayana et Emeritensem respective episcopales ecclesias, iam per nos ut supra a metropolitico iure et respectiva subiectione suorum Archiepiscoporum exemptas et liberatas, ad hoc ut ecclesiasticae hierarchiae in catholico orbe semper omnibus in rebus servetur ordo, illas nempe S. Christophori de Havana et de Portorico in archiepiscopalis ecclesiae de Cuba, alteras vero de Guayana et Emeritensem respective episcopales ecclesias, in alterius archiepiscopalis ecclesiae de Benecuela respective suffraganeas assignamus et praedictarum episcopalium ecclesiarum praesules, ac loca omnia personasque tam ecclesiasticas quam laicas in earum respective dioecesibus existentes, pro tempore existentium Archiepiscoporum antedictarum de Cuba et de Benecuela respective archiepiscopalium ecclesiarum, metropolitico iure per easdem praesentes perpetuo subiicimus atque supponimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 9. Quamobrem, ut omnia et singula per has nostras literas disposita exequutioni debitae absque longa mora demandentur, venerabili fratri Antonio S. R. E. presbytero

Cardinali de Sentmanat y Cartellà nuncupato, patriarchae Indiarum, committimus, ut sive per se, sive per alium aut alios ab eo deputandum aut deputandos, quibuslibet interesse habentibus praesentia nostra decreta communicet, ac venerabilis fratris Archiepiscopi S. Fidei consensum exquirat, omniaque agat, quae ad plenarium singularum rerum consequendum effectum necessaria et opportuna cognoverit. Nos enim, si praefatus Archiepiscopus S. Fidei ad id assentiri irrationabiliter renuerit, eiusdem et aliarum quarumcumque ecclesiasticarum personarum assensum supplentes, illi ex nunc apostolica auctoritate derogatum esse declaramus; praedictoque Antonio Cardinali et Patriarchae amplam ad supradicta omnia integre exequenda tribuimus potestatem.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 10. Omnia autem et singula in hisce nostris literis contenta, nullo umquam tempore, etiam ex eo quod causae propter quas haec gesta fuere, examinatae, verificatae et approbatae, ac antedictarum ecclesiarum Antistites, earumque capituli et alii quicumque in eis interesse habentes, ad id vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, sive alias ex quibuscumque causis iuridicis et legitimis, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas quodcumque iuris vel facti, aut gratiae remedium etiam aperitionis oris impetrari posse; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos seu Romanos Pontifices successores nostros, sub quibusvis expressionibus et formis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus pro tempore faciendis comprehendi cultus et ecclesiastici ordinis decore et augmento concessas semper ab illis excipi, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, vice Legatos, aut Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere mandamus, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum super auctoritate et usu pallii editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, omniumque et singularum super expressarum tam archiepiscopalium quam episcopalium ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem ecclesiis, illarumque respectivis praesulibus, nec non dilectis etiam filiis illarum capitulis et canonicis, aliisque personis etiam speciali mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis etiam motu pari, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis earumque totis tenoribus specialis, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, praesentibus insertis forent, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, plenissime, ac specialiter et expresse motu pari, hac vice derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 12. Praeterea volumus quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, charactere notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae disiunctionis, divisionis, separationis, abdicationis, erectionis, subiectionis, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae, millesimo

octingentesimo tertio, octavo kalendas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

XV.

Docet permitti non posse mulieri catholicae cum acatholico matrimonio copulatae, aliud inire matrimonium ob sententiam solutionis a iudice laico tantum obtentam; permittit tamen iudicium canonicum instituere, si impedimentum canonice probetur, in quo conficiendo Episcopo peculiares concedit facultates; si matrimonium sit tantum ratum, dispensationem a Sede Ap. esse impetrandam (1).

Ven. fratri Ignatio Episcopo Posnaniensi,

PIUS PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Gravissimum sane ac summi momenti negotium est, de quo tuis literis iudicium nostrum postulasti; neque eiusmodi est ut una responsione expediri universum possit. Quaeris videlicet, num Elisabetha Zbijewshia catholica cum Augustino Recherer acatholico in foro saeculari divortiata, secluso omni scrupulo, tute iuxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae in novo matrimonio cum alio viro collocari possit necne? Plura hic, ut rectum emittatur iudicium, exploranda sunt. Principio, ut ex tuis literis apparet, hoc matrimonium solutum videtur non ob aliquod canonicum, sed ob civile impedimentum; et vero solutum laici iudicis auctoritate; utrumque autem facit, ut matrimonium irritum haberi nequeat. Nam canonica impedimenta ab Ecclesiâ approbata, qualia sunt metus gravis, defectus consensus, cognatio aut affinitas, inter gradus vetitos, cetera similia omnem sane vim adimunt matrimonio; sed non est ita de impedimentis, quae civilia dicuntur, quoniam a civili auctoritate procedunt, qualia sunt defectus consensus parentum aut curatorum, et cetera generis eiusdem. Itaque cum matrimonium inter Elisabetham catholicam et Augustinum acatholicum tantum civile habeat, uti ex tuis literis colligitur, non autem canonicum aliquod dirimens impedimentum, manifestum est, illud incolume esse oportere, neque vivo Augustino Elisabethae licere alias nuptias conciliare.

§ 2. Quod si etiam huic matrimonio officeret et obstaret canonicum aliquod dirimens impedimentum, non ideo tamen irritum haberi posset propterea, quod laici iudicis sententia et auctoritate irritum declaratum est. Nam causae matrimoniales non ad laicos, sed ad ecclesiasticos iudices pertinent; quae notissima est Concili Tridentini definitio sess. 24, c. 12.: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.* Quin ne omnibus quidem promiscue iudicibus ecclesiasticis huiusmodi causas eadem Synodus permissas voluit, latâ lege eâd. sess. cap. 20, quae his est concepta verbis: *Causae matrimoniales ..... non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur.* Inprimis autem, uti animadvertit Benedictus XIV. de Syn. Dioec. l. 9, c. 9, n. 3, nullo catholicorum contradicente, in solo Ecclesiae foro sunt pertractandae illae matrimoniales causae quae versantur circa initi coniugalis foederis firmitatem. Quod aptissime quadrat in rem nostram. Non enim Elisabethae matrimonium alterum permitti potest, nisi antea iudicis ecclesiastici sententiâ definitum sit, initum ab eâ coniugale foedus cum Augustino firmitatem non habuisse.

§ 3. Pergis porro, ven. frater, in tuis literis, atque ais: « Cum autem matrimonium ut sacramentum apud catholicos nullatenus dissolvi, verum tantummodo si cum impedimento dirimente contractum fuerit, pro nullo declarari posse considerem, exindeque in praemissis opem ferre Elisabethae Oratrici non valeo ». Recte quidem ac sapienter animadvertis, matrimonii consummati vinculum apud catholicos non dissolvi, sed tantum irritum declarari posse, si cum dirimente eoque canonico impedimento contractum fuerit. Quibus ex verbis intelligimus, nullum huiusmodi impedimentum obstitisse nuptiis Augustini et Elisabethae; quia si quid tale evenisset, tute ipse eâ de re iudicium suscipere, servatâ formâ quam praescribit Bened. XIV. Const. *Dei miseratione,* 33, Bull. t. 1, atque ita Elisabethae oratrici opem ferre potuisses.

---

(1) Ex Roschovany collat. etc.

Quod cum ita sit, uti revera esse significas, haud sane perspicimus, ecquod a nobis adhiberi remedium possit; cum omnes sciant, summam quidem esse Romani Pontificis potestatem, sed tamen tam late patere non posse, ut e medio tollat rite recteque initum et consummatum matrimonium.

§ 4. An forte coniugium illud de quo quaeritur, tantum ratum non consummatum est (neque enim id explicas literis tuis) ita ut apostolica auctoritas desideretur pro solutione matrimonii rati et non consummati? At si ita est, supplicem eâ de re libellum nobis offerre oportet secundum formam a Benedicto XIV. stabilitam in cit. const. *Dei miseratione* § 15. resque omnis accurate nobis enarranda est, ac iustae patefaciendae causae, propter quas apostolica auctoritas merito adhibenda videatur.

§ 5. Iam igitur facile noscis, ven. frater, quid de Augustini et Elisabethae matrimonio iudicandum sit. Nimirum si ab eo dirimens abest idque canonicum et ab Ecclesiâ approbatum impedimentum, eius firmitas in discrimen revocari non potest; contra, si hoc impedimentum adest, id a te rite acto iudicio noscendum est, ut matrimonium irritum iudicetur servatâ formâ laudatae Benedictinae constitutionis; atque ut faciliori, qua fieri ratione potest, causae huius iudicium explere valeas, apostolicâ auctoritate facultatem tibi impertimur in eâ procedendi, servatâ saltem in substantialibus memoratae constitutionis dispositione. Denique, si de matrimonio agitur tantum rato, quod apostolica auctoritate solvi desideras, nobis aperiendae sunt causae, ut res tanti momenti eâ, qua par est, diligentiâ absolvatur. Interim benevolentiae nostrae pignus tibi, ven. frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. iunii MDCCCIV., pontificatus nostri anno V.

XVI.

Docet Vicarium Capitularem Tridentinum impedimenta mere civilia non obstare matrimonii validitati, adeoque nec defectum quidem obstare consensus curatoris; hinc mulieris propositionem alias nuptias contrahere cupientis ob primum matrimonium sine consensu curatoris initum, esse omnino reiiciendam (1).

Dilecto filio Simoni Albano Zambaiti Canonico et Vicario Capitulari Tridentino,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Magnum animo concepimus angorem et sollicitudinem ex tuis literis, quibus significasti ea a nobis postulari, quae concedi nullâ ratione possunt. Narrasti videlicet Iacobum Zucch matrimonium in facie Ecclesiae cum Franciscâ Marion legitime contraxisse, duosque coniuges trium mensium intervallo maritali consociatione coniunctos, communem, uti par erat, egisse vitam; postea mulierem, sive novis irretitam amoribus sive ingenii levitate incitatam, e domo viri discessisse, et nunc alias moliri nuptias, quasi nullum prioris matrimonii vinculum habendum sit. Cuius praetensae nullitatis, ut fertur, fundus et radix est defectus consensus curatoris, quem consensum in coniugiis minorum et mulierum omnino requirit lex Iosephi II., ita ut sine eo huiusmodi matrimonia vim habere non possint. En igitur unde haec quaestio repetatur. Quaeritur scilicet, num huiusmodi impedimentum a laicâ potestate constitutum tanti fieri possit, ut vim ipsam infringat matrimonii, ita ut hoc a muliere contractum nullius momenti sit, cum abfuit consensus curatoris.

§ 2. Sed eâ de re nulla plane dubitatio esse potest: nam retinendum est quod semper firmum fixumque fuit Ecclesiae, quae columna est ac firmamentum veritatis, quaeque perpetuo illa tantum agnovit dirimentia impedimenta matrimonii quae ab se constituta vel approbata fuerant; ipsique principes saeculares eius auctoritatem necessariam intellexerunt, ut nova contra vim matrimonii impedimenta stabilirentur. Cuius quidem rei praeclarum ac luculentum argumentum est in Synodo Tridentinâ. Nam regis Solliarum oratores summâ ope a Concilii Patribus postulaverant, ut irrita declararent matrimonia filiorum fa-

(1) Ex Roschovany emendat. ex Cod. Vatic.

milias sine consensu parentum inita; et tamen patres ipsis minime auscultandum putarunt, sed contra anathematis poenam constituerunt adversus eos, qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse, ut legi potest in *Sess. 24, c. 1, de ref. matrim.* Duo hinc educuntur quorum magna vis est ad id, quod quaerimus, expediendum. Primum est, quod ipsi principes seculares in Ecclesiâ inesse cognoverunt potestatem constituendi dirimentia matrimonii impedimenta; alterum, quod Ecclesia illa tantum hoc loco habuit, quae ab se vel constituta vel adoptata sunt.

§ 3. Sed et aliud exinde educitur argumentum, ex quo patet, vim nuptiarum, quas Francisca priore loco conciliavit, in discrimen revocari omnino non posse. Nam si Tridentini Concilii legibus valent matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu absoluta, multo magis valere debent matrimonia mulierum et minorum a quibus abest consensu scuratorum, propterea quod horum multo minor est potestas in eos, quorum curae praepositi sunt, quam parentum in filios suos. Ex quibus evidens apertumque est, ratum firmum habendum esse matrimonium, quod primum Francisca Marion cum Iacobo Zucch contraxit, quamquam nullus in eo fuerit consensus curatoris. Quod si integrum manere debet prioris matrimonii vinculum, consequens est necessarium, ut Francisca Marion alias nuptias conciliare nequeat, cum nemo aut duos coniuges habere, aut prioris vinculo solvi possit, ut alium accipiat. Verum autem non est, quod vulgo tradi memoras, Pium VI. praedecessorem nostrum, quae a Iosepho II. eâ de re sancita fuerunt contra vim sacramenti, suo iudicio comprobasse; cum contra sciamus, eum semper rata, firma habuisse priora coniugia, semperque reiecisse preces eorum qui eadem irrita declarari cupiebant. Atque haec quidem nostra est firma ac certa sententia, quam et carissimo in Christo filio nostro Francisco II. per eius ministrum apud nos residentem iam inde a die XXV. novembris MDCCCIII. aperuimus.

§ 4. Angimur intimis sensibus cum animum advertimus ad molestias, quas tibi atque isti Capitulo cathedrali a laicâ potestate inferri significas, propterea quod scelestum illud matrimonium, quod contra ius fasque contrahi vellet, permittere noluisti. Fecisti id quidem pro tuâ sapientiâ et pietate rectissime, neque credimus futurum aliquem ecclesiasticum virum, qui sibi putet licere, duobus coniugibus, quorum integrum est matrimonii vinculum, alias ineundi nuptias facultatem attribuere. Quod si erit aut fuit unquam, nos ea matrimonia irrita, filiosque ex iis susceptos non solum illegitimos declarabimus, sed etiam cunctas officii nostri partes implebimus. Ceterum inanem esse credimus metum, quo te premi significas, iacturae rerum temporalium; et si quid solidi haberet, non ille tamen tui te officii loco dimovere deberet. Sed eâ de re solicitum et anxium te esse non sinet praeclara et excellens virtus carissimi in Christo filii nostri Francisci II. qui ea, qua praestat, pietate in Deum studioque tuendae catholicae Religionis te ab omni metu liberabit. Quare eum fidenter adi; is certe, cum eius « potestatis sit scandala etiam in longinquo nata resecare, multo magis ea, quae sub eius audent oculis surgere, non sinet accrescere », sicuti his verbis piissimum Imperatorem Marcianum alloquebatur Sanctus Leo M. *ep. 3, col. 185, ed Bullar.* Interim singularis nostrae benevolentiae pignus tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. iunii MDCCCIV. pontificatus nostri anno V.

XVII.

Confirmat deliberationem initam per secretarium status cum deputatione eiusdem in iudicem privativum super futuris controversiis pro collegio Germanico Hungarico de urbe.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, illud curandum arbitramur, ut nostrorum et S. R. E. in temporalibus subditorum, ac praesertim ecclesiasticorum collegiorum iura, etiam post tot, tantasque superiorum temporum vicissitudines, sarta, tecta, sincera et integra maneant. **Prooemium.**

§ 2. Cum igitur post editam nostram illam constitutionem, quae incipit *Post diu-* **Expositio precum, et decreti editi ad rem a**

Cardinali Consalvio.

turnas (1), dilectus filius modernus in provincia Urbinatensi delegatus noster apostolicus iurisdictionem territorialem personalem quam ante notissimas superiorum temporum procellas collegium Germanicum Hungaricum de urbe, ac pro eo ipsius collegii protector, tam in fundis, quam personis ad abbatiam Sanctae Crucis Fontis de Avellana Senogalliensis et Eugubinae seu alterius dioecesis pertinentibus ab immemorabili tempore exercuerat, iam cessasse putaret; cumque venerabilis frater noster Aloysius Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis Valenti Gonzaga nuncupatus zelantissimus eiusdem collegii apud nos et Sanctam Sedem protector nobis humiliter supplicasset, ut ipsum collegium in iurisdictionum huiusmodi possessione manutenendum fore mandaremus, nos, ut, qua par erat, procederemus maturitate, rem omnem dilecto filio nostro Herculi eiusdem S. R. E. Diacono Cardinali Consalvi nuncupato secretario status dignoscendam remisimus, ut ipse pro suo acri ingenio eorumque usu consuleret, prout rationi consentaneum esset. Qui Hercules Cardinalis utraque parte in scriptis audita, ac rationibus hinc inde deductis diligenter expensis, praevio nostrae vivae vocis oraculo, sentiit atque deliberavit iurisdictionem collegii praedictam per nostram memoratam constitutionem minime fuisse abrogatam. In ipsa namque constitutione eas tantum iurisdictiones aboletas esse voluimus, quae alicui peculiari exemptioni et privilegio personali vel locali niterentur, aut ex officio aliquo in materiis et delictis communibus penderent, non autem illas abrogavimus iurisdictiones, quae essent territoriales ac feudales, qualis in dicta abbatia ipsius collegii iurisdictio fuisse dignoscitur.

Confirmatio dicti decreti.

§ 3. Nos itaque, ut multos Romanos Pontificet praedecessores nostros imitemur, qui idem collegium maximis favoribus ornarunt, quippe quia ex eius gremio quamplurimi prodiere S. R. E. Cardinales S. R. I. electores, Archiepiscopi, Episcopi, abbates, aliiqui qui et probitate morum et doctrina non mediocriter floruere, ac etiam ecclesiasticis dignitatibus praefulgentes, deliberationem Herculis Cardinalis praedictam apostolicae nostrae confirmationis subsidio munire, idemque collegium specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, ac certa scientia, ac maturo consilio nostris, praedictam Herculis Cardinalis deliberationem seu sententiam, qua de iure sancitum et declaratum fuit, ad praedictum collegium Germanicum Hungaricum, ac pro ipso ad eius Cardinales protectores pro tempore existentes, spectare ius exercendi plenam ac absolutam iurisdictionem feudalem et territorialem in praedicta abbatia in omnibus causis civilibus, criminalibus et mixtis, quae respiciant actiones et iura ad eamdem abbatiam pertinentia, vel crimina etiam communia, quae intra fines abbatiae ab eius ministris, colonis aliisque, licet exteris, committi possint, eo ipso modo, quo caeteri barones ac feudatarii ditionis nostrae pontificiae suam in propriis feudis exercent iurisdictionem, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus: itemque si et quando in posterum novae super iurisdictionis huiusmodi exercitio et pertinentiis quomodolibet suborirentur dubitationes et controversiae, tam cum delegato apostolico praedicto, quam cum alio quocumque iusdicente, pro iisdem dubiis tollendis ac quaestionibus decidendis nunc et pro tempore in perpetuum existentem Cardinalem secretarium status in iudicem privativum et oeconomicum, qui de plano ac sine strepitu iudiciali, et quacumque appellatione remota, easdem controversias definiat et dubia huiusmodi, prout rationi consentaneum erit, resolvat, ita ut quaestiones vel dubia huiusmodi coram quocumque alio iudice aut tribunali, vel etiam S. R. E. Cardinalium Congregationi proponi non possint, auctoritate et tenore praedictis constituimus atque deputamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per

(1) Omnibus adhibitis curis in Tabulario Congr. has literas non invenimus, inveniri tamen possunt in arch. Coll. Germanici.

quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, memorata nostra, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. octobris MDCCCIV., pontif. nostri anno V.

XVIII.

Confirmat decretum congregationis sacrorum Rituum pro clero saeculari et regulari civitatis et dioecesis de Cusco in Indiis Occidentalibus.

PIUS PP. VI.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Quum, sicut exponi nuper fecerunt nobis dilecti filii clerus saecularis et regularis civitatis ac dioecesis de Cusco in Indiis Occidentalibus, ipsi pro peculiari erga Sanctum Iosephum Beatissimae Mariae Virginis Sponsum suae devotionis affectum recitare quotannis in die decima nona cuiuslibet mensis officium proprium cum missa in honorem eiusdem sancti, prout in illius die festo recitatur, plurimum cupiant, humiliterque a nobis exposcant:

Ratio concessionis.

§ 2. Nos ipsos exponentes in devotione huiusmodi confovere, ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, attenta dilecti filii magistri J. de Carpineo secretarii Cougregationis sacrorum Rituum relatione, eisdem exponentibus, ut posthac praedictum officium cum missa ipsi in supradictis diebus ritu semiduplici, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum ieiunio, sive absque ieiunio, ac iis diebus, in quibus iuxta rubricas reponendum sit officium dominicae aut festi translati, libere et licite recitare possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IV. decembris MDCCCIV., pontificatus nostri anno V.

XIX.

Confirmat regulas et constitutiones congregationis mulierum praesentationis Sanctae Mariae Virginis civitatis Cork.

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Pastoralis officii cura, quae in universum Domini gregem nobis ex alto commissa est, illud a nobis magis expostulat, ut voces pastorum qui ad christianam pietatem suis in ovibus augendam Apostolicae Sedis opem efflagitant, sollicite excipiamus, eorumque zelo studia quoque nostra coniungere properemus.

Expositio precum porrectarum ab Episcopo Carcagiensi.

§ 2. Expositum siquidem nobis tuo nomine fuit, quod bo. me. Honorata Nagle nobilis locuplesque istius regni catholica foemina in plurima fundandas domus bona impendit sua, eo consilio nempe, ut ibi reciperentur virgines piae, quae muneri atque labori puellas, praesertim pauperes, in rudimentis catholicae fidei informandi, honestisque artibus, quae propriae ipsarum sunt, instruendi, tum mulieres in nosocomiis publicis aegrotantes invisendi, eisque spiritualia ac temporalia auxilia praebendi, devovere se vellent. Quumque nonnullae iam instituto caritatis huiusmodi nomen dedissent, aliaeque plures se se illud am-

plectendi cupidas passim ostenderent, si idem institutum a Sede Apostolica approbatum fuisset, recolendae mem. PP. VI. praedecessor noster (eo vel magis quod talibus votis pondus etiam suarum postulationum accederet) per apostolicas suas in simili forma brevis die tertia septembris MDCCXCI. expeditas literas, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei propositorum consilio, fraternitati tuae tribuit facultatem tam pro civitate Corcagiensi, quam pro aliis civitatibus, oppidis, ac terris Hiberniae, habito prius tamen, ubi de dioecesi aliena ageretur, proprii Ordinarii consensu, praedictas domus erigendi ac instituendi in collegia, ubi ad superius recensita caritatis opera subeunda piae reciperentur virgines, quae etiam expleto probationis tempore vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis nuncupatae mittere deberent, et alias prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Mirum autem dictu est quam rapide atque feliciter institutum istud percreverit post apostolicam eius approbationem, mirumque etiam quot quantosque ubique isthic afferat fructus. Quandoquidem non in Corcagiensi solum iam viret florenter, sed et in civitates et dioeceses Dublinensem, Watersardiensem, Kilhenniensem, atque oppidum usque Kerlanei radices extendit, quodque plus refert ad instituti istius collegia non modo puellae, sed etiam adultae ac nuptae ipsae mulieres eam, quam plerumque ignorant, fidei et morum doctrinam discendi studio undique confluunt, ita ut virgines institutum huiusmodi profitentes, de praesenti religionis incremento laetae, illudque in posterum magis magisque exoptantes unanimi flagitent ore se in veras moniales posse converti, ac per vota solemnia educationi et instructioni puellarum praecipue pauperum consecrari, quod quidem et tibi ad stabilitatem ac perfectionem instituti valde conferre et ad virgines, quae gloriae ac Dei zelo magis exaestuant, firmius in eo detinendas profuturum esse videretur. Quoniam vero idem Pius praedecessor in praedictis literis easdem virgines quo suis in muniis alacriores fierent omnibus cumulate ditavit indulgentiis et gratiis spiritualibus iam alias concessis a sancta hac Sede monialibus Ursulinis, earumque ecclesiis atque collegiis, ac tibi etiam iniunxit, ut constitutiones et regulas ad S. Ursulae institutum, ac iuxta instructionem eorumdem Cardinalium de Propaganda Fide accommodatas, tu pro dictis virginibus conderes, constitutiones et regulae huiusmodi iam nunc a te sedulo concinnatae studio et gravi aliorum istius regni Ordinariorum roboratae suffragio, maturoque praeterea praedictorum Cardinalium cribratae iudicio, nostris nuper subiectae sunt oculis tenore, ut sequitur.

AD MAIOREM DEI GLORIAM

REGOLE E COSTITUZIONI

Della congregazione delle sorelle religiose della Presentazione di Maria sempre Vergine eretta nella città di Cork per la caritatevole istruzione delle fanciulle specialmente povere, a tenore della bolla della sa. me. di Pio Papa VI. e successivo decreto della Sagra Congregazione approvato dal Santo Padre Pio VII. felicemente regnante (1).

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE HABITAE DIE XVII. SEPTEMBRIS MDCCCIV.

Decretum Sacrae Congregationis de Prop. Fide super approbatione regularum.

Quum r. p. d. Franciscus Moylan Episcopus Corcagiensis in Hiberniae regno ad eminentissimos patres huius sacrae Congregationis retulisset, nobilem foeminam catholicam Honoratam Nagle fel. mem. opes suas in plurimarum piarum domorum fundationem impendisse eo consilio, ut nempe eae virgines in eisdem reciperentur, quae sibi puellas praecipue pauperes in catholicae fidei rudimentis informandi, honestisque artibus instruendi; tum etiam mulieres aegrotantes in publicis nosocomiis invisendi, easdemque spiritualibus ac temporalibus auxiliis adiuvandi, munus susciperent: et plures iam repertas esse virgines, quae eidem instituto nomen dare, ac onera supra allata suscipere vellent; ideoque eiusmodi instituti ab apostolica hac Sancta Sede approbationem petiisset: sanctae memoriae

(1) Reliqua vide apud Cherubini Bull. Romanum tom VII., part. I., pag. 673; Bull. Pont. S. Cong. de P. F. tom. IV., pag. 306 et in Append. h. Iuris P. ubi colliguntur regulae regularium et colleg.

Pius PP. VI. de eminentissimorum patrum huius sacrae Congregationis consilio literis apostolicis in forma brevis III. septembris anni MDCCXCI. datis, facultatem eidem Episcopo impertitus est, supramemoratas pias domos seu collegia etiam in aliis dioecesibus (dummodo consensus accederet proprii Ordinarii) erigendi, ac instituendi, in eademque virgines, quae praefata onera sustinere debeant, recipiendi; quae expleto probationis tempore tria simplicia vota paupertatis, castitatis et obedientiae emitterent; omnesque indulgentias ac spirituales gratias monialibus Ursulinis, earumque collegiis et ecclesiis iam concesserat idem summum Pontifex ipsi novo instituto clementer impertiit; Episcopoque Corcagiensi iniunxit, ut regulas ac constitutiones ad institutum Ursulinarum conformes concinnaret, quas praefatae virgines a Praesentatione Beatae Virginis Mariae profiteri deberent. Hinc ab eo tempore, quo praedictum institutum apostolicam approbationem reportavit, impensius idem coli coepit in domo matrici Corcagiensi, et paulatim propagari, ut iam ad civitates et dioeceses Dublinensem, Waterfordiensem, Kilkenniensem et ad oppidum Killaney se se extenderit, eo sane felici successu, ut non solum quam plurimae puellae, sed et adultae et nuptae doctrinae fidei ac morum plerumque insciae in collegiis eiusdem instituti erudiantur. Qua de re cum praelaudatus Episcopus regulas constitutionesque condidisset, misissetque ad hanc eamdem sacram Congregationem pro approbatione apostolica, ac precatus esset, ut loco simplicium votorum consueta religionis vota solemnia in posterum ab ipsis virginibus emitti deberent, quarto etiam solemni voto addito, puellas praesertim pauperes educandi, easdem in religionis praeceptis erudiendi: *Id enim* (ut ipse testatur Episcopus) *omnes eiusdem instituti virgines impensius efflagitant; unde oritur instituti stabilitas et perfectio, ob cuius defectum nonnullae retraherentur virgines alias valde idoneae et zelo gloriae Dei aestuantes ab illo complectendo.* Eminentissimi patres huius sacrae Congregationis re bene expensa atque examinata, post emendationem et correctionem earumdem regularum et constitutionum ad normam exempli supra extensi censuerunt supplicandum esse Sanctissimo pro earumdem regularum et constitutionum approbatione; ac pro indulto, ut sacrae virgines, expleto tyrocinii tempore, ad solemnem votorum professionem admitti valeant, addito quarto voto puellas praesertim pauperes educandi ac in catholicae fidei rudimentis ac praeceptis imbuendi, ita tamen, ut e monasterii septis (nisi gravissimis de causis a iure sancitis) egredi nequeant; derogando (quatenus opus sit) alteri iniuncto oneri in literis brevibus Pii PP. VI. supramemoratis, invisendi scilicet aegrotantes mulieres in publicis nosocomiis.

Quam sacrae congregationis sententiam Sanctissimo Domino Nostro in audientia habita die XXVII. septembris eiusdem anni a me Archiepiscopo Myrensi et huius sacrae Congregationis secretario relatam, Sanctitas Sua benigne approbavit in omnibus, literasque apostolicas in forma Brevis expediri iussit.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide die XVI. februarii MDCCCV.

A. Card. Dugnani pro-praefectus.
Dominicus Archiep. Myren. secr.

Loco ✝ Signi

§ 3. Quae quum sint, tu nunc nobis deprecari fecisti, ut huiusmodi regulas per nos adprobari, dictisque concedi virginibus, quatenus liceat ipsis e simplici statu oblatarum in veras moniales sub titulo et invocatione Praesentationis Beatae Mariae Virginis perpetuo transire, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur in re, quae tum Omnipotentis Dei gloriam, tum sanctae religionis augmentum tantopere spectat, zelo fraternitatis tuae ac votis virginum praedictarum libenter obsecundare, teque ac virgines ipsas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, nec non singularum ipsarum personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, praeinsertas constitutiones seu regulas cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, ratasque ac validas habemus et declaramus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac si quem sive iuris sive facti defectum quomodolibet in easdem irrepsisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus: deinde su- Confirmatio apostolica.

pradictis virginibus praesentibus et futuris, ut post expletum tyrocinii tempus, ad solemnem, servatis alias servandis, professionem votorum, addito etiam quarto educandi puellas praesertim pauperes, imbuendique eas praeceptis et rudimentis catholicae fidei, libere recipi admittique possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus; ita tamen, ut ipsae in posterum sub recensitis regulis et constitutionibus vivere, Ordinariorumque iurisdictioni subesse, clausurae leges servare, nec umquam propterea a monasterii septis, nisi ob gravissimas causas in constitutionibus expressas et a iure sancitas, egredi debeant: ad quem effectum, quatenus opus sit, super onere invisendi, uti praemissum est, mulieres nosocomiorum infirmas cum ipsis dispensamus expresse, literisque praedecessoris, quoad onus huiusmodi, penitus derogamus ac derogatum esse decernimus. Eisdem literis, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Indulgentias porro omnes et gratias spirituales iam alias ab eodem praedecessore isti pio instituto concessas praedicta auctoritate confirmamus.

Datum Romae de speciali mandato sanctissimi die IX. aprilis MDCCCV. pontificatus sui anno VI.

XX.

Confirmat electionem ministri provincialis et destinationem domus probationis et professionis cum erectione congregationis Galiciarum in provinciam regularem, pro ministro provinciali Galiciarum Ordinis Sancti Pauli primi eremitae.

Dilecto filio Hilarioni Bobrouski ministro provinciali ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae nuncupatorum,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide dignis commendaris testimoniis, nos adducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur liberales.

Expositio precum. § 2. Expositum siquidem nobis tuo nuper nomine fuit, quod in binis, sicut asseritur, Austriacae ditionis Galiciis octo existunt coenobia Ordinis fratrum S. Pauli primi eremitae nuncupatorum, olim unita partemque integralem conflantia provinciae Poloniensis eiusdem ordinis, sed in praesentiarum seiuncta omnino ab ea provincia ob nuperas Poloniae regni vicissitudines, quibus regionum istarum res permutatae fuerunt. Nihilo tamen minus coenobiis huiusmodi apostolica est impertita facultas suum eligendi provincialem ministrum, propriamque habendi domum probationis et regularis professionis, pro qua conventus Bezoviae designatus permansit. Ut autem talis facultas, quaeque exinde illius vigore acta et constituta sunt, solidiorem etiam in posterum sortiantur observantiam, tu ministerii tui zelo permotus cuncta haec per nos approbari et confirmari, atque, ut infra, quoque indulgeri vehementer exoptas, enixisque humiliter precibus a nobis efflagitas.

Tenor concessionis. § 3. Nos igitur, te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, electionem seu electiones ministri provincialis ac designationem domus probationis et professionis a recensitis coenobiis sic, ut praefertur, ex apostolico indulto peractas auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, ratasque et validas habemus et declaramus, ac inviolabilis firmitatis robur illis adiicimus, omnesque ac singulos sive iuris sive facti defectus, si quos quomodolibet in praemissis intervenisse contigerit, sanamus atque supplemus: deinde eadem octo coenobia in praedictis Galliciis iam erecta, aliaque ibidem postmodum erigenda, in regularem provinciam pari auctoritate nominamus atque instituimus, ac ei ita nominatae atque institutae, ut provincialia comitia celebrare, ac omnia et singula, quae in illis iuxta dicti ordinis constitutiones a Sede hac apostolica approbatas deliberari ac decerni solent, tunc deliberare atque decernere, nec non iuribus, privilegiis, gratiis indultisque universis, quibus dum Poloniensi dictae provinciae unita erat et particularem constituebat congregationem, an-

tea gaudebat, uti, frui et gaudere libere ac licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tum et praedicti ordinis et provinciae Poloniensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae de speciali mandato nostro sub annulo piscatoris, die XXVI. aprilis MDCCCV., pontificatus nostri anno VI.

XXI.

In collegiata B. M. V. de Guadalupe Mexicanae dioecesis singulis sabbatis, in quibus occurrat officium ritus duplicis secundae classis, etiam infra octavas privilegiatas, una missa cum cantu de eadem Deipara celebrari posse concedit.

PIUS PP. VII.
ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii abbas et capitulum ecclesiae collegiatae Beatae Mariae Virginis de Guadalupe nuncupatae civitatis Mexicanae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam afficiuntur, devotionis affectu, eiusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Iulio de Carpineo sacrorum Rituum Congregationis secretario, ut in posterum, etiam in sabbatis, in quibus occurrat officium ritus duplicis secundae classis et incidentibus infra octavas privilegiatas, una missa cum cantu de eadem Deipara celebrari possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die IX. iulii MDCCCV., pontificatus nostri anno VI.

XXII.

Guardianis sancti Sepulchri Terrae Sanctae concedit facultatem conferendi sacramentum confirmationis catholicis latini ritus, caeteris omnibus penitus exclusis.

Dilecto filio Bonaventurae a Nola ord. fr. min. observant. Sancti Francisci professori, et Sancti Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi custodi et guardiano,

PIUS PP. VII.
Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et

virtutum merita, super quibus apud nos fide dignis commendaris testimoniis, nos adducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur liberales.

Tenor concessionis.

§ 2. Christi itaque fidelium latini ritus catholici, qui in locis degunt Terrae Sanctae, ubi tu S. Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi custos et guardianus existis, spiritualibus indigentiis opportune consulere, teque, de cuius fide, zelo et virtute plurimum in Domino confidimus, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide praepositorum consilio tibi extraordinariam facultatem conferendi sacramentum confirmationis auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, sub lege tamen atque declaratione, quod tu sacramentum huiusmodi nec administres, nec administrare valeas, nisi praedicto tuo durante munere, nisique catholicis latini ritus dumtaxat in Terra Sancta eiusque districtu habitantibus, nullatenus vero catholicis aliorum rituum, pro quibus confirmandis nullam tibi potestatem conferre intendimus, immo eam, si forte alias custodibus et guardianis pro tempore s. Sepulchri concessa extiterit, expresse adimimus, et in hac parte quibuscumque apostolicis literis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac praesertim constitutioni sanctae memoriae Benedicti XIV. nostri itidem praedecessoris, quae incipit *Demandatam,* penitus derogamus; quodque tu huiusmodi facultate utaris, utique debeas in omnibus et per omnia semper ad normam instructionis per memoratam congregationem die IV. maii MDCCLXXIV. editae, tibi iniungimus atque praecipimus: salva in praemissis auctoritate eorumdem Cardinalium.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. ianuarii MDCCCVI., pontificatus nostri anno VI.

XXIII.

Confirmat literas apostolicas Gregor. XV. super exemptione sacrae Congregationis Propagandae Fidei ab omnibus datiis, gabellis, aliisque solutionibus pro literis, chirographis, instrumentis, testamentis et similibus.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, illud praecipue curandum nobis esse arbitramur, ut gratiae et privilegia per Romanos Pontifices praedecessores nostros congregationibus pro catholicae religionis praesidio et incremento institutis concessa, sarta tecta, sincera et integra semper remaneant.

Memoratur tenor literarum apostolic. confirmandarum.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, felicis recordationis Gregorius PP. XV. praedecessor noster congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum motu suo proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine concesserit, ut perpetuis ex tunc futuris temporibus quaecumque patentes, seu alio quovis nomine nuncupentur literae, chirographa, instrumenta, testamenta et aliae quaecumque scripturae quolibet nomine censeantur, nec non quaecumque literae apostolicae tam sub plumbo, quam in simili forma brevis, earumdemque literarum apostolicarum supplicationes super quibuscumque negotiis, rebusque et bonis tam mobilibus quam immobilibus ad ipsam congregationem spectantibus et pertinentibus, ac demum quodcumque interesse eamdem congregationem quovis modo et ex quavis causa concernente pro tempore conficiendae et registrandae, ac similiter quaecumque literae, quas ex omnibus mundi partibus eidem congregationi scribentur, itemque illae, quae eiusdem congregationis nomine extra urbem mitterentur, gratis omnino, et sine ulla mercede, aut alicuius rei quantumvis minimae, solutione expediri, confici, registrari, relaxari, tradi, et mitti deberent: ideoque in virtute sanctae obedientiae, et aliis Romani Pontificis arbitrio poenis idem Gregorius praecepit, et mandavit iam ex eo tempore existentibus rescribendario et computatori literarum apostolicarum, nec non secretariis apostolicis et brevium apostolicorum atque scriptoribus et regenti montium, notariis,

tabellionibus, postarum magistris, aliisque officialibus et ministris quocumque nomine nuncupatis, etiamsi officia titulo et causa litere onerosis obtinerent, ut literas praedictas, chirographa, instrumenta et alias scripturas huiusmodi super praemissis omnibus et singulis tam coniunctim, quam divisim, gratis de mandato suo ubique in omnibus etiam abbreviatorum, solicitatorum, secretariorum, plumbique et registri, ac aliis quibusque officiis absque aliqua pecuniarum exactione, etiam quantumvis minima et per viam compositionis faciendae, omni contradictione et dilatione cessantibus, signarent, expedirent, describerent, mitterent et relaxarent, ac signari, expediri, describi, mitti et relaxari facerent realiter et cum effectu, ac alias prout ex memoratis ipsius Gregorii praedecessoris die XIV. dec. MDCXXII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Tenor confirmationis. § 3. Nos eamdem congregationem de catholicae religionis semper optime meritam specialibus favoribus et gratiis prosequi cupientes, atque dictas literas de verbo ad verbum praesentibus pro insertis habentes, quo eaedem literae firmius adversus temporis lapsum subsistant et serventur exactius, apostolicae nostrae confirmationis praesidio communiri volentes, motu proprio et ex certa scientia atque matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine easdem literas, et tam praemissa, quam reliqua omnia in eis contenta et praecepta confirmamus et, quatenus opus sit, denuo indulgemus, atque, ut supra, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro et Romanorum Pontificum successorum nostrorum infligendis poenis, omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, omnimodam praemissorum observantiam praecipimus atque iubemus.

Clausula sublata et decretum irritans. § 4. Decernentes, ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus felicis recordationis Pii PP. IV. praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus, in eadem camera infra certum tempus tunc expressum praestandis et registrandis, nec non quibuslibet constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus et singulis illis, quae memoratus Gregorius praedecessor in dictis suis literis non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die VII. martii MDCCCVI., pontificatus nostri an. VI.

XXIV.

Nullum esse declarat rescriptum pontificium, utpote subreptitie obtentum, quo alteri data fuit pecunia a Patriarchâ Antiocheno Syrorum Michaele Giarve iam testamento legata monasterio S. Mariae Liberatricis (1).

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Accepimus nuper, venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales negotiis de Propagandâ Fide praepositos decreto die XIX. septembris MDCCXCI. ab eis edito duo approbasse et confirmasse bo. me. Ignatii Michaelis Giarve Patriarchae, dum viveret, Antiocheni Syrorum testamenta, atque his pontificiae etiam auctoritatis robur accessisse per apostolicas in simili formâ Brevis die XXII. maii MDCCXCVII. (2) expeditas literas, prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus,

(1) Ex Contin. Bull. Rom. t. 13, p. 14.

(2) Has lit. Pii VI. non invenimus, unde suo loco non retulimus: ex Reg. Vat. ep. Pii VII. an. octavo sequentem transcribimus Emiro Bescir Montis Libani Moderatori, qua commendat delegatum ap. quem deputat ut pecunia a Patriarcha Syro per subreptitium rescriptum accepta reddatur Monast. S. Mariae Liberatricis ad quod spectat, et Emirum

fusius contineri perhibetur. Accepimus itidem, bina alia subinde ab eodem Patriarchâ condita testamenta fuisse, ac eosdem Cardinales, quibus posteriora ista testamenta pro eorum confirmatione aut immutatione vel declaratione aliquâ fuere post testatoris mortem exhibita, mature hisce etiam perspectis iudicasse ac decrevisse rata et firma in omnibus ista quoque perinde ac alia duo priora, habenda esse. Quamquam vero iisdem in testamentis cautum esset, ut duo capita pecuniarum collocata a Patriarchâ praedicto in hac Urbe nostra, alterum scilicet scutorum trium millium et octingentorum penes annonae frumentariae cameram, alterum vero scutatorum mille et quingentorum apud Propagandae Fidei Congregationem, tum etiam nummorum huiusmodi annui fructus ad monasterium S. Mariae Liberatricis in Kersroano libere pertinerent; nihilominus nulla nobis factâ mentione de supradictis testamentis, obtentum fuit die XXXI. octobris MDCCCIV. rescriptum nostrum, quo recensita pecuniarum capita adversus apertam voluntatem Patriarchae testatoris praecedentem declaratur spectare; nobis idcirco supplicatum humiliter est, ut opportune hac in re providere ac benigne, ut infra, indulgere dignaremur.

§ 2. Nos igitur toto, quo cum Domino possumus, studio uniuscusque iura sarta tecta servare et ab omni etiam fraude et laesione vindicare cupientes, de praedictorum venn. fratrum consilio, praeviâ memorati rescripti, utpote obreptionis et subreptionis vitio laborantis, abrogatione, quemadmodum auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, illud abrogamus nullumque ac irritum facimus et declaramus; deinde ut eo minime obstante praedicta duo pecuniarum capita in omnibus et per omnia iuxta disponentis mentem praedicto monasterio S. Mariae Liberatricis in Kersroano perpetuo firmiter ac omnino libere addicta maneant atque manere debeant, utque annuos illorum fructus ii, ad quos pertinet aut pertinebit pro tempore, plenarie ad formam testamentariae dispositionis eiusdem Patriarchae exigant, auctoritate et tenore praedictis concedimus, volumus atque decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris die I. aprilis MDCCCVI., pontificatus nostri anno VII.

---

etiam atque etiam rogat ut monasterium suo patrocinio foveat.

Dilecto filio Nobili Viro Principi Emiro Bscir Montis Libani Moderatori,

PIUS PAPA VII.

Dilecte Fili Nobilis Vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Exploratum tibi erit, dilecte fili Nobilis Vir, defunctum Syrorum Patriarcham Ignatium Michaelem Giarve quatuor condidisse testamenta, in quibus fortunarum suarum haeredem instituit monasterium S. Mariae Liberatricis in Castrovano ab eo pridem erectum; atque ut eiusmodi testamenta maius etiam robur ac stabilitatem acquirerent, ea litteris apostolicis datis die XXII. martii MDCCXCVII. confirmata fuisse. Cum autem ven. frater Ignatius Michael Daher ipsius Patriarchae successor Romam se contulit, aliquorum censuum fructus, qui in hac urbe nostra creati fuerant, eiusdem monasterii nomine exegit: nec satis illi hoc fuit; sed nulla facta mentione eorumdem testamentorum die XXXI. octobris MDCCCIV. rescriptum retulit a nobis, quo declaratum est eiusmodi census ad patriarchalem Syrorum sedem libere pertinere: sed re deinde comperta, revocatum a nobis fuit tamquam obreptitium ac subreptitium rescriptum illud per litteras nostras datas die I. aprilis anni MDCCCVI., quibus declaravimus, tam sortes, quam fructus eorumdem censuum ad monasterium S. Mariae Liberatricis iuxta testatoris voluntatem omnino spectare. Iam vero certiores facti sumus, eumdem Patriarcham Ignatium Michaelem Daher eiusmodi litteris nostris minime acquiescentem arbitratu suo de reditibus ipsis disponere, neque perceptos Romae fructus monasterio restituere velle; quo fit, ut monachi non levem rei domesticae inopiam patiantur. Ut itaque praesul iste ad officium redigatur, apostolica auctoritate nostra delegare decrevimus dilectum filium Aloysium Gandolfi presbyterum congregationis missionis iam delegatum nostrum pro rebus Maronitarum, qui, sublatis contentionibus, defuncti Patriarchae testamenta litterasque apostolicas circa illa expeditas, plenae promptaeque exequutioni mandari curet, prout aequitas iubet; efficiatque, ut hodiernus Patriarcha Daher pecunias in urbe perceptas monasterio S. Mariae Liberatricis penitus ac sine mora restituat. Quoniam vero ad rem perficiendam plurimum conferre poterit delegato nostro praesidium et gratia tua; idcirco illum studio ac potentiae tuae enixe commendamus, optantes, ut in commisso sibi munere explendo illum protegas ac tueare. Illud etiam abs te vehementer expetimus, ut monasterium S. Mariae Liberatricis validissimo tuo patrocinio prosequaris, idemque iuxta consilia et excitamenta, quae tibi praebebit delegatus noster, ab iniusta omni oppressione, gravamine, vel molestia ita vindices, ut pacifice in pietate atque institutis suis efflorescere possit, et inclytae tuae nationi utilitatem afferre. Quod dum pro summa tua religione, atque in hanc Apostolicam Sedem observantia, te libentissime praestiturum confidimus, tibi, dilecte fili Nobilis Vir, in pignus benevolae nostrae erga te voluntatis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. octobris MDCCCVIII., pontificatus nostri anno IX.

XXV.

Guardiano Terrae Sanctae facultatem tribuit, durante munere, exercendi pontificalia in ecclesiâ proprii Conventus.

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Sincerae tuae in nos et hanc S. Sedem fidei et devotionis, aliisque virtutum meritis, quibus te insignitum esse accepimus, inducimur, ut te paternâ benevolentiâ prosequamur, et honoribus libenter decoremus.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, qui conventus Terrae Sanctae Guardianus existis, privilegio deferendi pontificalia ad maiorem Dei gloriam frui posse plurimum desideres; nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut in tui conventus ecclesiâ (durante tuo istic guardianatus munere tantum) pontificalia deferre et in pontificalibus more praelatorum regularium tui Ordinis celebrare libere ac licite possis et valeas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti tui Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XIII. iunii MDCCCVI., pontificatus nostri anno VII.

XXVI.

Commutat confraternitatem sub titulo Ss. Trinitatis et B. M. V. de Rosario civitatis Bajensis in Brasilia in archiconfraternitatem sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni iudex, maiores domus, aliique deputati, seu officiales confraternitatis sub titulo sanctissimae Trinitatis et nostrae Dominae de Rosario in ecclesia eiusdem sanctissimae Trinitatis civitatis Bajensis in Brasilia canonice, ut asseritur, erectae, quod ipsi rationabilibus de causis adducti, eiusdem confraternitatis titulum et constitutiones adhuc servatas per nos et hanc sanctam Sedem in perpetuum supprimi, atque ipsam confraternitatem in confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub stricta invocatione tertii ordinis nuncupati sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum erigi iuxta modum et formam, quibus fel. rec. Benedictus PP. XIV. praedecessor noster, suppresso in perpetuum titulo et subsistentia quorumdam confratrum tertiariorum tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia, in unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub invocatione eiusdem sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum in civitate Portugallensi erexit et iurisdictioni localis ordinarii subiecit, additis quoque regulis pro hac confraternitate, confirmatisque eius novis statutis, ac alias prout ex ipsius Benedicti praedecessoris desuper sub plumbo pridie idus maii MDCCLV. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis

et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, venerabili fratri Episcopo Baiensi per praesentes committimus et mandamus, ut constito sibi prius de confratrum consensu per secreta suffragia in generalibus eorum comitiis ferendo, consideratisque diligenter circumstantiis universis, quae fuerint attendendae, ac dummodo nullum oriatur scandalum, titulum, et praesentes constitutiones dictae confraternitatis Bajensis pro suo arbitrio et prudentia supprimat et aboleat in perpetuum, atque illico post huiusmodi suppressionem, in confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub unica invocatione tertii Ordinis nuncupati sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinarii iurisdictioni subiectam in perpetuum erigat; ita tamen, ut confratres et consorores extinctae huiusmodi confraternitatis et successive taliter erectae annum probationis seu novitiatus repetere minime teneantur, ac etiam servata (quantum fieri poterit, aut pro loci et temporum ratione opus fuerit) memoratarum Benedicti praedecessoris literarum forma et dispositione, etiam quoad exemptionem veteris peculiaris iurisdictionis, cui forsan confraternitas, ut supra, extincta, subiecta reperiebatur, et cum facultate quoque discedendi (quotiescumque id ratio postulaverit) seque in alium commodiorem locum ab Ordinario approbandum transferendi, ac tandem cum reliquis omnibus et singulis privilegiis, regulis et statutis, quae a mamorato Benedicto praedecessore in dictis suis literis pro dicta confraternitate Portugallensi concessa reperiuntur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§ 4. Ut autem dicta confraternitas Bajensis sic erecta suscipiat in dies maiora virtutum incrementa, ipsiusque confratres et consorores in piorum operum exercitio magis confoveantur, nos de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus et consororibus, in dicta confraternitate Bajensi adscriptis, et in posterum adscribendis, omnes et singulas indulgentias tam plenarias quam partiales, aliasque spirituales gratias memoratae confraternitati Portugallensi ab eodem Benedicto praedecessore in dictis litteris impertitas, dummodo iniuncta pro illis consequendis rite adimpleverint, auctoritate praedicta, tenore praesentium perpetuo communicamus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVI. augusti, MDCCCVI. pontificatus nostri anno VII.

XXVII.

Visitatorem Apostolicum Collegii missionum S. Antonii fratrum Minorum Conventualium S. Francisci constituit Iosephum S. R. E. Cardinalem Albani, determinans obiectum visitationis (1).

Dilecto filio nostro Ioseph S. R. E. Diacono Cardinali Albano nuncupato,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quum, sicut accepimus, Collegium Missionum sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quae a religiosis viris Ordinis fratrum Minorum Conventualium San-

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide. Scrit. rifer. nei Congr. Collegio di S. Antonio d'Assisi. Vol. I. dal 1697 al 1842.

cti Francisci, S. Antonii nuncupatum peculiari nunc providentia opus habere dignoscantur, nos, ut omnia firmiter constituantur, quae ad rectam Collegii ipsius administrationem, regimen, institutum pertinent, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium eidem Congregationi praepositorum consilio, te, dilecte fili noster, in Visitatorem Apostolicum praedicti Collegii auctoritate apostolica tenore praesentium deputamus ac instituimus, tibique plenam et amplam potestatem facimus atque tribuimus mandandi exequutioni apostolicas litteras, seu rescripta, quibus coenobia quaedam suppressa, itemque bona aliquot, reditus ac iura eidem Collegio sunt assignata, tum ineundi seu iniri faciendi super iisdem bonis quoscumque contractus, ex quibus maiorem eidem Collegio utilitatem habere iudicaveris; praeterea excipiendi etiam redditionem rationum ab iis omnibus, qui praedicti Collegii administrationem hactenus gesserunt, nec non cognoscendi de peracta vel omissa satisfactione piorum legatorum, ac decernendi prout de iure adversus eos, quorum culpa eadem satisfactio omissa fuerit; demum cognoscendi quoque de singulorum iuribus, ac de causis quibuscumque ad idem Collegium pertinentibus, ac postremo constituendi ea omnia, quae ad rectam formam administrationis et regiminis eiusdem Collegii spectant, ea scilicet ratione, quam missionum bono iuxta Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ac memoratae Congregationis mentem magis in Domino expedire censueris.

§ 2. Mandantes propterea universis ac singulis ad praedictum Collegium quomodolibet pertinentibus, ut te in eiusdem Collegii Visitatorem Apostolicum, sic, ut praefertur, per nos deputatum et institutum reverenter suscipiant et habeant, tibique in cunctis mandatis tuis, quae res Collegii huiusmodi respexerint, humiliter obsequantur et pareant, alioquin sententias, quas rite tuleris, et poenas, quas statueris in refractarios, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Decernentes insuper easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, tibique plenissime suffragari, ac ab iis ad quos spectat et pro tempore spectabit, omnimode observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die II. septembris MDCCCVI., pontificatus nostri anno VII.

XXVIII.

Separatis a Metropoli Kioviensi rutheni ritus Ecclesiis Haliciensi, Leopoliensi, Chelmensi et Premisliensi, unit simul Haliciensem et Leopoliensem, quibus unitis ius tribuit metropoliticum, ac reditus assignat; subiicit tanquam suffraganeas Ecclesias Chelmensem et Premisliensem, cum auctoritate Metropolitano concessa nominatos ad sedes suffraganeas nomine S. Sedis confirmandi, instituendi et consecrandi; ius insuper tribuit Imperatori Austriaco nominandi Praesules harum Ecclesiarum; nihil immutato in caeteris Ecclesiae Kioviensis iuribus, nulla pariter immutatione facta in Ordine Monachorum S. Basilii, et iniuncta dictis Ecclesiis obligatione servandi decreta synodi Zamosciae (1).

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. In universalis Ecclesiae regimine, divina disponente clementia, meritis licet Prooemium.

(1) Ex Contin. Bull. Rom. Collat. cum Reg. Bullar. Abbreviat.

imparibus collocati, ad gregem Dominicum oculos nostrae mentis intentos semper habentes, et quid apostolicae providentiae impendere debeamus, ut ubique commode atque utiliter gubernetur, et ad coelestia pascua fideliter dirigatur, eam potissimum muneris Nostri curam agnoscimus, quod tot ecclesiarum praesules opportunis pro commodiori populorum spirituali regimine praerogativis decorentur. Ea propter Christianorum principum vota hisce in rebus favore complectimur et nonnulla interdum statuere curamus, quae in Domino salubriter conspicimus expedire.

Historia rerum actarum occasione decretae unionis ecclesiarum nationis Ruthenae.

§ 2. Postquam felicis recordationis Clemens PP. VIII. praedecessor noster tunc cum Michael tertius Kiovensis metropolita, assentientibus aliis Episcopis Ruthenis, concilio coacto in civitate Brestiae et publice in eo nationis Ruthenae cum Apostolica Sede unione statuta, ad eam perficiendam duos Episcopos Romam miserat, nationem praedictam ad S. Catholicae Romanae Ecclesiae communionem recepit, atque hanc unionem per suas apostolicas sub plumbo expeditas literas incipientes *Magnus Dominus* anno pontificatus sui quarto datas et incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, decimo kalendas ianuarii approbavit et confirmavit, nec non per alias similes literas incipientes *Decet Romanum pontificem* eodem incarnationis dominicae anno expeditas ac datas septimo kalendas martii, idem pontifex postmodum archiepiscopo Kiovensi Ruthenorum Metropolitano facultatem benigne concessit confirmandi nomine Apostolicae Sedis Episcopos suffraganeos eiusdem ritus in Polonia existentes, eosque iuxta illius ritus formam consecrandi (1). Alia etiam haec Apostolica Sedes diversis temporibus quoad Ruthenam nationem praedictam disposuit, praecipue per organum Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum, ac insuper de anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo de speciali assensu felicis recordationis Clementis PP. XI. praedecessoris nostri coacta in civitate Zamosciae synodo nationali Ruthena, eique praesidente Hieronymo bonae memoriae Archiepiscopo Edessae, tunc in Poloniae regno Sedis Apostolicae Nuntio, deinde S. R. E. Cardinali Grimaldo nuncupato, ac in eo nonnullis statutis atque ordinatis, cum Benedictus recolendae memoriae Papa XIII. similiter praedecessor noster satis compererit huiusmodi statuta et ordinationes ecclesiasticae disciplinae summopere esse profutura, per apostolicas suas literas incipientes *Apostolatus officium* in forma brevis expeditas sub annulo piscatoris die nona mensis iulii. anno millesimo septingentesimo vigesimo quarto, pontificatus sui anno primo, firmis tamen semper remanentibus aliorum praedecessorum pontificum constitutionibus et apostolicis ordinationibus, aliisque etiam in generalibus conciliis super Graecorum ritibus emanatis decretis, ac salva quoque auctoritate venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, tam de Propaganda Fide negotiis praepositorum, quam Tridentini Concilii interpetrum respectivarum congregationum, benigne atque expresse approbavit et confirmavit.

Memoratur erectio Sedis Episcopalis Suprassiae facta a Pio VI.

§ 3. Ob varias postmodum temporum vicissitudines, et praecipue immutatum temporalis iurisdictionis dominium in illis partibus in quibus Ruthenorum ecclesiae collocatae reperiebantur, necesse visum fuit, ut ab Apostolica Sede saepe numero super his rebus negotia nonnulla gererentur, ita ut de natione huiusmodi Ruthena sedulam curam suscipiendo, perspectis circumstantiis aliqua de novo statuere Sedes ipsa apostolica haud neglexerit, et pontifex quoque immediatus praedec. noster Pius Papa VI. recol. memoriae episcopalem ecclesiam eiusdem Rutheni ritus erexerit in civitate Suprassiae tunc in serenissimi regis Borussiae ditione existente, nec non quoad metropolitanam Kioviensem aliasque episcopales ecclesias eiusdem ritus Russiaco in imperio existentes plura statuere non omiserit.

Preces porrectae pro obtinenda variatione iuris metropolitici.

§ 4. Nobis autem nuper exposito, quod populi catholici Rutheni ritus Leopoliensi, Kelmensi et Premisliensi respective Episcopis subiecti et in charissimi in Christo filii nostri Francisci I. Austriae imperatoris ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici ditione existentes, ad Metropolitanum Kioviensem appellare, et Episcopi ipsi suum Metropolitam consiliorum eorum participem facere minime respective possint, quodque laudatus Franciscus imperator et rex summopere cupiat Ruthenorum in regno Galliciae existentium spirituali bono

(1) Has lit. vide in App.

consulere, atque idcirco a nobis singulari studio per suas literas postulaverit, ut, a iure metropolitico praedicti Archiepiscopi abdicatis ecclesiis antedictis, Leopoliensem cathedralem ecclesiam, quae a felicis recordationis Ioanne Papa XXIII. per suas literas Romae datas quinto kalendas septembris pontificatus sui anno tertio, antequam sedem Haliciensem transferret in metropolitanam sub invocatione Beatae Mariae Virginis, tunc fuerat erecta ac deinceps ad simplicis episcopalis ecclesiae statum redacta, nunc denuo in metropolitanam, cum unione tituli dictae perantiquae Haliciensis ecclesiae, cuius territorium intra limites suae ditionis modo reperitur, per nos erigatur, nec non Kelmensis et Premiliensis respective episcopales ecclesiae eiusdem novae metropolitanae Leopoliensis ecclesiae suffraganeae declarentur, ac demum gratiae et indulta praecipue quoad ius nominationis ad illas et ad illarum praesulum canonicam institutionem respective concedantur:

Ratio concessionis.

§ 5. Nos itaque, temporum et locorum circumstantiis mature perspectis, agnoscentes plures easque non leves esse difficultates, quae opponuntur Kioviensi Archiepiscopo ad exercendum ius suum metropoliticum in Ruthenos Galliciae regno subiectos, compertaque necessitate occurrendi stabili methodo spirituali Ruthenorum regimini, apostolici officii nostri esse duximus vota precesque eiusdem Francisci imperatoris ac regis benigne suscipere, et illis quantum opportune in Domino possumus clementer obsecundare.

Tenor concessionis.

§ 6. Quapropter, ne in iniuncto nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, venerabili fratri nostro Antonio Gabrieli Archiepiscopo Petrensi, atque ecclesiarum Viterbiensis et Tuscanensis invicem perpetuo canonice unitarum Episcopo, nec non nostro et Sedis Apostolicae Nuncio Viennae Austriae commoranti, per praesentes committimus et mandamus, ut sive per se sive per aliam personam ecclesiasticam ab eo ad hoc specialiter subdelegandam, certiorato prius venerabili etiam fratre nostro Eraclio Lissonsks Ecclesiae Plocensis Archiepiscopo, atque in praesentiarum, attenta vacatione metropolitanae Kioviensis eiusdem ecclesiae et dioecesis administratore, titulum perantiquae ecclesiae Haliciensis a metropolitana ecclesia Kioviensi, cui pridem unitus fuerat, apostolica nostra sibi delegata auctoritate, servatis servandis, disiungat ac separet, nec non memoratas ecclesias episcopales Rutheni ritus Leopoliensem, Kelmensem et Premisliensem antea eiusdem metropolitanae ecclesiae Kioviensis suffraganeas a quacumque superioritate et metropolitica iurisdictione ecclesiae et Archiepiscopi Kioviensis extra praedicti Francisci imperatoris ac regis ditionem in praesentiarum existentis, seiungat, abdicet et absolvat, atque in posterum separatas et minime archiepiscopatui, ac pro tempore existenti ipsius ecclesiae Kioviensis Antistiti, subiectas esse declaret.

Prosequitur ut supra.

§ 7. Episcopalibus autem Ecclesiis Rutheni ritus superius expressis, videlicet Leopoliensi, Kelmensi et Premisliensi, sic a metropolitica nominatae archiepiscopalis ecclesiae titulum alterius ecclesiae Haliciensis simili facultate uniat, ac perpetuis futuris temporibus unitum esse ac fore declaret ac nostro nomine decernat, ita ut, quicumque in posterum cathedram Leopoliensem canonice occupaverit, una simul nuncupetur et inscribatur Leopoliensis et Haliciensis ecclesiarum unitarum praesul, et deinde sic, ut praefertur, unitas Leopoliensem et Haliciensem ecclesias ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Beatissimae Virginis Mariae ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non ad fidei catholicae exaltationem, totius militantis Ecclesiae decus, in ecclesias archiepiscopales rutheni ritus unitas, et metropolitanam pro uno Archiepiscopo, qui pallii et crucis usum more Archiepiscoporum eiusdem ritus habeat, aliisque gaudeat privilegiis, praerogativis, honoribus et iuribus similibus Archiepiscopis debitis et concessis, quibus omnibus pro tempore existentes huius Leopoliensis et Haliciensis ecclesiarum invicem, ut praefertur, unitarum Archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant ac etiam debeant, apostolica nostra huiusmodi sibi delegata auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo erigat et instituat, ita ut dictarum Leopoliensis et Haliciensis ecclesiarum unitarum praesules omnia et singula quae ad similem Ruthenae nationis et ritus Archiepiscopos in eorum civitatibus et dioecesibus ad archiepiscopale munus exercendum de iure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet spectare et pertinere solent ac debent, gerere, facere et exercere libere ac licite possint, plenam et omnimodam auctoritatem tenore praesentium concedere et impertiri nostro nomine possint et valeant.

Idem ut supra.

§ 8. Alteras vero ecclesias episcopales supradictas, Kelmensem videlicet et Premisliensem, iam per eum nostro nomine ut supra a metropolitico iure et respectiva subiectione Archiepiscopi Kioviensis exemptas et liberatas, ad hoc ut ecclesiasticae hierarchiae in toto catholico orbe semper servetur ordo, in praedictarum archiepiscopalium Leopoliensis et Haliciensis ecclesiarum invicem unitarum suffraganeas assignet, atque illarum episcopalium ecclesiarum praesules et loca omnia, personasque tam ecclesiasticas quam laicas in earum respective dioecesibus existentes, pro tempore existentium Archiepiscoporum antedictarum Leopoliensis et Haliciensis invicem ut praefertur unitarum ecclesiarum metropolitico iuri, simili nostra delegata auctoritate, perpetuo subiiciat atque supponat.

Declarationes speciales.

§ 9. Volumus autem, ut huiusmodi ecclesia cathedralis Leopoliensis ad metropolitanae ecclesiae gradum evecta una cum suo capitulo et eodem quoad praesens reperitur Leopoliensis et Haliciensis dioecesis territorio firma etiam in posterum remaneat, ut futuri ac pro tempore existentes Leopoliensis et Haliciensis ecclesiarum praesules omnes et singulos eis spectantes fructus, redditus ac proventus, quos Episcopi Leopolienses huc usque perceperunt, quique ad annuos decem millia florenorum monetae illarum partium ut asseritur ascendunt, integre ac libere percipiant; ac insuper eidem futuro metropolitano summam assignes aliorum florenorum similium bismille a praelaudato Francisco imperatore ac rege annuatim persolvendam, usque dum nonnulla bona perantiquae mensae Haliciensi antea spectantia, et ob temporum vicissitudines in aliorum potestate existentia, opportune recuperentur.

Alia similia ut supra.

§ 10. Quum vero omnia et singula superius expressa nostro nomine ab antedicto venerabili fratre Antonio Gabriele fuerint expleta, nos eidem Francisco imperatori ac regi, eiusque in Galliciae regno successoribus, facultatem in quolibet vacationis casu nominandi ad antedictas Leopoliensem et Haliciensem invicem unitas archiepiscopales ecclesias, et Kelmensem et Premisliensem ecclesias episcopales infra tempus a iure praefixum ecclesiasticas personas idoneas iis dotibus praeditas, quae iuxta sacrorum canonum praescripta, et iuxta statuta supramemoratae synodi Zamosciensis requiruntur, de specialis dono gratiae impertimur, cum lege tamen quod quandocumque metropolitana Ecclesia Leopoliensis et Haliciensis vacare contigerit, quilibet ad eam nominatus confirmationem suae nominationis, institutionem et provisionem ecclesiae huiusmodi, nec non muneris consecrationis licentiam a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente petere atque obtinere, literasque apostolicas in consueta forma per secretam viam de curia nuncupatam expedire facere omnino debeat, ac teneatur. Nos enim futurum ac pro tempore existentem Archiepiscopum dictarum ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis invicem unitarum Ruthenorum omnium in laudati Francisci Imperatoris ac regis dominio degentium Metropolitam declaramus cum auctoritate singula exercendi, quae ad huiusmodi ius metropoliticum dignoscuntur pertinere. Eidem insuper futuro ac pro tempore existenti Leopoliensis et Haliciensis unitarum ecclesiarum Metropolitae, attentis peculiaribus circumstantiis et de speciali indulgentia, facultatem concedimus nominatos ad suas suffraganeas episcopales ecclesias Kelmensem et Premisliensem, dummodo iis dotibus praediti sint, quae ut supra dictum est requiruntur, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmandi et instituendi, munusque consecrationis impendendi iisdem modo ac forma, quibus facultas huiusmodi metropolitano Kioviensi ab antedicto Clemente PP. VIII. praedecessore nostro per suas apostolicas literas secundo loco supramemoratas, fuerat elargita.

Confirmatio actorum synodalium habitorum in synodo Zamosciae.

§ 11. Volumus etiam, quod omnia et singula, quae statuta fuerunt in laudata Zamosciae synodo, per Apostolicam Sedem confirmata, nunc et in posterum a Leopoliensi et Haliciensi Metropolita, atque ab Episcopis Kelmensi et Premisliensi, et ab universa natione Ruthena observentur, firmis et in suo robore semper mansuris apostolicis constitutionibus et conciliorum generalium decretis super ritibus Graecorum emanatis, nec non venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium tam negotiis de Propaganda Fide praepositorum, quam interpretum Concilii Tridentini respectivarum congregationum auctoritate salva semper et integra remanente.

Protestationes de non laedendis iuribus ab aliis legitime quaesitis.

§ 12. Volumus praeterea quod per disposita in hisce nostris literis nullum de cetero iuribus ac privilegiis metropolitanae ecclesiae Kioviensis praeiudicium inferatur, nec quidquam circa Ruthenorum imperio

in Russiaco existentium ecclesiasticam hierarchiam censeatur immutatum.

Conservatio iurium monachorum Sancti Basilii Magni.

§ 13. Denique volumus quod nihil pariter super Ordine Regulari Monachorum Sancti Basilii Magni eiusdem Ruthenae nationis innovatum intelligatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 14. Praesentes literas nostras, et in eis contenta quaecumque, semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causa quantumvis iuridica et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, aut iure vel facto seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causa etiam quantumvis rationabili, legitima, pia, privilegiata et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut ad terminos iuris vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia et potestatis plenitudine concesso et impetrato, aut emanato quempiam uti seu se iuvari in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et apostolicas constitutiones aut Cancellariae nostrae Apostolicae regulas comprehendi, sed semper ab illis excipi et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et fore; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, aut privilegio fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque iudicio, seu quacumque instantia, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 15. Non obstantibus quibusvis, etiam in provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque Kioviensis, Leopoliensis, Haliciensis, Kelmensis, Premisliensis respective ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriis et clausulis, irritantibusque decretis in contrarium praemissorum forsan concessis, approbatis et confirmatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis specialis, specifica et expressa mentio aut expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum validitatem plenissime ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Fides habenda transumptis.

§ 16. Praeterea etiam volumus, quod earumdem praesentium transumptis etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, ac si illae exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum commissionis, disiunctionis, abdicationis, separationis, erectionis, unionis, indulti, concessionis, impertitionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCVII., octavo kalendas martii, pontificatus nostri anno septimo.

XXIX.

Declaratio et ampliatio facultatum concessarum guardiano et fratribus Or-

dinis minorum S. Francisci conventus vel seminarii de Mezzaofrio Portugallensis dioecesis super applicatione legum et statutorum alterius seminarii de Varatoio, aut Brancannes.

Venerabili fratri Laurentio Archiepiscopo Nisibensi in Portugalliae et Algarbiorum regnis nostro et Sedis Apostolicae nuntio,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni guardianus et fratres Ordinis minorum S. Francisci conventus vel seminarii de Mazzaofrio Portugallensis dioecesis, quod ipsi per nostras in simili forma brevis die XI. octobris MDCCCIV. expeditas literas obtinuerunt, ut dictus eorum conventus vel seminarium legibus et statutis alterutrius seminarii conventualis de Varatojo, aut Brancannes, a te auctoritate nostra apostolica in perpetuum subiiceretur, sub certis modo et forma tunc expressis, prout ex iisdem nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, pro dictarum literarum executione quaedam tibi obveniat difficultas ex eo, quod in narratoria earum parte expositiva praetermissum reperiatur, dicti conventualis seminarii de Mezzaofrio statuta, licet bis condita, suo tamen effectu caruisse et adhuc fortasse carere, quippe quia auctoritate apostolica minime umquam munita fuere; cumque accedat praeterea notabile discrimen et varietas, quae inter huiusmodi statuta ac alia dicti seminarii Brancannensis statuta intercedit, eoque magis quod huic seminario per fel. rec. Clementem PP. XI. praedecessorem nostrum auctoritate apostolica extensae et communicatae fuerant gratiae et privilegia, quae recolendae memoriae Innocentius Papa XI. praedecessor itidem noster pro seminariis huiusmodi Hispanis per suas in simili forma brevis die XVI. octobris MDCLXXXVI. datas literas indulserat, idcirco dicti guardianus et fratres rem omnem melius, quam antea aperientes, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor electionis.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, praevia sanatione cuiuscumque defectus in dictis nostris literis obvenientes ex memoratis causis, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut dicto seminario conventuali de Mezzaofrio leges et statuta alterius seminarii praedicti Brancannensis, cum omnibus et singulis privilegiis, facultatibus et gratiis, comprehensis etiam modificationibus per Congregationem venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum in capitulo generali die XVI. novembris MDCLXXXVIII. editis, auctoritate nostra apostolica in perpetuum communices; dictique seminarii de Mezzaofrio alumnis nunc et pro tempore existentibus, ut singulis privilegiis, favoribus et gratiis ab hac S. Sede pro alumnis Brancannensis seminarii utcumque concessis, aliisque indultis, quibus hi Brancannenses alumni quomodolibet fruuntur et gaudent, pari modo et aeque principaliter frui et gaudere libere et licite possint et valeant, servata in reliquis dictarum nostrarum et Innocentii praedecessoris memoratarum literarum forma et dispositione, eadem auctoritate concedas et indulgeas.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum seminariorum et ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel qua-

vis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis. § 5. Volumus autem et declaramus, ut, ob alumnorum in Mezzaofrio degentium paucitatem, ipsi ab obligatione suffragiorum, quae in obitu uniuscuiusque fratris provinciarum, quibuscum ratione communicationis huiusmodi coniunguntur, fieri solent, exempti remaneant, ac vicissim provinciarum alumni ad suffragia huiusmodi pro iis, qui in dicto seminario de Mezzaofrio decesserint, celebranda minime teneantur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVII. februarii MDCCCVII., pontificatus nostri anno VII.

XXX.

Archiepiscop. Pragensem redarguit quod in causa matrimoniali pro solutione matrimonii rati ipsi a Pontifice commissa ut eam referret cum proprio voto, ipsam ad se evocans definierit; ei praecipit ut sententiam revocet et nullam esse evulget, impediat insuper, ne partes novum contrahant matrimonium (1).

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum tuas legimus literas, vehementer mirati sumus atque incredibilem animo cepimus dolorem, intelligentes ea quae de causâ nobilium coniugum comitis Philippi Kinski et Theresiae ex comitibus Diethrichstein ad nos scripsisti. Cum enim illi, annuente ipsâ imperiali aulâ Viennensi, ad nos provocassent, ut apostolicam interponeremus auctoritatem pro solutione matrimonii rati et non consummati; nos pro gravitate negotii, quod erat diligentissime expendendum, literis in formâ Brevis ad te datis die XX. octobris anni MDCCCIV. tibi mandatum dedimus, ut processum conficeres, atque una cum sententiâ tuâ, quam consulendi gratia postulavimus, ad nos transmitteres. Nobis siquidem, ut iisdem in literis clare continetur, omnino reservavimus, actis remissorialis processus votoque tuo diligenter inspecto, atque auditâ Congregatione huic rei cognoscendae per praedecessorem nostrum deputatâ, quidquid magis in Domino expedire iudicaremus, decernere ac constituere. Haec norma, haec praescriptio fuit mandati apostolici, quod erat caute ac diligentissime observandum.

§ 2. Tu vero, ven. frater, contra huius mandati legem egisti. Delegatus enim unice a nobis, ut diximus, ad instruendum processum exponendamque de totâ hac re sententiam tuam, tu contra eousque progressus es, ut etiam definitivam in causâ sententiam emiseris. Multae profecto ex tuâ hac agendi ratione doloris in nos causae emanarunt. Non potest enim primum fraternitas ipsa tua non intelligere, quam iniuriosum fuerit huic S. Sedi, ut causam, quae voluntate coniugum nobisque ipsis annuentibus ad nostrum fuerat delata iudicium atque apud nos agebatur, ad te avocares. Hoc quidem minime a fraternitate tuâ nos expectare, imo vero ne suspicari quidem poteramus. Accidit tamen, atque ita accidit, ut neque minus in iudicio ipso ac sententiâ tuâ peccatum sit. Iudicasti enim irritum matrimonium ex defectu consensus, quod tamen in facie Ecclesiae coram parocho et testibus celebratum fuerat, iisque praesentibus uterque coniux consensum emiserat, neque ulla unquam de non dato consensu ab alterutro coniuge facta erat querela longo illo temporis intervallo: et vero illud irritum iudicasti, postquam nos mature inspectis rationum momentis documentisque omnibus ad nos delatis, non ea tanti ponderis visa essent nobis, ut de nullitate matrimonii iudicium tuto ferre possemus, sed ponderandas potius susceperimus causas super dispensatione matrimonii rati non consummati.

---

(1) Ex Roskovany *De matrimonio* etc. Coll. cum Reg. ep.

§ 3. Quid quod iura ipsa sanctissima Ecclesiae in causis matrimonialibus hoc in negotio posthabita neglectaque perspeximus? Cum enim quaereretur, firmumne an irritum habendum esse vinculum matrimonii, quod novae Legis sacramentum est, eius rei iudicium ad solam Ecclesiam pertinebat, uti dogmatico canone **12** *sess.* ***24*** *de matr.* a Concilio Tridentino definitum est. Verum fraternitas tua non iure ecclesiastico, quo praeditus est Episcopus, sed iure ac mandato civilis potestatis negotium illud absolvit. Nam ab ea delegatus es iudex, iussusque inquirere in vim aut nullitatem matrimonii; civilium legum sequutus es disciplinam in iudicando; denique integrum processum cunctaque acta tuamque sententiam subiecisti iudicio laicae potestatis, a qua eadem robur accepit, et cuius auctoritate et mandato eam exequutus es.

§ 4. Quoniam vero acta ipsa ex delegatione nostrâ confecta ad nos, ut in literis nostris expressum erat, minime misisti; nescimus utrum a fraternitate tuâ illa sit methodus observata, quae a canonicis sanctionibus, praesertim a Benedicto PP. XIV. praedecessore nostro in constitutione *Dei miseratione* praescripta est. In eâ nimirum traditur ratio, quam servare oportet in cognoscendis definiendisque causis matrimonialibus: eligendus est matrimonii defensor, examinandi diligenter testes, certoque ritu absolvendum iudicium, ne quid in re gravissimâ inconsiderate ac negligenter fiat. Illud vero certo scimus, quoniam ex literis ipsis tuis cognovimus, fraternitatem tuam canonicas leges minime servasse in eâ saltem parte qua sancitum est, ut, post unam contra vim matrimonii latam sententiam, altera ferri debeat, ita ut non unâ sed duabus sententiis iudicium finiri debeat: quum tu e contrario tuâ tantum sententiâ negotium expeditum declaraveris, ac duobus coniugibus solutis priori vinculo integrum esse statueris, alias inire nuptias. Itaque, ut vides, ita gesta sunt omnia ut, etiamsi a nobis integra tibi relicta esset facultas ferendi in causâ iudicium, minime hoc probari nobis pluribus nominibus posset. Cum vero nullam tibi ferendae sententiae fecerimus potestatem, sed eam nobis omnino reservaverimus, agnoscis profecto, quidquid a te actum est nullum fuisse et esse, cum, ex canonici civilisque iuris regulâ, quod ultra mandati fines geritur, nullius sit roboris ac firmitatis habendum.

§ 5. Ministerii igitur nostri debitum cum minime tecum silere nos patiatur, tum postulat quoque a nobis, ut opportunis necessariisque remediis corrigi erratum, removeri scandala, praecaveri ulteriora mala, si integrum adhuc sit, si vero iam inde fuerint exorta, finem illis imponi curemus. In quo quidem primas oportet esse partes tuas, praesertim cum erratum a fraternitate tuâ admissum sit. Itaque tibi in vim sanctae obedientiae praecipimus et mandamus ut, cum hae nostrae literae ad te perlatae fuerint, statim revoces nullamque declares sententiam, quam de matrimonii, de quo agitur, solutione tulisti; neque aliud audeant contrahere, nisi primum a nobis causa cognita atque ita definita fuerit, ut eis facultas fiat ad alia vota convolandi; quod si in vim sententiae tuae aliud iam forte attentaverint, sese minime habendos esse tamquam legitimo coniugio copulatos, secus et ab Ecclesiae sacramentis arcendos esse, illegitimamque censendam sobolem, quae ex vetitâ hac coniunctione nasceretur.

§ 6. Aegerrime ad te, ven. frater, haec scripsimus, tibique persuadeas, minime ad te scripturos fuisse, nisi admonente conscientiâ nostrâ atque urgente apostolici debito ministerii. Nos vero pro opinione, quam habemus, fidei virtutisque tuae, docilem te admonitionibus nostris atque apostolicae vocis reverentissimum esse confidimus, speramusque omni te curâ ac studio laboraturum, ut singula, quae a te optamus et petimus, diligentissime conficiantur. Hac spe freti, tibi, ven. frater, tuoque gregi universo apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIII. martii MDCCCVII., pontificatus nostri anno VII.

XXXI.

Declarat ampliationem ecclesiasticae iurisdictionis Castrensis nuncupatae in regno Hispaniarum concessae Patriarchae Indiarum et vicario generali exercituum catholici regis.

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico,

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponuntur quae a praedecessoribus ordinata fuerunt circa exercitium iurisdictionis castrensis in regno Hispaniarum.

§ 1. Compertum est nobis, Carolum III. fel. record. regem catholicum pio flagrantem desiderio parandi militibus aliisque ad regios exercitus pertinentibus praesidia, quibus, quum fixas sedes plerumque non habeant, frui nihilominus valeant spiritualibus utilitatibus et adiumentis, quae caeteri christifideles ab ecclesiasticis suis superioribus et praelatis consequuntur, Clementem XIII. s. m. praedecessorem nostrum supplicem adiisse, ut praedictos milites aliosque ad regios exercitus pertinentes ab Ordinariorum iurisdictione eximeret, subiiceretque iurisdictioni venerabilis fratris pro tempore existentis Indiarum patriarchae ac regiorum exercituum vicarii generalis, qui facultates sibi impertitas per ecclesiasticos viros a semetipso delegandos exercere posset super praedictos, ubicumque locorum ii morarentur. Annuit pro religiosissimi principis desiderio praedictus Clemens praedecessor noster, literisque in forma brevis die X. martii anni MDCCLXII. datis, in venerabilem fratrem Patriarcham Indiarum expetitas contulit facultates, quas deinde aliis similibus literis die XIV. martii anni MDCCLXIV. datis confirmavit, quibus etiam ad tollendas nonnullas contentiones inter Cardinalem de la Cerda nuncupatum Indiarum tunc Patriarcham et Ordinarios locorum exortas declaravit, concessas facultates porrigi in omnes, qui aut pacis aut belli tempore sub eiusdem Caroli regis vexillis terra marique militarent, viverentque stipendio et aere militari, aliosque praeterea, qui ob aliquam legitimam causam illos sequerentur. Eaedem facultates prorogatae deinceps de septennio in septennium fuerunt tam ab ipso Clemente praedecessore nostro literis in forma brevis die XXVII. augusti anni MDCCLXVIII. datis, quam a Pio felicis recordationis Papa VI. praedecessore itidem nostro similibus literis die XXVI. octobris MDCCLXXVI. et XXI. ianuarii MDCCLXXXIII., ac II. octobris MDCCXCV. ac a nobis ipsis similibus pariter literis die XVI. decembris MDCCCIII. expeditis.

Ampliatio praedictae iurisdictionis facta a Clemente XIV.

§ 2. His et praedecessorum et nostris apostolicis literis ordo constitutus fuit Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis, quam quum Clemens praedecessor limitibus, quos memoravimus, circumscripsisset, Pius tamen pariter praedecessor tuis tuique parentis supplicationibus benigne annuens ampliavit etiam respectu personarum, erga quas exercere eam oporteret, concessa quoque ven. fratri Patriarchae Indiarum facultate absque ullo scrupulo tutaque conscientia declarandi quaenam personae gaudere praedicta Castrensi iurisdictione deberent, cuius quidem praedecessoris nostri exemplum in superius momoratis nostris litteris nos quoque sequuti sumus. Huius ampliationis occasione duo in lucem prodierunt designationes huiusmodi personarum, altera a Cardinali delegato die III. februarii MDCCLXXIX., altera ab illius in dicto patriarchatu successore Cardinali Sentmanat die X. iulii MDCCCIV. editis, quibus quum propositum esset personas recensere, quas Castrensis ecclesiastica iurisdictio complecti deberet, praestitutos tamen antea fines praetergredi ultimus praesertim visus est, ita ut Hispaniarum Archiepiscopi et Episcopi non leviter offenderentur, et ipse venerabilis frater Archiepiscopus Toletanus Cardinalis de Bourbon nuncupatus, vir sane praeclarissimus et religiosissimus conquestus ob hanc causam apud regium thronum tuum fuerit de venerabili fratre Indiarum Patriarcha, quod in declarandis supradictis personis facultates ab hac Apostolica Sede nostra concessas multis modis excesserit, ingenti Ordinariorum potestatis dispendio.

Querelas subortas super distributione iurisdiction. composuit Pontifex.

§ 3. Quas querelas etsi praedictus Indiarum Patriarcha diluere conatus sit ac ostendere, nihil in ea re a se peccatum esse, attamen, quae tua est, carissime in Christo fili noster, pietas et erga hanc Apostolicam Sedem devotio, totam hanc controversiam, integrumque de ea iudicium ad hanc nostram Apostolicam Sedem deferri iussisti, ad quam utpote antedictae iurisdictionis fontem pleno iure spectat ipsius iurisdictionis amplitudinem, certosque fines praescribere ac declarare. Quam ob causam, audita antea sententia Congregationis dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quam hanc in rem deputavimus, die decima ianuarii superioris anni literas apostolicas in forma brevis ad te dedimus, quibus quidquid in nuperrimo praedicti cappellani maioris edicto super aliis personarum classibus iurisdictioni suae subiiciendis additum reperitur, super ea, quae in praecedenti defuncti Cardinalis Delgado edicto, aut in literis apostolicis concessionis

huiusmodi singillatim fuerat expressum, id omne contra nostram et huius Sanctae Sedis mentem et concessiones factum fuisse declaravimus, atque apostolica auctoritate definivimus.

Dubitationes propositae a rege catholico.

§ 4. Hisce peractis, sperabamus omnem in posterum ambigendi occasionem fuisse sublatam. Sed ineunte hoc anno expositum nobis humiliter tuo nomine fuit, haerere adhuc piissimo tuo in animo dubitationes de hac ecclesiasticae Castrensis iurisdictionis ampliatione, versarique hac de re interdum magnas inter angustias religiosissimam conscientiam tuam, quas sperares tolli radicitus posse, si Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis ratio per nos ad eam formam redigeretur, cuius ipse specimem ac veluti prospectum nobis scriptis reverenter exhiberi iussisti, additis etiam seorsim rationibus et declarationibus, quae eorum, quae postulabas, opportunitatem demonstarent, nos propterea orans, ut per nostras apostolicas literas exhibitam tuo iussu Castrensis iurisdictionis formam adprobare benigne dignaremur.

Solutio dubiorum.

§ 5. Quamobrem quum nihil nobis sit optatius, quam controversiarum germina amputare, omnesque compescere anxietates, quae tuam, piissime rex, tuorumque subditorum conscientiam agitare possent, libenti animo postulationes tuo nomine porrectas accepimus, rogataque iterum sententia Congregationis dilectorum filiorum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quos in re adeo gravi in consilium advocare censuimus, cuncta a te in ordinationem ecclesiasticae Castrensis iurisdictionis proposita examini subiecimus. Comperimus autem, quod quum ea non adeo ingenti intervallo ab iis finibus recedant, quos Cardinalis Delgado descripserat sua in declaratione, quam nos apostolicis nostris postremis literis quodam modo adprobavimus, tum illud praeseferunt peculiare ac commendatione dignissimum, quod graphice ac veluti in tabula depictum commonstrant totius eiusdem Castrensis iurisdictionis ambitum, dumque ita ambiguitates et controversias amovent praeciduntque, hac utilitate pensant aliquatenus quidquid decerptum Ordinariorum potestati, augent Castrensi iurisdictioni. Quae quidem eo lubentius animo observavimus, quo magis comperimus graviores nobis suppeditare rationes, ob quas desiderium, quo iugiter flagramus, obsecundandi iis, quae tibi grata et accepta esse noscimus, implere tutius atque alacrius valeamus. Quum enim conveniat providae Apostolicae Sedis benignitati facilem se et liberalem ostendere in gratiis et favoribus elargiendi christianis principibus, qui ex praeclaris maiorum suorum meritis et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione et obsequio erga Sanctam Sedem, in conspectu omnium splendere noscuntur, nihil nobis optatius obtingere potest, quam quum occasionem oblatam cernimus, qua obsequi tuis votis valeamus, qui tuorum maiorum exemplis tuaque egregia animi indole excitatus omnibus hisce laudibus cumulatissime praefulges.

Regulae observandae in exercitio praedictae iurisdictionis.

§ 6. Quibus causis permoti, teque specialibus favoribus et gratiis pro tua erga hanc nostram Apostolicam Sedem observantia prosequi volentes, tuisque piis desideriis annuere, Castrensem iurisdictionem in tuis regnis et dominiis eo modo, quem inferius iuxta propositas a te regulas enucleabimus, constituere et circumscribere decrevimus, prout vigore praesentium constituimus et definimus. Ac primum quidem statuimus ac decernimus, quod Castrensi ecclesiasticae iurisdictioni praedictae subiecti sint, et subiecti habeantur tam illi, qui foro gaudent belli aut marinae militari, aut politico dummodo integro hoc foro gaudeant et civili scilicet et criminali, quam eorum etiam familiae et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae, atque personae, toto integroque gaudeant praedicto foro, expresse declarantes, quod quae illorum familiae et personae hoc foro non gaudent, aut gaudent quidem, sed non integro, sub Castrensi ecclesiastica iurisdictione haud comprehenduntur. Quam quidem praefiniendae eiusdem iurisdictionis priorem regulam quum amplectimur, pro certo habemus, nec maiestatem tuam, nec reges tuos successores ullo umquam tempore permissuros, ut toto et integro belli aut marinae foro ulli alii gaudeant, praeter eos, qui pro re militari aut politica regiis exercitibus sint addicti, quique horum familias constituant, ac in horum versentur famulatu. Quoniam vero, si omnes et quotquot praedicto gaudent foro ad ecclesiasticam Castrensem iurisdictionem pertinere deberent, graves persaepe orirentur difficultates in administrandis spiritualibus praesidiis aliquibus personarum classibus, quae quum per omnia maiestatis tuae regna et dominia dispersae sint, non raro in locis degunt, in quibus

nec ulli existunt castrenses parochi, nec eos constituere expedit, idcirco, ut saluti animarum et sacramentorum administrationi pro iniuncti nobis pastoralis muneris sollicitudine undique consultum sit, volumus et decernimus, quod generalis regula superius praestituta de personis ecclesiasticae iurisdictioni Castrensi in posterum subiiciendis locum non habeat in officialibus aliisque personis iis copiis adscriptis, quae militiae in Hispaniis nuncupantur, quandocumque dicti officiales dictaeque personae in armis non sint ob aliquod servitium maiestati tuae praestandum, in quo tamen casu illae quidem personae iurisdictioni Castrensi subiectae erunt, sed non earum familiae, nec earum famuli, nisi illae aut isti ipsas personas sequantur et integro gaudeant foro.

Qui a regula generali habeantur excepti.

§ 7. Praeterea a generali praedicta regula excipimus quemcumque militiae addictum, qui tamen a regio maiestatis tuae servitio immunis sit, etiamsi aliquod a pietate tua stipendium accipiat. Excipimus insuper viduas militum, earumdemque familias et servos; nautas, naucleros praeterea et artifices in cathalogo descriptos, veluti servitio armamentariorum et regiarum navium mancipatós, qui etsi integro gaudeant marinae foro, tamen tunc solum sub Castrensi iurisdictione erunt, quum ad opera servitiaque, quibus vacant, vocati consueta stipendia percipere incipiant, in quo tamen casu familiae servique eorum ad Castrensem iurisdictionem non pertinebunt, nisi morentur in urbe provinciae principe, aut in loco, in quem convenire iussi fuerint ad proprias uniuscuiusque artes exercendas et integro foro saepedicto gaudeant. Demum sub Castrensi ecclesiastica iurisdictione comprehendi nolumus damnatos ad opus, qui intra arces atque praesidia non continentur, quippe qui custodiae tantum causa a militari imperio pendent, haud vero pertinent ad militiam.

Declaratio specialis pro aliis comprehensis in iurisdictione Castrensi.

§ 8. Praeter hos vero, quos fori militaris causa Castrensi iurisdictioni subesse volumus, ad eamdem iurisdictionem spectabunt omnes personae, quae regios exercitus sequuntur, eisque exercitibus quocumque nomine seu titulo, probantibus tamen ducibus, aliisve militaribus superioribus, inserviunt, etiamsi praedictae personae supradicto foro non gaudeant, idque servabitur in casu cuiuscumque militaris expeditionis, tametsi copiae fuerint auxiliares, dummodo tamen spirituali earum regimini alia prospectum non sit ratione, quae a praesenti nostra dispositione sit diversa, cui regimini et peculiaribus eius constitutionibus nihil detractum volumus. Ad eamdem praeterea iurisdictionem spectabunt omnes, qui in navibus maiestatis tuae existunt, quamvis militiae non sint adscripti, aut ad aliud quodcumque forum, aliamve iurisdictionem pertineant: quod servari volumus in navibus mercatoriis, quae nomine aerarii regii conductae, praesidio navium maiestatis tuae protectae, propter aliquam causam, sive expeditionem iter facient, etiamsi bellicae naves, quibus proteguntur, auxiliares sint maiestatis tuae, quo in casu eadem repetita intelligantur, quae de copiis auxiliaribus superius constituimus. Eamdem vero ob loci causam regiorum exercituum vicarius generalis iurisdictione utetur in omnes, qui in quibuscumque arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis militaribus, opificiis in usum rei militaris et nauticae maiestatis tuae institutis, collegiis militaribus commorentur, in quibus maiestas tua castrenses habeat parochos, aut expedire censeat huiusmodi parochos constituere, excepto oppido Septa, praesidiisque minoribus in Africa existentibus, quibus in locis eorumdem Ordinarii plena iurisdictione fruentur, qua hactenus potiti sunt, rationeque loci potiri debuerunt, eaeque tantum personae vicariatui subiectae erunt, quae comprehenduntur sub aliis regulis generalibus a nobis constitutis.

De iis qui in arcibus, castellis et similibus detinentur.

§ 9. In aliis vero arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis, opificiis et collegiis militaribus praefatis vicariatui suberunt etiam quotquot iis in locis in poenam detinentur, nec non damnati ad opera, infirmi, aliique, qui quamcumque ob causam iis in locis commorari debeant. Arcium autem, fortalitiorum, castellorum supradictorum nomine intelligenda esse declaramus loca illa muris instructa et praesidiis munita, quorum ambitus non pagum, non vicum, non oppidum, non civitatem, aut alia id genus complectitur.

De comprehensione ecclesiasticorum virorum.

§ 10. Demum iurisdictioni Castrensi subesse volumus ecclesiasticos viros, qui legitimo et consueto more designati aliquod obtineant munus sive pro administratione iustitiae, sive pro expeditione negociorum ipsius iurisdictionis, sive pro cura animarum una cum ipsorum familiis et reliquis personis eorumdem servitio addictis, quod ipsum ad laicos quoque porrigi volumus,

qui legitime, ut supra, munus aliquod exerceant in vicariatu propter easdem causas administrandae iustitiae, expediendique negocia vicariatus, itemque ad ipsorum uxores et filios non emancipatos cum parentibus cohabitantes, et ad servos. Constituta pro modo, quem hactenus enucleavimus, ecclesiasticae iurisdictionis Castrensis forma ratioque ex quatuor manat fontibus, titulisve, propter quos dumtaxat sive omnes, sive eorum aliquem quatuor pariter personarum classes vicariatui generali subiici, et pro subiectis habendas esse auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus et definimus, ita quidem, ut prior classis ratione fori complectatur personas, quae integro eodem gaudent foro militari tam civili, quam criminali, altera ratione servitii eas comprehendat, quae regios exercitus sequuntur et eis inserviunt, tertia ratione loci ex illis constituatur, quae degunt in locis militari imperio subiectis, quarta denique ratione officii iis constet personis, quae apud ipsum vicariatum muneribus funguntur.

Reservatio declarandi dubia si ulteriora prodirent.

§ 11. Ex quibus quidem quum certi statique fines Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis sub oculis quodammodo sint, et illius forma ratioque in nucleo veluti posita videatur, non immerito, carissime in Christo fili noster, in spem ducimur, nullas deinceps ambiguitates perplexitatesque suborituras esse, quibus religiosissimae conscientiae tuae tranquillitas, cui prae omnibus consulere cupimus, angi turbarique valeat. Quod si nihilominus aliquod adhuc oriri dubium contingat, utrum aliqua, aut aliquae personae sint, aut non sint iurisdictioni Castrensi subiectae, quoniam nostris his literis praescribitur et declaratur, nullam aliam personam dictae iurisdictioni manere subiectam, nisi illas, quae quatuor classibus antea expositis comprehenduntur, idcirco maiestatis tuae erit declarare utrum persona aut personae super quibus dubium oritur, in praedictis quatuor classibus comprehendantur, ad hoc ut sint aut non sint Castrensi iurisdictioni subiectae.

Confirmatio praecedentium literarum.

§ 12. Tandem moderno et pro tempore existenti Patriarchae Indiarum, cappellano maiori, ac personis ab ipso delegatis, seu delegandis ac subdelegandis in ecclesiastica dignitate constitutis, sive aliis sacerdotibus probis et idoneis facultates omnes iuxta tenorem et formam praedictarum literarum Romanor. Pontificum praedecessorum nostrorum, nempe Clementis XIII. die x. martii MDCCLXII., die XIV. martii MDCCLXIV., ac die XXVII. augusti MDCCLXVIII., nec non Pii VI. die XXVI. octobris MDCCLXXVI., ac ianuarii MDCCLXXXIII., quam X. ianuarii MDCCCVI. expeditarum, concessas, confirmatas, ampliatas et explicatas, quarum omnium tenores pro plene et sufficienter expressis hic haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo etiam confirmamus, tribuimus et elargimur; excepta tamen facultate in dictis literis Pii VI. praedecessoris concessa ac in superioribus nostris confirmata, sed in postremis pariter nostris literis die X. ianuarii MDCCCVI. explicata « declarandi scilicet, quae et quales debeant esse personae huiusmodi exercituum, et quibus ipsae frui ac potiri valeant privilegiis » de qua superius iam provisum est, quamque per praesentes apostolica auctoritate excipimus, abolemus ac penitus abrogamus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 13. Itemque easdem gratias, concessiones, privilegia et indulta quaecumque, de quibus in praedictis apostolicis literis facta est mentio pro memoratis quatuor classibus personarum iisdem modo et forma auctoritate et tenore praedictis ad septennium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non ordinum, quorum personae huiusmodi professae fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat. die XII. iunii MDCCCVII. pontificatus nostri anno VIII.

XXXII.

Dismembratio Ecclesiae episcopalis Cracoviensis a subiectione iuris metropolitici sedis archiepiscopalis Gnesnensis, illiusque subiectio metropolitanae Leopoliensi.

Dilecto filio nostro Antonio Theodoro Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero Cardinali de Colloredo nuncupato Archiepiscopo Olomucensi, salutem et apostolicam benedictionem,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei.

Ratio concessionis.

§ 1. Quoniam carissimus in Christo filius noster Franciscus I. Austriae imperator, atque Hungariae et Bohemiae rex apostolicus, significari nobis curaverit, episcopalem Ecclesiam Cracoviensem Archiepiscopi Gnesnensis metropolitico iuri usque adhuc subiectam in territorio modo comprehendi temporali dominio ipsius imperatoris ac regis obtemperanti, et difficillimum fore, si populi antedictae dioecesis in negociis spiritualibus curiam metropolitanam Gnesnensem in alterius principis territorio existentem adire cogerentur; ideoque non minus utile, quam necessarium sibi videri, ut ad consulendum suorum subditorum indigentiis eadem Cracoviensis Ecclesia alterum agnoscat metropolitanum ad quem commodum habere valeat recursum, nobis humillime supplicari fecit pro impetranda Sedis Apostolicae ad huiusmodi effectum benigna indulgentia.

Tenor concessionis.

§ 2. Perpensis itaque laudati imperatoris ac regis iteratis postulationibus, aliisque rerum ac temporum gravibus circumstantiis, et expediens in Domino censentes tanti principis votis obsecundare, tibi, dilecte fili noster, per praesentes committimus et mandamus, ut sive per te, sive per aliam idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam et ad hunc effectum specialiter subdelegandam, habitis prius venerabilium fratrum Archiepiscopi Gnesnensis et Episcopi Cracoviensis, atque aliorum quorum interest in legali forma exaratis consensibus, ad nos deinde originaliter transmittendis, memoratam episcopalem Ecclesiam Cracoviensem, una cum tota civitate ac dioecesi, ab omni et quacumque archiepiscopalis Ecclesiae Gnesnensis metropolitici iuris subiectione perpetuo subtrahas atque eximas, illamque iurisdictioni et superioritati moderni et pro tempore existentis venerabilis fratris Archiepiscopi Leopoliensis latini ritus apostolica nostra tibi expresse delegata auctoritate perpetuo similiter subiicias atque supponas, ita ut in posterum praedictus Leopoliensis Archiepiscopus, tam in Premisliensi, Kielcensi et Lublinensi, quam in Cracoviensi respectivis ecclesiis et dioecesibus, ius omne metropoliticum iuxta canonicas sanctiones exercere libere ac licite possit et debeat: nos enim singulas tibi ad praemissorum effectum necessarias et opportunas tribuimus facultates, et, postea quam praesentes nostrae literae fuerint exequutioni demandatae, antedictas Cracoviensem, Premisliensem, Kielcensem, et Lublinensem episcopales ecclesias, uti metropolitani Leopoliensis ritus latini suffraganeas agnoscimus et reputabimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes nostras, etiam ex eo quod in praemissis interesse quomodolibet habentes, seu habere quovis modo praetendentes, non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, nec causae propter quas eaedem praesentes emanarunt verificatae non fuerint, nullo umquam tempore ex quacumque causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio impugnari, invalidari, aut adversus illas quodcumque iuris aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari umquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus Gnesnensis, Leopoliensis, et Cracoviensis respective ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis; quibus omnibus et singulis latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis,

caracthere notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCVII., quarto decimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno VIII.

XXXIII.

Suppressio et extinctio tituli archiepiscopalis in ecclesia Labacensi, et reintegratio sedis episcopalis in eadem ecclesia sub titulo Sancti Nicolai Episcopi erecta.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Quaedam tenebrosa caligo humanae mentis obruens imbecillitatem, et futurorum praescientiam impediens, tales aliquando inducere solet errores, ut ea, quae a Romanis Pontificibus, ex virorum principum votis, provida ratione pridem fuerint sancita, ob novas lapsu temporis exortas difficultates debeant ad salutis animarum detrimentum avertendum ab Apostolica Sede moderari, et gravibus intercedentibus causis ad pristinum nonnulla restitui statum, quando pro rerum ac temporum qualitatibus expedire in Domino conspiciatur.

Memorantur providentiae ad rem susceptae a Pio Papa VI.

§ 2. Post quam igitur felicis recordationis Pius PP. VI. praedecessor noster obsecundando precibus clarae memoriae Iosephi II. imperatoris ac regis, per literas apostolicas sub plumbo expeditas octavo idus martii pontificatus sui anno quartodecimo cathedralem Ecclesiam Labacensem cum illius capitulo atque integra ex tunc assignata dioecesi ad sedis archiepiscopalis dignitatem evexit, atque ipsius metropolitico iuri subiecit episcopales Segnensem ac Goritiensem et Gradiscanam, sive Goritiensem, Ecclesias, nuper charissimus in Christo filius noster Franciscus I. Austriae imperator, atque Hungariae et Bohemiae rex apostolicus, instantissime nobis efflagitavit, quod ob varias ipsi visas gravissimas causas, opportunum illorum populorum spirituale regimen spectantes, eamdem Labacensem Ecclesiam in Carniolae ducatu existentem, quae per translationem venerabilis fratris Michaelis de Brigido ad episcopalem Ecclesiam Scepusiensem modo vacat, et ad quam nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad praedictum Franciscum imperatorem eiusque successores ex indulto seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectat et pertinet, ad antiquum statum simplicis episcopatus redigere dignaremur.

Tenor decretae suppressionis, et respective reintegrationis.

§ 3. Nos circumstantiis omnibus mature perpensis, et laudati Francisci imperatoris ac regis iteratis votis in praesentiarum annuendum expediens agnoscentes, apostolica nostra auctoritate titulum, dominationem, et essentiam archiepiscopales in antedictis ecclesia et capitulo Labacensi perpetuo supprimimus et extinguimus, eamdemque ecclesiam sub invocatione Sancti Nicolai Episcopi cum suo capitulo, ad pristinum in quo antea erat sedis episcopalis Apostolicae Sedi immediate subiectae statum denuo redigimus, ac perpetuis futuris temporibus redactam declaramus; firmo tamen in reliquis remanente ipsius ecclesiae capitulo ac dignitatum et canonicorum numero, ac firmis pariter dioecesis ambitu et mensae episcopalis ac singulorum capitularium redditibus in eo statu, quo respective nunc reperiuntur.

Consulitur ecclesiis suffraganeis.

§ 4. Venerabiles autem fratres modernos et pro tempore existentes Episcopos Segensem ac Modrusiensem et Gradiscanum seu Goritiensem in suffraganeos eiusdem Labacensis ecclesiae a praedicto Pio praedecessore nostro in dictis literis assignatos ab omni et quocumque metropolitici antedictae Labacensis ecclesiae vinculo et subiectione perpetuo eximimus et liberamus, illosque sub immediata Sedis Apostolicae subiectione recipimus, usque dum alio seu aliis Metropolitanis per nos seu Romanos Pontifices successores nostros in posterum fuerint assignatae.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes nostras literas etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, sufficienter adductae, iustificatae et verificatae non fuerint, nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa

quantumvis iuridica et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu quopiam alio substantiali, substantialissimo et inexcogitato, specialem et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, et ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari umquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat nunc et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus literis praefati Pii praedecessoris, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac supradictarum omnium ecclesiarum etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis, indultis et literis apostolicis, quibusvis superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et pluries innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua etiam exquisita forma ad hoc servanda foret: illorumque omnium et singulorum tenores, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime, plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 7. Volumus autem quod praesentium nostrarum literarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, restitutionis, repositionis, exemptionis, liberationis, subiectionis, declarationis, ordinationis, mandati, decreti, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCVII., quartodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXXIV.

Capitulum ecclesiae cathedralis Fogarasiensis graeci ritus in Transilvania pro clero saeculari ab Episcopo fundatum aliasque pias institutiones pro ecclesiis parochialibus factas probat et confirmat.

Erectio capituli in ecclesia Sancti Nicolai oppidi Fogarasiensis.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Apostolatus officium, quod divinae sapientiae altitudo humilitati nostrae nullo licet meritorum nostrorum suffragio committere dignata est, salubriter exequi satagentes illa, quae pro felici cathedralium ecclesiarum, et eorum qui in ipsis Altissimo assidue famulatum praestant regimine et gubernio, provide prudenterque facta esse noscuntur, confirmationis apostolicae praesidio, cum id a nobis petitur, libentissime roboramus, prout temporum et locorum ratio postulat, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Memoratur erectio Ecclesiae S. Nicolai facta in sequelam decreti Congregationis de Propaganda Fide.

§ 2. Sane postquam usque et de anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita nonnulla circa Graecam nationem tractaverit, et praecipue pro Grae-

corum, Valachorum, Ruthenorum et Rascianorum in Transilvaniae provincia commorantium spirituali salute decreverit procedendum esse ad erectionem ecclesiae Sancti Nicolai oppidi Fogarasiensis in cathedralem huiusmodi Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque qui per provinciam praedictam Transilvaniae commorabantur, et nonnulla pro erectione huiusmodi efficienda necessaria congregationi eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus consistorialibus praepositorum ad examen mandaverit, ac piae memoriae Clementi Papae XI. praedecessori nostro agenda proposuerit, deindeque felicis recordationis Innocentius PP. XIII. praedecessor item noster ad formam tum unius tum alterius ex Congregationibus praedictis resolutionum, per apostolicam sub plumbo expeditas literas in pontificatus sui anno primo ecclesiam praefatam S. Nicolai in cathedralem graeci ritus Sanctae Romanae Ecclesiae uniti erexerit, ipsumque oppidum Fogarasiensem episcopalem civitatem declaraverit; cumque nonnullis de causis eodem tempore ad erectionem capituli huius cathedralis minime devenire potuisset, ea propter in literis antedictis optime per Innocentium praedecessorem statutum fuerit, ut, iuxta graeci ritus ordinationes, nonnulli monachi Ordinis Sancti Basilii, quorum spectabilis est coetus, atque unicus monasticus ordo apud ipsam Ruthenorum nationem, in eadem ecclesia loco capituli et canonicorum constituerentur.

Expositio precum.

§ 3. Nuper autem venerabilis frater Ioannes Babb cathedralis huius ecclesiae modernus antistes cum optime compererit, quod monachi praedicti, tam ob instituti rationem, quam ob valde ad praesens imminutum eorum numerum, officii huiusmodi partes opportune implere minime poterant, ad hoc ut eius ecclesia ad formam aliarum cathedralium eo quo convenit decore effulgeat: atque in sua dioecesi ecclesiastica disciplina salubriter in Domino ordinetur, pia et laudabili dispositione, ad maiorem omnipotentis gloriam, et spirituale commodum gregis dominici sibi commissi, propriis sumptibus novum capitulum erigere et dotare curaverit, aliaque etiam pro cathedralis ecclesiae servitio, et congrua parochialium subsistentia, et recta totius dioecesis administratione disposuerit. Ac insuper idem Ioannes Episcopus eximia pietate et singulari orthodoxae religionis zelo praeditus, in pastoralis ministerii munere pro spirituali salute gregis sibi commissi, cum laboribus plurimis ac dispendiis, nominisque sui magna laude semper attendens ea omnia et singula, quae propriis sumptibus in erectione capituli praedicti, aliarumque piarum institutionum pro recto totius dioecesis regimine laudabiliter providere studuit, ad nos per proprias literas una cum suis patentalibus datis prima die mensis febr. currentis anni transmittere curavit, suppliciter rogans, ut, pro opportuna institutionum huiusmodi validitate et exacta observantia, apostolicae approbationis et confirmationis nostrae robur accederet.

Tenor concessionis.

§ 4. Re autem a nobis mature perpensa; attendentes quod huiusmodi cathedralis ecclesiae capituli erectio et dotatio iuxta eius fundationis methodum pro ecclesiae servitio ac personarum, rerum et bonorum felici directione, universique dioecesani graeco-catholici gregis utilitate, ad Sanctae catholicae Ecclesiae exaltationem cedat, supplicationibus pro parte eiusdem Antistitis nobis humiliter porrectis benigne inclinati, ipsius Fogarasiensis Episcopi zelum ac pietatem plurimum commendantes, praedictae cathedralis Ecclesiae Fogarasiensis capituli, ad praesens in ecclesia titulo Sanctissimae Trinitatis urbis Balasfalvensis existentis, erectionem, cum omnibus et singulis oneribus, redditibus et ordinationibus in memorata fundatione et erectione a praedicto Episcopo, sicut praefertur, facta, aliaque similiter circa parochiales ecclesias in dictis patentalibus literis contentis et expressis, apostolica nostra auctoritate tenore praesentium plenissime approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ita ut capitulum et canonici praedictae cathedralis ecclesiae, res, bona, proprietates, cum omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae similes cathedrales ecclesiae in eodem regno existentes, eorumque capitula et canonici, de iure, usu, consuetudine, privilegio, non tamen ex indulto seu privilegio particulari, aut oneroso titulo, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, similiter et pariformiter, dummodo tamen sint in usu et non revocato, sacrisque canonibus et or-

dinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite valeant, apostolica pari auctoritate, tenore praesentium concedimus et impertimur.

Clausula sublata. et decretum irritans.

§ 5. Decernentes erectionem et institutionem capituli huiusmodi a memorato Fogarasiensi Episcopo, ut praefertur, factas, nostrasque praesentes confirmationis literas semper et perpetuo validas atque efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Reservatio peculiaris.

§ 6. Praesentibus autem literis nostris nihil innovare intendimus de iis, quae a praedecessoribus nostris optime statuta fuerunt circa Graecos, qui Latinis immixti vivunt, et praecipue decreta ab enunciata Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, pluries super iisdem emanata, firma, valida, ac in eorum plenissimo effectu remanere volumus atque mandamus.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, concessionis, decreti, voluntatis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae MDCCCVII., kalendis decembris, pontificatus nostri anno VIII.

XXXV.

In foederatis Americae septentrionalis statibus quatuor erigit ecclesias episcopales, nempe Neo-Eboracensem, Philadelphiensem, Bostoriensem et Bardensem; unicuique territorium assignat et omnes subiicit uti suffraganeas ecclesiae Baltimorensi (1).

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi onus ferentes totius gregis dominici, illis praecipue ovibus quae regiones a Sede hac apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni intra verum ovile per apostolicam curam repertae, ad coelestia valeant pascua vocari feliciterque perduci.

Ratio decernendae novae erectionis.

§ 2. Magna siquidem cum laetitia accepimus catholicam religionem in Americae foederatis provinciis quotidie magis virere ac efflorescere, numerumque fidelium, qui suavi eius iugo colla submittunt, frequentiorem favente Deo undique cerni et copiosiorem. Quum itaque unus, qui in civitate Baltimorensi Episcopus constitutus est et pastor existit, tanto tantumque inter se disiunctis locis succrescenti gregi pascendo satis esse non possit, nos quo magis agnos Christi novellos pastorali custodia et auxilio indigere cognoscimus, eo celerius ad novos pastores, per quos et locorum distantiae minuantur, et spiritualia pabula multiplicentur, augendos properamus.

Tenor novarum erectionum.

§ 3. Hinc re mature perpensa cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide praepositis, de fratrum eorumdem consilio, quatuor novas episcopales sedes in recensitis provinciis pro quatuor respective Episcopis, nunc et in posterum, quandocumque huiusmodi sedes vacare contigerit, per nos et Apostolicam Sedem eligendis atque constituendis, auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus atque constituimus: scilicet primam Neo-Eboraci, quae totam huius nominis provinciam et partem orientalem provinciae Neo-Caesareae priori finitimam habeat pro dioecesi; secundam Philadelphiae, cuius dioecesis complectatur duas integras provincias Pensilvaniae et Delavare, ac praeterea partem occidentalem et meridionalem provinciae Neo-Caesareae; tertiam Bostoniae cum dioecesi, intra quam istas includimus provincias, nempe novam Stantoniam Massachatensem, insulam Rhodi, Connecticut et

(1) Vide infra Greg. XVI. et Pium IX.

Vermont; quartam Bardj-Goun, idest in oppido seu civitate Bardensi, eique in dioecesim statuimus provincias tam Hentuchiensem quam Tenassensem, ac illas quoque donec a Sede hac Apostolica aliter provideatur regiones, quae a ripa occidentali fluminis Ohio inter occidentem et septemptrionem excurrunt ad ingentes lacus, qui eas inter et Canadensem dioecesim interiacent, hasque legendo pertingunt ad fines Pensilvaniae.

Concessio privilegiorum, et honorificentiarum.

§ 4. Has porro episcopales sedes ita a nobis, ut praefertur, erectas et constitutas episcopalibus iuribus, privilegiis, honorificentiis, praerogativis, immunitatibus, caeterisque gratiis et indultis per alias sedes episcopales haberi et gauderi solitis et consuetis omnes et singulas de benignitate apostolica condecoramus ac insignimus. Episcopis vero huiusmodi sedium episcopalem iurisdictionem suis in ecclesiis, civitatibus et dioecesibus libere exercendi, omniaque et singula, quae sunt ordinis et iurisdictionis, seu alterius cuiuslibet muneris episcopalis, quaeque alibicumque constituti Episcopi tam de iure et consuetudine, quam alias quomodolibet intra dioeceses, civitates et ecclesias proprias gerere ac facere solent et possunt, similiter gerendi et faciendi facultatem plenam et amplam concedimus atque tribuimus. Denique praememoratas ecclesias ac unamquamque earum in provinciales et suffraganeas ecclesiae Baltimorensis, quam hodie in archiepiscopalem et metropolitanam ereximus, de consilio et auctoritate praedictis damus et assignamus, nec non ut illarum Episcopi pro tempore existentes iuri metropolitico Archiepiscopi Baltimorensis. Clerus autem et populus suis respective Episcopis quoad episcopalem, dicto tamen Archiepiscopo quoad archiepiscopalem et metropoliticam iurisdictionem et superioritatem debeant semper subiacere, mandamus atque praescribimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas semper et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque etiam speciali et expressa mentione seu derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII. aprilis MDCCCVIII., pontificatus nostri anno IX.

XXXVI.

Ecclesiam Baltimorensem in metropolitanam erigit, et ecclesias erectas antecedenti const. ei uti suffraganeas subiicit.

PIUS PP. VII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Pontificii muneris nobis licet immerentibus ex alto concrediti paterna nos cura sollicitat, ut cathedrales ecclesias, quas vigil praesulum studium, gratia opitulante divina, florentiores effecit, eo elatius erigamus, quo utilius praeminens illarum decus ad Omnipotentis Dei gloriam Christique fidelium devotionem augendam conferre posse conspicimus atque confidimus.

Ratio concessionis.

§ 2. Quum itaque religio catholica in Marilandiam, quae una est ex Americae foederatae provinciis, primum invecta, eas de rore coeli accepisset benedictiones, ut inde per operarios animarum zelo flagrantes in reliquas imperii eiusmodi regiones propagata altas ubique radices ageret; recolendae memoriae Pius PP. VI. praedecessor noster, quo magis fidei incrementis et fidelium commodis opportune istic consuleret, ea in civitate, cui nomen Baltimor, quaeque in Marilandia sita est, et in qua maior degebat catholicorum pars, commercioque cum caeteris provinciis aptior videbatur, sedem episcopalem erexit, ibique venerabilem fratrem Ioannem Carroll in Episcopum et pastorem constituit, et alias prout in ipsius praedecessoris apostolicis literis in simili forma brevis die VI. novembris MDCCLXXXIX. expeditis fusius continetur; cuumque Domini Salvatoris nostri benignitate cultores vineae suae mirifice foecundante factum subinde sit, ut orthodoxa eius fides in omnes modo Americae foederatae provincias longe lateque diffusa no-

vos praesules, qui multiplicatis fidelibus, seorsim tamen immanique saepe a Baltimore distantia hic illic morantibus proprius assistant, videatur expetere:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos illud potissimum attendentes, quod sicut civitas Baltimoris loci sui opportunitate magnam praebeat cunctis foederatae Americae partibus commercium cum ea habendi commoditatem, ita facile commodumque erit catholicis partium earumdem tam ecclesiasticis quam saecularibus pro suis iustitiae causis ad eam recurrere, idcirco de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio praedictam sedem episcopalem Baltimorensis civitatis in archiepiscopalem et metropolitanam sedem et caput aliarum sedium totius Americae foederatae auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus, facimus atque instituimus.

Ratio concessionis.

§ 4. Eique omnia et singula iura, privilegia et praerogativas ab illis sedibus archiepiscopalibus et metropolitanis haberi et gauderi solitas et consuetas plenarie attribuimus et assignamus; deinde venerabili fratri Ioanni praenominato, qui adhuc episcopalem praedictam obtinet sedem, pro singularibus suis in religionem catholicam et Sedem Apostolicam meritis Archiepiscopi titulum, ita ut posthac Archiepiscopus Baltimorensis sit nuncupandus, una cum delatione pallii et crucis, aliisque insigniis et honoribus, iuribus et privilegiis, gratiis quoque et indultis, quibus caeteri Archiepiscopi de iure, usu et consuetudine potiuntur, fruuntur et gaudent, eodem plane modo et absque ullo prorsus discrimine tam ipsi, quam ipsius futuris in Baltimorensi archiepiscopatu successoribus, auctoritate et tenore praedictis concedimus atque conferimus.

Assignatio novarum ecclesiarum suffraganearum.

§ 5. Praeterea eidem archiepiscopali et metropolitanae sedi Baltimorensi quatuor novas episcopales ecclesias, nempe Neo-Eboraci, Philadelphiae, Bostoniae et Bards-Goun per nos hodie erectas, aliasque in eisdem foederatae Americae partibus per Apostolicam Sedem in posterum erigendas, de eorumdem Cardinalium consilio, ac eadem auctoritate tamquam provinciales adscribimus, ac earum Episcopos pro tempore existentes in Baltimorensis Archiepiscopi suffraganeos, qui veluti membra capiti iuri eius archiepiscopali et metropolitico subsint, accensemus; ac huiusmodi ecclesiarum clerum populumque universum, quorum causae ad dictum Archiepiscopum iuxta sacrorum canonum statuta referantur, ipsi Archiepiscopo quoad archiepiscopalia et metropolitica iura subiicimus. Demum pro dioecesi, quae archiepiscopalis ecclesiae Baltimorensis sit deinceps peculiaris et propria, statuimus ei atque praefigimus tam Marilandiam, quam reliquas regiones, quas habet a meridie ad Georgiam usque inclusive, donec tamen provisum aliter fuerit ab hac Sancta Sede, cuius auctoritatem sartam tectamque volumus in praemissis sicut et memoratae congregationis Cardinalium.

Mandatum de obediendo.

§ 6. Mandantes propterea eidem Archiepiscopo nunc et pro tempore existenti in virtute sanctae obedientiae, ut eidem congregationi obsequenter pareat, eiusque iussa fideliter adimpleat, acta visitationis suae archiepiscopalis ecclesiae debitis temporibus ad eam transmittat, eamque de omnibus faciat certiorem, quae spirituali bono gregis sibi commissi, et ecclesiarum suffraganearum amplitudini magis in Domino noverit profutura.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque etiam speciali ac expressa mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. aprilis MDCCCVIII., pontificatus nostri anno IX.

XXXVII.

Confirmat commutationem officii divini favore monialium S. Clarae civitatis Dublinensis cum communicatione in-

dulgentiarum, et regularis professionis formulam tradit.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Illud nos memoria repetentes, quod Sanctus Ioannes Chrysostomus monuit, Deo nempe sacratas virgines coelestis esse philosophiae aemulas, quippe quae vel fragili carne indutae angelicam illam vivendi rationem repraesentant in terris, quam incorporeae potestates ducunt in coelis, libenter in Domino concedimus quidquid ad religiosam earum perfectionem augendam conferre arbitramur.

Expositio precum.

§ 2. Cum igitur dictae in Christo filiae abbatissa et moniales Ordinis Sancti Francisci sanctaeque Clarae Dublinensis civitatis non modo Magdalenam ad Christi Domini pedes contemplantem, sed Martham etiam eidem Domino ministrantem referre cupientes, munus sibi adiunxerint erudiendi inopes puellas in catholica fide, bonisque moribus imbuendi, hortante ad id venerabili fratre Ioanne Thoma eiusdem Archiepiscopo, qui verbo et exemplo nihil reliqui umquam fecit, ut catholica religio maiora sibi incrementa susciperet. Nos quo seduliorem operam dictae moniales in huiusmodi novo gravique officio exemplo navare possent per rescriptum bo. me. Dominici Coppola, dum vixit Archiepiscopi Myrensis et Congregat. Propagandae Fidei secretarii ex audientia nostra die x. iunii MDCCCIV. recitationem divini officii, horarum scilicet canonicarum, quas ante illud tempus ipsae moniales persolvere consueverunt, in officii parvi B. M. Virginis recitationem commutavimus. Postea vero per aliud simile rescriptum ex eadem nostra audientia die XVIII. decembris anni proxime elapsi cum iisdem monialibus super obligatione observandi ieiunia et abstinentias in regularibus suis statutis praescriptas dispensavimus, firmis dumtaxat remanentibus ieiuniis et abstinentiis ab Eecclesia generatim praeceptis; simulque ad sedandas ipsarum monialium conscientias declaravimus nihil sub gravi vel levi culpa obligatorium in earum regula et constitutionibus extare praeter tria consueta paupertatis, castitatis et obedientiae vota, et aliud quartum puellas inopes instruendi, ac alias prout ex memoratis rescriptis, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem institutio huiusmodi ibi suscepta adeo crescit in dies, benedicente Domino, et floret, ut in praesens tempus septuaginta circiter puellae a dictis monialibus bene iam recteque erudiantur, idcirco ipsemet Archiepiscopus dictaeque moniales, quo firmius memorata rescripta subsistant, meliusque serventur, utrumque per nos et hanc Sanctam Sedem confirmari, monialesque specialibus gratiis, quae pro aliis regularibus ordinibus ad iuvenum institutionem addictis concessae sunt, locupletari, ac demum earum profitendi formulam apte immutari posse desiderant; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur ipsas moniales specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, referente dilecto filio magistro Ioanne Baptista Quarantotti dictae Congregationis Propagandae Fidei secretario ambo rescripta praedicta praesentibus pro insertis habentes cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, eadem omnia auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes cum iuris tum facti defectus, siqui desuper in eis quomodolibet irrepserint, supplemus et sanamus.

Concessio indulgentiarum.

§ 4. Praeterea auctoritate nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei auctoritate confisi omnibus et singulis modernis et pro tempore in perpetuum existentibus monialibus praedictis indulgentias, tam plenarias quam partiales, aliasque spirituales gratias regularibus familiis, illarumque individuis ex regulari suo instituto iuvenes doctrinam christianam christianosque mores edocentibus ab hac Apostolica Sede alias impertitas, dummodo iniuncta pro illis consequendis rite expleverint, auctoritate et tenore praedictis perpetuo communicamus, tribuimus et elargimur. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar.

Formula novae professionis.

§ 5. Professionem denique regularem per moniales huiusmodi in posterum emittendam hisce verbis fore volumus, scilicet: « Ego.... Omnipotenti Deo, gloriosissimae » Virgini Mariae orphanorum matri, ac nostro Sancto patri Francisco, sanctaeque » matri nostrae Clarae et omnibus Sanctis, » tibique, reverenda mater abbatissa, et reliquis tibi in officio successuris, vel vices » tuas gesturis, vota facio observandi per » omne vitae tempus regulam vitaeque rationem sororum pauperum Sanctae Clarae ab eodem S. Francisco sibi traditam, » atque a summo Pontifice Innocentio IV. » confirmatam, successive autem a Benedicto XIV. et sanctissimo patre nostro » Pio VII. moderatam; atque ita vivendi, » scilicet sine ulla rerum temporalium proprietate, cum obedientia et castitate, meque praecipue dedico curandis et instruendis pauperibus puellis orphanis; ibidemque observandi clausuram prout temporis » circumstantiae postulaverint ».

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monialium et ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCCCVIII., pontificatus nostri anno IX.

XXXVIII.

De templo Resurrectionis Hierusalem flammis consumpto, scribit Cardinalibus et Praesulibus totius catholici orbis, quibus etiam praescribit subsidia a fidelibus colligi, et modum quo tuto transmitti possint, indictis poenis contra eos qui haec subsidia detinuerint vel distraxerint (1).

Dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus, et venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, et dilectis filiis Praesulibus locorum Ordinariis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

PIUS PP. VII.

**Dilecti filii nostri,
Venerabiles fratres et dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Perlatus est ad nos tristis nuncius, quo significatum est, antiquum et magnificum templum Resurrectionis Hierusalem, in quo claudebatur Sepulchrum Divini Redemptoris nostri Iesu Christi, sive incuriâ sive malitiâ hominum integrum flammis fuisse consumptum. In hoc tam misero ac luctuoso eventu magnam tamen consolationem accepimus, cum novimus, sacrum depositum, quamquam esset undique igne circumdatum, tamen cum maximâ omnium admiratione incolume fuisse servatum. Interim cum incredibili afficiamur animi moerore animadvertentes, quod tam insigne tamque pretiosum Redemptionis nostrae monumentum, quod semper fideles omnes singulari veneratione prosequuti sunt, cuius gratiâ sacras peregrinationes susceperunt, quod gravissimis impensis effusoque sanguine christiani principes defenderunt, quod semper solicitudines et curas exercuit Pon-

(1) Ex Reg. Vatic. Ep. huius anni f. 149.

tificum Romanorum, nunc neglectum maneat ac temporum iniuriis obnoxium, non solum contribuere statuimus ad reaedificandum templum quidquid ferunt tenues vires nostrae, sed etiam excitare studia et pietatem tum venn. fratrum Episcoporum, tum omnium fidelium, ut piis largitionibus dent omnem operam, ut tam sanctum opus perficiatur. Eoque magis quia valde timendum est, ne haeretici et schismatici, qui semper huius templi possessionem adipisci studuerunt, illud suis sumptibus reaedificare velint, ex eoque catholicos expellere; quod gravissimum nobis afferret dedecus et moerorem. Itaque non tantum vos, dilecti filii nostri, venn. fratres ac dilecti filii, omni animi contentione hortamur, ut ex vestris reditibus tantum in eam rem conferatis, quantum conferre poteritis, atque ita supremo pastorum Principi reddatis quod ab eo accepistis, sed etiam optamus, ut summo studio hoc negotium commendari faciatis in omnibus dioecesis principibus ecclesiis, aut per sacros oratores a quibus Dei verbum populo nunciatur, aut in publicis Ecclesiae functionibus per sacros ministros, omnibusque ostendatis quanta sit necessitas reaedificandi ecclesiam S. Sepulchri D. N. Iesu Christi, eosque efficaci sermone hortemini et excitetis ad largiendas eleemosynas, et ad hoc divino Servatori exhibendum tam iustum amoris et venerationis et obsequii pignus. Atque ut omnes ad opus tam praeclarum tamque eximii meriti magis magisque excitentur, ex inexhausto Ecclesiae thesauro annorum centum indulgentiam concedimus cunctis utriusque sexus fidelibus, qui in eam rem subsidium aliquod contulerint. Has vero eleemosynas deponi volumus apud procuratorem aut syndicum fr. Minorum S. Francisci de Observantiâ ubi hi sunt, aut, ubi non sunt, penes alium procuratorem ab Ordinario constituendum. Quae penes procuratorem aut syndicum fr. Minorum Observantium depositae fuerunt, ab eodem mittentur ad dilectum filium religiosum virum commissarium Terrae Sanctae, qui Romae commoratur, ceterae vero tradendae erunt Apostolico nostro Nuncio, aut, si nullus est Nuncius, Episcoporum erit easdem mittere ad Metropolitam qui eas Romam perferendas curabit ad S. R. E. Cardinalem praefectum nostrae Congregationis de Propagandâ Fide eo modo, quem aptiorem et opportuniorem iudicabit. Ubi vero non dioecesani Episcopi sed Apostolici Vicarii sunt, aut ubi extant Episcopi non suffraganei, singulorum erit, cum desunt fr. Minores Observantes, collectas eleemosynas a cunctis vicariatibus aut dioecesibus recipere, easque Romam mittere modo illo, quem supra indicavimus. Et quoniam huiusmodi eleemosynae per multorum manus traduci debent, ut hae fideliter praescriptoque modo transmittantur, confirmamus et renovamus constitutiones praedecessorum nostrorum Sixti V., Pauli V., Gregorii XV., Urbani VIII., qui contra usurpantes aut detinentes easdem eleemosynas poenam excommunicationis Apostolicae Sedi reservatae indixerunt. Iustum est enim quod nullâ ex parte fraudetur pia voluntas fidelium, qui in eam rem aliquid contulerunt, neque quidquam de honore debito tam insigni Sanctuario. Si decus domus Dei omnium fidelium animos excitare et inflammare debet, quanto magis id efficere debet honos eius loci *ubi steterunt pedes eius,* et de quo scriptum est *et erit sepulchrum eius gloriosum!* Itaque non dubitamus quin vos omni ope et operâ curaturi sitis, ut haec nostra voluntas eum, quem summopere optamus, exitum consequatur; certoque promittentes fructum, quem merebitis, copiose et abundanter retributurum bonorum omnium auctorem Deum. Vobis, dilecti filii nostri, venn. fratres et dilecti filii, benevolentiae nostrae pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIII. februarii MDCCCIX., pontif. nostri anno IX. (1).

XXXIX.

Ad petitionem Archiepiscopi Leopolitani armeni ritus deputat Iosephum Krystofowicz in vicarium ap. cum charactere episcopali eorumdem Armenorum, ut eos regat, iuxta S. Congregationis instructionem.

---

(1) Aliae etiam datae sunt literae eodem ferme exemplo, mutatis scilicet mutand., Cardinalibus et Praesulibus Status Ecclesiastici, necnon regibus catholicis.

Dilecto filio Iosepho Krystofowicz Electo Acen,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos te hodie episcopali ecclesiae Acen., quae in partibus infidelium consistit, in Episcopum et pastorem praefecerimus cum diversis gratiis et privilegiis, prout in nostris in simili formâ Brevis expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur: quumque, sicut accepimus, ven. frater Ioannes Simonowicz Archiepiscopus Leopolitanus armeni ritus ob locorum et temporum adiuncta spirituali iurisdictione in catholicos Armenos, qui intra fines degunt Russiaci Imperii, exercere, eorumque curam gerere nullatenus valeat, cupiatque propterea ac vehementer efflagitet, aliquâ per nos provideri ratione, ut ne pars illa gregis dominici in tantâ regionum vastitate dispersa modo errantium ovium relinquatur absque pastore; nos idcirco spectatam pluribusque ac gravissimis testimoniis virtutem tuam probatam habentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, te in Vicarium Apostolicum deputamus, nominamus et constituimus, tibique ut Vicarii Apostolici nomine in Armenos omnes catholicos, qui Russiacae ditionis, qua late patet, finibus continentur, spiritualem iurisdictionem exercere, atque ea omnia, quae huius muneris sunt, obire ac explere libere valeas, facultates necessarias et opportunas tribuimus et impertimur, iuxta tamen instructionem ac salvâ in omnibus semper auctoritate eorumdem Cardinalium.

§ 2. Mandantes in virtute sanctae obedientiae universis ac singulis, ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te ad huiusmodi officium Vicarii Apostolici eiusque liberum exercitium iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant; tibique in omnibus, quae ad istud pertinebunt officium, assistant et faveant, tum et mandata tua ac salubria monita humiliter accipiant, efficaciterque adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris vel statueris in rebelles, habebimus ratam et faciemus, auctore Domino, ad satisfactionem usque condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel particularibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et alias decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. martii MDCCCIX., pontificatus nostri anno X.

MONITUM

Iniqua divexatus oppressione Pontifex et a sede deiectus, in longinquas regiones durissima custodia coercitus, nullam potuit palam exercere iurisdictionem; quapropter per quinquennium, ab anno MDCCCIX. ad an. MDCCCXIV., eius acta desiderantur.

XL.

Eidem Ioanni P. Dolce electo in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum Pallium concedit (1).

Venerabili fratri Ioanni Dolce Patriarchae Antiochen. nationis Maronitarum,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie patriarchali ecclesiae Antiochen. nationis Maronitarum certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negociis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos admissum et approbatum, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in Patriarcham prefecerimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinem pastoralis officii, pro parte tua nobis per dilectum filium Virgilium Pescitelli nostrae consistorialis Aulae advocatum ea quae decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes Pallium ipsum de Corpore B. Petri Apostoli sumptum per duos ven. fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in illis partibus degentes ac gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes tibi assignandum per dilectum et filium Zaccariam Arsenium Cardacchi abbatem monasterii Sancti Antonii Maronitarum de urbe Nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem, Archiepiscopi vel Episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum. Tu autem Pallio eodem intra dictam patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus utaris qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae Antiochen. nationis Maronitarum privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed, quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem ac eamdem Ecclesiam Patriarchalem Antiochen. nationis Maronitarum sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Quocirca praefatis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare et a te nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu alter eorum recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praefati Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi dicto Pallio utentur, haec est: — Ad honorem Omnipotentis Dei, ac Beatae Mariae Virginis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Domini nostri Domini Pii PP. VII. et Sanctae Romanae Ecclesiae, nec non Patriarchalis Ecclesiae Antiochen. nationis Maronitarum tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. — Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: — Ego Ioannes Dolce Patriarcha Antiochen. nationis Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Pio Papae VII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et

(1) Ex eodem Reg. dei Brevi, vol. II., pag. 42.

in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum Limina singulis quinquenniis visitabo aut per me, aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. —

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quartodecimo kalendas ianuarii pontif. nostri anno quartodecimo.

XLI.

Solemnitates requisitas adiungit confirmationi iam factae electionis seu postulationis Ioannis Petri Dolce Episcopi Ptolemaidis ab Episcopis nationis Maronitarum in Antiochenum Patriarcham (1).

---

(1) Reg. dei Brevi della S. Cong. di P. F. vol. II., Fol. 36.

Antiocheno Maronitarum Patriarchatu a R. P. D. Iosepho Thian in manibus SSmi Dni Nostri sponte abdicato, Episcopi et Clerus eiusdem nationis exeunte an. MDCCCIX. miserunt litteras, quibus Sanctitatem Suam et S. Congregationem certiorem fecerunt de electione per eosdem facta de mandato S. Suae die VIII. iunii MDCCCIX. in monastesio S. Iosephi de Aintura congregati unanimi omnium consensu in novum Maronitarum Patriarcham elegerunt R. D. Ioannem Petrum Dolce Episcopum Ptolemaidis; simulque postularunt, ut electio ista apostolica auctoritate confirmaretur. Rite autem perpensa tum documentorum authenticitate, tum aequo ordine, quo electio ipsa peracta fuerat, R. P. Dñus Iohannes Baptista Quarantotti tunc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro-praefectus censuit supplicandum Sanctissimo pro eiusdem electionis confirmatione; ac re proinde litteris suis ad Beatissimum Patrem tunc Savonae detentum delata, placuit Sanctissimo Domino Nostro eamdem electionem chyrographo suo die vigesimaquinta ianuarii MDCCCX. signato benigne confirmare, reservatis tamen ad aliud tempus consuetis solemnitatibus.

Rem autem Beatissimo Patri ad ipsius complementum denuo relatam a R. P. D. Secretario in audientia habita die XXV. septembris MDCCCXIV., Sanctitas Sua in Consistorio proponi et ad ulteriora iuxta morem procedi mandavit.

In consistorio secrecto habito die XIX. decembris MDCCCXIV. solemnitates quae deerant, confirmationi iam factae addidit sequenti allocutione:

VENERABILES FRATRES,

Patriarchatum Antiochenum Syrorum Maronitarum, quorum constantissima semper fuit erga Sedem Apostolicam fides, novissime gerebat venerabilis frater Iosephus Petrus Thian, qui a felicis recordationis decessore nostro Pio PP. VI. in consistorio secreto habito die XXIV. iulii anni MDCCXCVII. in ea dignitate confirmatus fuerat. Ille autem iustis de causis, et pro bono nationis pluribus perturbationibus ac dissidiis iactatae, Patriarchatu se sponte abdicavit, ut ex eius ac dilecti filii Aloysii Gandolfi Delegati Apostolici litteris nobis innotuit.

Eam nos abdicationem ratam habentes per nostram Congregationem de Propaganda Fide mandavimus praesulibus eiusdem nationis, ut ad novi Patriarchae electionem iuxta apostolicas et Synodi Libanensis constitutiones quantocius devenirent.

Simulac eiusdem Congregationis litterae ad Libanum allatae sunt, Metropolitani et Episcopi supradictae nationis in monasterium S. Iosephi civitatis Anthurae in Castrovano convenerunt, et die VIII. iunii anni MDCCCIX. cunctis suffragiis in Patriarcham Antiochenum Maronitarum rite elegerunt venerabilem fratrem Iohannem Petrum Dolci Episcopum Acri seu Ptolemaidis, qui morum integritate, eximio religionis studio, sapientia atque doctrina, usque ab adolescentia inter caeteros eminebat. Electio summa populorum laetitia et consensione excepta fuit, cunctis optatum gliscentium malorum finem inde sperantibus.

Hinc electus Patriarcha, et electores ipsi, nec non abbates, populique primores observantissimis litteris nobis supplicarunt, ut electionem istam suprema auctoritate nostra confirmare nobis placeret, electumque Patriarcham Sacri Pallii honore dignari, mittentes una catholicae fidei professionem ab electo factam, et constituto in urbe procuratore dilecto filio Arsenio Cardachi abbate monachorum Maronitarum S. Antonii.

Delatis huiusmodi litteris ac documentis ad nostrae de Propaganda Fide Congregationis Praefectum, qui auctoritate apostolica eo tunc munere fungebatur, ipse re tota diligenter perpensa, cum electionem iuxta Sacros Canones peractam fuisse comperiisset, id omne nobis, qui tum Savonae detinebamur, per suas litteras significavit, nosque die vigesimaquinta ianuarii MDCCCX. electionem ipsam benigne confirmavimus, dilatis tamen ad aliud tempus consuetis solemnitatibus, et Sacri Pallii traditione, atque una pro-praefecto mandavimus, ut confirmationem nostram electo Patriarchae et Episcopis electoribus annunciandam curaret, quod illico factum fuit.

Nobis autem, vobisque, venerabiles fratres, ad urbem reversis, eadem Congregatio de his omnibus edocta, censuit supplicandum nobis esse, ut ad solemnitatum complementum in consistorio secreto, ut moris est, confirmationis huius praeconium fieret, sacrique Pallii de corpore divi Petri sumpti traditio decerneretur, quibus omnibus annuendum nobis esse existimavimus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ confirmamus et approbamus electionem, seu postulationem, in Patriarcham Antiochenum Maronitarum rite factam de personâ praedicti Iohannis Petri Dolci, quem absolvimus a vinculo, quo tenetur, ecclesiae episcopalis Acri seu Ptolemaidis, ac transferimus ad patriarchalem Maronitarum Sedem, praeficientes in Patriarcham et Pastorem suae nationis, pro qua electus est, prout in decreto et schedula consistoriali exprimitur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Ven. fratri Ioanni Dolce nuper Episcopo Ptolemaiden. in Patriarcham Antiochen. nationis Maronitarum electo,

PIUS EPISCOPUS

**servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Romani Pontificis quem Pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam tunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis Pastor accedat idoneus et Rector providus deputatur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac bona Ecclesiae sibi tradita non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

Confirmat denuo election.

§ 1. Sane Patriarchalis Ecclesia Antiochen. nationis Maronitarum, cui ven. frater noster Iosephus Thian ultimus illius Patriarcha nuper praesidebat per liberam dimissionem dicti Iosephi Patriarchae de illa in manibus nostris sponte factam et per nos admissam Pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem Patriarchalis Ecclesiae Antiochen. nationis Maronitarum celerem et felicem, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de praeficiendo eidem Patriarchali Ecclesiae Antiocheu. nationis Maronitarum personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te nuper Episcopum Ptolemaiden, quem venerabiles et fratres nostri Episcopi catholici et dilecti filii clerus nationis Maronitarum ad praefatam patriarchalem ecclesiam pro eorum Patriarcha elegerunt seu postularunt, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui Ecclesiae Ptolemaiden. hactenus laudabiliter praefuisti, dictam patriarchalem ecclesiam scies, voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis intendentes igitur tam dictae Ecclesiae Patriarchali nationis Maronitarum, quam eius Gregi Dominico salubriter providere. Teque a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio, provisio, et praefectio per nos ut infra facienda praesentesque nostrae litterae suum debitum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ipsamque electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate approbantes et admittentes, omnesque et singulos et substantiales defectus, si qui in electione et postulatione huiusmodi intervenerint, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta Decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide Praepositorum emanatum, et per nos approbatum, te licet absentem, a vinculo quo dictae Ecclesiae Ptolemaiden. cui hactenus praefuisti, tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes ad dictam Ecclesiam Patriarchalem Antiochen. nationis Maronitarum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine paribus transferimus teque illi in Patriarcham praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem dictae patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo. In illo qui dat gratias et largitur praemia, confidentes quod, dirigente Domino actus tuos, praefata patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam patriarchalem ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Nec non venerabi-

libus fratribus nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis Capitulo et Vassallis dictae patriarchalis ecclesiae ac clero et populo eidem patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica seripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes et Capitulo tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam ac reverentiam debitas, ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, ac clerus te pro nostra et eiusdem sedis reverentia benigne recipientes, et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli vero praefati te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Praecipit iuramentum et formulam tradit.

§ 2. Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae Antiochen. nationis Maronitarum te in aliquo immisceas, in manibus duorum venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum vel Episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in ipsis partibus degentium, seu alterius eorum, fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam praesentibus adnotatam, et sic a te praestiti iuramenti formam ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat. — Forma autem iuramenti quod praestabis, talis est:

Formulam iuramenti tradit.

« Ego Ioannes Dolce, Patriarcha Antiochen. nationis Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Pio Papae VII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in concilio, aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae, e successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu in quibus contra ipsum dominium nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse et, quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos et Rebelles Domino nostro et successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum Limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus ad Patriarchalis Ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, ad animarum quae meae fidei creditae sunt salutem, quoquomodo pertinentibus; et vicissim mandata apostolica praedicta humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio Capituli mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente

omnino, per aliquem alium presbyterum Saecularem vel Regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum, de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione S. Concilii Tridentini per supradictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum, bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam, servabo, et, si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. »

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCCXIV., XIV. kalendas ian., pont. nostri anno XV.

XLII.

Reintegrat Societatem Iesu in pristinum statum in universo orbe.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sollicitudo omnium ecclesiarum humilitati nostrae, meritis licet et viribus impari, Deo sic disponente concredita, nos cogit omnia illa subsidia adhibere, quae in nostra sunt potestate, quaeque a divina providentia nobis misericorditer subministrantur, ut spiritualibus christiani orbis necessitatibus, quantum quidem diversae multiplicesque temporum locorumque vicissitudines ferunt, nullo populorum nationum habito discrimine, opportune subveniamus.

Memoratur reintegratio facta societatis in regno Russiaco ad preces imperatoris Pauli primi.

§ 2. Huius nostri pastoralis officii oneri satisfacere cupientes, statim ac tunc in vivis agens Franciscus Kareu et alii saeculares presbyteri a pluribus annis in amplissimo Russiaco imperio existentes, et olim addicti Societati Iesu a felicis recordationis Clemente XIV. praedecessore nostro suppressae, preces nobis obtulerunt, quibus facultatem sibi fieri supplicabant, ut auctoritate nostra in unum corpus coalescerent, quo facilius iuventuti fidei rudimentis erudiendae et bonis moribus imbuendae ex proprii instituti ratione operam darent, munus praedicationis obirent, confessionibus excipiendis incumberent et alia sacramenta administrarent: eorum precibus eo libentius annuendum nobis esse duximus, quod imperator Paulus primus tunc temporis regnans eosdem presbyteros impense nobis commendavisset humanissimis literis suis die XI. augusti anni Domini MDCCC. ad nos datis, quibus singularem suam erga ipsos benevolentiam significans, gratum sibi fore declarabat, si catholicorum imperii sui bono Societas Iesu auctoritate nostra ibidem constitueretur.

Laudes ecclesiasticorum virorum, unde continuo societas floruit magna cum utilitate populor.

§ 3. Quapropter nos attento animo perpendentes quam ingentes utilitates in amplissimas illas regiones, evangelicis operariis propemodum destitutas, essent proventurae, quatumque incrementum eiusmodi ecclesiastici viri, quorum probati mores tantis laudum praeconiis commendabantur, assiduo labore, intenso salutis animarum procurandae studio et indefessa verbi divini praedicatione catholicae religioni essent allaturi: tanti, tamque benefici principis votis obsecundare rationi consentaneum existimavimus, Nostris itaqua in forma brevis literis datis die VII. martii anni Domini MDCCCI. praedicto Francisco Kareu, aliisque eius sodalibus in Russiaco imperio degentibus, aut qui aliunde illuc se conferre possent, facultatem concessimus ut in unum corpus seu Congregationem Societatis Iesu coniungi unirique liberum ipsis esset, in una vel pluribus domibus arbitrio superioris, intra fines dumtaxat imperii Russiaci designandis; atque eius congregationis praepositum generalem eumdem presbyterum Franciscum Kareu ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum deputavimus cum facultatibus necessariis et opportunis, in Sancti Ingnatii de Loyola regulam a felicis recordationis Paulo III. praedecessore nostro apostolicis suis constituttonibus approbatam et confirmatam retinerent et sequerentur; atque ut hoc pacto socii in uno religioso coetu congregati iuventuti, religioni ac bonis artibus imbuendae operam dare, seminaria et collegia regere, et, probantibus ac consentientibus locorum Ordinariis, confessiones excipere, verbum Dei annunciare et sacramenta administrare libere possent; et Congregationem Societatis Iesu sub nostra et Apostolicae Sedis immediata tutela et subiectione recepimus, et quae ad illam firmandam et communiendam, atque ab

abusibus et corruptelis, quae forte irrepsissent, repurgandam, visum fuisset in Domino expedire, nobis ac successoribus nostris praescribenda et sancienda reservavimus: atque ad hunc effectum constitutionibus apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis et indultis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et confirmatis, praesertim literis apostolicis memorati Clementis XIV. praedecessoris nostri incipientibus «*Dominus ac redemptor noster*», expresse derogavimus in iis tantum quae contraria essent dictis nostris in forma brevis literis, quarum initium «*Catholicae*», et dumtaxat pro Russiaco imperio elargitis.

Memoratur aeque reintegratio eiusdem Societatis facta in regno Siciliarum ad preces Ferdinandi regis.

§ 4. Consilia, quae pro imperio Russiaco capienda decrevimus, ad utriusque Siciliae regnum non ita multo post extendenda censuimus, ad preces charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi regis, qui a nobis postulavit, ut Societas Iesu eo modo quo in praefato imperio stabilita a nobis fuerat, in sua quoque ditione ac statibus stabiliretur; quoniam luctuosissimis illis temporibus ad iuvenes christiana pietate ac timore Domini, qui est initium sapientiae, informandos, doctrinaque et scientiis instituendos praecipue in collegiis scholisque publicis clericorum regularium Societatis Iesu opera uti in primis opportunum sibi arbitrabatur. Nos ex muneris nostri pastoralis debito piis tam illustris principis desideriis, quae ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem unice spectabant, morem gerere exoptantes, nostras literas pro Russiaco imperio datas ad utriusque Siciliae regnum extendimus novis in simili forma brevis literis incipientibus «*Per alias*» expeditis die trigesima iulii anni Domini millesimi octingentesimi quarti.

Preces quaquaversus porrectae pro instauratione eiusdem Societatis.

§ 5. Pro eiusdem Societatis Iesu restitutione unanimi fere totius christiani orbis consensu instantes urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, atque ab omnium insignium personarum ordine et coetu, quotidie ad nos deferuntur; praesertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum, quos haec Societas in memoratis regionibus protulerat; quaeque, prolis in dies crescentis faecunda, Dominicum agrum latissime ornatura et dilatura putabatur.

Ratio decernendae reintegrationis.

§ 6. Dispersio ipsa lapidum sanctuarii ob recentes calamitates et vicissitudines, quas deflere potius iuvat, quam in memoriam revocare; fatiscens disciplina regularium ordinum (religionis et Ecclesiae Catholicae splendor et columen) quibus nunc reparandis cogitationes curaeque nostrae diriguntur, efflagitant, ut tam aequis et communibus votis assensum nostrum praebeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos nos esse crederemus, si in tantis reipublicae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quae singulari providentia Deus nobis suppeditat, et si nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocati expertes et validos, qui sese nobis offerunt, remiges ad frangendos pelagi naufragium nobis et exitium quovis momento minitantis fluctus respueremus.

Tenor decretae reintegrationis.

§ 7. Tot ac tantis rationum momentis, tamque gravibus causis animum nostrum moventibus id exequi tandem statuimus, quod in ipso pontificatus nostri exordio vehementer optabamus. Postquam igitur divinum auxilium ferventibus precibus imploravimus, suffragiis et consiliis plurium venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium auditis, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ordinare et statuere decrevimus, uti revera hac nostra perpetuo valitura constitutione ordinamus et statuimus, ut omnes concessiones et facultates a nobis pro Russiaco imperio et utriusque Siciliae regno unice datae, nunc extensae intelligantur, et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus, ad totum nostrum statum ecclesiasticum, aeque ac ad omnes alios status et ditiones.

Licentia superioribus concessa admittendi et cooptandi tirones qui regularem ordinem in Societate exercere cupiunt.

§ 8. Quare concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddaeo Borzozowshi moderno praeposito generali Societatis Iesu, aliisque ab eo legitime deputatis, omnes necessarias et opportunas facultates ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, ut in cunctis praefatis statibus et ditionibus omnes illos, qui in regularem ordinem Societatis Iesu admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant, qui in una vel pluribus domibus, in uno vel pluribus collegiis, in una vel pluribus provinciis sub praepositi generalis pro tempore existentis obedientia coniuncti, et, prout res feret, distributi, ad praescriptum regulae Sancti Ignatii de Loyola apostolicis Pauli III. constitutionibus approbatae et confirmatae suam accommodent vivendi rationem: concedimus etiam et declaramus, quod pariter iuventuti catholicae religionis rudimentis erudiendae, ac probis moribus instituendae operam dare, nec non seminaria et collegia regere,

et, consentientibus atque adprobantibus Ordinariis locorum in quibus eos degere contigerit, confessiones audire, verbum Dei praedicare et sacramenta administrare libere et licite valeant: omnia vero collegia, domus, provincias, sociosque sic coniunctos, et quos in posterum coniungi et aggregari contigerit, iam nunc sub immediata nostra et huius Apostolicae Sedis tutela, praesidio et obedientia recipimus; nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservantes ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constabiliendam et communiendam, et ab abusibus, si forte (quod Deus avertat) irrepserint, repurgandam, statuere ac praescribere visum fuerit expedire.

Monitum ad superiores, socios et alumnos.

§ 9. Omnes vero et singulos superiores, praepositos, rectores, socios et alumnos qualescumque huius restitutae Societatis quantum in Domino possumus commonefacimus et exhortamur, ut in omni loco ac tempore sese fideles asseclas et imitatores tanti sui parentis et institutoris exhibeant, regulam ab ipso conditam et praescriptam accurate observent, et utilia monita ac consilia quae filiis suis tradidit, summo studio exequi conentur.

Simile ad principes, Ordinarios, aliosque in dignitatibus constitutos.

§ 10. Denique dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris, principibus ac dominis temporalibus, nec non venn. fratribus Archiepiscopis et Episcopis, aliisque in quavis dignitate constitutis, saepedictam Societatem Iesu et singulos illius socios plurimum in Domino commendamus, eosque exhortamur ac rogamus non solum ne eos inquietari a quocumque permittant ac patiantur, sed ut benigne illos ut decet et cum charitate suscipiant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 11. Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper ac perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscumque iudices quavis potestate fulgentes iudicari et definiri pariter debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praesertim supramemoratis literis in forma brevis felicis recordationis Clementis XIV. incipientibus « *Dominus ac Redemptor noster* » sub annulo piscatoris expeditis die XXI. iulii anni Domini MDCCLXXIII., quibus ad praemissorum effectum expresse ac speciatim intendimus derogare: caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 13. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis sive exemplis etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, statuti, extensionis, concessionis, indulti, declarationis, facultatis, receptionis, reservationis, moniti, exhortationis, decreti, et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quartodecimo, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno quintodecimo.

XLIII.

Approbat electionem seu postulationem iam a Delegato Apost. confirmatam Gregorii Petri Ep. Germaniciae in Patriarcham Ciliciae Armenorum, sanatis ad cautelam defectibus quibuscumque; eum a vinculo ecclesiae suae solvit, palliumque concedit (1).

(1) Relatis per Emum et Rmum D. Cardinalem Laurentium Litta S. Congregationis praefectum literis Episcoporum et cleri Armenorum Ciliciae enixe supplicantium SS. D. N. ut dignaretur approbare et confirmare electionem R. P. D. Gregorii Petri Sexti Episcopi Germaniciae vel Marhasci in Patriarcham Armeniae minoris et Ciliciae loco Gregorii Petri V., qui die XVII. iunii MDCCCXII. vita functus erat Emi PP. ratam censentes electionis confirmationem, quam R. P. D. Io. Baptista Quarantotti auctoritate apostolica fecerat die X. martii MDCCCXIII. cum praefecti S. C. vices gereret, dilata tamen in aliud tempus eiusdem confirmationis forma servari solita, decreverunt supplicandum esse SSmo P. N. D. PP. ut dignaretur memoratam electionem sua auctoritate apostolica confirmare cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, nec non ut, praevia ab-

Venerabili fratri Gregorio Patriarchae nationis Armenorum Armeniae Minoris et Ciliciae,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie Patriarchali Ecclesiae Armeniae Minoris et Ciliciae certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negociis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos approbatum de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus teque eidem patriarchali ecclesiae in patriarcham praefecerimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Ac postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinem pastoralis officii, pro parte tua nobis per dilectum filium Alexandrum Buttaoni nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes Pallium ipsum de Corpore beati Petri Apostoli sumptum per duos ven. fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in illis partibus degentes ac gratiam ac communionem Sedis Apostolicae habentes tibi assignandum per venerabilem et fratrem nostrum Athanasium Seraste Archiepiscopum Theodosiopolitam nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat. Tu autem Pallio eodem intra dictam patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus utaris qui expressi in ipsius Patriarchalis Ecclesiae Armeniae Minoris et Ciliciae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod

---

solutione a vinculo ecclesiae episcopalis Germaniciae, provideret ecclesiae patriarchali Armeniae minoris et Ciliciae, de persona memorati Petri Episcopi.

Quam S. C. sententiam ab eodem R. P. D. Secretario relatam SSmo Domino Nostro Pio PP. VII. in audientia die XXV. septembris anni MDCCCXIV., Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et rem in proximo consistorio secreto ad exitum perducendam esse iussit.

Die vero XIX. decemb. MDCCCXIV. in consistorio secreto sequenti allocutione confirmationem declaravit.

VENERABILES FRATRES,

I. Cum venerabilis frater noster Petrus V. Patriarcha Armenus Ciliciae, postquam de religione catholica bene meritus esset, brevi et lethali morbo correptus, magno omnium dolore, vita functus fuisset die XVII. iunii MDCCCXII., quinque eiusdem nationis Episcopi (impedito itineris longitudine sexto, Episcopo scilicet Mardinensi) sexto post eius mortem die, in templo Beatissimae Virginis in Coelum Assumptae, patriarchali videlicet Sede, vulgo *Bsumar* appellato, congregati ut novum Patriarcham eligerent, servato ritu et consuetudine, peractoque scrutinio, Patriarcham Ciliciae Armenorum elegerunt ven. fr. nostrum Gregorium Petrum Episcopum Germaniciae, virum virtutis et nobilitatis laude insignem, et a praedecessore suo, qui ipsum Episcopum consecraverat, magno in honore habitum.

II. Insequenti proximo S. Ioannis Baptistae Nativitatis festo die, in eodem templo ritu nationis peculiari consecratus est in Patriarcham, et deinde a quatuor Episcopis, clero et populo exhibita eidem sunt honoris et obedientiae officia. Deinde vero tam electus quam electores scribentes tum nobis, tum nostrae Congregationi de Propaganda Fide, Sedem Apostolicam de legitima Patriarchae electione certiorem fecerunt, mittentes simul fidei orthodoxae professionem ab eodem electo emissam, ac orantes, ut Patriarchae ipsi sacri pallii honorem impertiremur. Ut vero id a nobis consequerentur, procuratorem apud nos constituerunt ven. fratrem nostrum Athanasium Saraf Archiepiscopum Theodosiopolitanum.

III. Eo tempore, quo ista contigerunt, nos ob notas rerum vicissitudines alibi impediti detinebamur. Quare Ioannes Baptista Quarantotti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide tunc temporis praefecti vices gerens, apostolica auctoritate a nobis ipsi delegata, cognita rerum qualitate et legitima agendi ratione, memoratam superius electionem confirmavit reiiciens in tempus reditus nostri functionum reliquarum exequutionem, et sacri pallii munus.

IV. Postquam vero divino beneficio ad nostram hanc Apost. Sedem reversi sumus, eadem S. Congregatio de Propaganda Fide rem considerans et mature perpendens, preces nobis exhibendas esse decrevit, ut nostra apostolica auctoritate Gregorii Petri VI. electionem in Patriarcham Ciliciae Armenorum confirmemus, et sacri pallii honore eumdem donemus. Nos iudicavimus annuere precibus eiusdem Congregationis.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, sanantes quemcumque defectum, etiam substantialem quatenus opus sit, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus Archiepiscopis et Episcopis Armeniae minoris et Ciliciae unanimi consensu factam de persona Gregorii Petri Episcopi, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiae episcopali Germaniciae, et transferimus ad patriarchalem ecclesiam praefatam, praeficientes eum in Patriarcham et pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimitur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

geris exterius interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem Ecclesiam Patriarchalem Armeniae Minoris et Ciliciae sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter ac temporaliter augmentare. Quocirca praefatis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel alter eorum dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare, et a te nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu alter eorum recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praefati Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi dicto Pallio utentur, haec est: — Ad honorem Omnipotentis Dei ac beatae Mariae Virginis ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini nostri Domini Pii Papae VII. et Sanctae Romanae Ecclesiae nec non Patriarchalis Ecclesiae Armeniae Minoris et Ciliciae tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. — Forma antem iuramenti quod praestabis, haec est: — Ego Gregorius Petrus VI. nuncupatus Patriarcha nationis Armenorum Armeniae Minoris et Ciliciae ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Pio Papae VII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum Limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione Investiturarum Bonorum iurisdictionalium de anno Domini MDCCXXV. aeditam servabo. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia. —

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quarto decimo, tertio decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quinto decimo.

XLIV.

Hortatur Regem Francorum ut commercium Nigritarum in propriis ditionibus penitus eradicet, quemadmodum in Britannicis Coloniis omnino vetitum fuit (1).

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo,

PIUS PP. VII.

Carissime fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter tot ac tantas, quae nos ad Petri Cathedram evectos perpetuo affecerunt, sollicitudines, suam quoque partem sibi vindicavit infelix Nigritarum natio, ad quam a miserrimo statu sublevandam enitendum nobis esse hoc praesertim tempore duximus, quo illustria et saluberrima reddendae orbi universo pacis et calamitatum, quantum fieri potest, ab humano genere depellendarum studia maxime fervent. Iisdem, quibus nos, animi sensibus te etiam, carissime in Christo fili noster, penitus animari, explorata nobis iamdudum religio et humanitas tua, qua et Francorum felicitatem indefesse curas, et omnium nationum ardenter expetis, dubitare non sinit. Quare officia nostra pro allevandâ Nigritarum sorte pronis auribus libentique pror-

(1) Ex Reg. Vatic. ep. ad Principes etc. Vide infra Greg. XVI. et Leonem XIII.

sus animo te excepturum omnino confidimus. Ad interponenda vero huiusmodi officia religio nos ipsa movet, quae improbat execraturque turpissimum illud commercium, quo Nigritae, tanquam si non homines sed pura putaque animantia forent, emuntur, venduntur, ac miserrimae vitae durissimisque laboribus usque ad mortem exantlandis devoventur. Itaque inter maxima, quae sanctissima eadem religio orbi contulit, bona, servitutis magnam partem abrogatae aut mitius exercitae beneficium merito ab omnibus recensetur. Hinc factum est, ut Summi Pontifices decessores nostri, doctrinâ non minus quam pietate clarissimi, hominum barbarae servituti subiiciendorum consuetudinem aversati constantissime fuerint. Quod autem servitutis genus fingi aut excogitari potest illo tetrius ac miserabilius, quo Nigritae in tantâ humanitatis europeae gloriâ adhuc opprimuntur? Sapientissime ergo et magna cum Anglici nominis laude probrosus et numquam satis abominandus Nigritarum mercatus in Britannicis coloniis denique abolitus et severissime vetitus est. Quare age, carissime in Christo fili noster, insitae in Borbonio sanguine pietati obsequere: foedam negotiatorum cupiditatem, qui humanitatis iustitiaeque iura nefario questui postponunt, compesce: pudendissimum, uno verbo, Nigritarum commercium, perpetuam bellorum, seditionum, nefandorumque omnis generis criminum scaturiginem, in eâ, quae ad tuas ditiones spectat, parte radicitus extirpa. Quo citius id feceris, eo de religione deque genere hominum universo praeclarius mereberis, uberioremque nec ulla oblivione delendam tuo nomini gloriam comparaveris. In quarum rerum auspicium apostolicam tibi, carissime in Christo fili noster, benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. septembris MDCCCXIV. (1), pontificatus nostri anno XV.

XLV.

Visitatorem ap. deputat cum extraordinariis facultatibus pro missionibus curae FF. Minor. Ref. in Aegypto commissis.

Dilecto filio Angelo Giorgi a Pophis Ordinis fratrum Minorum Reformatorum nuncupat. S. Francisci Professori,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil sane molestius afferri potuit nobis, quam quod nuper accepimus de Missionibus curae fratrum Minorum Reformatorum nuncupat. Ordinis S. Francisci in Aegypto commissis, ubi plures inolescere abusus fide dignis apud nos testimoniis pro certo et comperto affirmatur; ea itaque nos qua universum complectimur Domini gregem, pastorali sollicitudine isthuc quoque, ne radices zizania agat altiores, statim mentis nostrae oculos intendentes, ac de te Ordinis eiusdem alumno, plurimumque, ob spectatam pietatem, doctrinam, prudentiam, aliasque virtutes tuas, apud nos commendato specialem in Domino fiduciam habentes, teque a quibusvis etc. te in Visitatorem Apostolicum earumdem missionum apostolica auctoritate, tenore praesentium, eligimus et deputamus. Tibique non modo facultatis iura et privilegia, quibus huiusmodi Missionum praefecti pollere solent et gaudere, concedimus atque tribuimus, sed specialem quoque copiam et potestatem, cuius vigore irreptos abusus reformare, collapsam disciplinam restituere, delinquentes coercere, contumaces poenis canonicis plectere ac a Missionibus etiam removere, demum ea omnia statuere quae ad praedictarum Missionum utilitatem rectumque ordinem iuxta traditam tibi instructionem magis in Domino iudicaveris expedire, libere ac licite possis et valeas, auctoritate et tenore praefatis adiicimus et impartimur, ita quidem, ut quae superius recensita sunt, atque a te fuerint peragenda, vim habeant ac habere debeant donec praelaudata Congregatio certiorata de omnibus facta suum de iis iudicium proferat. In contrarium facientibus etiam speciali mentione et derogatione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXV. novembris MDCCCXIV., pontificatus nostri anno XV.

---

(1) Eodem exemplo mut. mutand. scripsit Pontifex Regi Hispaniarum et Principi Brasiliae Regni Lusitani Regentis.

XLVI.

Vicario Ap. Cophtorum Aegypti coadiutorem concedit.

Dilecto filio Theodosio Habucarim Presbytero Cophto S. Congregationis de Propaganda Fide alumno,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Mattheus Righet Vicarius Apostolicus Cophtorum Aegypti ob ingravescentem aetatem et incommoda valetudinis aliquo coadiutore, sicut accepimus, egeat, qui in perferendo vicariatus onere ipsi auxilium praestet atque levamen, nos idcirco pro commissi nobis divinitus pastoralis officii cura, ne quid desit istarum partium assistentiae spiritualis, quantum nobis ex alto conceditur opportune consulere volentes, teque de cuius probata apud nos pietate, prudentia ac religionis studio plurimum in Domino confidimus, prae oculis habentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris etc., te in coadiutorem praenominati Matthei cum futura in praedicto ipsius apostolico Vicariatu Cophtorum favore tui successione, auctoritate apostolica tenore praesentium nominamus, deputamus et constituimus, ita tamen, ut, ipso Mattheo vivente, in exercitio et administratione vicariatus huiusmodi, non nisi quantum et quatenus idem Mattheus ordinaverit, te ingerere possis, ea vero, quae ipse hac in re mandaverit, tibi omnino praestare et adimplere tenearis. Quod si idem Mattheus ab humanis decedat, aut forsan, quod absit, iam decessisse contigerit, seu praedictus eius vicariatus apostolicus alias quomodolibet ex persona ipsius vacaverit, te eius loco Vicarium Apostolicum Cophtorum tantum cum omnibus et singulis facultatibus, quae praedicto Mattheo ratione vicariatus huiusmodi a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae et attributae fuerunt, ex nunc pro tunc, et e contra, auctoritate et tenore praefatis facimus et instituimus, salva semper tamen in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te ad officium coadiuctoris et tempore suo ad illud Vicarii Apostolici Cophtorum eiusque liberum exercitium, iuxta eorumdem praesentium tenorem, recipiant et admittant, tibique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint, atque obediant, tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam sive poenam quam in rebelles tuleris rite seu statueris, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIX. novembris MDCCCXIV., pontificatus nostri anno XV.

XLVII.

Communicat privilegia, apostolicis missionariis alias concessa, presbyteris de Oratorio Congregationis Sancti Philippi Nerii civitatis Limanae.

Dilecto filio Gregorio Antonio Tambino et Lama presbytero Congregationis de Oratorio nuncupatae S. Philippi Nerii Limanae civitatis,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide dignis commendaris testimoniis, nos adducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur liberales. *Ratio concessionis.*

Expositio precum.

§ 2. Quum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, presbyter congregationis de Oratorio Sancti Philippi Nerii alumnus, et missionum, quae per alumnos eiusdem congregationis tam Limae eiusque suburbiis, quam aliis in locis exercentur, praefectus a tuis superioribus constitutus existis, in Domini idcirco vineam sacris missionibus et praedicationibus excolendam praecipue incumbas, et ad christanos populos maiori erga ministerium tuum huiusmodi reverentia excitandos, uberioresque e laboribus tuis fructus colligendos, titulo missionarii apostolici tam pro te, quam pro consociis tuarum missionum condecorari cupias, humiliterque a nobis deposcas:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos te in laudabili opere huiusmodi confovere ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuis inclinati, tibi, ut tam teipsum, quam tuos missionum socios, ac tempore missionum tuarum una tecum insimul laborantium, missionarios apostolicos nominari, et nomine ac titulo missionariorum apostolicorum, nec non gratiis et privilegiis huiusmodi titulo adnexis uti, frui et gaudere libere et licite possitis et valeatis, ita tamen, ut Ordinariis locorum ubicumque missiones concionesque sacras concomitantes habueritis, in omnibus et per omnia tam tu quam socii tui subiaceatis, nec ultra eas, quas iidem Ordinarii vobis pro utroque foro tribuerint, facultates, tam in missionum exercitio quam extra, vos unquam extendatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IX. decemb. MDCCCXIV., pontificatus nostri anno XV.

XLVIII.

Concedit missam Beatae Mariae Virginis nuncupatae del Miracolo *pro ecclesia S. Francisci civitatis Limanae.*

Venerabili fratri Archiepiscopo Limano,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Nomine dilectorum filiorum modernorum cappellani et sindaci cappellae sub titulo Nostrae Dominae vulgo *del Miracolo* adoptatae seu adgregatae conventui magno nuncupato Sancti Francisci Limanae civitatis, quod ad augendam erga Deiparam devotionem et cultum valde conferret, si sabbato sancto in dicta cappella, postquam divina officia in ecclesia metropolitana expleta fuerint, missa una votiva eiusdem Beatae Virginis celebraretur cum cantu, quemadmodum pro multis aliis istarum regionum ecclesiis id concessum fuisse asseritur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi prius de narratorum veritate, una missa votiva, expletis officiis ut supra, de B. Virgine etiam cum cantu per sacerdotem a te singulis annis eligendum in dicta cappella, servata in reliquis rubricarum generalium dispositione, celebrari possit, auctoritate nostra apostolica, pro tuo arbitrio et prudentia concedas et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX. ianuarii MDCCCXV. pontificatus nostri anno XV.

XLIX.

Vic. Ap. Cophtorum Aegypti ad episcopalem ordinem promovet.

Dilecto filio Mattheo Righet Vicario Apostolico Cophtorum Aegypti Electo Uthicen. in Africa,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et gubernare feliciter.

Reservatio provisionis ecclesiarum et nominatio ad ecclesiam Uthicen.

§ 1. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero ecclesia episcopalis Uthicen. in Africa sub archiepiscopatu Chartaginen. quae in partibus infidelium consistit, et cui bo. me. Ioannes Rodriguez ultimus illius dum viveret Episcopus praesidebat, per obitum ipsius Ioannis qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, solatio pastoris destituta: nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se hac vice potuit intromittere seu potest, reservatione et decreto obstantibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam, cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negociis de Propaganda Fide praepositis, habuimus diligentem, demum ad te qui, ex legitimo matrimonio procreatus, Vicarius Apostolicus Cophtorum Aegypti auctoritate nostra et huius Sanctae Sedis deputatus existis, cuiusque apud nos de vitae munditia, morum honestate, christianae religionis ac catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna testimonia perhibentur, oculos mentis nostrae direximus, quibus omnibus debita ratione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, eamdem Uthicen. ecclesiam episcopalem de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum et pastorem praeficimus, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Uthicen. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, retento pariter titulo Vicarii Apostolici Cophtorum Aegypti, eo vel magis quia orthodoxa praedictorum Cophtorum et Aegypti natio cum neminem habeat, qui munia episcopalia exerceat, non sine maximo eorumdem incommodo ac detrimento, te charactere ac titulo episcopali, ut supra, decoratum humiliter ac instantissime nobis supplicavit, ut tu ad episcopalem ordinem promotus eorum quoque utilitati et bono spirituali consulere posses, in illo qui dat gratias et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta Ecclesia Uthicen. in Africa per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in ipsis spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curae et administrationi praefatis ita studeas fideliter prudenterque, ut Sedis Apostolicae uberius exinde benedictionem et gratiam consequi merearis. Praeterea tibi ut ad Ecclesiam Uthicen. praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime dicta auctoritate de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus. Caeterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi ut a quocumque quem malueris catholico Antistite S. nostrae Sedis gratiam et communionem habente accitis, et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saeculari-

bus vel cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti regularibus similem praefatae huius Sedis gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas. Ac eidem Antistiti, ut, acceptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, quod, nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere tuque illud suscipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

§ 2. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae Uthicen. aliisque quibuscumque etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx. martii MDCCCXV., pontificatus nostri anno xv.

L.

Patriarcham Alexandrinum Coptorum hortatur ad catholicae fidei professionem iuxta formulam exhibitam; certiorem illum reddit privilegia Sedis integra remansura post professionem fidei; invitat ut monachos in eorum hospitium Romam mittat et nonnullos adolescentes in Collegium Urbanum (1).

Venerabili fratri Patriarchae Alexandrino Coptorum,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Simul ac spectabilium pietate virorum literis nobis innotuit te, ven. frater, licet ab Ecclesiâ catholicâ segregatum, animo tamen tam propenso in eam esse, ut abrupto, quo teneris, divisionis laqueo ad ipsius sinum una cum aliis tuae ditionis Episcopis confugere paratus sis, incredibile dictu est, quam subito et quam acri religiosae laetitiae sensu completi simus. Itaque sublatis in caelum oculis, ei, qui dives est in misericordiâ, toto cordis affectu gratias egimus enixeque supplicavimus, ut quam tibi mentem infuderat, conservaret, augeret, et felicem denique ad exitum pro suâ bonitate perduceret. Scilicet gravissimis tibique procul dubio notis, quas passi sumus, calamitatibus, dirae, quae in catholicos furere non cessat, persecutioni, omnibus demum, quae, irato propter peccata nostra Deo, Ecclesiae, cui immerentes praesumus, incubuere, malis, ingens profecto solatium tuus tuorumque ad fidem orthodoxam apostolicam romanam reditus afferret. Quo nos gaudio afficeremur, si tamdiu expetita inter Romanam Ecclesiam, quam B. Petrus erexit, et Alexandrinam, quam idem Apostolorum Princeps decoravit, et in quam Evangelistam discipulum misit, concordia restitueretur! Quam effuse noster exultaret animus, si Patriarchatum Alexandrinum tot nominibus praestantissimum, cui Athanasius, Cyrillus, aliique sanctissimi doctissimique viri praefuerunt, quos perpetuos acerrimosque orthodoxi dogmatis defensores S. Caelestinus I. decessor noster appellavit, avito splendori gloriaeque tot meritis partae redditum cerneremus! Age ergo, ven. frater, vocanti te Deo responde, moras rumpe: nos, qui porrectis ulnis in tuos amplexus ruere parati sumus, recrea et solare. Hoc pacto non interiturum tibi nomen consequeris, aeternamque salutem, quod caput est, tuam in tuto collocabis. Scis enim unam esse Petri naviculam, quam si quis non ingreditur, miserrimo naufragio pereat necesse est. Scis Romanos Pontifices Petri successores supremum eiusdem

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide emend. ex Reg. Vat.

naviculae clavum tenere, iisque ab omnibus, qui salvi esse cupiunt, omnino parendum esse. Nos, tuae Sedis praerogativas et privilegia sarta tectaque ut sint, diligentissime curabimus, praeclaram illam S. Leonis Magni decessoris itidem nostri sententiam sequuti: *Nihil Alexandrinae Sedi pereat dignitatis.* Quare statim ac Ecclesiae Romanae omnium quotquot in orbe terrarum sunt Ecclesiarum matri et magistrae in unitate fidei et vinculo caritatis adhaeseris (quod subscriptâ, quae nostro iussu tibi exhibebitur, orthodoxae fidei formulâ nobis exploratum facies) aliquem ex tuis monachis mittere ad urbem poteris, qui sacras aedes a Summis Pontificibus erectas, a Clemente XI. restitutas, a Clemente autem XII. tuis S. Abbatis Antonii Magni monachis assignatas inhabitet, atque ut dignis Alexandrinâ Ecclesiâ operariis instruatur, aliquot adolescentibus a te designandis in Urbano de Propagandâ Fide Collegio locus erit, ut ad omnem ibi pietatem et doctrinam exculti, strenui orthodoxae fidei praecones istuc revertantur. Interim pro iucundissimâ spe a te in nobis excitatâ, ut aliquam tibi vicem rependamus, sacra quaedam munuscula ad te perferenda tradidimus, illius benevolentiae pignus, quam uberioribus tibi argumentis ostendere ac testari exoptamus. Superest, ven. frater, ut, quoniam renuntiatum nobis est alios etiam inclytae nationis tuae Episcopos et primores in salutare, quod agitas, consilium convenire, eosdem omni cura omnique sedulitate horteris, ut in sancto proposito permaneant, illudque tecum exequi festinent, quem ad finem paternos sensus, quos in his literis tibi aperuimus, sibi quoque declaratos reputent, ut ad amplectendam catholicam veritatem magis ita magisque incitentur. Hac ratione cumulus vel maximus addetur tuis apud Deum meritis, a quo veram et solidam tibi felicitatem adprecamur, dum apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam tibi ipsi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat. die VIII. iulii MDCCCXV., pontificatus nostri anno XVI.

LI.

Gregorium Bachinanti in Archiepiscopum eligit, ut pontificalia et sacras ordinationes armeni ritus in Urbe peragat (1).

Dilecto filio Gregorio Bachinanti Presbytero in Archiepiscopum Ecclesiae Theodosiopolitan. electo,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant, non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium, et in posterum vacaturarum, ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum vero archiepiscopalis Ecclesia Theodosiopolitan. quae est civitas Armeniae Minoris Arsignan et Azyres in partibus infidelium consistens et cui bo. me. Athanasius Saraft, dum viveret, Archiepiscopus armeni ritus praesidebat, qui etiam pontificalia et sacras Armenorum Ordinationes in Urbe peragebat, per obitum ipsius Athanasii, qui in Romana Curia diem clausit supremum, solatio pastoris destituta, nos ad eiusdem Ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se hac vice potuit intromittere, seu potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis et ne desit in Urbe Episcopus Armeni ritus, qui pontificalia et sacras ordinationes Armenorum peragat, paterno et

(1) Ex Tab. S. C. de Prop. Fide Reg. dei brevi vol. II.

sollicito studio intendentes post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem; demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitime constitutus existis, de cuius vitae munditia, morumque honestate, prudentia, pietate, ac studio christianae religionis et catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia, et temporalium circumspectione apud nos fide digna testimonia perhibentur, oculos mentis nostrae direximus, quibus omnibus debita ratione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eamdem Theodosiopolitan. archiepiscopalem Ecclesiam de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Theodosiopolitan. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta Ecclesia Theodosiopolitan. per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in ipsis spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet.

§ 2. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque, ut Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam; praeterea tibi ut ad Ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate de speciali dono gratiae concedimus et indulgemus. Caeterum ad ea, quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum, favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque, quem tu malueris, catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente accito, et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas; ac eidem Antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus autem, atque decernimus, quod nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud suscipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus specialibus nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. iulii MDCCCXV., pontificatus nostri anno XVI.

LII.

Delegatum Ap. in Monte Libano Episcopum constituit.

Dilecto filio Aloysio Gandolfi Presbytero Congregationis Missionum, et auctoritate apostolica delegato in Monte Libano, in Episcopum Ecclesiae Icosien. in partibus infidelium electo,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde red- Exordium.

dimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare.

Electi encomium et electio.

§ 1. Dudum siquidem ecclesiarum omnium tunc vacantium provisiones et in posterum vacaturarum ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum ac inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero cum ecclesia episcopalis Icosien. quae in partibus infidelium consistit, et cui bo. me. Emmanuel Terzero ultimus illius, dum viveret, Episcopus praesidebat, per obitum ipsius Emmanuelis, qui extra Romanam Curiam diem clausit supremum, solatio pastoris destituta remanserit: Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fidei digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se hac vice potuit intromittere seu potest reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ac ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te qui ex legitimo matrimonio procreatus es, et in Sacro Ordine presbyteratus inter congregationis missionum presbyteros constitutus, ac in aetate canonica etiam existis, et laudabiliter plura ac difficilia munia tamquam delegatus auctoritate nostra apostolica in Monte Libano huc usque gessisti, et cui alia non minora adhuc expedienda supersunt, cuiusque apud nos de vitae munditia, morumque honestate, christianae religionis ac catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione, fide digna testimonia perhibentur, oculos mentis nostrae direximus: quibus omnibus debita ratione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendam, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Icosien. de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum et pastorem praeficimus, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Icosien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia Icosien. per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in ipsis spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia Icosien. gaudeat se provido gubernatori ac fructuoso administratori esse commissam, tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate, de speciali dono gratiae concedimus et indulgemus. Caeterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter recipientes, tibi ut a quocumque quem tu malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente accito, et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, seu cuiusvis ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praefatae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere ac licite possis et valeas, ac eidem Antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praescriptum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem.

Derogat contrariis et professionem fidei praecipit.

§ 2. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus,

caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, et eadem auctoritate praecipimus atque decernimus, quod nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud suscipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XI. aug. MDCCCXV. pontificatus nostri anno XVI.

LIII.

Extensio officii et missae cordis Iesu, iam concessae pro dioecesi de Guatimala, pro clero ecclesiarum de Chiapa, Nicaragua et Camayagua unitarum praedictae dioecesi.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Raymundus Casaus et Torres Archiepiscopus de Guatimala nomine etiam universi cleri tam propriae dioecesis, quam de Chiapa, Nicaragua et Camayagua, quarum ecclesiae eiusdem archiepiscopatus suffraganeae sunt, quod, ad magis magisque devotionem augendam erga sanctissimam passionem Domini Nostri Iesu Christi, extensionem officii et missae Sacri Cordis Jesu non solum ad dioecesim Guatimalanam praedictam, sed ad memoratas etiam suffraganeas summopere cupit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur ipsum exponentem ac singulares personas, quibus praesentes nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, referente dilecto filio Aloysio Gardellini assessore congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, universo clero memoratarum dioecesum festi sacri Cordis Iesu peragendi in feria VI. post octavam SS. Corporis Christi cum officio et missa alias approbatis sub ritu duplici maiori, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, nec non facultatem festum praedictum transferendi ad aliam diem primo non impeditam iuxta rubricas, casu quo in praedicta feria VI. occurrat festum solemnioris ritus, eadem auctoritate tenore praefatis tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCCXV., pontificatus nostri anno XVI.

LIV.

Petit a praeposito generali Societatis Iesu aliquot presbyteros professos eiusdem Societatis et novitios adducendos in N. Aureliam ab ipso Episcopo, quorum ministerio et Societas illic propagari, et infideles evangelizari, et collegia erigi possint (1).

Dilecto filio Praeposito Generali Societatis Iesu,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater Guillelmus Dubourg, nuper a nobis Episcopus Novi Orleans nuncupatus atque in almâ Urbe superioribus diebus consecratus, vehementer optat in dioecesi suâ clericos Societatis Iesu constituere, quorum ministerio infidelibus, qui magno numero dioecesim illam incolunt,

(1) Ex Reg. epist. Latin.

evangelii lumen valeat afferre. Id ut assequatur, duos ex eâ Societate presbyteros professos necnon quinque vel sex novitios secum vellet adducere, ut eorum operâ propagari Societas, atque unum vel plura erigi in dioecesi illâ collegia possint. Nos igitur, quibus pro Apostolatus nostri munere praecipua debet esse cura, ut ii qui in tenebris sedent atque in umbrâ mortis, ad agnitionem veritatis adducantur, studiis spectatissimi illius Episcopi faventes, negotium hoc tibi, dilecte fili, etiam atque etiam commendamus, petimusque ut, quos ille optat tuae Societatis alumnos, qui quidem idonei iudicentur, et devovere se sanctissimo huic operi velint, eidem, si fieri possit, concedas. Gratissimum id quidem erit nobis atque acceptum Deo, a quo tibi bona cuncta adprecamur ex corde, et apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum ex Arce Gandulphi die XVI. octobris MDCCCXV., pontificatus nostri an. XVI.

LV.

Ex proventibus abbatiae de Roccadia et tertiae partis pensionabilis bonorum ecclesiasticorum pensionem annuam Seminario Graeco-Albanensi perpetuo adsignat.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus constituti consulere debemus, ne ecclesiastica seminaria, quae religionis praesidio et incremento provide instituta sunt, temporum procellis obruantur.

Expositio precum.

§ 2. Ex parte dilecti filii presbyteri Francisci Chiarchiario rectoris seminarii Graeco-Albanensis in civitate Panormitana erecti expositum nobis nuper fuit, quod, cum ab anno MDCCCIX. res familiares dicti seminarii ob temporum iniurias ita collapsae remanserint, ut diutius stare nequiret, nobis tunc armato milite circumdatis, ad carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum utriusque Siciliae regem confugit orans, ut pro suo perspecto religionis zelo conservationi dicti seminarii consuleret, qui, cum ex regio aerario subvenire minime valeret iam ob publicas calamitates fere exhausto, per aliquam pensionem annuam super redditibus ecclesiasticis opitulandum fore censuit, si id nobis postquam in libertatem restituti essemus, et huic S. Sedi placuisset, nobis propterea dictus rector asserens maximam seminarii necessitatem, humiliter supplicari fecit, ut eidem seminario in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et singulares personas quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, favore dicti seminarii eiusque alumnorum nunc et pro tempore in perpetuum existentium pensionem annuam ducentarum unciarum aurearum monetae Siculae super redditibus et proventibus abbatiae de Roccadja, et super fructibus bonorum stabilium ecclesiasticorum ipsius regni Siciliae tertiam partem pensionabilem habentium per respectivos locorum Ordinarios statuendam et exequendam (quibus per praesentes speciales ad id et necessarias facultates ex nunc prout ex tunc et e contra tribuimus) servatis alias servandis, de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium ex nunc pariter prout ex tunc reservamus, constituimus et in perpetuum adsignamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae abbatiae et aliarum ecclesiarum fundationum aut beneficiorum huiusmodi pensionabilium etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel

quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XIII. februarii MDCCCXVI., pontificatus nostri anno XVI.

LVI.

Erigit episcopatum de Chilapa in America.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Universi Dominici gregis cura adeo cor nostrum excitat, ut ea quae a catholicis regibus ad animarum populorum eis subditorum salutem tendentia a nobis expostulantur, benigno prosequi favore non dubitemus, et praesertim si de catholica servanda et propaganda Fide in quibusvis regionibus agatur, adiutrices porrigamus manus prout conspicimus in Domino salubriter convenire.

Hispaniarum rex preces porrexit pro nova erectione sedis de Chilapa.

§ 2. Cum itaque, sicut per dilectum filium equitem Antonium Vargas y Laguna carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici apud Sedem Apostolicam administrum plenipotentiarium accepimus, praefatus Ferdinandus rex optet, ex eo quod habitatores Americanae regionis ex parte regni Mexicani, quae latus ad Oceanum Suri nuncupatum in summa spiritualis pabuli necessitate versantur, itinerum enim longinquitas atque asperitas, quominus Episcopi illarum dioecesium ad eas accedant partes, impediunt, ex quo fit, ut oves illis in locis degentes nec oratione nec exemplo ad catholicae religionis cultum et disciplinam exacte observandam facile excitentur; quapropter fides apud habitatores illos magis magisque in dies languet, immo etiam vitia augentur quotidie perniciosiora, et, nisi remedia praesto sint, omnes animas penitus sint occupatura, etiam pro eo quod parochi et vicarii quemquam enixe suo fungi munere laborent, non tamen pravis moribus auferendis, mentibusque evangelica doctrina imbuendis per se sufficiunt, opportune consultum esse existimet, si in regione praedicta ad litus maris Suri, atque Acapulci novus Episcopus constituatur ex dismembratione partim archiepiscopatus Mexicani, partim episcopatuum Mechoacani et Hascalensis, vulgo Pueblo de los Angelos et Chilapae, locus ob aeris salubritatem et situs opportunitatem aptissimus, in episcopatum apostolica auctoritate infrascriptis modo et forma erigeretur:

Erectio loci in civitatem et ecclesiae in cathedralem.

§ 3. Nos omnibus mature perpensis praedicti Ferdinandi regis votis clementer annuere, eosdem Christi fideles quantum in Domino possumus specialibus favoribus et gratiis prosequi, eorumque spirituali bono consulere volentes, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictum Chilapae locum a dioecesi, cui ad praesens subest, penitus et perpetuo dicta apostolica auctoritate tenore praesentium dividimus et separamus, ipsumque locum Chilapae sic divisum et separatum iuxta canonicas sanctiones episcopalis civitatis titulo et honore apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo decoramus, et ampliorem dignioremque ecclesiam in eodem Chilapae loco per nos civitatis titulo, ut praefertur, decorato existentem ab infrascripto praesentium nostrarum literarum exequutore designandam de apostolicae potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem de Chilapa nuncupandam pro uno Episcopo de Chilapa, qui inibi de more resideat, quique omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis et praerogativis eisdem modo et forma quibus caeteri Episcopi praesertim in praedicti catholici regis Americae ditionibus perfruuntur et gaudent cum omnimoda episcopali iurisdictione in civitate Chilapae eiusque dioecesi ut infra assignanda perfruatur et gaudeat, atque in eadem ecclesia in cathedralem erigenda ex nunc pro tunc cum primum fieri poterit, dignitates, canonicatus et beneficia pro to-

tidem presbyteris seu clericis, adeo ut capitulum dictae ecclesiae, ut praefertur, designandae, atque in ecclesiam cathedralem, ut praefertur, erigendae tot individuis, quot necessarii erunt, sit compositum, de simili apostolicae potestatis plenitudine etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Assignatio dioecesis.

§ 4. Eidemque futuro et pro tempore existenti Episcopo de Chilapa pro sua dioecesi tam Chilapae civitatem, cum suis pertinentiis, quam partes dismembrandas ab archiepiscopatu Mexicano, ab episcopatibus Hascalensi vulgo Pueblo de los Angelos, et Mechoacani, respectivis tamen ab eorum Ordinariis reportatis antea consensibus, nec non latus Suri, qui ab amne Quaxisolano usque ad Oceanum mare protenditur, per praesentes assignamus, et ex huiusmodi territorio novam de Chilapa dioecesim efformatam volumus, statuimus et declaramus.

Constitutio dotis ecclesiae.

§ 5. Quoniam vero ob rerum perturbationes, quibus America concussa nuper atque exhausta fuit, novae huic ecclesiae de Chilapa minime conferri nunc potest dos illa, quam memoratus Ferdinandus rex constituere de more voluisset, ad summam scilicet ponderum decem millium, conflando illam ex quatuor ponderum millibus a cumulo decimarum archiepiscopatus Mexicani decerptis aliis quatuor ponderum millibus ab episcopatu Hascalensi vulgo Pueblo de los Angelos, reliquis autem binis ponderum millibus ab episcopatu Mechoacano; hinc nos ob praememoratas causas supra recensitam dotationem, eiusque adsignationem, usque dum per rerum et temporum circumstantias id exequi poterit, differimus, et ad hoc ut ab illius praesule episcopalis dignitas decenter tueatur, eam dotem quam rerum status in praesentiarum permittit, quam prout etiam illam, quae ad meliora tempora servanda est secundum canonicas sanctiones, iura et leges, quae per Americae incolas legitimae vigent, adsignatam volumus donec et quousque ut supra provideatur, eadem apostolica auctoritate modo constituimus et assignamus.

Reservatio iuris nominandi favore regis catholici.

§ 6. Et insuper favore eiusdem Ferdinandi regis, suorumque in regnis successorum, ius nominandi seu praesentandi, infra tempus a iure praefixum, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam episcopalem ecclesiam de Chilapa per nos, ut praefertur, erectam a primaeva illius erectione, vacantem, tam pro prima vice, quam etiam in posterum in futuris illius vacationibus, pari prorsus modo quoad nominationem seu praesentationem eamdem Episcopi aliarum ecclesiarum in praefatis regnis existentium a Sede Apostolica praedicta praefici consueverunt, cum hoc tamen, quod Episcopus cathedralis ecclesiae de Chilapa per nos, ut praefertur, erectae, ordinariae iurisdictioni pro tempore existentis Archiepiscopi Mexicani, uti eius Metropolitani, subiectus esse debeat apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo reseramus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 7. Ut denique omnia praesentibus nostris literis disposita et ordinata observentur, et ipsius Ferdinandi regis vota ad optatum exitum perducantur, idoneam personam episcopali caracthere insignitam, vel in alia ecclesiastica dignitate constitutam, a laudato rege pro ipsius arbitrio et prudentia eligendam, in earumdem praesentium literarum nostrarum exequutorem deputamus, ut ipsa certioratis venerabilibus fratribus Archiepiscopo Mexicano ac Hascalensi, vulgo Pueblo de los Angelos, et Mechoacano Episcopis, eorumdemque consensibus prius requisitis et acceptis, novam cathedralem Ecclesiam de Chilapa erigat, respectivarum dioecesum limites assignet ac statuat, nec non congruam annuam dotem episcopatui de Chilapa, quae in praesens adsignari poterit, constituat, et capitulum, quod in cathedrali Ecclesia de Chilapa esset instituendum, quodque ob actuales difficiles circumstantias differtur, et ad opportuniorem rerum statum reservatur, cum primum id in posterum fieri poterit, cum congrua assignatione instituere curet, omniaque alia opportunis modo et forma exequi studeat, ad quem effectum ei omnes necessarias et opportunas tribuimus facultates.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 8. Praesentes autem nostras apostolicas literas, et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore ex quacumque etiam legitima causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam seu Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, vel quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, suspendi, revocari, restringi, limitari, aut alias etiam motu pari concedi, seu illis

etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus umquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuncios praefatos, et quosvis alios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et potestate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non, quatenus opus sit, Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque Mexicanae, Hascalensis et Mechoacanae respective ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas et causas etiam quantumvis pias et privilegiatas, etiam praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis et expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse nec non opportune et valide hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse harum quoque serie derogamus et sufficienter derogatum esse et censeri etiam decernimus, contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae apostolicae.

§ 10. Volumus autem, quod cathedralis ecclesia de Chilapa per nos ut praefertur erecta ad florenos triginta tres cum uno tertio taxari, et huiusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§ 11. Praeterea etiam volumus huiusmodi nostrarum literarum exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae divisionis, separationis, unionis, incorporationis, reservationis, facultatis, impartitionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae, millesimo octingentesimo decimosexto, quinto kalendas martii, pontificatus nostri anno XVI.

LVII.

Ad sedanda dissidia inter administratorem S. Thomae et missionarios exorta visitatorem ap. instituit (1).

Venerabili fratri Episcopo Antifellen. Vicario Magni Mogoris apostolica auctoritate deputato,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Suprema apostolicae charitatis prudentiaeque nostrae erga omnes Christifideles, praecipue Ecclesiae ministros, qui luce bonorum operum fidelibus populis exemplo esse debent, adhibenda a nobis cura maximopere postulat atque exigit, ut omnem sollicitudinem auctoritatisque operam atque consilium in hoc studiosissime collocemus, ut, dissidiis partiumque studiis procul remotis atque eliminatis, omnia inter viros praesertim religiosos in pace fiant, et omnia ad divinum cultum adaugendum,

(1) Ex Reg. dei Brevi di Propaganda, vol. 2, pag. 158.

ac procurandam aeternam animarum salutem componantur et constanbiliantur.

Dissidia exorta inter administr. S. Thomae et missionarios.

§ 1. Cum sanet, non sine magno animi nostri moerore, acceperimus, plures abusus irrepsisse circa regimen spirituale missionum Madrasti, Pudicherii, Mosulepatam Terrarumque adiacentium, quae curae fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum commissae sunt, quasdam insuper quaestiones et dissidia exorta esse inter Vicarium Generalem et administratorem dioecesis Sancti Thomae in Indiis Orientalibus, et praefatos fratres earumdem missionum, nos ex iniuncto nobis divinitus pastoralis officii huiusmodi debito illa de medio tollere, ac eosdem Vicarium generalem et administratorem praedictos ac missionarios memoratos in pristinae charitatis pacis et unionis compagem restitui cupientes, te, qui munere Vicarii auctoritate nostra apostolica deputati Magni Mogoris ad praesens fungeris, de cuius fide, prudentia, integritate, vigilantia, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te visitatorem apostolicum praedictarum missionum cum facultatibus necessariis et opportunis, quarum vigore dissidia componere atque etiam diiudicare, abusus reformare, collapsam disciplinam restituere, missionarios contumaces canonicis poenis plectere, superiores etiam inter eosdem fratres praefatos deponere, et novos constituere, ac demum ea omnia providere, quae ad earumdem missionum utilitatem rectumque ordinem magis expedire in Domino iudicaveris, libere ac licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Visitatorem instituit cum facultatibus ad sedanda dissidia.

Sub censur. poena obedientiam praestandam visitatori omnibus praecipit.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub ordinationis nostrae, et suspensionis a divinis et privationis officii, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, Vicario generali, et administratori dioecesis Sancti Thomae in Indiis Orientalibus, et praefatis earumdem missionum fratribus caeterisque ad quos spectat, ut te uti eorum visitatorem auctoritate nostra apostolica deputatum reverenter recipiant et recognoscant, ac tibi in omnibus ad visitationem huiusmodi spectantibus omnino pareant et obsequantur, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, ut omnia praedicta vim habeant, donec memorata eorumdem Cardinalium congregatio a te de omnibus certior facta suum de iis proferat iudicium.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non praefatorum locorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXVIII. maii MDCCCXVI., pontificatus nostri anno XVII.

LVIII.

Erectio duarum definitoriarum generalium, pro seraphico ordine Sancti Francisci in provinciis Americanis ad Hispaniam pertinentibus.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Regulares ordines, ex quorum multiplici forma illa procedit varietas circumdans Ecclesiam, quae adstat, tamquam sponsa ornata a dexteris Dei in vestitu deaurato, pluribus gratiis ac singularibus beneficiis Romani Pontifices assidue cumularunt, ut ii roborarentur in dies, novoque semper splendore in totius christianae rei commodum coruscarent. Hoc etiam pro temporum asperrimorum, quae nacti sumus, ratione nos ipsi procuravimus, qui in summo apostolatus culmine annos cum gaudio recordamur vel a prima aetate in Sancti patris Benedicti familia cum plenitudine pacis et requie opulenta transactos.

Ratio concessionis.

§ 2. Lubenti proinde animo preces excepimus carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici, quibus ad eorumdem religiosorum ordinum augendam dignitatem sanctioremque in Americanis regionibus fovendam disciplinam mirifice compellamur: dilectus quippe filius eques Antonius Vargas y Laguna suus apud nos et Apostolicam Sedem plenipotentiarius minister nobis retulit in memoratis Hispaniarum Americarum regionibus longe lateque florere seraphicum Sancti Francisci regularem ordinem adeo ut septemdecim constet provinciis cum sexdecim collegiis, pluribusque potiatur coenobiis, quam quae in hispanicis Europae regnis numerantur: ipsius vero alumnos ad christianum nomen ubique propagandum strenue adlaborare nullis vel teterrimis aerumnis fractos, quibus tum ex locorum distantiis atque itinerum asperitate, tum ex rudibus efferatisque populorum moribus, tum denique ex ipsa messis multitudine in ministerio verbi exercendo divexantur: eos proinde in tam utile opus vel ultro currentes novis admotis stimulis ex apostolicae benignitatis favore esse exercitandos, atque hac de causa maxime opportunum videri, si ius ipsis tribuatur binas generales definitorias, quas vocant, ibidem habendi iisdem facultatibus, privilegiis, praerogativis communitas, quibus caeterae per Europam definitoriae pollere dignoscantur, ex quo facile insuper fiet, ut ex maiorum praesidum praesentia, atque ex commodiori ad ipsos accessu, sanctissimi parentis leges ac puriora statuta serventur accuratius, in diesque augeantur incrementa iustitiae.

Tenor concessionis.

§ 3. Re itaque diligenter perpensa, et votis praelaudati Ferdinandi regis catholici, quem illustrioribus nostrae benevolentiae testimoniis prosequi semper exoptamus, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine creamus, adsignamus et constituimus binas generales definitorias seraphici ordinis Sancti Francisci, unam videlicet in Americae meridionalis, alteram in septemtrionalis Americae provinciis, easdemque definitorias aggregamus cismontanis familiis eiusdem ordinis sub obedientia, subiectione ac dependentia ministri generalis totius Ordinis Sancti Francisci ad beneplacitum Sanctae Sedis, et ad formam aliarum actu vigentium definitoriarum seraphici ordinis observantium; propetereaque mandamus, quod in proximo generali ordinis capitulo sive de more per vocales, sive ex speciali indulto Apostolicae Sedis habendo ambo generales definitores, unus nempe pro meridionalis, alter vero pro septemtrionalis Americae provinciis, eligantur, nominentur et adsignentur iuxta regulas pro aliis definitoriis generalibus antedicti seraphici ordinis praescriptas cum omnibus honoribus, praerogativis, privilegiis, gratiis et honoribus quibus gaudent caeteri ipsius ordinis generales definitores, dummodo in supradictis provinciis, et non extra, permanens habeant ac retineant domicilium, ac nullum censeatur requisitum ius ad eosdem definitores generales nominandos ante praedictum generale capitulum totius ordinis sub unius capitis ministri generalis regimine; atque haec concessio facta intelligatur absque ullo praeiudicio quarumvis aliarum dispositionum, quae circa huiusmodi negotia in generali capitulo erunt statuendae.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Praesentes autem literas nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio etiam substantiali defectu minime notari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Romanos Pontifices etiam motu proprio, ac alias sub quibusvis tenoribus et formis pro tempore factis et faciendis, ac concessis et concedendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, easque semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus recolendae memoriae Clementis PP. X. literis in forma brevis incipientibus *Sacrosancti apostolatus* datis die XXVI. novembris MDCLXX. ac decreto capituli generalis ordinis eodem anno Vallisoleti celebrati, nec non similibus literis sanctae memoriae Pii PP. VI. incipientibus *Etsi cupimus,* datis die XV. maii MDCCXCII. aliisque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, ac praefati ordinis et quibusvis aliis licet expressa, peculiari et individua men-

tione dignis in contrarium facientibus in iis tantum, quae praesentis gratiae executioni obsistant: quibus omnibus et singulis eorum tenores pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae creationis, adsignationis, constitutionis, aggregationis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo decimosexto, quinto kalendas iunii, pontificatus nostri an. XVII.

LIX.

Ecclesiae Graecorum Melchitarum praeficit Basilium Haractengi servato iure illius ecclesiae in futuris electionibus; munit illum potestate providendi matrimoniis nulliter contractis; absolvendi fideles a censuris irretitos, etc. Eum instruit de modo tenendo circa parochos intrusos et sacramenta ab ipsis administrata.

Dilecto filio Basilio Haractengi Archiepiscopo Hierapolitano electo,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Suum dolorem significat Pontifex ex quo sollicite nequiverit occurrere necessitatibus ecclesiae Hierapolitanae.

§ 1. Ubi primum auditum a nobis est de acerrimis dissidiis isthinc exortis, cum ven. fratre Germano Adam Hierapolitanae Ecclesiae Archiepiscopo vita functo de eligendo eius successore actum est, novus accessit nobis dolor eoque acerbior quo magis impediebamur, quominus sollicitam tantis malis ecclesiae istius medicinam adhiberemus. Neque enim ignota tibi esse possunt illa tempora, quibus Petri navigium saevissimis fluctibus iactabatur; nosque ipsos ab eius gubernaculo vis tempestatis abstraxerat: ad litus tandem ac portum appulsi, atque ad reparandas, ut apostolici quo fungimur muneris ratio postulat, universalis Ecclesiae ruinas incumbentes, mentem et cor convertimus ad inclytam quoque Graeco-Melchitarum nationem, quam et merito suo amamus et vehementer cupimus omni discordiarum malo liberam ad pristinam charitatem redire, et veteri suo in Sedem Apostolicam obsequio et obedientia rursus florere.

Declaratur nulla nominatio sacerdotis Michaelis Mazlum, et nova peragitur nominatio.

§ 2. Et quoniam omnis perturbationis origo fuerat novi Antistitis electio, ut tanta haec certaminis et controversiae causa penitus tolleretur, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide mandavimus, ut quam diligenter de tali electione cognoscerent: tandem re diu, sedulo accurateque discussa et examinata, de eorum consilio et concordi sententia irritam, nullam atque inanem declaravimus electionem sacerdotis Michaelis Mazlum, quippe quae insanabili vitio laborare visa est, eamque electionem nullimode ipsi electo suffragari decrevimus, tamquam si nunquam habita factaque fuisset; et statuimus ipsam Hierapolitanam ecclesiam eodem modo adhuc vacare, quo ante electionem memoratam vacabat, nullumque ius partum, nullamque auctoritatem inde ab electo illo acquisitam, ipsiusque ecclesiae ita, uti diximus, vacantis collationem nobis et huic Apostolicae Sedi reservavimus, atque, ut celerius feliciusque ei consulamus ecclesiae, de eiusdem nostrae Congregationis de Propaganda Fide consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, te, dilecte fili, ut a plurimis fide dignis accepimus controversiarum, quae isthic exortae sunt, minime participem, morum suavitate, pacis amore, prudentia, reique christianae zelo praestantem, iis praeterea virtutibus praeditum, quibus generalis abbas monachorum S. Basilii inclytae congregationis S. Iohannis in Soairo praeter caeteros praefulsisti; te, inquimus, Archiepiscopum et pastorem Hierapolitanae ecclesiae praeficere deliberavimus, ipsius curam, regimen ac administrationem tibi in spiritualibus committentes. Ac ne longioris vacationis incommodis eadem ecclesia sit obnoxia, atque ut hae nostrae literae suum statim consequantur effectum, te primum absolvimus et liberamus quavis excommunicatione et suspensione atque interdicto, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus illigatus tenearis. Teque ita absolutum et liberatum

apostolicae potestatis plenitudine metropolitanae ecclesiae Archiepiscopum eligimus et constituimus. Facultatem demum tibi facimus, ut consecrationis munus a quocumque Episcopo gratiam et communionem huius apostolicae nostrae Sedis habente recipere possis et valeas. Mandamus autem tibi ac praecipimus, ut in consecrantis Episcopi manibus catholicae fidei professionem orientalibus propositam expresse facias, et fidelitatis debitae iuramentum edas, ac demum utriusque rei formulam iisdem verbis, quibus tu eris usus, perscriptam per tuas literas, tuo munitas sigillo, ad venerabiles fratres nostros S.R.E. Cardinales Congregationis de Propaganda Fide per proprium nuntium mittendam cures.

Electo iura episcopalia exercenda committitur.

§ 3. Volumus igitur, ut, acceptis hisce nostris literis, illico adeas, capiasque Hierapolitanae Ecclesiae possessionem, in eaque retineas omnia et singula iura, auctoritatem exerceas et potestatem et iurisdictionem, atque fruaris praeeminentia et praerogativis, et privilegiis, aliisque omnibus, quibus superiores Archiepiscopi usi antea sunt. Speramus autem in Domino fore, ut adventum tuum pacis angelus comitetur, qui ad eum labores curasque tuas exitum dirigat, ut nullis imposterum discordiis ecclesiae istius tranquillitas perturbetur, teque magistro, teque duce uberibus eadem religionis fructibus ac pietatis abundet et sentiat, atque laetetur provido peritoque gubernatori fuisse commissam. Nos vero iam nunc dilectis filiis, cleroque saeculari et regulari, populoque civitatis et dioecesis Hierapolitanae eiusdem nationis Graeco-Melchitae per apostolicas nostras literas mandamus, ut clerus te pro sua in nos Sedemque Apostolicam reverentia benigne recipiat, et honorifice tractet, tuaque monita tuaque mandata demisse suscipiat et diligenter adimpleat: populo item praecipimus, ut te tamquam patrem et pastorem debito prosequatur honore, tuisque hortationibus et praeceptis obsequatur. Sed ubi clerus ac populus debitam tibi fidelemque praestiterint obedientiam, tunc notum ipsis facies nos, appellatione ad Sedem Apostolicam isthinc delata, vestrarumque discordiarum penitus tollendarum desiderio inductos, te Hierapolitanae Ecclesiae Archiepiscopum constituisse, non vero, ut consueto eligendi iure electores Episcoporum spoliemus, nec ut aliquid de veteri consuetudine detrahamus, imo etiam velle nos ac praecipere, ut caetera omnia instituta, mores ac praescripta ad Episcoporum electionem spectantia debeant imposterum inviolata isthic firmiterque observari. Videmus quam sit ardua provincia, quae tibi commissa est, ideoque amplas facultates, easque maxime necessarias ad illam alacrius adeundam et felicius administrandam tibi tribuimus. Fieri enim fortasse potuit, ut qui nuper non legitime fuit electus, in ea quam falso suam iudicabat dioecesi, in impedimentis iis, quae dirimunt matrimonium, inconsulta Apostolica Sede dispensavit, atque omnigena carens auctoritate parochos intruserit, et confessarios dederit.

In rebus ad episcopat. spectantibus pertractandis, etiam apostolica auctoritas conceditur.

§ 4. Quibus in rebus per se gravissimis, et caute prudentissimeque tractandis, volumus, ut eam agendi rationem sequaris, quam nunc tibi singillatim praescribimus: ac primo quidem, si quae factae sint dispensationes in impedimentis quae dirimunt matrimonia, ea tu matrimonia ut apostolica nostra auctoritate sanes, amplam tibi impertimur facultatem. Ne quis vero istiusmodi matrimonia in radice sanata fuisse in posterum dubitet (1), diligentissime in secreto matrimoniorum libro notanda curabis; perpetua enim sic extabit eius sanationis memoria, et id documentum opportune proferri poterit, ut stabiles in suo proposito cogantur, si opus sit, coniuges permanere, atque omne prolis quae, legitima declarata est, praeiudicium ac damnum amoveatur. Eadem ratio eademque diligentia adhibenda erit, si quos forte matrimonio iunxerit intrusus parochus, qui nullum habet titulum, seu verum, seu coloratum, ut, inquiebat fel. rec. decessor noster Pius VI. in responsis super quibusdam quaestionibus a Galliarum Episcopis propositis sub die XXVI. septembris anni MDCCXCI. Difficilius est morbo illorum mederi, qui tamquam fures in ovile Christi ingressi, agnos regere, atque ad pascua ducere veriti non sunt, licet a vero ovium pastore non fuerint missi. Deficiente enim legitima atque canonica institutione, summum est nefas parochi munus exercere. Sed qui solo intrusionis crimine laborant, si paroeciam poenitentia ducti dimittant,

(1) In originali haec adiuncta verba legimus: *Quae nostra auctoritate sanaveris, velit audeatque dissolvere, ob eam rem istius matrimonia.*

in alteram paroeciam canonice institui a te poterunt. Eius autem quem denuo parochum volueris eligere, habenda diligenter est ratio morum probitatis et publicae quae de ipso habeatur, existimationis. Praecipue vero curandum est, ne translatio huiusmodi opponatur bono societatis.

Consulitur conscientiis eorum qui confessiones suas penes intrusum ediderunt.

§ 5. Ne vero fidelium conscientiae, quibus summa charitate consulendum est, perturbentur ac vexentur ob eam causam, quod suas confessiones ediderint penes intrusos, in quibus nulla erat iurisdictio, ea ratio tenenda est, ut qui bona fide egerunt, atque in eadem simpliciter perseverant, ad repetendas eas confessiones ex gravissimorum theologorum sententia non adigantur. Videntur enim id praestitisse, quod a poenitentibus sacrosancta exigit Tridentina synodus sessione 14, cap. 5, adeoque eorum peccata semel iam excussa cum iis diligenter cogitantibus, et nihil dubitantibus, in posteriori confessione non occurrant, in illa iam habita confessione intelliguntur includi, atque haec illa sunt pro quibus fideliter cum propheta dicimus *ab occultis munda me, Domine*. Omnem praeterea tibi impertimur facultatem absolvendi ab iis censuris, iisque irregularitatibus, quae a funestis inter vos discordiis ortum quoquo modo habuerint. Potestatem pariter tibi facimus sanandi omnes et singulos actus et episcopales expeditiones a praedicto Mazlum peractas, cum episcopalem, qua penitus carebat, auctoritatem exerceret.

Facultas remittendi pecunias exactas ab intruso et pseudeo Episcopo.

§ 6. Volumus etiam ut remittere, si tibi videbitur, et condonare possis omnes pecuniarum, quae ad Episcopos spectant, exactiones a memorato Mazlumio quomodolibet factas; ita tamen ut benigne condonentur eae pecuniae, quae ad Episcopum pertinent; illae vero quae sunt sedis episcopalis, eidem sedi restituantur. Declarabis autem scripturas omnes ad appellantium ac memorati electi patrocinium favoremque editas, et praedictae nostrae Congregationi de Propaganda Fide utrinque exhibitas, tamquam in forma non probante esse ac fore et haberi, ac proinde in futurum nullum famae et existimationi eorum ex ipsis detrimentum illatum esse, aut in futurum inferri posse, nisi iudicialiter servatis servandis aliter constet.

Poenae adversus refractarios inflictae.

§ 7. Facultatem denique tibi facimus inquirendi in ecclesiasticos sive regulares, qui mandatis literisque apostolicis appellationem ad Sedem Apostolicam, vel suspensionem et irregularitatem praedicti Mazlumii respicientibus restiterant. Refractariis eiusmodi ecclesiasticis, si in sua pervicacia permanserint, eas pro tua prudentia poenas infligere poteris, quae per sacros canones constitutae sunt. Haec tibi, dilecte fili, perscribenda habebamus. Superest ut indutus galea salutis armisque iustitiae totis viribus ad evellenda errorum et discordiarum semina incumbas; Hierapolitanae, cui te praeficimus, ecclesiae pacem restituas; inclitaeque nationis tuae decorem conserves et augeas. Hoc pacto magnam tuo nomini gloriam comparabis, gratiam apud nos inibis in dies maiorem, et, quod caput est, amplissimam laborum tuorum mercedem a coelesti pastorum principe consequeris. In quorum auspicium apostolicam tibi gregique tuo benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die III. iunii MDCCCXVI., pontificatus nostri anno XVII.

LX.

Electionem Michaelis Mazlum in Archiepiscopum Hierapolitanum nullam declarat, cui sententiae se Mazlum subiecisse nunciat; sub excommunicationis poena prohibet lectionem catechismi aliorumque operum defuncti Germani Adami eiusdem dioecesis Archiepiscopi (1).

Ven. fratribus Patriarchae, Archiepiscopis et Episcopis Graeco-Melchitis,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Loquitur de discordia orta inter electores.

§ 1. Tristis quidem acerbusque de obitu venerabilis fratris Macarii Tavil Patriarchae vestri nuncius ad nos pervenit. An vero aliquem in eius locum subrogaveritis, ad-

(1) In Collectione Lacensi vol. II., p. 550, sic legimus de hoc Archiepiscopo: «Monsignor Adami, venuto in Italia, contrasse amicizia con Monsig. Ricci vescovo di Pistoia, e di qua riportò in Levante le riprovate sue massime, scrisse delle opere, le quali, benchè condannate dalla S. Sede sotto pena di scommunica, chi sa, se sono totalmente estinte. Notizie statistiche delle Missioni dipendenti dalla S. C. de Prop. F. Roma 1844, p. 436».

huc, venerabiles fratres, ignotum nobis est. Si novum Patriarcham iam elegistis, persuasum habemus eum a vobis electum esse virum, qui dignis tam excelso gradu virtutibus emineat, quique vacantes ecclesiarum vestrarum sedes, postquam confirmatus a nobis et sacro pallio decoratus fuerit, idoneis implere pastoribus festinet. Sed huiusmodi re adhuc dubia, ne iam dudum a vobis expectatae literae nostrae longius desiderentur, eas vobis, venerabiles fratres, universis scribendas esse iudicavimus. Singularis enim illa, qua vos inclytamque gentem vestram prosequimur, charitas exigit, assidueque urget paternum animum nostrum, ut, quam huc usque non potuimus Hierapolitanae Ecclesiae intestinis acerrimisque discordiis afflictae, opem feramus. Quae inimicus homo zizania ibidem seminaverat, maxima ut nostis vi eruperunt, cum venerabili fratre Archiepiscopo Germano Adam, e vivis sublato, de eligendo eius successore actum est. Scissis studia in contraria electoribus, qui demortui Archiepiscopi doctrinae memoriaeque favebant, in presbyterum Michaelem Mazlum oculos intendentes, eum Hierapolitanae Ecclesiae Antistitem designarunt. Sanior autem electorum pars, populique primores, quibus eiusdem ecclesiae bono minime consultum tali electione videbatur, ut eam, quam certo sequuturam videbant, frustrarentur, appellationem ad Sedem Apostolicam sibi mature interponendam esse censuerunt. Appellationis documento a visitatore apostolico ad nostram de Propaganda Fide Congregationem misso, et severam ad trutinam revocato, appellatio eadem rite facta, et canonicarum legum praescripto plene conformis, inventa est.

Tumultuariam declarat expletam electionem, illam irritam et nullam dicit.

§ 2. Nihilo tamen minus conventu tumultuarie habito, spectatioribus electoribus aut absentibus aut repugnantibus, invitoque populo, Michael Mazlumius Hierapolitanus Archiepiscopus, ut praevisum fuerat, renunciatus est. De his omnibus, cum ad urbem nostram divina ope remeavimus, edocti, electionem Mazlumii venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis sedulo examinandam tradidimus, qui sollicitudini nostrae accurate, ut solent, respondentes, omnibus rite perpensis, et qua par erat maturitate consideratis, in eam denique sententiam convenerunt, ut memoratam electionem pluribus gravibusque contra leges canonicas admissis laborantem, nullam, irritam, inanem existimaverint. Talem nos sententiam aequitati, iustitiae sacrisque iuribus plene consentaneam, decreto nostro firmavimus, ipsique omnino standum esse apostolica auctoritate statuimus. Mazlumius ipse decreto se nostro humiliter subiecit, tenuique censu ei attributo, contentus de reliquis suae vitae diebus in urbe agendis opportunum consilium amplexus est.

Nova despecta electione, vacans declaratur ecclesia, eique Episcopus praeponitur.

§ 3. Non dubitamus, quin Mazlumii docilitatem imitati eius fautores, decreto et ipsi nostro concordibus, ut facto opus est, animis conquiescant. Mazlumii electione merito a nobis abrogata, consequens est, ut Hierapolitana Ecclesia adhuc vacans et suo pastore viduata reputari debeat. Ad evitandas vero turbas, quae vehementius et periculosius invalescerent, si novi Archiepiscopi electio clero Hierapolitano permitteretur, novum Archiepiscopum, de plenitudine potestatis divinitus nobis inditae, a nobis ipsis hac vice nominandum esse iudicavimus.

Consulitur privilegiis cleri Hierapolitani.

§ 4. Neque id quidquam negotiis clero Hierapolitano facessere debet, cuius iura, consuetudines, privilegia potius augere, quam imminuere, multoque minus tollere in animo nobis est. Quare solemniori quo possumus modo declaramus, futurorum Archiepiscoporum electiones a praefato clero faciendas esse, quemadmodum hucusque fieri consueverunt.

De praestantia novi electi disseritur.

§ 5. Quem vero Hierapolis Archiepiscopum auctoritate apostolica in praesens nominamus, est dilectus filius religiosus vir Basilius Haractengi generalis monachorum Basilianorum congregationis S. Ioannis in Soario praeses, quem doctrina, pietate, pacisque studio commendatum, huic muneri obeundo plane idoneum existimavimus. Vestrum nunc est, venerabiles fratres, abiectis praeteritarum contentionum studiis nominationi nostrae ex animo adhaerere, novumque Hierapolitanae Ecclesiae Archiepiscopum fraterna charitate complecti, ut Hierapolitanus clerus praeclaro etiam exemplo vestro permotus, pastorem suum reverenter amanterque suscipiat, quem orthodoxae fidei morumque ad sacras leges exigendorum zelo inflammatum diligentissime curaturum esse confidimus, ut omnibus officii sui partibus fortiter simul et suaviter satisfaciat.

Consulitur extirpationi errorum irreptorum in dioecesi ex scriptis ibidem publica-

§ 6. At suum Hierapolitanae Ecclesiae Archiepiscopum dedisse contenti non sumus, nisi omnem erroribus, quibus ipsa inquinari possit, aditum una intercludamus.

tis, quorum lectura interdicitur.

Postremus Hierapolitanus Archiepiscopus, Germanus Adam, qui villicationis suae rationem Christo Domino iam reddidit, catechismum scripsit, aliosque libros vulgavit, qui non uno capite contra sanam doctrinam peccare visi sunt. Quamobrem nostra de Propaganda Fide Congregatio nobis enixe supplicavit, ut catechismi aliorumque Germani Adam operum lectionem sub excommunicationis poena fidelibus interdiceremus, donec definitivum de iisdem operibus iudicium a Sede Apostolica latum sit. Huiusmodi rogatio dignissima nobis visa est, cui morem gereremus. Nemo igitur Archiepiscopi Adam opera legere posthac audeat: si quis secus fecerit, se poena excommunicationis multatus sciat. Catechismo de quo agitur, ven. servi Dei Cardinalis Bellarmini catechismus quo Hierapolitana dioecesis uti antea solebat, sufficiatur, ad ipsiusque normam fideles in orthodoxa fide posthac erudiantur.

Praeceptum de obediendo Sanctae Sedis mandatis.

§ 7. Haec a nobis praecipue agenda erant, ut Hierapolitanae Ecclesiae tranquillitati et securitati consuleremus. Superest, venerabiles fratres, ut consueto vestro in nos et Sedem Apostolicam obsequio decretis nostris parentes, quibus et ortarum inter vos discordiarum potior causa praecidatur, et, si quae sparsa sunt, istos fideles errorum semina suffocentur. Hortamur etiam vos per viscera misericordiae Dei nostri, ut, levioribus etiam praeteritarum dissensionum vestigiis omnino deletis, in mutua, quam redemptor noster tantopere commendavit, charitate vivatis, sine qua, ut Apostoli verbis utamur, nihil vobis proderit, ne fides quidem ipsa, cuius quoque amittendae periculum subit, qui charitatem amittit. Tristissima enim experientia docemur, obtenebratis aestuosa contentione mentibus, ipsum quoque veritatis lumen languescere, ac demum extingui. Sincero itaque alacrique animo reconciliamini, ut scissuras esse inter vos, quae paternum quoque cor nostrum saeve dilacerant, audituri amplius non simus.

Commendatio favore sacerdotum missorum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

§ 8. Reliquum est, ut pietati et liberalitati vestrae plurimum in Domino commendemus dilectos filios sacerdotes Cuttan et Aggiuri nostrae de Propaganda fide Congregationi summopere acceptos, optimeque de ipsa meritos. Vestro enim favore, vestrisque officiis incitati, libentius efficaciusque vineae Domini excolendae vobiscum adlaborabunt, ut lectiores uberioresque bonorum operum fructus afferre possint. Hac etiam ratione benevolentiam vobis nostram magis magisque obstringetis, venerabiles fratres, quibus apostolicam benedictionem ex intimo cordis depromptam, etiam gregibus vestris communicandam peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. iunii MDCCCXVI., pontificatus nostri anno XVII.

LXI.

Contra Societatem Biblicam *scribit ad Archiepiscopum Gnesnen., per eumque ad Poloniae Episcopos* (1).

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Postremis litteris nostris polliciti sumus tibi responsum daturos quamprimum tuis, in quibus ad hanc S. Sedem, nomine etiam ceterorum Poloniae Episcoporum, de societatibus, quas vocant, Biblicis retulisti, et quid hac in re agere deberetis a nobis studiose postulasti. Nos quidem multo ante id facere voluissemus, sed incredibilis curarum undique succrescentium multitudo effecit, ut usque ad hanc diem petitioni tuae satisfacere non potuerimus.

Horruimus sane vaferrimum inventum, quo vel ipsa religionis fundamenta labefactantur, adhibitisque in consilium pro rei gravitate venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, quaenam pontificiae nostrae auctoritatis remedia ad eam pestem, quoad fieri possit, curandam delendamqne opportuniora futura sint, omni adhibito studio et sollicitudine deliberavimus. Interea gratulamur tibi, ven. frater, teque, ut par est, etiam atque etiam in Domino commendamus, quod in tanto rei christianae discrimine singularem zelum exercens, eamque fidei labem, gravissimumque animarum periculum Sedi huic

---

(1) Ex Bull. Pont. de P. F. collat. etc. Has lit. ad Archiep. Gnesnen. retulimus utpote indicantes quid etiam in locis missionum sit agendum, ut fideles a fraudibus huius soc. reserventur. Vide infra Gregor. XVI. *Inter praecipuas*.

apostolicae denunciaveris. Et quamquam minime necesse esse videamus festinanti stimulos admovere, cum tua iam sponte exarseris ad impias novatorum machinationes detegendas et oppugnandas, pro nostro tamen munere te etiam atque etiam hortamur, ut, quantum eniti viribus, consilio providere, et auctoritate possis efficere, praestes in dies impensissime, opponens te murum pro domo Israel. In hunc finem has ad te litteras damus, ut nimirum insigni testimonio commendemus tuos praeclaros conatus, et studeamus tamen tuam in id pastoralem sollicitudinem solertiamque magis magisque concitare.

Interest quippe summopere communis salutis omni ope et opera conspirare ad ea propulsanda, quae in sanctissimae religionis nostrae perniciem ab eius hostibus parantur; et proinde episcopalis muneris est nefarii imprimis consilii malitiam ob oculos, quod iam egregie praestas, fidelium ponere, illudque ex Ecclesiae praescriptionibus, pro ea, qua polles, eruditione et sapientia, edicere, biblica nimirum opera haereticorum impressa vetitis libris accenseri iuxta indicis regulas (l. n. 3); experimento autem manifestum esse, e Sacris Scripturis, quae vulgari lingua edantur, plus detrimenti, quam utilitatis, oriri ob hominum temeritatem (reg. IV.): idque eo magis pertimescendum esse in tanta temporum foeditate, quibus omni undique arte et conatu sancta impetitur Religio, et teterrima in Ecclesiam vulnera infliguntur.

Speramus sane avitae religionis argumenta in hisce etiam turbidis rebus Polonos Praesbituros fore luculentissima, idque tua cum primis opera ac ceterorum huiusce regni Antistitum, quos mirifice pro fidei deposito conniti gratulamur, in Domino confidentes, universos susceptam de iis opinionem cumulatissime fore expleturos.

Necesse est autem, ut quamprimum mittas bibliam, quae commentariis subiectis edidit polonica lingua Iacobus Wichius, recentemque ipsorum editionem, quae sublatis adnotationibus, quae ex SS. Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris desumptae erant, in vulgus prodiit, et quid de ea sentias proponas, ut ita ex ipsorum collatione, ac re mature perpensa, dignoscatur quinam errores insidiose ibidem obteguntur, et nostrum demum iudicium ad rectam fidei incolumitatem pronunciemus.

Perge ergo, ven. fr., tenere viam sanctissimam, quam instituisti, praeliari videlicet assidue praelia Domini in doctrina sana, populosque tibi concreditos monere, ne in laqueos incidant, qui sibi in perennem ruinam parati sunt. Idque a te atque a ceteris istis Episcopis, quos etiam nostra haec epistola spectat, praestolatur Ecclesia, idque nos expetimus studiosissime, qui conceptum ex novo genere zizaniorum, quae inimicus homo superseminat, moerorem iucundissima hac spe levari quodammodo sentimus, ac maiora semper tibi ipsisque Coepiscopis in dominici gregis bonum charismata, apostolica benedictione, quam tibi illisque impertimur, adprecamur ex corde.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. iunii MDCCCXVI., pontificatus nostri anno XVII.

LXII.

ALLOCUTIO

In consistorio habito die XXIII *septembris* MDCCCXVI *celebrat pretiosam pro Christo mortem quam in Sinis oppetierunt Gabriel Taurinus Dufresse, natione Gallus, Episcopus Tabracensis Vic. Ap. Sutchuensis, et presbyter Sinensis Augustinus Fchao.*

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres.

Inter tot ac tanta quae caelestem christianae religionis originem luculenter ostendunt argumenta, merito, ut exploratum, venerabiles fratres, vobis est, recensetur singularis illa et ineluctabilis animi fortitudo, qua Christiani evangelica non modo praecepta, sed etiam consilia sequuti, humana omnia despiciunt, inflammatique zelo fidei propagandae barbaras oras longissimo terrarum ac marium intervallo dissitas petunt, incredibiles labores exantlant, nullis se periculis terreri sinunt, acerrimorum denique tormentorum vim, mortemque ipsam, imperturbato animo patiuntur, quod separari a charitate Christi et a confitendo promulgandoque eius nomine abduci recusant. Pulcherrima scituque dignissima huius de qua loquimur fortitudinis exempla Sinensis ecclesia et pluries edidit, et nuper maxima cum gloria renovavit. Cum enim

dira in ipsam et adhuc saeviens tempestas concitata fuerit, egregii veritatis evangelicae praecones, pluresque ad eam amplectendam eorum opera perducti, exilium, carcerem, cruciatus, extrema denique omnia perferre, quam a sanctissima religione desciscere maluerunt. Inter eos nominandus in primis laudandusque a nobis est venerabilis frater Gabriel Taurinus Dufresse natione Gallus Episcopus Tabracensis et Sutchiensis provinciae vicarius apostolicus, qui XXXIX. annorum spatio evangelici apud Sinas operarii munus sanctissime obivit. Is igitur, quod salutiferum verbi Dei semen late fructuoseque spargeret, a Sinensis imperii finibus exulare iussus est. Sed unde illum ethnica superstitio expulerat, eodem christiana charitas revocavit. Qua re cognita, quaesitus, inventus, ferreisque vinculis obstrictus, in praetorium ductus est. Mandarini eum non expectata benignitate excipiunt, et vinculis e vestigio solutum, omni officiorum et blanditiarum genere prosequuntur. Simulata vero et dolosa haec erat humanitas. Id enim unice mandarini spectabant, ut venerandum antistitem his artibus delinitum, ad eiurandam Christi fidem denique adducerent. Cum ergo posthabita iudiciorum forma comiter eum et amice alloquerentur, multaque ab ipso quaererent, episcopus oblata occasione usus, de Sinensium rituum vanitate, de christianorum innocentia, de christianae religionis veritate saepe disseruit. Mandarini, quibus mellitum os, imbutus autem laethali veneno animus inerat, proximo in cubiculo duos occultaverant, qui dicta episcopi nihil tale cogitantis exscriberent; scripta huiusmodi vel acta clanculum infideque etiam, ut fertur, digesta, una cum Episcopo ad Sutchiensis provinciae proregem mittuntur, qui, ut erat christiano nomini infensissimus, Episcopum sine ulla cunctatione capite damnat. Venerandus senex exteriore veste illico denudatur et in locum supplicii, in quem ingens populi multitudo confluxerat, rapitur. Tres et triginta christiani, quos nulla cruciatuum vis a Christi fide removere potuerat, e carcere, ubi detinebantur, educti, tortoribus stipati et horrifico tormentorum apparatu eodem deducuntur, quo simul ac pervenerunt Christo nuntium remittere a mandarino iubentur, secus vitam sibi laqueo eripiendam sciant. Cristiani, contemptis huiusmodi minis, se pro Christo mori paratos aiunt, et flexis genibus adstantem Episcopum orant, ut se ipsos peccatis absolvere, et postrema benedictione reficere ac solari velit. Obsequitur eorum precibus Episcopus, brevibusque eos verbis, ut exemplum suum erecto animo sequantur, hortatus, caput carnifici offert qui uno illud ictu detruncat. Haec fuit die XIV. septembris superioris anni vere pretiosa in conspectu Domini Tabracensis Episcopi mors, cuius narrationem cum legeremus, et graviter animo commoti sumus, et veterum Ecclesiae temporum annales legere videbamur. Christiani quos nuper memoravimus denunciato ipsis laqueo suspensi non sunt, sed iterum in carcerem detrusi, ad extremum in exilium pelluntur. Erant inter eos mulieres duae quibus ut domos suas repeterent insperato permissum est: qua indulgentia tantum abest ut laetatae sint, ut promptam praesentemque aeternae gloriae consequendae occasionem sibi praereptam esse palam doluerint. Ut autem Tabracensis Episcopi caedes perpetuo christianis terrori esset, eius caput columnae impositum fuit, in qua scriptum legebatur « *Europaeus christianae religionis praeco et antistes* ». Eadem quoque verba praeseferebat arcula, ubi caput episcopi fingebatur inclusum, et quae per ea subinde loca circumlata est, in quibus christiani ab Episcopo instituti habitabant. Sanguis Episcopi a christianis collectus vicinarum quoque urbium et vicorum fidelibus distributus est, qui summa illum cura et religione custodiunt. Corpus, quod triduo inhumatum in foro iacuit, christianis diu noctuque excubitum gentibus, non procul ab eo loco piae sepulturae mandatum est. Quae cum ita se habuerint, non dubitamus, quin vos etiam, venerabiles fratres, tantam Tabracensis Antistitis in perferenda pro Christo morte constantiam admirati, de recenti hoc orthodoxae fidei triumpho summopere gavisuri nobiscum sitis. Ampliora tamen et magis authentica praeclarissimi huius facti documenta expectare nos decet, ut de pientissimi fortissimique viri martyrio iuxta praescriptas a Sede Apostolica leges iudicemus. Haec eadem ratio est, cur silendae aliorum Christi militum nuper apud Sinas interemptorum historiae consilium in praesentia susceperimus. Non possumus tamen, quin saltem de presbytero Augustino Fchao mentionem faciamus, cuius fortitudo in cruciatibus perferendis singularem in modum eluxit. Eum nefarius iudex primum hortatus est, ut aetati suae parceret; erat

enim annorum septuaginta trium; et tormenta, quibus ferendis impar futurus esset, a se removeret. Sed cum nihil Augustinus de sua constantia remitteret, ludibrio habitus, mox fustibus vehementissime caesus ad talos est. Tum Iudex: « *Ecquid,* inquit, ***Augustine, nullam ne tui curam Jesus ille tuus habet?*** » – « ***Enim vero habet,*** respondit Augustinus, ***cum ad talia perferenda vires impertiat.*** » Ad haec iudex ira inflammatus, diris eius vultum colaphis contundi iubet, quorum numero et vi paucos post dies exanimatus est. Haec innuere voluimus, venerabiles fratres, ut illius vos solatii participes efficeremus, quod nobis, incredibili sollicitudinum mole gravatis et pene obrutis, res pro catholica regione tuenda tam fortiter apud Sinas gestae attulerunt. Magnam inde spem concipimus fore, ut misericors Deus servorum suorum sanguine placatus, quas non Sinensis modo, sed universa Ecclesia calamitates patitur, averruncet.

Quam ex memoratis episcopi Tabracensis et catholicorum Sinensium triumphis hausimus voluptatem, eamdem fel. record. decessori Nostro Pio VI. indiderunt partae fidelium sanguine in Tonquinensi regno pro Christo interfectorum victoriae. Et quemadmodum idem summus pontifex recentes Tonquinensis Ecclesiae fastos in consistorio exponens, ut animi sui iucunditatem apertius declararet, et quodam veluti documento testaretur, aliquot eximia virtute viros ad cardinalitiam dignitatem sibi evehendos esse duxit; ita nos ad hanc diem, qua nupera Sinensis ecclesiae decora vobis nunciavimus uberiore laetitia cumulandam, nonnullos S. R. E. Cardinales sive publicare sive creare decrevimus, quos non minus egregia, quibus ornantur, merita, quam carissimorum nobis in Christo principum officia commendarunt. Et eos quidem uno eodemque tempore sacra decorare purpura optaremus, sed iis, quibus non omnia adhuc in promptu sunt, locum inter vos quamprimum daturi, alios amplissimo fraternitatum vestrarum collegio nunc adnumeramus. Hi vero sunt:

Petrus Quevedo Episc. Auriensis, quem in consistorio habito die VIII. martii huius anni in pectore reservatum nunc publicamus;

Franciscus Antonius Cebrian y Valda Patriarcha Indiarum;

Maria Thaddaeus Trautmannsdorff Archiepiscopus Olomucensis;

Paulus Ioseph Solaro iam Episcopus Augustae Praetoriae.

His praeterea adiicimus venerabilem fratrem Franciscum Xaverium de Salm, qui, quamdiu auditoris romanae rotae munus exercuit, magnam sibi integritatis iustitiaeque famam comparavit, et perpetuo in Apostolicam Sedem, constantique in rebus etiam adversis studio, Pio VI. dum viveret, nobisque carissimus semper extitit; cum vero Gurcensi ecclesiae regendae admotus est, pastorales eius virtutes ita in omnem partem emicuerunt, ut, quam ei conferimus, dignitatem carissimo quoque in Christo filio nostro Francisco Austriae imperatori fore acceptissimam non dubitemus; sicuti acceptissima nobis haec est occasio pergratae nostrae voluntatis palam ipsi testandae ob tantam quam cum foederatis principibus suscepit partem, ut ereptae Sedi Apostolicae nobisque provincia restituerentur.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra declaramus S. R. E. presbyterum cardinalem.

Petrum Quevedo y Quinzano Episcopum Auriensem.

Insuper creamus S. R. E. presbyteros Cardinales

Franciscum Antonium Cebrian y Valda Patriarcham Indiarum,

Mariam Thaddaeum Trautmannsdorff Archiepiscopum Olomucensem.

Franciscum Xaverium de Salm Episcopum Gurcensem.

Paulum Iosephum Solaro iam Episcopum Augustae Praetoriae.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LXIII.

Cum Praesulibus Maronitis queritur de cohabitatione monachorum et monialium sub eodem tecto, et de absentia Episcoporum a suis sedibus; decreta Congregationis de P. F. id inhibentia

approbat, quorum executionem Synodo a delegato convocando committit (1).

Venerabilibus fratribus Ioanni Dolce Patriarchae Antiocheno, ceterisque Archiepiscopis et Episcopis inclytae nationis Maronitarum,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratus excipit gratulationes a Praes. Maronitis.

§ 1. In communi totius Ecclesiae gaudio ob prodigia, quibus Sedi se Apostolicae adesse eamque constantissime tueri Deus declaravit, iucundae quidem nobis accidunt gratulationes ex omnibus christiani Orbis partibus ad nos missae, iucundissimae tamen sunt eae, quae a Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis illarum Orientis nationum ad nos perveniunt, quae vinculo fidei et charitatis cum Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra coniunctae, vario quidem, semper tamen laudabili ritu eumdem quem nos Deum colunt eamdemque doctrinam profitentur quam Salvator noster Iesus Christus per evangelium suum omni creaturae praedicatam voluit. Cum vero inclytam Maronitarum gentem praecipuo quodam charitatis affectu prosequamur, non poterat non ex omni parte gratissimum esse nobis officium, quod vestro, Ven. Fratres, nomine ad nos

(1) En Congregationis decreta approbata:

DECRETUM

Quum non sine magno animi dolore compererint Emi Patres negotiis Propagandae Fidei praepositi intollerabilem abusum simultaneae cohabitationis sub eodem tecto monachorum et monialium, iamdiu a Libanensi Synodo proscriptum pluriesque ab Apostolica Sede damnatum, apud Maronitas in Monte Libano adhuc perdurare, in Congregatione generali habita die XII. augusti anno MDCCCXVI., referente Emo ac Rmo D. Card. Litta Praefecto, censuerunt unanimiter, ac decreverunt supplicandum esse SSmo, ut dignetur per apostolicum Breve penitus abolere praefatum abusum offensionis ac periculi plenum, districte insimul praecipiens, ut Patriarcha Ioannes Petrus Dolce, et R. P. D. Aloysius Gandolfi electus Episcopus Icosien. delegatus apostolicus una cum Synodo episcoporum nationis Maronitarum intra terminum trium mensium ab ostensione brevis apostolici modulam aliquam proponant praescriptae separationis monialium a monachis, et respectivae assignationis monasteriorum, quorum alia pro monachis tantum, alia pro solis monialibus deputentur. De reliquis autem, si vacua supersint, unum vel alterum aut scholis ad erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis iuventutem, aut Xenodochiis oblatarum, eorum ad instar, quae Romae atque alibi instituta atque probata sunt, vel alteri denique piae institutioni assignetur, quae ad spirituale nationis bonum magis conducere in Domino visum fuerit, auditis etiam ad haec monasteriorum eorumdem Patronis et interesse habentibus. Ut vero omnis in posterum praecludatur litibus aut quaestionibus aditus, mandare dignetur Sanctitas Sua, ut in eadem Synodo et per modulam ut supra statuatur, ad quem, vel ad quos respective pertinere debeat praedictorum monasteriorum regimen, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Proposita porro modula transmittatur ad S. Congregationem ad effectum approbationis.

Hanc S. Congregationis sententiam SSmo relatam per R. P. D. Carolum Mariam Pedicini Secretarium in audientia habita die XVIII. aug. MDCCCXVI. Sanctitas Sua in omnibus benigne adprobavit, litterasque apostolicas expediri iussit.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno quibus supra.

L. Card. LITTA Praefectus

Loco ✝ Sigilli.

C. M. Pedicini Secretarius.

DECRETUM

Quum relatum fuerit, quosdam Maronitarum nationis Episcopos extra fines suarum dioecesum residere, ipsumque Patriarcham Maronitarum certam ac determinatam pro se suisque successoribus sedem non habere; quae quidem cum Sacris Canonibus adversantur, tum non parum incommodi ac spiritualis detrimenti afferunt inclytae eidem nationi; S. Congregatio referente Emo ac Rmo Dno Card. Litta Praefecto censuit atque decrevit supplicandum esse Sanctissimo, quatenus, renovatis per Apostolicum breve statutis Synodi Libanensis circa residentiam Episcoporum, nec non saepius repetitis hac super re S. Sedis mandatis ac praecipue fel. rec. Bened. XIV., in Const. quae incipit *Apostolica*, Sanctitas Sua praecipere dignetur, ut in Synodo Patriarchae et Episcoporum nationis una cum R. P. D. Aloysio Gandolfi Delegato Apostolico per modulam intra tres menses a die ostensionis praedicti brevis Apostolici conficiendam, et ad Sacram Congregationem ad effectum approbationis transmittendam, propria singulis Episcopis in eorum dioecesibus sedes designetur ac statuatur; quae tamen non sit in aliquo ex monasteriis pro solis foeminis, vigore eiusdem brevis Apostolici designandis. Quoad residentiam vero patriarchalem mandare dignetur Sanctissimus, ut hac de re non levis momenti in praedicta Synodo agatur, atque iterum proponatur, utrum pro residentia patriarchali deligendum sit monasterium Marsciallitae iuxta Chyrographum die IV. maii MDCCCVIII. a R. P. D. Iosepho Tyan tunc Maronitarum Patriarcha, et a singulis Episcopis nationis in Synodo Canobini congregatis, unanimi consensu signatum, ea tamen conditione, ut Sedes Patriarchalis semel constituta nonnisi gravissima et manifesta de causa a Patriarcha et Episcopis in Synodo cognoscenda atque adprobanda, iuxta temporum circumstantias et praevia S. Sedis licentia, alio transferatur.

Quam quidem S. Congregationis sententiam Sanctissimo relatam per R. P. D. Carolum Mariam Pedicini Secretarium in audientia habita die XVIII. augusti MDCCCXVI., Sanctitas Sua in omnibus benigne adprobavit, litterasque apostolicas expediri iussit.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis de Propaganda Fide, die et anno quibus supra.

L. Card. LITTA Praefectus

Loco ✝ Sigilli.

C. M. Pedicini Secretarius.

detulit dilectus filius Iosephus Assemanus primus monachor. Aleppinorum S. Antonii definitor, vir egregius, deque sua congregatione, cui bis praefuit, optime meritus, quique ut de fausto nostro ad Sedem Apostolicam post tot vicissitudines reditu communi nobiscum nomine gratularetur a vobis missus, demandato sibi munere diligenter cumulateque perfunctus est. Nobis quidem, Ven. Fratres, dulcissima est eorum verborum recordatio, quibus praedecessor noster sapientissimus Benedictus XIV. vos in isto monte positos, et infidelibus populis undique circumseptos, fidei tamen orthodoxae, ac B. Petri Cathedrae firmissime adhaerentes contemplatis, vos ipsos modo similes rosae dixit inter spinas florenti, modo solidissimae cauti, quae nullo furentium adadversus eam procellarum impetu quatiatur.

Queritur de cohabitat. monachor. et monialium.

§ 2. Vestrae huius gloriae summopere studiosi, eiusque magis magisque augendae cupidi, de omni statu vestro accurate doceri voluimus; et quamquam multa cognoverimus ad recreandum animum nostrum gravissimis perpetuo curis distentum idonea, acerbissimi tamen doloris sensu perculsi fuimus, cum auditum a nobis est nondum desiisse apud vos pravam illam, totiesque ab hac S. Sede damnatam, habendi duplicia monastéria consuetudinem, ubi sub eodem tecto monachi monialesque vitam ducunt. Ignotum vobis, Ven. Fratres, esse nequit, quam plena periculorum sit haec utriusque sexus indiscreta vivendi ratio, quam graviter christianos diversi a vestro ritus offendat, quae infidelium dicteria excitet, qui deridendi blasphemandique christiani nominis occasionem sumunt ex hoc prorsus non ferendo virorum et mulierum contubernio, quibus religiosa vota, illibatum vitae genus atque ab omni vel levissima suspicione remotum praescribunt. Itaque nullis verbis declarare satis possumus quanta sit moeroris nostri magnitudo, cum videamus consuetudinem per se abnormem, ac toties a Summis Pontificibus confixam, adhuc inter vos vigere, nec vigere modo, séd advocatos etiam e vestro coetu nactam esse, qui variis illam rationibus retinendam esse contendant. Quod cum agunt, et Synodo an. MDCCXXXVI. in monte Libano habitae, cui Iosephus Simonius Assemannus isthuc a Clemente XII. missus praefuit, et constitutioni Benedicti XIV. quae incipit — *Singularis* — memoratam Synodum confirmanti, palam refragantur. Istorum pertinacia factum est, ut inhaerens splendidissimae ecclesiae vestrae macula abstergi huc usque non potuerit, etiamsi Sedes Apostolica nihil de sua sollicitudine remittens, octo subinde delegatos hinc ad vos proficisci iusserit, et nostra de Propaganda Fide Congregatio annis MDCCXC. et MDCCXCVI. nova in hanc rem decreta ediderit, quibus et alia a nobis renovata et confirmata postmodum accesserunt. Incredibile prorsus videtur irrita cecidisse ad hanc usque diem tot tantaque Sedis Apostolicae studia.

Remedia indicit.

§ 3. Sed cum firmissime propositum nobis sit intollerabilem usum, qui tam profundas inter vos radices iecit, penitus extirpare, idcirco auctoritate nostra roboravimus nuperum praedictae Congregationis decretum, quo indicitur Ven. fratri Ioanni Petro Dolce Patriarchae vestro, et dilecto filio Aloysio Gandolfi electo Episcopo Icosiensi, et delegato apud vos apostolico, ut una cum Synodo Episcoporum nationis vestrae modum quaerant et proponant, qui expeditior sit et separandis monachorum et monialium coenobiis accommodatior. Cui vero usui coenobia, quae post separationem vacua supererunt, esse debeant, quae cautelae in peragenda separatione adhibendae sint, perspicue intelligetis ex edicto ipso, quod nostris hisce litteris adiunctum accipietis, et cuius omnes partes ut promptae ac sedulae executioni mandentur in virtute obedientiae vobis districte praecipimus.

De praesulum a sedis absentia.

§ 4. Non sola vero monachorum et monialium sub eodem tecto habitatio maximo nobis moerori et sollicitudini est, angit etiam gravissime animum nostrum pastorum ecclesiae vestrae a suis gregibus absentia. Quae inde incommoda, quaeque detrimenta in dioeceses Episcoporum suorum carentes praesentia proficiscantur, notius est, quam ut fuse explicari a nobis necesse sit. Quamobrem ut huic quoque malo medeamur, aliud nostrae Congregationis de Propaganda Fide decretum a nobis approbatum confirmatumque ad vos mittimus, quo decernitur, ut in Synodo, quo citius fieri potest a vobis habenda, certa singulis Episcopis in suis dioecesibus sedes designetur, quae tamen in nullo coenobiorum esse poterit in quibus moniales habitant. Statuenda in primis est patriarchalis Sedes, quam alicubi locatam alio transferre sine gravissima causa a nobis etiam cognoscenda non licebit, videndumque an vere conve-

niat, ut Patriarcha in monasterio marsciallitae resideat, ut Synodo Canobini visum est. Haec quae summatim attingimus, fusius exposita legetis in decreto, quod brevi huic nostro additum ad vos perferetur.

Decretis obedientiam praecipit.

§ 5. Firmissimus ille religionis catholicae amor, quo semper inclaruistis, et constans erga sanctam hanc Sedem obsequium vestrum certam in spem nos adducunt fore, ut duobus decretis, de quibus loquimur, qua opus est obedientia pareatis. Novum docilitate vestra stimulum addetis voluntati nostrae ad id omne propensissimae quod ex usu et commodo vestro in bonum praesertim spiritualis vestrae salutis esse intellexerimus. Et apostolicam benedictionem ex intimo cordis depromptam vobis ven. fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die I. nov. MDCCCXVI., pontificatus nostri anno XVII.

LXIV.

Eximit ecclesiam episcopalem de Portorico a subiectione de Cuba et eam subiicit sedi Archiepiscopi Sancti Dominici.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Divinis praeceptis atque apostolicis monitis informamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, et si quid usquam in maiorem Dei gloriam inque animarum salutem redundare agnoverimus, id celeri sollicitudine procuremus, ne pascentes negligenter toties commendatum dominicum gregem, misere convincamur ex beati Leonis magni testimonio summum nos non amare pastorem. Haec assidue revolventes animo, ac probe gnari diligentiorem felicioremque haberi Ecclesiarum procurationem ex commodiori et opportuniori antistitum aliorumque sacrorum praesidum statione, vicariam, quam gerimus, ipsius Redemptoris auctoritatem libenter e sacrorum canonum moderatione pro temporum, locorum ac personarum ratione protulimus tum ad novas, quas religionis incrementa efflagitassent Episcopales sedes constituendas, tum ad quasdam transferendas, ubi fecundiora in Dominicam vineam irrigua conrivanda dignovissemus, tum demum ad aliquas eorum partes dividendas, fines regendos, iuraque decernenda.

Memoratur dismembratio facta in sequelam anni MDCCCIII.

§ 2. Id profecto intendimus cum anno millesimo octingentesimo tertio Hispanica portione insulae sancti Dominici in francorum dominatum ex cessione redacta episcopales sedes, quae archiepiscopatui eiusdem nominis tunc sui viduato pastoris uti suffraganeae suberant, nimirum Ecclesias de Cuba, de Benecuela, sancti Christophori de Havana, de Portorico et de Guayana nuncupatas a metropolitica dicti archiepiscopatus sancti Dominici iurisdictione subtraximus per apostolicas literas datas octavo kalendas decembris eiusdem anni. De huiusmodi vero episcopatibus a metropolitico iure Archiepiscopi sancti Dominici ita subductis per ipsas apostolicas literas in eum modum disposuimus, ut nimirum unum de Cuba et alterum de Benecuela in archiepiscopatus erexerimus, assignantes primo ecclesias Sancti Christophori de Havana et de Portorico, ecclesias autem de Guayana et Emeritensem secundo in suffraganeas. Luculenter quippe constiterant plura hoc pacto vitanda et imminuenda fore incommoda, quibus illorum fidelium spirituale regimen ex locorum distantiis et ex qualitate regionum non parum praepediri noveramus.

Exponitur ratio decernendae novae distributionis dioecesum.

§ 3. Ast cum in praesens, quod faustum semper fortunatumque sit, post foedissimi temporis clades parta iterum ex omnipotentis Dei beneficio tranquillitate antedicta Hispanica portio insulae sancti Dominici catholici regis imperio sit restitutae, suis Domino gratiis incensum optimi principis pro religione studium cumulante, ipsius carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici nomine dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna eius apud Apostolicam Sedem plenipotentiarius administer a nobis humiliter postulavit, ut archiepiscopali ecclesiae Sancti Dominici, quae suo caret adhuc Antistite, ecclesiam episcopalem de Portorico in suffraganeam denuo assignemus, eidemque sancti Dominici Archiepiscopo titulum, iura, privilegia et praerogativas primatis Indiarum quibus antea legitime potiebatur, apostolica auctoritate confirmemus, quin ulla in reliquis fiat immutatio ex dispositis in memoratis nostris literis anni millesimi octingentesimi tertii, quae imo in suo pleno robore erunt permansurae.

Declaratio novae distributionis.

§ 4. Nos igitur, qui gratiora in dies pontificiae benevolentiae testimonia praebere non dubitamus ipsi catholico regi, quem sollicita cura intentaque providentia multum conniti novimus, ut in suis ditionibus Ecclesiae floreat libertas, christiana invalescat securitas, ac vera populorum felicitas, quae in Dei timore est, immobilis perseveret, ipsius precibus libentissime annuimus, eiusque zelo accurrentes ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine supradictam de Portorico episcopalem ecclesiam a quacumque subiectione metropolitani de Cuba prorsus eximentes ac liberantes, metropolitico iuri, superioritati et iurisdictioni pro tempore existentis Archiepiscopi Sancti Dominici, uti illius suffraganeam, perpetuo vigore praesentium subiicimus atque supponimus.

Confirmatio privilegior. ecclesiae Sancti Dominici.

§ 5. Ipsam vero archiepiscopalem ecclesiam sancti Dominici tot tantisque nominibus commendatam, eoque praesertim praeclarissimo, quod ibi primum ex regionibus trans oceanum Atlanticum detectis sanctissimum Iesu Christi nomen et fides insonuerit, ac proinde a romanis pontificibus praedecessoribus nostris pluribus cumulatam privilegiis, iisque iniuria temporum fortassis minutam, et nunc iterum ex eiusdem catholici regis pietate, prout antea extabat, capitulo, et congruis dotibus honestatam suis omnibus iuribus, privilegiis, praerogativis, praeeminentiis ac titulo Primatis Indiarum, quibus iamdiu, ut praefertur, potiebatur, denuo imposterum libere frui atque uti posse decernimus ac statuimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 6. Quocirca, ut singula in hisce nostris literis disposita executioni debitae mandentur, venerabili fratri Francisco Antonio S.R.E. presbytero Cardinali Cebrian y Valda nuncupato Patriarchae Indiarum committimus, ut sive per se, sive per aliam, aut alias ecclesiasticas personas ab eo deputandam, vel deputandas, exquisitis Antistitum et capitulorum de Cuba et de Portorico consensibus, ea omnia gerat, quae ad plenarium huiusmodi rerum consequendum effectum necessaria dignoverit atque opportuna. Nos enim, si memorati Antistites et capitula in id assentiri irrationabiliter renuerint, eorum et aliorum quorumlibet ecclesiasticorum supplentes, illi ex nunc apostolica auctoritate derogatum esse declaramus, praedictoque Francisco Antonio Cardinali et Patriarchae amplam ad praemissa integre exequenda tribuimus potestatem.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Omnia autem et singula in hisce nostris literis contenta, etiam ex eo quod quilibet in illis interesse habentes, seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio etiam substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, vel alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu quidquam aliud in contrarium disponi ullatenus posse, sed eas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere statuimus; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit tatentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac supramemoratis nostris literis anno millesimo octingentesimo tertio sub plumbo expeditis, et quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, quibus omnibus et singulis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, illis alias in suo robore permansuris, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionis, liberationis, subiectionis, suppositionis, statuti, commissionis, declarationis, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo decimosexto, quarto kalendas decembris, pontificatus nostri anno decimoseptimo.

LXV.

Erigit ecclesiam episcopalem Varsaviensem sub titulo S. Ioannis Baptistae in metropolitanam.

PIUS EPISCOPUS

servum servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae bonitatis nullo licet meritorum nostrorum suffragio praepositi, ex eminenti beati Petri principis Apostolorum specula ad gregem Dominicum per universum orbem diffusum oculos nostrae mentis intentos semper habemus, more vigilis pastoris inspicientes, quid apostolicae providentiae impendere debeamus, ut catholica religio magis magisque augeatur, ecclesiasticae hierarchiae splendor accrescat, et grex ipse ubique ad coelestia pascua dirigendus maiori facilitate, commoditate atque utilitate valeat gubernari.

Memorantur literae ad rem datae a Pio Papa VI.

§ 2. Haec omnia animo revolventes, illud novissime animadvertimus, quod felicis recordationis Pius papa sextus praedecessor noster per suas apostolicas literas sub plumbo datas decimoseptimo kalendas novembris anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo octavo in civitate Varsaviensi, regio palatio et magnificis procerum aedibus decorata, ob illius amplitudinem, ob soli amoenitatem et ubertatem, ob magnum civium et nobilium familiarum numerum, ob seminaria ac nobilium adolescentium collegia, ob multa virorum coenobia ac mulierum monasteria, aliaque pietatis et charitatis instituta percelebri sedem episcopalem Apostolicae Sedi immediate subiectam erexit, et cathedralem ecclesiam sub titulo sancti Ioannis Baptistae cum suo capitulo ex dignitatibus et canonicis eff[illegible]mato praeter alios ecclesiasticos viros eidem ecclesiae inservientes constituit, quodque inspectis temporum ac locorum peculiaribus circumstantiis in maximum et necessarium bonum vergeret Christifidelium in illis regionibus degentium, si memorata episcopalis Ecclesia Varsaviensis ad gradum sedis archi piscopalis ex pontificia nostra indulgentia extolleretur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos itaque gravissimis causis adducti, cunctisque diligentissime libratis, ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad maiorem Omnipotentis Dei gloriam, et Catholicae Ecclesiae splendorem, simulque spiritualem Christifidelium utilitatem, supradictam episcopalem ecclesiam Varsaviensem sub titulo sancti Ioannis Baptistae cum suo capitulo de specialis gratiae dono ad archiepiscopalis metropolitanae ecclesiae gradum ac dignitatem extollimus: reservantes nobis eidem Varsaviensi metropolitanae ecclesiae imposterum episcopales ecclesias suffraganeas adsignare.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut invalidari posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis, caeterisque licet speciali et individua mentione dignis contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum dispositionis, reservationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo decimoseptimo, quarto idus martii pontificatus nostri anno decimoseptimo.

LXVI.

Reprobat Episcopum Tempensem quod ad nutum regis curam assumpserit eccle-

siarum Constant. et Wormat. dum id ad vic. capit. pertineret; ipsum regem adhortatur ut sollicite de re catholica cum S. S. per concordatum agat. (1).

Serenissimo ac potentissimo Wilhelmo Würtembergiae Regi illustri,

PIUS PP. VII.

Serenissime ac potentissime Rex, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus a maiestate tuâ litteras humanitatis officiique plenissimas, quibus a nobis petis, ut, mortuo ven. fratre Carolo Theodoro Dalberg Archiepiscopo Ratisbonensi, qui Ecclesias quoque Constantiensem et Wormatiensem, atque ut putas Spirensem, administrabat, velimus Episcopo Tempensi regendas ad tempus tradere illas dictarum dioecesium partes, quae ditionis tuae finibus continentur, *interim dum in regno tuo res catholicorum ecclesiasticae stabili modo constituantur*. Idcirco autem maiestas tua id a nobis videtur postulasse, quod existimet catholicos in memoratis praedictarum dioecesium partibus commorantes nupero Archiepiscopi Ratisbonensis obitu ecclesiasticâ fuisse gubernatione destitutos. Maiestatem vero tuam lateat nolumus Ecclesiae Conciliique Tridentini providentiâ consultum fuisse populis suo pastore orbatis. His enim populis vicarii capitulares praesunt facultatibus ad regendas vacantes dioeceses necessariis praediti, donec novus Episcopus eligatur. Maiestatis autem tuae erga catholicos sibi subditos studium tam humaniter tamque accommodate ad nos consolandos declaratum, certissimam in spem nos adducit fore, ut illi patronum in te, nos vero praesidium ad spiritualem eorum utilitatem firme stabiliendam simus habituri. Quapropter morem tibi libentissime gerentes, Tempensis Episcopi litteris, quas a te excitatus ad nos se scripsisse significat, ita respondemus, ut necessarias, quas petit, facultates ei concedamus, quibus catholicos tibi subditos usque ad illud tempus, quo isto in regno res ecclesiasticae constituantur, valide gubernet eo modo, quo die XXI. martii MDCCCXVI. regendos ipsi dederamus catholicos in dioecesi Augustanâ et Herbipolensi degentes. Sed cum iam desiderio tuo satisfecerimus, sine, precamur, ut quaedam tecum communicemus, quae muneris nostri sunt, cum illo tamen studio congruunt, quo spirituali catholicorum tibi subditorum bono, augustissimi genitoris tui vestigiis inhaerens, prospicere intendis. Ac primo quidem quod existimaveris tuum esse cavere, ne catholici tibi subditi aliquid detrimenti capiant in rebus ad regimen ecclesiasticum pertinentibus, ideoque Tempensem Episcopum a te invitatum fuisse, ut urgente necessitate, praedictis catholicis, amoris causa et sub spe approbationis pontificiae necessariam opem praestaret, id quidem pronam et constantem erga eosdem catholicos maiestatis tuae voluntatem ostendit. Sed cum nemo iurisdictionem ecclesiasticam exercere valide possit, nisi qui legitimam id agendi facultatem retulerit, frustra Episcopus Tempensis ecclesiarum extra territorium ei a nobis assignatum sitarum regimen suscepisset, omnia eius acta tales ecclesias respicientia irrita prorsus et nulla essent, catholicorum proinde animi iis turbationibus angerentur quas maiestas tua tollendas sibi proposuit. Itaque cum ex Tempensis Episcopi litteris non obscure cognovimus, ab ipso iam esse susceptam ecclesiarum non suarum administrationem, gravi admiratione perculsi sumus, cum ille, utpote Episcopus, non possit nec debeat ignorare necessario in eiusmodi re auctoritatem nostram requiri; quod si Tempensis Episcopus maiestati tuae declarasset, ostendissetque praeterea catholicos, de quibus agitur, spiritualibus administratoribus non carere, pro certo habemus te, qua es sapientiâ, non ultra requisiturum ab eo fuisse, ut catholicorum sibi minime subiectorum regimen sumeret. Quae cum ita sint, facere non possumus quin eidem Episcopo significemus quantum nobis doluerit eius agendi ratio; nec vero possumus eodem tempore ea remedia non adhibere, quibus valida reddantur acta, quae irrita et nulla eius culpâ fuerunt. Quod maiestas tua meminit de iis, quae per dilectum filium nostrum S. R. E. Cardinalem della Genga Stutgardii acta sunt, ut videlicet catholici omnino omnes Wurtembergenses pastorali ministerio in regno ipso nostra auctoritate constituto regerentur: huius conventionis recordatio et conditio ipsa, qua petis, ut ecclesiarum, quae ad exteras dioeceses pertinent, tui tamen regni limitibus concluduntur, administrationi

(1) Ex Reg. epist. ad principes etc.

Tempensem Episcopum praeficiamus, interim dum in regno tuo res catholicorum ecclesiasticae stabili modo constituantur, faciunt, ut aperte cognoscamus maiestatem tuam eadem cupere, quae Rex pater tuus cupiebat, ut scilicet catholicorum regimen perennem in regno tuo stabilitatem nanciscatur. Haec omnia multo nobis solatio sunt, intelligentibus sententiam tuam plane consentaneam esse vehementissimo illi desiderio nostro, quod nostri Status secretarius superiore anno ministris patris tui iussu nostro manifestavit, et quod nos iidem declaravimus illis nostris litteris, quibus potestatem dedimus Episcopo Tempensi gubernandi in spiritualibus magnam catholicorum istius regni partem, et quod renovavimus etiam tum cum Episcopo Evarensi dedimus ut eidem posset succedere. A consiliis tuis discrepabant consilia patris tui, qui cum nos ad eius petitionem consiliarium Keller dignitate episcopali ornavimus, per litteras a comite Vintzingerode die XXIII. iunii anni MDCCCXVI. ad praedictum Cardinalem nostrum a secretis Status datas nobis aperte significavit sibi in animo esse quamprimum iis negociationibus vacare quae spectabant ad res ecclesiasticas in suo regno definiendas. Huius rei tempus iam advenisse nobis videtur, te praesertim rege, et illud regnum tenente, in quo tam multi catholici numerantur. Nos equidem maluissemus, quod a nobis in praesens petis, tum constituere, cum constituenda unanimi utriusque nostrum consensu erunt ecclesiastica istius regni negocia: sed, ut tibi gratificemur, eidem petitioni tuae sine mora satisfacere voluimus. Maxime vero confidimus, imo pro certo habemus, maiestatem tuam de ordinandis istorum catholicorum rebus adeo sollicitam, missuram huc probatae fidei virum, qui hac ipsa de re agat cum eo, qui nominandus a nobis erit. Interim catholicos et catholicam religionem impensissime tibi commendamus, precamurque Regem regum ut maiestatem tuam diutissime sospitet, et perfecta nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v. aprilis MDCCCXVII. pontificatus nostri anno XVIII.

LXVII.

Vicario Apostolico dioecesis Trevirensis a parte dextera Rheni respondet, matrimonia mixta, quae Ecclesia semper aversata est, aliquando permitti posse ex gravi causa, concurrentibus tamen consuetis pactionibus, modo vero illic permitti amplius non posse ob leges vim omnem adimentes iisdem pactionibus; docet quomodo in iis parochi se gerere debeant; monet etiam declarationem Bened. XIV. pro matrimoniis Hollandiae, postea ad Silesiam extensam, nonnisi per decretum pontificium extendi posse ad alias dioeceses; ac nonnulla ab eo significanda exponit, ut petitio huius declarationis pro ipsius Vicariatu expendi possit (1).

Dilecto filio Iosepho ab Hommer Trevirensis dioecesis a parte dexterâ Rheni Vicario Apostolico,

PIUS PP. VII.

**Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.**

Quae tuis literis die XXVIII. ianuarii datis nobis exponis de incommodis praesertim damnisque illis quae catholica istic Religio patitur ob ea, quae circa matrimonia mixta decreta et usu recepta sunt, vehementem, ut par erat, animo nostro dolorem attulerunt. Mirum id tibi esse non potest, cum minime ignores, quantopere sancta Dei Ecclesia huiusmodi coniugia, praesertim ob perversionis periculum quod parti catholicae prolibusque inde imminet, semper fuerit aversata. Sedes tamen haec Apostolica, cum ea connubia impedire sese minime posse comperiit, tacendum sibi aut dissimulandum esse iudicavit: nonnunquam etiam celebrari illa annuit auctoritate suâ, cum nempe in casibus particularibus gravem aliquam perspexit causam adesse, qua dispensatio huiusmodi cohonestaretur, et prolium indiscriminatim omnium institutio catholica, omni qua poterat ratione, in tuto posita erat.

Nunc vero cum legum praescripto vis omnis adempta sit pactionibus illis, quae circa catholicam prolium educationem ex huius S. Sedis auctoritate iniri deberent,

(1) Ex Reg. Epist. Latin.

coniugia haec nullâ certa ratione cohonestari, neque ecclesiasticae potestatis assensu permitti possunt. Haec prae oculis a te habenda, dilecte fili, haec catholicis iurisdictionis tuae subiectis exponenda sunt, ut eos, si fieri possit, ab huiusmodi nuptiis deterreas.

Quod si minus id obtineri possit, muneris tamen tui ac parochorum catholicorum erit, minime iis coniugiis assistere, atque ab omni huiusmodi actu vos abstinere, unde coniici possit ea vos approbare illisque aliquâ ratione cooperari. Ad extremum, negative saltem circa illa vos habeatis oportet, cum non expediat post opportunas, de quibus diximus, hortationes impediri ea a vobis, multoque minus oblocutionibus persequenda sint, ne turbae ac pertubatio ulla publicae tranquillitatis sequatur. Si vero catholici parochi, quod minime timere volumus, compellantur ad eorum praesentiam matrimoniis istis praestandam, necesse omnino tunc erit pastoralem zelum vestrum expromere, illisque significare, hoc in casu Deo potius quam hominibus obediendum. Si autem iis matrimoniis loco parochorum catholicorum ministri acatholici assistant, gravius quidem tunc erit contrahentium peccatum, parochi autem catholici omni prorsus culpâ vacabunt.

Iam quod pertinet ad fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri epistolam decretalem circa matrimonia in Hollandiâ inita, duabus de rebus te esse ducimus admonendum: primum, minime illam, ut nunciatum est tibi, ad dioeceses Silesiae, quamquam in iis Concilii Tridentini decretum circa matrimonia publicatum esset, fuisse extensam; imo vero vehemens dubium quod aderat, utrum in dioecesibus illis ea publicatio facta fuisset, praecipue in causâ fuisse, ut ab Apostolicâ hac Sede ad eas decretalis praedicta extenderetur. Alterum vero, decretalem ipsam minime ad alias regiones aut dioeceses extensam haberi unquam posse, nisi peculiari decreto id ipsum a Sede Apostolicâ declaretur.

Illud vero postremo loco significamus tibi, nos eorum, quae totâ hac de re exposuisti nobis, omnem habentes rationem, gravissimum hoc negotium ad diligens ac maturum examen revocaturos, ut deinde tibi iudicium nostrum declarare possimus. A te interea petimus ut accurate ad nos et distincte referas: 1°. An acatholici modo in dioecesi Trevirensi veram et proprie dictam societatem inter se efficiant, et an iuribus civitatis fruantur, publicumque cultum exerceant. 2°. An in regestis curiae tuae vel alibi documenta existant, quibus probari possit in dioecesi ipsâ publicatum fuisse decretum Concilii Tridentini de Reform. matr., cap. 1, sess. 24, et, quatenus clare id evinci non possit, an et a quo tempore eiusdem decreti in eâ invaluerit observantia, et an illa invaluerit et custodita fuerit tamquam ex praescripto praedicti Concilii. Haec quam citissime fieri poterit expectamus a te, dum tibi cum paternae caritatis nostrae testificatione apostolicam benedictionem impertimur ex corde.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXVI. aprilis a. MDCCCXVII., pontificatus nostri anno XVIII.

LXVIII.

Confirmat statuta confraternitatis tertii Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo in civitate Sancti Sebastiani in Brasilia Lusitaniae.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. In summi pontificatus apice, meritis licet imparibus, constituti, quidquid ad maiorem Dei gloriam et Christi pauperum levamen bene sapienterque constitutum apparet, approbamus. **Prooemium.**

§ 2. Ex parte dilectorum filiorum officialium et confratrum confraternitatis tertii ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo in civitate Sancti Sebastiani in Brasilia Lusitaniae canonice (ut asseritur) erectae exhibita nobis nuper fuerunt eiusdem confraternitatis statuta septem et triginta capitibus descripta, ut ea lecta et perpensa apostolica nostra confirmatione munire dignaremur. **Expositio precum.**

§ 3. Nos igitur, auditis etiam desuper relationibus et commendationibus dilecti filii Iosephi Bartoli Carmelitarum ordinis vicarii generalis in urbe, ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi in- **Tenor concessionis.**

clinati, statutorum praedictorum capita praesentibus pro insertis habentes omnia et singula in eis contenta et praescripta auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et adprobamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, atque etiam, quantum cum Domino possumus, commendamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac respective a confratribus et consororibus inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum in arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vigesimatertia maii millesimo octingentesimo decimoseptimo, pontificatus nostri anno decimo octavo.

LXIX.

Spoliorum iura ad Cameram Apostolicam pertinentia, definitis conditionibus et exceptionibus, ad Sacram Cong. de P. F. devolvit.

PIUS PP. VII.

MOTU PROPRIO.

Exordium.

§ 1. Catholicae fidei propagationi tanto studio tantaque sollicitudine praedecessores nostri perpetuo incubuerunt, ut negocium huiusmodi veluti Sanctae Sedis proprium et maximum merito semper iudicaverint. Hinc fel. rec. Gregorius XV. celebri sua constitutione *Inscrutabili Divinae Providentiae arcano* anno lata MDCXXII. dec. kalendas iulii peculiarem Congregationem instituit de Propaganda Fide nuncupatam, eique nonnullos Camerae Apostolicae redditus attribuit, ut res tanti momenti celerius progrederetur, ut novum de die in diem christiana religio incrementum acciperet. Sed ob anteactas temporum procellas adeo nunc imminuti sunt eiusdem Congregationis redditus, ut nequeat amplius, ut antea, Episcopis et Apostolicis Vicariis pensiones persolvere, evangelicae messis operariis stipendia suppeditare, neque Urbanum Collegium pro alumnorum eruditione restituere, idque genus alia onera perferre, non sine maximo catholicae fidei propagationis detrimento.

Spoliarum iura S. C. concedit.

§ 2. Cum primum itaque horum malorum notitiam accepimus, animum intendimus, quomodo illis occurrere ac negocio tam gravi prospicere possemus. Animadvertentes tandem, Spoliorum iura a pluribus praedecesseribus nostris Camerae Apostolicae applicata, potissimum respicere vel fructus beneficiorum ecclesiasticorum de tempore eorum vacationis, vel bona personarum aut regularium extra claustra, aut ecclesiasticarum extra residentiam, aut absque testandi facultate decedentium, nobis visum est, huic Sanctae Sedi maiori laudi futurum, si in posterum Spoliorum redditus in sumptus propagationis catholicae fidei saltem in parte converterentur. Quamobrem, audito dilecto filio Caesare Guerrerio nostro vigilantissimo Thesaurario ac Collectore generali Spoliorum, vestigia Gregorii XV. sectantes, ac apostolicas litteras fel. rec. Pauli III., Pii IV., Pii V., Gregorii XIII., aliorumque Romanorum Pontificum iura spolii concernentes, earumque tenorem et datas hic pro expressis habentes, Motu Proprio, non ad alicuius instantiam, sed certa scientia, ac de Apostolicae Sedis plenitudine, Spolii iura eodem modo et forma, quibus nunc ad Cameram Apostolicam pertinent, eidem Congregationi de Propaganda fide ad nostrum et successorum nostrorum beneplacitum addicimus, incorporamus, applicamus cum eodemmet privilegio manus regiae, aliisque omnibus fiscalibus iuribus et privilegiis, quibus in eorum Spoliorum exactione usque adhuc Camera Apostolica gavisa est et gaudet, ita ut eadem Congregatio in Camerae Apostolicae locum ad libitum nostrum et successorum nostrorum, ut praemisimus, ad omnes et quoscumque iuris effectus subrogata et suffecta omnino censeatur.

Exceptiones.

§ 3. Excipimus autem ab hac applicatione ac favore nostrae camerae perpetuo reservamus tum haereditates quarumcumque personarum decedentium ab intestato absque legitimis haeredibus, aliaque bona vacantia, tum bona iura et actiones quascumque ad eamdem Cameram Apostolicam vel iam delatas, vel in posterum deferendas per suppressionem, siqua fortasse eveniret, quorumcumque episcopatuum, abbatiarum, cappellaniarum et aliorum quorumcumque beneficiorum. Excipimus pariter bona Abbatiae Trium Fontium, quorum administrationem durante illius vacatione

prosequi volumus, ut antea, per dilectum filium Thesaurarium nostrum generalem eiusque successores ad nostrum et huius Sanctae Sedis arbitrium. Volumus etiam, quod Congregatio de Propaganda Fide debeat de triennio in triennium dilecto filio Thesaurario nostro generali pro tempore rationes exhibere fructuum omnium, sive annui redditus eorumdem Spoliorum, ac praefatae Apostolicae Camerae in fine cuiuslibet triennii solvere summam excedentem scutorum nonaginta millia, compensandam cum fructibus LL. MM. non vacabilium ad praedictam Congregationem spectantium, licet spoliorum redditus praecedentis triennii ad eamdem nonaginta millium scutorum quantitatem non pervenissent, sed imo fuissent longe minores.

Conditiones. § 4. Denique, ut eadem Congregatio teneatur nedum pensiones exsolvere, aliaque onera ferre, quae actu Spoliorum arcae incumbunt, verum etiam in eorumdem Spoliorum administratione uti opera ratiocinatoris, aliorumque ministrorum cameralium, qui modo eidem administrationi sunt addicti, iisdemmet stipendiis, quae nunc accipiunt, et, senioribus decedentibus, alios iuxta eorum antianitatis gradus sufficere cum eo maiori emolumento, quod defunctus obtinebat, et hoc observari praecipimus, quoadusque alter supererit ex dictis cameralibus officialibus. Quocirca R̃mo Cardinali Scotti quoad rem familiarem oeconomicam saepedictae congregationis praefecto, eiusque in eodem officio successoribus, committimus et mandamus, quatenus exactioni et recuperationi Spoliorum huiusmodi sedulo incumbant, caeteraque omnia fideliter exequantur, quae a nobis superius disposita sunt.

§ 5. Decernentes, omnia et singula in praesenti nostro Motu proprio, quousque a nobis vel a successoribus nostris revocatus non fuerit, contenta et expressa, valida et firma fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter perpetuo observari debere. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstante, quod Commissarius Apostolicae nostrae Camerae vocatus non fuerit, ac non obstantibus literis apostolicis fel. rec. Pii IV. de gratiis interesse Camerae Apostolicae quomodolibet concernentibus infra certum expressum tempus in eadem Camera registrandis (ita quod Congregatio de Propaganda Fide aut alii eius ministri ad huiusmodi insinuationem minime teneantur), aliisque litteris apostolicis nostris vel praedecessorum nostrorum quorumcumque Romanorum Pontificum quibusvis efficacissimis et insolitis clausulis roboratis et confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissime hac vice derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum ex Castro Gandulpho die XIX. iunii MDCCCXVII.

LXX.

Archiepiscopo Baltimorensi respondet, excessus presbyteri Gallagher evidenter patere, et causâ appellationis ex sua et S. Congregationis sententia finitâ, ipsum posse contra illum eiusque socium ex iure procedere: eius arbitrio prorsus remitit substitutionem sacerdotis Angli presbytero Gallo Clorivière in urbe Caropoleos: significat tandem canonum statuta circa appellationes firma manere debere (1).

Venerabili fratri Leonardo Archiepiscopo Baltimorensi,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Literas tuas diei XIII. aprilis huius anni celerrime accepimus, sexagesimâ quintâ scilicet die postquam fuerant datae. Et quamquam eo tempore adversâ valetudine (qua nunc optimâ favente Deo utimur) premeremur, negotium tamen, de quo in iis agebatur, pro rei gravitate proque studio in te nostro, diligenter nullâque morâ in-

(1) Ex Reg. Epist. Latin. Vide *Non sine* infra.

terpositâ considerandum suscepimus. Mox ven. fratre Laurentio S. R. E. Cardinali Litta Episcopo Sabinensi et Congregationis de Propagandâ Fide praefecto ad nos vocato, cum eo totam rem accurate studioseque perpendimus. Nec multis opus fuit ad eam conficiendam: ex pluribus enim literis, quae istic advenerant, Congregatio ipsa plena iam constare cognoverat de gravibus publicisque presbyteri Felicis Simeonis Gallagher excessibus, deque intolerandâ eius pertinaciâ, qua non modo sese prorsus incorrigibilem multorum annorum spatio praebuit, sed etiam malis artibus semel atque iterum praefatae Congregationi insidias paravit, ut ex literis bo. me. Cardinalis Borgiae iam satis apparet. Quare et ex Congregationis sententiâ et iudicio nostro causa appellationis omnino finita est, tuque, ven. frater, contra ipsum Gallagher eiusque socium Robertum Browne pleno liberoque iure procedere poteris. Nos enim omnia quaecumque gesseris rata ac firma habenda esse decernimus.

§ 2. Sapientiae vero tuae erit considerare, utrum sacerdos Gallus Cloriviere pastoris officium in civitate Carolopoleos retinere debeat, an potius expediat, alium ei ex Anglicanâ natione presbyterum sufficì, qui ob faciliorem linguae usum fidelibus illius congregationis esse fortasse possit acceptior. Nihil tamen hac de re tibi neque praecipere, neque ex animi nostri sententiâ intendimus insinuare: in tuâ enim prudentiâ conscientiam nostram exonerantes, integrum plane tibi esse volumus id decernere, quoad magis in Domino ad animarum utilitatem catholicaeque fidei praesidium opportunum iudicabis. Plura ad te a congregatione ipsâ de toto hoc negotio scribentur; voluimus tamen et nos haec tibi significare, ut intelligas quanti te faciamus, quantique ponderis apud nos tuae fuerint expostulationes.

§ 3. Quod ad reliquum vero tempus pertinet, omnen quidem tui Congregatio de Propagandâ Fide ceterorumque Americae Episcoporum, ut par est, rationem habebit, quin tamen *sacrorum et antiquorum canonum statuta* circa appellationes, quae Concilium ipsum Tridentinum *illibata persistere* voluit, abrogentur. Interea cum peculiaribus benevolentiae in te nostrae significationibus apostolicam benedictionem tibi gregique tuo peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die IX. iulii MDCCCXVII., pontificatus nostri anno XVIII.

LXXI.

Electionem seu postulationem Moysen Chattan in Patriarcham antiochenum Graecorum Melchitarum confirmat (1).

Dilecto filio Ignatio Chattan Electo Patriarchae Antiochen. Nationis Graeco-Melchitarum,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinem suscipiunt universa, in apostolicae dignitatis solio, meritis licet imparibus, constituti, ad universas Or- **Exordium.**

---

(1) Ex Tabul. Cong. de Prop. Fide. Reg. dei Brevi vol. II.

Relatis ab Emo et Rmo Domino Cardinali Litta Praefecto literis Episcoporum Graeco-Melchitarum enixe supplicantium Sanctissimo Domino Nostro, ut dignetur approbare et confirmare electionem seu postulationem Patriarchae catholici pro ecclesia patriarchali Antiochena nationis Graeco-Melchitae vacante per obitum bo. me. R. P. D. Macarii Tauil peractam de persona R. P. D. Ignatii Chattan: eminentissimi Patres, praehabita uberi notitia de recta fide, prudentia, zelo, coeterisque virtutibus eiusdem R. P. D. Ignatii, censuerunt consulendum esse Sanctitati Suae pro admissione postulationis, de qua agitur, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, nec non ut praefatus Ignatius Chattan Ecclesiae patriarchali Antiochenae Graecorum-Melchitarum praeficiatur, eique pallium insigne pontificalis plenitudinis benigne tribuatur.

Quam Sacrae Congregationis sententiam a R. P. D. Carolo Maria Pedicini Secretario relatam Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa VII. in audientia habita in Arce Gandulphi die XXX. maii eiusdem anni, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et in consistorio habito die XXVIII. iulii anni MDCCCXVII. sequenti consistoriali oratione, praemissa historia trium aliorum Patriarcharum, qui electi vel postulati fuerant sed vel pallium vel etiam confirmationem a S. Ap. non obtinuerunt, quartum confirmat et ei pallium tradit.

ALLOCUTIO

Venerabiles fratres

Nobilitas Sedis Antiochenae, quae nos ad iucundissimam illorum temporum memoriam revocat, cum primum in ea urbe christianorum nomine appellati sumus, nos vehementer hortatur, ut illam et paternae charitatis officiis et ornamentis omnibus lubentissime prosequamur.

Haec Ecclesia, postquam e vivis excessit die duodecima februarii an. MDCCCXII. ven. frater Agapius

bis Ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, et pro earum statu salubriter dirigendo nedum apostolici favoris auxilium adhibemus, sed de illis propensius cogitare nos convenit, quatenus propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum pastores efficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis.

Electionis confirmatio.

§ 1. Sane patriarchalis ecclesiae Antiochen. nationis Graeco-Melchitarum, cui bo. me. Macarius Taill ultimus illius Patriarcha, dum viveret, praesidebat; per obitum dicti Macarii Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem patriarchalis ecclesiae Antiochen. celerem et felicem, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis curis intendentes post deliberationem, quam de praeficiendo eidem patriarchali ecclesiae personam utilem, ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te presbyterum Aleppen. quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi et dilecti filii Clerus eiusdem nationis Graeco-Melchitarum ad praefatam patriarchalem ecclesiam elegerunt, seu postularunt, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes, quod tu, qui de legitimis honestisque parentibus in civitate Aleppen. ortum duxisti, in sexagesimo quinto tuae aetatis anno constitutus, iamdiu praesbyter, ac in civitate et dioecesi Aleppen. per plures annos vicarii apostolici munus obivisti, dictam patriarchalem ecclesiam scies, voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, dereximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae patriarchali ecclesiae, quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis ad hoc ut dumtaxat provisio ac praefectio per nos, ut infra, faciendae, praesentesque nostrae litterae suum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ipsamque electionem seu postulationem huiusmodi de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate admittentes, illamque approbantes et confirmantes, omnesque et singulos, si qui desuper in ele-

---

Matar Patriarcha Graeco-Melchitarum, qui iam inde ab anno MDCCXCVII. fuerat apostolica auctoritate confirmatus, sacroque insignitus pallio, inter breve trium annorum intervallum quatuor Patriarchas vidit sibi invicem succedentes, quorum tamen nemo aut confirmatus a nobis fuit, aut sacri pallii honore decoratus.

Qui in Matar Patriarchae locum succederet, haud ita multo post die XXI. februarii an. MDCCCXII. electus est ven. frater Ignatius Sarruff Beryti Episcopus, quem die XVIII. novembris eiusdem anni violenta mors rapuit. Ad eius electionem confirmandam, simplex, pro illorum temporum ratione, decretum, sine pallio, missum est, quod illuc post eius obitum perlatum est.

Novem post menses ab huius interitu, die scilicet XIV. aug. anni MDCCCXIII., ad patriarchatum eiusdem urbis electus est Agapii superius memorati frater Athanasius Matar. Hic etiam die XXI. novembris eius anni nondum a nobis confirmatus praematura morte occubuit.

Inde die X. decembris anni MDCCCXIII. electus fuit illius Ecclesiae Patriarcha Macarius Tavil, qui die XV. decembris anni MDCCCXV. diem obiit supremum. Et quamquam electionis illius acta perlata huc fuissent, tamen variae, quae illic erant, controversiae, suspensam eius confirmationem tenuerunt. Hoc etiam Patriarcha e vivis sublato, Episcopi nationis Graeco-Melchitarum, qui ad quatuor tantum supererant, cum post septem fere menses die XXVIII. iunii anni MDCCCXVI. in monasterium S. Antonii convenissent, communi consensu, canonicis servatis legibus, novum Patriarcham elegerunt presbyterum Moysem Chattan. Ex allatis autem documentis perspectum habemus, illum eximiis virtutibus praestare, summa quoque esse in Sanctam Sedem observantia et fide: quare Vicarius Apostolicus dioeceseos Graeco-Melchitarum Hierapolis fuerat constitutus cum adhuc penderet causa, quae agitabatur inter electum Maximum Mazlum, atque illam sedem archiepiscopalem.

Nunc cum ipse, ven. fratres, Moyses Chattan iam rite die XI. iulii anni MDCCCXVI. declaratus consecratusque Patriarcha Graeco-Melchitarum fuerit assumpto nomine Ignatii, et tam ipse per procuratorem suum dilectum filium Arsenium Cardachi abbatem monachorum Maronitarum, quam praefati quatuor Episcopi nationis Graeco-Melchitarum petant a nobis, ut apostolica nostra auctoritate praefatam electionem confirmemus, eumque sacri honore pallii donemus, nos audito Congregationis nostrae de Propaganda Fide consilio delatae ad nos postulationi benigne annuimus ac, non sine plurima animi nostri iucunditate, hunc Graeco-Melchitae Ecclesiae annunciamus vobis eventum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in Graeco-Melchitarum Patriarcham Antiochenum rite factam de persona praedicti Moyses Chattan, praeficientes eum in Patriarcham et Pastorem suae nationis, pro qua electus est, prout in decreto et schedula consistoriali exprimitur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

ctione seu postulatione huiusmodi forsan quomodolibet intervenerint, et substantiales defectus, quatenus opus sit, apostolica eadem auctoritate sanantes et supplentes, iuxta decretum a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos etiam approbatum dictae patriarchali ecclesiae Antiochen. nationis Graeco-Melchitarum de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, apostolica auctoritate praefata providemus, teque eidem patriarchali ecclesiae in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam et administrationem dictae patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratiam et largitur praemia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praefata patriarchalis ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Ministeri patriarchalis officia docet et iura.

§ 2. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus adveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabiliter actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca, venerabilibus etiam fratribus nostris universis suffraganeis, orthodoxis ac dilectis filiis capitulo et vassallis dictae patriarchalis ecclesiae et clero et populo eidem patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas. Ita quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, ac clerus te pro nostra et Sedis eiusdem Apostolicae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te, tamquam patrem et pastorem animarum suarum, devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praefati, te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, nec non consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ac insuper ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, tibi a quocumque, quem malueris, catholico Antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae praefatae habente, accito, et in hoc tibi assistentibus duobus aliis Episcopis sive Archiepiscopis similem gratiam et communionem dictae Sedis Apostolicae habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite valeas, ac eidem Antistiti, ut recepto prius per eum a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam praesentibus adnotatam, munus praefatum tibi impendere libere et licite possit, facultatem concedimus per praesentes. Volumus autem et eadem auctoritate statuimus atque decernimus, quod nisi recepto prius a te per dictum Antistitem iuramento praefato idem Antistes munus praefatum tibi impendere, et tu illud recipere temere praesumpseritis, dictus Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse, quam tu a regimine et admistratione tam spiritualium, quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Iuramenti formulam tradit.

§ 3. Volumus etiam quod iuramenti a te tunc praestiti, et professionis fidei catholicae Orientalibus a Sede Apostolica praescriptae per te emissae, formas huiusmodi eidem Congregationi de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis. Forma autem iuramenti, quod praestabis talis est: — Ego Ignatius Cattan electus Patriarcha Antiochen. Graeco-Melchitarum nationis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro et Sanctae Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino nostro Domino Pio Papae VII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero

in consilio et consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios aut litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnes homines. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores et privilegia, atque auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel Romanam eamdem Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero et tractari, impediam hoc pro posse, et, quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Senctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos et rebelles Domino nostro et successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo, et Domino nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae me aestatum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus; et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio Capituli mei, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per alium aliquem presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione sacri Concilii Tridentini per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice; et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam, servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hac edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. —

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo decimo septimo, quinto kalendas augusti, pontificatus nostri anno decimo octavo.

LXXII.

Ignatio Chattan confirmato Patriarchae Antiochen. nationis Graeco-Melchitarum pallium tradit (1).

Dilecto filio Ignatio Chattan presbytero in Patriarcham Antiochen. nationis Graeco-Melchitarum electo,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie patriarchali ecclesiae Antiochen. nationis Graeco-Melchitarum certo nunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum praefatae S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum, et per nos adprobatum, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in Patriar-

(1) Ex Tabul. Congr. de P. F. Reg. dei Brevi vol. II.

cham praefecerimus et pastorem, curam, regimen, et administrationem dictae patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; et postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinem pastoralis officii, pro parte tua nobis fuerit per dilectum filium Philippum Invernizzi nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit instantia postulatum: nos tuis supplicationibus annuentes, Pallium ipsum de Corpore B. Petri sumptum per duos etiam ven. fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in illis partibus degentes, et gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum per dilectum etiam filium Zachariam-Arsenium Cardacchi abbatem Monasterii S. Antonii Maronitarum de Urbe nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi, aut eorum alter, illud tibi sub infrascripta forma assignent, seu assignet, et a te nostro seu Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant, seu recipiat. Tu autem Pallio eodem intra dictam patriachalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae Antiochen. Graeco-Melchitarum nationis privilegiis continentur utaris. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed, quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat gratias et munera elargitur, observare studeas quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter ac temporaliter augmentare. Quocirca praefatis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant, vel alter eorum recipiat, iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem, qua praefati Archiepiscopi vel Episcopi, in assignando tibi dicto Pallio utuntur, haec est: — Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatae Mariae Virginis et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini nostri Domini Pii Papae VII. et S. R. E. nomine, nec non patriarchalis ecclesiae Antiochen. nationis Graeco-Melchitarum tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut uteris eo intra patriarchalem ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. - Forma autem iuramenti, quod praestabis, talis est: - Ego Ignatius Chattan Patriarcha Antiochenus nationis Graeco-Melchitarum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro, Sanctaeque Romanae Ecclesiae, ac Domino nostro Domino Pio PP. VII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios, seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum Limina singulis quinquenniis visitabo, aut per me, aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice; et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium, de anno Domini MDCXXV. editam, servabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.-

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCXVII., quinto kalendas augusti, pontificatus nostri anno decimo octavo.

LXXIII.

Sedem episcopalem Munkacs graeci ritus cum Capitulo et Seminario transfert in oppidum Hungwar, retento tamen titulo episcopatus Munkacsiensis (1).

(1) Ex Contin. Bull. Rom. Collat. cum Reg. Bullarum Abbreviat. Curiae etc.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Romanos decet Pontifices intentis studiis curisque solicitis assidue conniti, ut, quae ad promptiora religionis auxilia fideli populo impertienda et ad feliciorem sacrorum Antistitum statum, atque ad divini cultus splendorem conducant, utili providentiâ comparentur.

§ 1. Eo nos consilio excepimus relationem nuper habitam de iis quae spectant ad episcopalem ecclesiam Munkacsiensem graeci ritus S. Romanae Ecclesiae uniti in regno Hungariae. Constitutâ enim a fel. record. Clemente PP. XIV. praedecessore nostro, per suas literas apostolicas datas XIII. kalendas octobris anni Domini millesimi septingentesimi septuagesimi primi, novâ episcopali sede et cathedrali ecclesia in oppido, nuncupato Munkacs, cognitâqua deinde loci ac aedium angustiâ aliarumque rerum inopiâ et adversâ caeli natura, expediens visum fuit eamdem sedem episcopalem cum cathedrali ecclesiâ et capitulo ad alterum magis amplum et commodum oppidum Hungowar nuncupatum transferre, simulque dotationi tam Episcopi quam capituli et seminarii, cum diversis etiam ad ecclesiastica beneficia spectantibus bonis, opportune providere.

§ 2. Comperto igitur in praesentiarum translationem et assignationem huiusmodi in summam ecclesiae eiusque ministrorum ac totius gregis bonum cessuram fore, si apostolicae approbationis robur accesserit, re universâ accurate perpensâ, nos per hasce apostolicas literas, de certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, praeviâ actorum omnium sanatione et revalidatione quoad praeteritum, atque extinctâ in praedictâ civitate Munkacsiensi cathedralitate et residentiâ Episcopi et Capituli, eamdem episcopalem Sedem Munkacsiensem graeci ritus S. Romanae Ecclesiae uniti, cum cathedrali ecclesiâ, capitulo, clero et seminario, firmis omnibus et singulis bonis ac reditibus unicuique eorum respective adsignatis et competentibus, ac firmâ pariter denominatione ipsius Munkacsiensis episcopatus, ad praefatum oppidum Hungowar translatam ac perpetuo constitutam pari auctoritate nostrâ censeri volumus atque mandamus.

§ 3. Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari vel invalidari posse, sed semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque et indultis, aliisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum sanationis, revalidationis, translationis, constitutionis, mandati, decreti ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCXVII., nono kalendas augusti, pontificatus nostri anno XVIII.

LXXIV.

Eduardum Bedae Slater electum Ep. Ruspen. Vic. Ap. Promontorii Bonae Spei et in locis adiacentibus eligit (1).

Dilecto filio Eduardo Bedae Slater Abbati Ord. S. Benedicti Anglicanae Congregationis in Episcopum ecclesiae Ruspen. electo (2).

PIUS PP. VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nobis innotuerit magnam catholicorum copiam in Promontorio Bonae Spei in Africa sine ullo Pastore ac Sanctuarii ministro versari, ita ut ipsi et sacramen-

(1) Ex Reg. Brev. Cong. vol. II., pag. 269.

(2) Episcopalis eccl. Ruspen in partibus sub Archiepiscopatu Cartaginen. erat. Ad eam electus fuit Eduardus die XVII. maii h. a. per lit. in forma brevis *Apostolatus officium.*

tis et pabulo verbi Dei penitus careant, nos pro pastoralis officii nostri cura eorum spiritualibus necessitatibus consulere ac de Vicario Apostolico providere volentes, ad te, quem hodie Ecclesiae Ruspen. quae sub Archiepiscopatu Cartaginen. in partibus infidelium consistit, in Episcopum et Pastorem auctoritate apostolica elegimus cum diversis gratiis et indultis, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso brevius continetur, ac de tua pietate, prudentia ac studio et Christianae Religionis catholicaeque fidei zelo plurimum in Domino confisi, oculos mentis nostrae dereximus, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te Vicarium Apostolicum praefati Promontorii Bonae Spei cum locis adiacentibus, atque Insula Madagascaria, cum necessariis et opportunis facultatibus, quarum vigore, ac etiam opera monachorum praefatae tuae Anglicae Congregationis, quibus perpetuam earumdem missionum curam per praesentes committimus, spiritualia catholicis ibi morantibus auxilia praebeas et Orthodoxae Religionis incrementum, divina opitulante gratia, studiose cures, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate eorumdem Cardinalium; mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ac in futurum spectabit, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici officium, illiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salutaria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVIII. iunii MDCCCXVIII., pontificatus nostri anno XIX.

LXXV.

Augustino Hindi Arch. et administratori Patriarchatus Chaldaeorum committit sententiam suspensionis ferre contra Ioannem Ormez (1).

Venerabili fratri Augustino Hindi Archiepiscopo et administrat. patriarchatus Chaldaeorum Diarbekiensi legitime deputato,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nil sane molestius afferri potuit nobis, quam quod ex fide dignis testimoniis accepimus de gravissimis damnis ac perturbationibus, quibus patriarchatus Chaldaeorum Babylonensis causa administrationis misere obruitur; ea itaque nos, qua universum complectimur Domini gregem, pastorali sollicitudine aliquam tot malis medelam afferre vehementer cupientes, ac de tua probata fide, prudentia, doctrina et catholicae Religionis zelo, specialem in Domino fiduciam habentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut nostrae suspensionis sententiam feras in ven. fratrem Ioannem Ormez tum ab administratione patriarchatus Babylonensis, tum etiam a regimine Musulensis ecclesiae, ac praeterea te Delegatum Apostolicum totius Babylonensis pa-

(1) Ex Tab. Cong. Reg. dei Brevi vol. II., p. 272.

triarchatus cum necessariis et opportunis facultatibus, etiam subdelegandi ad id munus, quoties tu canonico aliquo impedimento detinearis, ven. fratrem Episcopum Salmastensem et vigore praedictarum facultatum et opera dilecti filii Georgii De Alkusci presbyteri Chaldaei, quem per alias nostras in simili forma Brevis expeditas literas administratorem apostolicum totius Babylonensis patriarchatus et Musulensis ecclesiae sub dependentia tua durante suspensione praefati Ioannis Ormez constituimus, abusus vellere, ordinem ac disciplinam restituere, et pietatem in eodem Babylonense patriarchatu revocare valeas ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea in virtute S. Obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in futurum, ut tibi in praemissis prompte faveant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et humiliter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti patriarchatus et ecclesiae Musulensis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVI. iunii MDCCCXVIII., pontificatus nostri anno XIX.

LXXVI.

Indicta suspensione Patriarchae Babylonensi Chaldeorum Ioanni Ormez, deleg. ap. super universo patriarchatu designat Georgium de Alkusci, opportunis facultatibus, exceptis iis, quae episcopalem ordinem requirunt (1).

Dilecto filio Georgio de Alkusci presbytero Chaldaeo,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nobis innotuerit patriarchatum Chaldaeorum Babylonensem ob noxiam venerabilis fratris Ioannis Ormez Archiepiscopi Mosulensis administrationem in magna rerum perturbatione versari; nos pro pastoralis officii nostri cura tot malis mederi cupientes, indicta prius a nobis suspensione praedicto Ioanni Ormez tam ab administratione patriarchatus Babylonensis, quam etiam a regimine Musulensis Ecclesiae, per venerabilem fratrem Augustinum Hindi Archiepiscopum et administratorem patriarchatus Chaldaeorum Diarbekiensis, quem per alias nostras in simili forma Brevis expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, in delegatum apostolicum super universo patriarchatu Babylonensi, ac de idoneo administratore, durante suspensione praedicta totum patriarchatum Babylonensem et Musulensem ecclesiam providere volentes, ac de tua pietate, prudentia ac studio et Catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine qnavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum consilio, te, durante suspensione praedicti Ioannis Ormez, in apostolicum totius Babylonensis patriarchatus et Musulensis ecclesiae administratorem cum necessariis et opportunis facultatibus, exceptis iis, quae episcopalem ordinem requirunt, sub dependentia tamen venerabilis fratris Augustini Hindi Archiepiscopi et administratoris alterius patriarchatus Chaldaeorum Diarbekiensis, tamquam delegati apostolici super universo patriarchatu Babylonensi, vel ipsius subdelegati, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore

(1) Ex Reg. dei Brevi vol. II., p. 270.

praesentium constituimus, eligimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in futurum, ut tibi in praemissis prompte faveant et assistant, tuaque salutaria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti patriarchatus et ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. iunii MDCCCXVIII., pontificatus nostri anno XIX.

LXXVII.

Exposita saevissima persecutione excitata a Patriarcha Graeco schismatico Constantinopolis in Graecos-Melchitas catholicos, officia Imperatoris Austriae apud aulam Othomanam implorat, ut schismaticorum furor reprimatur (1).

Carissimo in Christo filio nostro Francisco Austriae Imperatori, Hungariae Regi Apostolico et Bohemiae Regi illustri,

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad innumeras acerrimasque animi nostri curas et solicitudines accessit nuper funestus de miserâ Hierapolitanae Ecclesiae conditione nuntius. Certissimis enim auctoribus perlatum ad nos est clandestinis consiliis Constantinopolitani Graecorum schismaticorum Patriarchae esse factum, ut a Turcarum supremo principe gravissimis propositis poenis ediceretur, ne Graeci catholici catholicorum ecclesias ingrediantur,

---

(1) Eodem in sensu scribit Regi Francorum.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo,

PIUS PAPA VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae ad orthodoxam religionem pertinent, maiestati tuae summopere cordi esse cum pro certo habeamus, animum nostrum ad has literas tibi scribendas facile induximus, ut praesidium opemque tuam catholicis Graecis in urbe et dioecesi Hierapolitanâ commorantibus imploremus. Dira adversus eos persecutio nuper commota est, operâ Constantinopolitani Graecorum Schismaticorum Patriarchae, qui clandestinis artibus decretum a supremo Turcarum principe obtinuit, quo aditus ad catholicas ecclesias Graecis catholicis interdicitur: horum sacerdotes rem divinam privatis in aedibus (propriâ enim ecclesiâ iamdiu carent) facere prohibentur: universo demum catholico gregi indicitur, ut Episcopo schismatico adhaereat, nec alibi quam in eius ecclesiâ religiosis actibus vacari possit. Ferale huiusmodi decretum executioni demandatum iam est. Sacerdotes quatuordecim in exilium pulsi sunt: plurimi in laicis carceribus inclusi: undecim capitis damnati: maxima ipsorum pars tantae calamitatis aspectu perterrefacta misere defecit, seque in divini cultus exercitio schismaticis adiunxit. Is est luctuosissimus Hierapolitanae Ecclesiae status, hoc gravissimorum malorum quasi torrente in praesens obruitur, qui ni provide, strenue, citoque avertatur, timendum est, ne in proximas etiam Damasci, Beryti, Tyri et Sidonis dioeceses invadat, easque devastet. Aliud insuper ingens periculum imminet, quo intime angimur. Schismatici Syri et Armeni, ut sunt animo ad turbas ciendas prono, schismaticorum Graecorum exemplis et prospero fraudum, quibus usi sunt, successu incitati, suae quisque nationis catholicos impetere, calumniari, atque ab orthodoxa fide vi aut dolo abducere forte molientur, quo in casu ultimum illic in discrimen catholica religio adduceretur. Videt maiestas tua, quos in metus et quales in angustias miserrima Hierapolitanae Ecclesiae conditio nos coniecerit, districtae universi Dominici gregis custodiae divinitus praepositos. Ut igitur apostolico, quo immerentes fungimur, muneri satisfaciamus, et catholicos illos a tantâ calamitate, qua praeter modum affligimur, sublevemus, eximiae pietatis tuae conscii ad te, carissime in Christo fili noster, confugimus, teque totis animi affectibus precamur obtestamurque, ut eorumdem catholicorum patrocinium suscipias, et oratori apud Othomanicam aulam tuo mandes, ut efficaciora, quibus opus esse crediderit, officia tuo nomine interponat, quo schismaticorum furori modus imponatur, et catholici Hierapolitani tranquillitatem immerito sibi ablatam denuo nanciscantur. Clarissimorum regum maiorum tuorum, quorum tutelam, gratiam, beneficentiam catholici, turcicis praesertim in provinciis siti, semper experti sunt, vestigiis insiste, tamque praeclaram de Deo, de nobis, deque Orientali Ecclesia benemerendi occasionem libenter amplectere, magnam inde apud nos omnesque bonos gloriam et, quod caput est, apud Deum mercedem sine dubio consecuturus. Rogationem nostram pronis te auribus excepturum rati, apostolicam benedictionem cum fervido perpetuae felicitatis tuae voto coniunctam tibi, carissime in Christo fili noster, amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. iulii MDCCCXVIII., pontificatus nostri anno XIX.

ne sacerdotes catholici, publicis illis ecclesiis iampridem clausis, nunc etiam privatorum in aedibus sacrificent, atque uti iidem Hierapolim relinquant, catholici vero ad schismaticum Episcopum transeant, in eiusque ecclesiâ divinis rebus intersint, ni velint omnino sacrificio carere. Huiusmodi decreti vi et iudicum severitate omnes presbyteri ad quatuordecim Hierapoli excedere sunt coacti; undecim catholici morte mulctati; reliqui poenae metu et formidine ad schismaticos defecerunt. Ubi de tantâ Ecclesiae clade audivimus, acerbissimum, quo fuimus perculsi, dolorem misericordiarum Patri aperuimus sumusque precati, ut de bonitatis suae fontibus lenimen aliquod in nos derivaret, quo cordis nostri amarities mitigaretur, et penitus inflicta Ecclesiae suae vulnera adducerentur ad sanitatem. Secundum Deum preces ad perspectam nobis exploratamque cesareae regiaeque tuae maiestatis, carissime in Christo fili noster, pietatem convertimus, ut sane miseram illorum catholicorum conditionem complexus animo, per internuntium tuum ad aulam Othomanam des operam atque efficias, ut schismaticorum perfidia et fraus detegatur, catholicorum eluceat innocentia, atque a tam dirâ vexatione recreata respiret. Rei quidem gravitas dolorisque nostri magnitudo longiorem orationem requireret; sed tuus in catholicam religionem amor nullius eloquentiam desiderat. Satis enim per se apud magnitudinem ac bonitatem animi tui ipsum Hierapolitanae Ecclesiae luctum et lacrymas valituras esse confidimus. Te etiam atque etiam vehementer hortamur atque obsecramus, ut cogites animo, tanti mali impetum non posse in unâ illa ecclesiâ contineri, sed evasurum etiam in finitimas urbes Damasci, Beryti, Tyri, Sidonis, aliasque, ubi et numero pauciores, et opibus infirmiores Graeci catholici commorantur: timendum etiam esse, ne Syri atque Armeni schismatici eadem contra catholicos audeant, quae vident Constantinopolitano Graecorum schismaticorum Patriarchae adeo e sententiâ accidisse. Supervacaneum arbitramur fore maiestati tuae commemorare, quanto beneficio universam Ecclesiam sis affecturus, si causam eius susceperis; quanto nos tibi debituri simus, si senectutem nostram dignam existimaveris, quam his moeroribus subleves, in quos tantae rei notitia coniecit: illis certe catholicis, qui nunc in lacrymis et squalore iacent, si per te sublevati et refecti fuerint, nihil erit antiquius, quam ut pro tuâ regnorumque tuorum incolumitate Deum exorent in sacris illis aedibus, quas sibi maiestatis tuae operâ reclusas sentient. Perenne etiam quoddam gloriae monumentum constitues, quod te avitae pietatis non solum haeredem, sed etiam aemulatorem testaturum est. Deum, in cuius manu regum corda continentur, precamur obtestamurque, ut hanc sublevandae tuendaeque Ecclesiae suae tibi mentem iniiciat, detque vires ad ea, quae tantopere cupimus, ad felicem exitum perducenda. Interim caelestium munerum auspicem apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. iulii MDCCCXVIII., pontificatus nostri anno XIX.

LXXVIII.

Vicario patriarchali Constantinopolitano committit compescere dissidia exorta inter Armenos catholicos; ipsis suadeat a disputationibus cessare, et de libris, qui controversias excitarunt, iudicium S. Sedis pacifice expectare.

Ven. fratri Vincentio Coressi Archiepiscopo Sardiae et Vicario patriarchali,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Armenos catholicos Constantinopoli degentes paterno ac singulari quodam amore prosequamur, contentiones de rebus ad religionem spectantibus inter eos ortae in maximam, ut facile, ven. frater, intelligis, animi aegritudinem ac molestiam nos coniecerunt. Quo magis enim crescit huiusmodi contentionum aestus, eo magis timendum est ne languescat illa, quam Salvator noster tantopere nobis commendatam voluit, caritas, ac denique extinguatur. Qui autem in caritate non manet, in Deo, qui caritas est, manere non potest. Cum itaque tam funestus esse plerumque soleat id genus contentionum exitus, nemo non videt quantopere ab iis fugiendum sit, et quam diligenter extirpari debeant quae agro do-

minico innascantur dissensionum germina. Neque enim alia patet obtinendae conservandaeque pacis via, illius inquimus pacis, quam Dominus noster Iesus Christus et nascens universo terrarum orbi per Angelos annunciari voluit, et in caelum abiturus discipulis suis testamento reliquit. Quid igitur est quod Armeni catholici adeo partium studio abripi se sinant, ut multa iam passi sint et graviora pertimescant? Tuum est, ven. frater, omnibus animi viribus in id incumbere, ut pristina apud eos pax et caritas reflorescat. Ipsos igitur etiam atque etiam nostro nomine hortaberis, ut diligant alterutrum, et ambulent in domo Dei cum consensu; decretis nostrae de Propagandâ Fide Congregationis adamussim pareant; disputationes de rebus sacris, praesertim vero publicas, omnino vitent. Si laici sunt, ne plus sapere praesumant, quam oportet; meminerint sibi discere datum esse, non docere, multoque minus quid credendum aut non credendum sit statuere. Omnes autem, sive laici sive ecclesiastico ministerio addicti, supremum Apostolicae Sedis omnium Ecclesiarum matris et magistrae iudicium, qua par est, patientiâ et docilitate tamdiu expectent, quoad librorum, unde controversiarum, quibus misere agitantur, origo aut fomes repeti debet, examen absolutum fuerit. Sed non una dumtaxat Armenorum negotia Sedi Apostolicae se offerunt expedienda: universalis Ecclesiae cura omnes omnium nationum catholicos complectitur, et in tantâ rerum agendarum mole fieri nequit, ut graves controversiae brevissimo tempore dirimantur. Quamobrem vehementer abs te, ven. frater, petimus, ut hos animi nostri sensus cum Armenis catholicis, quos in paternae caritatis sinu gerimus, extemplo communices, eos ad pristinam concordiam inter se redintegrandam assiduis monitis excites, praeparesque ad suscipiendum aequo tranquilloque animo decretum, quo Sedes Apostolica ipsorum controversiis finem est impositura. Id vero ut alacrius, ferventius efficaciusque praestes, apostolicam tibi Armenisque catholicis tuae curae commissis benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. iulii MDCCCXVIII., pontificatus nostri anno XIX.

LXXIX.

Ampliat privilegia iam concessa Antistitibus ecclesiae Varsaviensis.

PIUS PP. VII.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Romani Pontifices praedecessores nostri probe intelligentes, nedum caeremoniarum et rituum sancto augustoque apparatu, sed et ministrorum ornatu, indumentorumque sacrorum maiestate, mysteriorum sanctitatem sublimemque rationem ecclesiasticae hierarchiae graduum mirifice commendare, sapientissimo consilio diversa honorum insignia vel a priscis temporibus decreverunt, quibus sacrorum praesides pro munerum varietate donarentur. Prooemium.

§ 2. Hoc nos animo illustrioribus augere privilegiis censuimus antistites Varsaviensis ecclesiae, quam per apostolicas nostras literas VI. idus martii hoc ipso anno sub plumbo datas ad metropolitanae ecclesiae gradum ac dignitatem extulimus, ut quae civitas totius regni Poloniae princeps primis magistratuum ordinibus, optimatum splendore, civium copia, aliisque nominibus praefulget, ea ob sui etiam Antistitis praerogativas habitumque prae caeteris honestaretur. Probe itaque confisi, magnificentiam ipsam exterioris ornatus clariori virtutum fulgore diligentiorique rei sacrae procuratione in caeterorum exemplum fore cumulandam, venerabili fratri Francisco moderno Archiepiscopo Varsaviensi, eiusque successoribus canonice intrantibus, ac in Sanctae Sedis communione permanentibus, ut quibusvis anni temporibus ubique locorum, et in omnibus et singulis functionibus, habitum rubri seu purpurei coloris, ad instar Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, nempe collare, vestem talarem, cingulum seu fasciam, mantellettam, mozzettam, caligas, biretum (excepto tamen pileo seu subbireto rubri seu purpurei coloris, cuius usus eidem venerabili fratri Francisco Archiepiscopo eiusque successoribus nunquam concessus, quin imo expresse et specialiter interdictus sit et esse intelligatur, utpote peculiare eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium insigne) deferre et gestare libere ac licite possint et valeant, ea tamen lege, ut praesenti privilegio habitus rubri coloris ubique locorum gestandi dictus Archiepiscopus eiusque successores merum dumtaxat maioris Ratio et tenor concessionis.

honorificentiae signum pro sublimi eorum dignitate, non autem maiorem iurisdictionem, nec ullum maius ius acquirant, et non alias aliter, nec alio modo apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac licentiam et facultatem desuper impertimur. Atque, ut praeclarum hoc et prae caeteris amplissimum insigne titulo etiam illustriori decoretur, eidem Francisco Episcopo Varsaviensi eiusque successoribus praefatis titulum Primatis regni Poloniae eadem apostolica auctoritate concedimus et impertimur, atque ut eo nomine sese inscribant nuncupenturque in publicis et privatis tabulis monumentisque decernimus et mandamus, hac tamen conditione, ut nullam ex inde omnino iurisdictionem, nullum ius nullamque auctoritatem sibi collatam arbitrentur praeter eam, quam ex archiepiscopali gradu et dignitate ad sacrorum canonum normam iuxta vigentem et approbatam Ecclesiae disciplinam assequuntur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque Archiepiscopo et successoribus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam peculiari et expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. octobris MDCCCXVIII. pontificatus nostri anno XIX.

LXXX.

Ampliat facultatem dispensandi ex praescripto novitiatus tempore pro confratribus S. Mariae Virginis de Monte Carmelo in civitate Fluminis Ianuarii erectae.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni prior et confratres confraternitatis tertii ordinis nuncupatae beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo canonice, ut asseritur, erectae in civitate Fluminis Ianuarii, quod dudum sibi sub certis modo et forma tunc expressis per alias nostras in simili forma brevis die XII. septembris anni superioris expeditas literas tributa fuit facultas dispensandi usque ad decem menses ex praescripto novitiatus annuali tempore, prout ex iisdem nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, pro meliore infirmorum in eorum nosocomio iacentium cura copiosiores eleemosynae requiruntur, quas aliunde habere nequeunt, nisi ex aucto confratrum numero, neque numerus augeri commode potest, nisi aliqui probi quidem et ipsi viri ac pii, sed assiduis occupationibus distenti, ab integro novitiatus tempore dispensentur; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et singulares personas quibus praesentes nostrae literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, facultatem praedictam dispensandi decem novitiatus menses dictis exponentibus tributam ad integrum quoque annum auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et ampliamus, servata in reliquis dictarum nostrarum literarum forma et dispositione.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in iisdem literis non obstare voluimus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Volumus autem, ut singuli, qui sic fuerint dispensati, in actu suae in confratres acceptationis, in scriptis declarent, se hoc apostolico indulto uti velle, secus eorum acceptatio nulla sit: atque etiam confratres ipsos monitos in Domino esse volumus, ne plus aequo hisce facultatibus utantur, ne confraternitatem ipsam in dissolutionis periculum adducant.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. novembris MDCCCXVIII., pontificatus nostri an. XIX.

LXXXI.

Approbat decretum Congr. particularis quod Protonotariorum Ap. privilegia definit (1).

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Protonotarii primis ecclesiae saeculis designati.

Cum innumeri ubique terrarum extiterint viri gloriosi, qui, saeviente adversus christianum nomen Gentilium potestatum furore, illud tamen confiteri coram hominibus haud veriti sint, duriora quaeque tormenta, mortemque ex cruciatuum vi immanissimam laeto constantique animo perpessi; sapienti profecto providentissimoque consilio novimus, vel a primis temporibus constitutum, ut tot tamque illustria facinora, nedum in eorum gloriam, sed et in caeterorum exemplum luculentissimum, et in maximam fidei commendationem, quae tantam iniiciebat virtutem, diligenter scriptis accurateque mandarentur. Hinc Sancti Clemens I. et Antherus item I. in urbe, et per alias omnes regiones, qua Dominicae Crucis professio late patebat, viros adlegere, pietate, prudentia, studioque religionis spectatos ***notarios*** primum, ac deinde, honoris et dignitatis caussa, ***protonotarios*** nuncupatos, quibus brevibus etiam, ubi ex hostium metu opus esset, notis referrent clanculum in tabulas martyrum nomina, factaque ab ipsis martyria, et cunctas eorumdem res praeclare gestas, ac verba cum primis graviora, quibus ex divinitatis instinctu compellare praesides tyrannosque, ac de paganorum caecitate affari disertissime consueverunt.

At pace demum Ecclesiae feliciter data, martyriorumque propterea recensione cessante, non inde tamen protonotariorum munus sublatum est, sed imo ex Sancti Iulii I. praedecessoris nostri auctoritate demandatum iisdem est studiose describere, quae de fide ac disciplina sacrorum decernebantur, eaque et caetera omnia rei sacrae monumenta apte periteque notare, atque una cum actis martyrum in scriniis Ecclesiae recondita ad posteritatis memoriam custodire.

Privilegiis aucti a Rom. Pontif. et in collegium constituti.

Amplissimum idcirco protonotariorum apostolicorum officium habitum semper est, ac pro muneris ipsius personarumque illud obeuntium ratione omni prorsus aetate per praedecessores nostros illustribus pontificiae benevolentiae testimoniis est honestatum. Nominatum prae caeteris volumus Sixtum V. felicis recordationis (2), qui cum eos septem dumtaxat, pro septem urbis regionibus, designatos nactus esset, duodecim deinceps esse iussit, clarioribusque privilegiis donatos, redditibus etiam cumulavit, quibus ad honoris dignitatem referendam necessaria suppeterent.

Protonotarii deinde titulares adiecti inferioris ordinis.

Cum vero praeter statos hosce protonotarios, qui de numero participantium vocati sunt, alios etiam, qui iisdem forsitan adiutores adstarent, viros, et laude virtutum, et nobilitate generis, et meritis in rem et sacram et publicam probatissimos in urbe elegerint Romani Pontifices, eos etiam omnibus, quibus protonotariorum collegium potitur privilegiis, honorisque insignibus auctos decrevere.

His accesserunt exteri quidam protonotarii in aliis catholici orbis regionibus in idem munus per Romanos Pontifices adsciti, pietate, doctrina, et satis honesta generis conditione commendati, peculiaribusque privilegiis instructi: verum (quae sane humanarum rerum conditio est plane collugenda) decursu temporis titulares id genus protonotarii extra urbem ex auctoritate statis quibusdam personis ad eos asciscendos collata, vel ex officii, quod gerebant, iure in eum gradum nullo delectu nulloque discrimine obtrudi caeperunt, atque ita (quod, vel sua aetate querebatur Sixtus IV.) in ingentem multitudinem crevere (3); quo factum fuisse novimus, nedum ut in contemptionem ipsi despectumque adducerentur, sed et eo audaciae devenerint, ut protonotariis de numero participantium, aliisve, quos ex Romanis praesulibus honoris causa a Pontificibus in eorumdem privilegiorum communionem praemonuimus advocari, assimilatos se esse, iisdemque proinde iuribus potiri, quin et ab debita in Antistites fide et obsequio exsolutos se esse comminiscantur.

Quorum abusibus Summus Pontifex occurrendum censuit.

Cum igitur venerabiles fratres Episcopi complures, datis ad nos litteris, innumeros exinde abusus invaluisse, exposuerint, cumque pro commissa nobis dómini-

(1) Vide infra Pium IX. *Quamvis peculiares.*
(2) Constit. Rom. Pont. XIX.
(3) Extrav. I. de Tregua, et pace in Comm.

cae vineae procuratione succrescentes vepres ex ea evellere adigamur, opportune in eam rem consulere censuimus. Particulari idcirco congregationi venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, de Somalia Sacrae Rituum Congregationis praefecti, Litta et Antonii ab Auria, nec non eiusdem Sacrae Rituum Congregationis secretarii, assessoris, et alterius ex nostris apostolicarum caeremoniarum magistris, quibuslibet eidem attributis facultatibus, etiam extra ordinem necessariis et opportunis, id demandavimus, ut omnia ea, quae circumferuntur titularium huiusmodi protonotariorum extra urbem privilegia, ad severiores iuris canones atque regulas expenderet, iisque ad ipsius iuris praeceptiones descriptis, caetera quaelibet ab iisdem absona abrogaret, ac certam stabilemque methodum sanciret, qua et abusus, quos infeliciter percrebuisse perdolemus, convellerentur, et statae quaedam leges conditionesque praefinirentur, quibus et personarum delectus habeatur, et usus privilegiorum debitis limitibus contineatur, ac ne ulla imposterum honestissimo protonotariorum cetui labes inspergatur salubri consilio prospiciatur. Universa itaque rei ratione in examen deducta, nostris hisce votis mirifice eadem particularis congregatio obsecundavit, dataque sibi auctoritate utens opportune post multam operosamque consultationem tulit demum ac sancivit decreta, quae sequuntur, videlicet:

Ac per selectam congregationem de eorum privilegiis inquiri.

DECRETUM

DE PRIVILEGIIS PROTONOTARIORUM TITULARIUM SEU HONORARIORUM.

Quamquam plura de protonotariis, quos titulares seu honorarios dicunt, a Sacra Rituum Congregatione decreta edita sint, prout videre est in nuperrima decretorum eiusdem collectione; experientia tamen compertum est, complures abusus percrebuisse illorum culpa, qui nullis, licet ut plurimum nominibus commendati, talem honorem assequuti, vel iura sibi vindicare audent, quibus carent omnino, vel delatae dignitatis insignia indecore admodum adhibent, ut nedum ipsorum splendorem haud referant pro dignitate, sed labem potius Ordini spectatissimo pariant.

Cum itaque crebrae de iis expostulationes ad sanctissimum dominum nostrum Pium VII. humiliter etiam nomine plurium Episcoporum sint perlatae, Sanctitas Sua rem universam discutiendam commisit congregationi particulari eminentissimorum et reverendissimorum dominorum Cardinalium de Somalia Sacrae Rituum Congregationis praefecti, Litta et Antonii ab Auria, qui una cum eiusdem Sacrae Rituum Congregationis assessore, et altero ex apostolicarum caeremoniarum magistris, meque infrascripto secretario, omnibus praediti facultatibus necessariis et opportunis, remedia proponerent, quae expedire magis viderentur, et certas praefinirent conditiones et leges, quibus eorumdem privilegiorum modus et usus contineretur.

Quare habito ad infrascriptum diem conventu in aedibus memorati eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis de Somalia praefecti, omnibusque serio diligenterque perpensis, id in primis comuni sententia visum est decernere, ut nimirum personarum delectus haberetur in protonotariatus honore deferendo, ut nonnisi, qui rite, honeste ac pro dignitate id honoris sustinere valeant, eodem ornentur.

Decretum idcirco est primo de ipsorum electione.

Proferantur idcirco testimonia, quibus constet indubie:

I. De nobili vel honesta familiae conditione.

II. De aetate saltem annorum vigintiquinque.

III. De statu clericali et caelibi.

IV. De laurea doctoratus in utroque iure, vel in sacra theologia a probata universitate vel a collegio protonotariorum participantium rite tributa.

V. De morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes existimatione.

VI. De annuo censu scutorum saltem biscentum, vel ex patrimonii bonis, vel ex perpetuis pensionibus, vel ex ecclesiasticis beneficiis.

Sit praeterea petitio testimonio commendata Ordinarii, qui et de rebus hic adnotatis ob sibi tradita documenta edoceat, et personam idoneam se censere testetur, quae officium protonotarii titularis assequatur, illudque cum decore substineat.

Quae quidem omnia luculenter probanda esse cautum est; quoties de honorario protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, sive per apostolicas litteras, sive per diploma, quod a collegio protonotariorum participantium tribuatur, seu a caeteris quibuslibet, qui iure gaudent illum conferendi.

Secundo de iuribus ac privilegiis, quibus uti dumtaxat iidem poterunt.

Hisce de electione protonotariorum titularium constitutis, cum eos longe differre palam sit ab illis, qui sunt de collegio participantium, vel ad instar participantium a Sanctissimo Domino Nostro ex Romanae Curiae praelatis adsciscuntur, decretum est ea dumtaxat privilegia, iura, exemptiones, praeeminentias, praerogativas iisdem competere, quae infra singillatim enumerantur: aliis proinde, quibuscumque praesenti decreto non descriptis, irritis declaratis et deletis et abrogatis, utpote quae ex falsa plerumque diplomatum interpretatione, vel ex prava consuetudine, vel alio quovis praetextu usurpabantur, iisque insuper moderatis ac reformatis, quae licet alias tribuerentur, gliscentibus tamen malis, occasionem praebuisse dignoscuntur.

I. Igitur ius erit protonotariis apostolicis titularibus extra urbem dumtaxat, et quando eo loco, ubi degunt, non adsit Summus Pontifex, uti habitu praelatitio, videlicet veste talari et palliolo nuncupato *mantelletta* nigri coloris.

II. Eo habitu praelatitio nigri coloris cum rocchetto subtus palliolum uti poterunt protonotarii in publicis supplicationibus, aliisque ecclesiae functionibus, in reliquis vero rocchettum dimittant, simulque sciant se se, licet forte plures insimul conveniant, non exinde constituere collegium, nec corporatos censeri.

III. Usus collaris et caligarum coloris violacei omnino interdicitur, item et vitta seu cordula in pileo coloris violacei, seu etiam, quo nonnullorum audacia erupit, rosacei aut rubei, quae nigri dumtaxat coloris esse poterunt; eiusdem coloris sit pariter pileum cum lemnisciis stemmatibus imponendum.

IV. Protonotarii titulares, qui dignitate aut canonicatu potiuntur, habitum gestent sui Ordinis, non vero praelatitium in choro, eoque consideant in loco, quem ex beneficio eos deceat: quod si habitu praelatitio uti velint, distributionibus quotidianis priventur, quae sodalibus accrescant.

V. Habitu praelatitio induti omnibus clericis, sacerdotibus simplicibus, et etiam canonicis praeferendi sunt singulatim sumptis, non vero in collegium coeuntibus. Neutiquam etiam praeferendos se esse arbitrentur aut Apostolicis Nunciis, aut utriusque signaturae referendariis, aliisve ex Romanae Curiae praesulibus, etiamsi nullum ex sui muneris insignibus ii gestent, dummodo de ipsorum gradu non lateat, item nec antecellant vicariis generalibus, aut capitularibus, aut abbatibus.

VI. Sacrum operantes a simplicibus sacerdotibus minime differunt; idcirco sacras vestes induant in sacrario, uno tantum ministro utantur, ipsique calicem deferant, detegant, cooperiant: item libri missarum folia evolvant; vetantur praeterea palmatoriam, canonem, annulum, pileolum adhibere.

VII. Quando adstant ad sacra cum habitu praelatitio non genuflectant, sed caput inclinent, uti in more est apud canonicos cathedralium: duplici ductu thurificentur: consideant vero in loco per caerimoniale Episcoporum constituto.

VIII. Conficere possunt acta de causis beatificationis et canonizationis servorum Dei: quo tamen privilegio uti nequeant si eo loco alter sit e protonotariis participantibus.

IX. Item rite eliguntur in conservatores Ordinum regularium, in iudices synodales, in commissarios apostolicos, et iudices a Summo Pontifice adsciscendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Item apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem astringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt ab iis, qui eo gaudent privilegio.

X. Beneficia eorum, qui protonotariatum titularem per apostolicas litteras vel per diploma collegii protonotariorum participantium assequuti sunt, nonnisi ab Apostolica Sede conferri possunt.

XI. In civilibus negotiis, nec non in criminalibus, atque in vitae disciplina, Ordinariis locorum obnoxios plane se esse noverint, nullaque ratione ab ipsorum iurisdictione liberos se comminiscantur.

XII. Etsi habitum praelatitium non gestent, gaudent tamen privilegio fori, dummodo in habitu et tonsura incedant.

XIII. Familiaribus Papae minime accensentur, cum hoc privilegio gaudeant protonotarii dumtaxat e participantibus, vel Romanae Curiae praelati, qui ex Pontificis benignitate iisdem aequiparantur.

XIV. Quae hic percensentur privilegia ea sunt, quibus dumtaxat protonotarii titulares donatos se sciant; qui secus facere, aliisque praeter memorata privilegiis ac iuribus uti auserint, si ab Ordinario, tamquam ab Apostolica Sede delegato, semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso privatos delato honore se sciant.

XV. Tandem qui protonotariatu titulari donati sint, vel per apostolicas literas, vel

alio legitimo diplomate, nequeant uti ipsis iuribus ad huiusce decreti praestitutum constabilitis, nisi antea vel apostolicas literas, vel diploma ipsum in officio secretarii collegii protonotariorum de numero participantium exhibuerint, qui in codicem referat nomen, cognomen, aetatem, patriam, qualitates novi protonotarii titularis, ac praeterea diem ad quam vel breve vel diploma datum est.

Idem porro protonotariatus privilegium in secreteria protonotariorum participantium recognitum exhibeant Ordinario, apud quem, vel apud aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, fidei professionem et fidelitatis iuramentum emittant.

Quibus peractis, fas ipsis sit habitum sui gradus induere, officium tenere, uti privilegiis, honoribus, praerogativis, quorum notula typis impressa, et ab aliquo ex protonotariis participantibus subscripta et obsignata, iisdem tradetur, ne quid adversus haec decreta ex ipsorum ignoratione peragi contingat.

Quare tum literae apostolicae in forma brevis, tum diplomata, quibus protonotarii titulares creantur, concinnanda erunt iuxta huiusce decreti sententiam, ne qua ibidem ab eo aliena describantur.

Sine praeiudicio privilegiorum alicui collegio et capitulo attributorum.

Nihil autem hoc decreto immutatum censeatur de amplioribus privilegiis, quibus collegia quaedam et capitula ex apostolico indulto, etiam ad instar protonotariorum participantium alicubi gaudeant. Leges tamen et conditiones in iisdem indultis praefinitae accurate religioseque serventur: neque ulli fas sit concessionis limites pro suo arbitrio praetergredi, vel in Romana Curia id genus insignia deferre, vel signi singulatim et extra collegii functiones attributa existimare, quae corpori tantummodo sunt collata.

Demum eadem particularis congregatio censuit rogandam esse Sanctitatem Suam, ut singula hoc decreto proposita dignetur constitutione apostolica confirmare.

Die XXVII. aprilis MDCCCXVIII.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

DIE IX. IUNII MDCCCXVIII.

Sanctissimus, me infrascripto secretario referente, resolutionem particularis congregationis benigne adprobavit, et apostolicam constitutionem expediri iussit cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

I. M. Card. Ep. Tusculanus de Somalia
S. R. C. Praefectus

Loco ✝ Sigilli

I. A. Sala S. R. C. Secret. Coadiutor.

Quod decretum Sanctitas Sua approbat.

Haec igitur nos, ut firmius maneant, omnibusque pateant, illa quidem approbatione non contenti, qua viva, ut dici solet, voce, simul ac nobis a memoratae particularis congregationis secretario relata fuerunt, eadem confirmavimus, solemni etiam edita constitutione, quam congregatio ipsa tantopere concupivit, ac a nobis deprecari fecit, rursus approbari voluimus et demandavimus, perinde ac literis hisce nostris revera efficimus, approbamus et confirmamus, iisdemque novum atque stabilius inviolabilis apostolicae firmitatis ac auctoritatis robur adiicimus; hisque praeterea significamus ac omnibus expresse aperteque indicimus, ea titularium, de quibus res est, protonotariorum extra urbem privilegia, quae in exscriptis illis eiusdem particularis congregationis decretis recensita non fuerint, tamquam intollerabiles abusus a nobis plane interdicta, irrita, deleta et abrogata intelligi atque definiri, non secus ac solemniter interdicimus, delemus, abrogamus, et irrita esse iubemus ac definimus. Quamobrem haec omnia novis non modo imposterum renuntiandis, sed etiam iampridem renuntiatis, et actu existentibus titularibus huiusmodi protonotariis, contraria qualibet ac quantumvis antiqua possessione, usu atque consuetudine penitus abrogata, iterum iterumque solemni ac nostrae apostolicae auctoritatis significatione nunc interdicimus, auferimus et abiudicamus, ac utrosque ab ipsa nostrarum harum literarum promulgationis die illis nonnisi uti posse privilegiis, praerogativis, habitu demum et insignibus, quae in exscriptis decretis explicite approbata et expresse recensita leguntur. Quae porro ne ab aliquo vel ignorentur, vel sub fucata et ficta effugii aut tergiversationis specie violari audeant, venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, tamquam ab Apostolica Sede delegatis ubique in suis dioecesibus plenissime implenda et exequenda deferimus. Quae profecto, qualibet contraria penitus sublata consuetudine, ubique vigere ac in usu esse debere, quin

a nemine, nec ab ipsis etiam locorum Ordinariis, eadem valeant ullo modo praepediri, demandamus etiam ac definimus.

Clausulae derogatoriae. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, indictionis, interdictionis, abrogationis, abiudicationis, declarationis, definitionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario conraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo decimo octavo, idibus decembris, pontificatus nostri anno decimonono.

LXXXII.

Erigit sedem archiepiscopalem Quebecensem in Canadensi provincia.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, ad ecclesiarum omnium statum, quarum nobis a Domino commissa est cura, propensis studiis animum iugiter intendentes, illarum honorificentiae et splendori, prout rationi consentaneum videtur, libenter consulimus.

§ 2. Cum Quebecensis ecclesia in nova Francia seu Canadensi provicia tum fundationis vetustate, tum dioecesis amplitudine, tum denique catholicorum copia, caeteris Americae septentrionalis ecclesiis praecellat; cumque ad eam regendam plures vicarios generales in variis amplissimi ipsius regni provinciis constituere opus fuerit, qui fidelium longe lateque versantium curam gerant, ideoque magnopere expedire visum fuerit eosdem vicarios charactere ac titulo episcopali decorare, prout per alias nostras in simili forma brevis hodie expeditas literas decoravimus: Nos de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praedictam episcopalem ecclesiam Quebecensem ob deductas causas et rationes in archiepiscopalem seu metropolitanam ecclesiam erigere statuimus. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictam ecclesiam Quebecensem in archiepiscopalem seu metropolitanam, nulla pro nunc eidem addicta suffraganea ecclesia, cum omnibus tamen iuribus, honoribus ac privilegiis, quibus caeterae metropolitanae ecclesiae potiuntur et gaudent, seu gaudere poterunt, tenore praesentium erigimus ac declaramus. — Ratio concessionis.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. ianuarii MDCCCXIX., pontificatus nostri anno XIX.

LXXXIII.

Assignat novum collegium in urbe pro alumnis Hibernensibus ex ordine Eremitarum Sancti Augustini.

Dilecto filio Ioanni Rice, priori et procuratori collegii Hibernensis de urbe,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Cum praecipuae apostolatus nostri curae ea potissimum respiciant, quae ad fidem catholicam conservandam et dilatandam conducunt, omni studio ac sollicitudine incumbimus, ut quae ad hunc finem instituta reperimus, quaeque superiorum temporum calamitatibus perturbata fuerunt, eo meliori quo fieri possit modo componantur atque instaurentur.

Ratio concessionis.

§ 2. Inter haec collegium recensebatur in hac alma urbe nostra penes montem Exquilinum erectum, et Sancti Matthaei in Merulana nuncupatum, in quo alumni ex ordine Eremitarum Sancti Augustini Hibernensis provinciae sacris disciplinis erudiebantur, ut evangelicae praedicationis ministerio per Hiberniam fungerentur. Novissimis autem temporibus, quibus Ecclesiae bona tantam passa sunt iacturam, factum est, ut bona pene omnia ex quibus redditus eidem collegio Hibernensi obveniebant, alienata fuerint. Postea vero quam nos ad Sanctam hanc nostram Sedem, Dei miseratione, redditi fuimus, dum instaurandis religiosis familiis omnem dabamus operam, patritius quidam O. Handley praedicti Ordinis Sancti Augustini Eremita legitimis, ut postea detectum est, facultatibus destitutus, decretum surripuit a congregatione ordinibus regularibus reformandis a nobis deputata, quo bonorum omnium, quae alienata non fuerunt ex illis, ad praedictum collegium Sancti Matthaei in Merulana pertinentium possessionem obtinuit. Quoniam vero aedificium ecclesiae et collegii S. Matthaei in Merulana inter ea bona reperiebatur quae alienata fuerunt, praefatus patritius O. Handley transactione quadam facta, praeviis opportunis facultatibus, cum dilecto filio abbati Octavio Adami, unico in urbe suprestiti ex monachi ordinis S. Benedicti Congregationis Coelestinorum, ecclesiam et monasterium Sancti Eusebii in monte Exquilino, ut in eo alumni collegii Hibernensis morarentur obtinuit. Horum autem aedificiorum restaurationem improvide assumens dictus patritius O. Handley, magnum propterea aes alienum contraxit favore opificum, qui omnia ad restaurationem necessaria praestiterunt. Nunc autem cum tu a provinciali Hibernensis provinciae legitime deputatus tamquam prior et procurator dicti collegii Hibernensis una cum quatuor alumnis eidem instituto addictis Romam adveneris, detecta fraude praedicti patritii O. Handley, bonorum omnium, quae eidem pro superius memorato collegio concessa fuerunt, possessionem postulasti. Perpendens autem per amplum S. Eusebii monasterium attento exiguo alumnorum numero inutile collegio huiusmodi futurum ac vel ipsam huius aedificii manutentionem tantam pecuniam quotannis necessario postulare, ut, qui superessent, redditus alumnorum sustentationi sufficere minime possent; a nobis propterea humiliter petiisti, ut pro Hibernensibus praedicti collegii alumnis aliud coenobium concedere ac in praemissis omnibus opportune providere dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur dicti collegii Hibernensis redintegrationi aliisque praenarratis consulere volentes, dum qua ratione id a nobis praestari posset in praesenti ecclesiasticorum bonorum inopia cogitaremus, animo occurrit dilectum filium Octavium Adami unicum in urbe superesse ex monachis Ordinis Sancti Benedicti congregationis Coelestinorum, ac tres alios eiusdem congregationis monachos, qui Nursiae in ditione nostra in alio congregationis eiusdem coenobio degunt, redditibus eidem monasterio adnexis vivere, nec praeter quatuor memoratos monachos ullum extare, qui praedictae congregationis institutum profiteatur. Propterea nobis in Domino expedire visum est, ea bona memoratae congregationis Coelestinorum, quibus nunc praefatus abbas Octavius Adami gaudet, post eius mortem collegio Hibernensi in perpetuum assignare. Quare apostolica auctoritate nostra tenore praesentium dilecto filio abbati Octavio Adami monasterium seu hospitium cum ecclesia Sanctae Mariae in Posterula nuncupata cum suis adnexis et connexis iuribus, redditibus, bonis quibuscumque, et respective oneribus, nec non bona, si quae sunt, ad praefatum monasterium Sancti Eusebii olim spectantia, et quae idem Octavius Adami de praesenti possidet, ei-

dem quoad vixerit reservantes, teque a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi precibus inclinati, tibi, dilecte fili, utpote priori et procuratori collegii Hibernensis pro tempore electo ac legitime deputato, nunc pro tunc quando e vivis decesserit praefatus abbas Octavius Adami, in perpetuum favore eiusdem collegii dictum monasterium sive hospitium Coelestinorum cum ecclesia Sanctae Mariae in Posterula una cum suis adnexis et connexis, redditibus, usibus, bonis quibuscumque et respective oneribus, excepto tamen quocumque parochiali iure, exceptaque paroecia ipsa cum redditibus separatis et adnexis favore parochi, si quae sunt, nec non bona et redditus cuiuscumque generis ad praedictum monasterium Sancti Eusebii, dum ad Coelestinorum Congregationem pertinebat, spectantia, si qua adhuc non alienata supersunt et a praedicto abbate Octavio Adami possidentur, eodem modo et forma, quibus nunc idem Octavius abbas iisdem gaudet, concedimus et assignamus.

Reservatio proprietatis bonorum et ecclesiae olim collegio spectantis.

§ 4. Attenta autem maiori applicatione redditúum praedicto collegio Hibernensi a nobis superius facta, ecclesiam et monasterium Sancti Eusebii cum viridariis infra eius septa comprehensis nobis ac Romanis Pontificibus successoribus nostris libere reservamus, eademque de causa bona omnia, redditus et proventus cuiuscumque generis, quae olim ad collegium Hibernense Sancti Matthaei in Merulana nuncupatum spectabant, quaeque praefato patritio O. Handley tradita fuerunt, nostrae et Romanorum Pontificum successorum nostrorum libere dispositioni pariter reservamus, quin ullo umquam tempore sub quovis titulo collegium Hibernense dictam ecclesiam, monasterium, viridaria, caeteraque bona, iura, redditus et proventus olim ad collegium Sancti Matthaei in Merulana spectantia, sibi valeat vindicare. Fructus vero et redditus ex nuper memoratis bonis olim ad collegium Hibernense Sancti Matthaei in Merulana nuncupati provenientes, in extinctionem aeris alieni pro restauratione ecclesiae et monasterii Sancti Eusebii a praedicto patritio O. Handley contracti, favore artificum, qui bona fide caementa, ligna, aliaque ad restaurationem necessaria praestiterint, integre nunc erogari mandamus. Post omnimodam vero dicti aeris alieni extinctionem, haec bona iis usibus sive a nobis, sive a Romanis Pontificibus successoribus nostris applicabuntur, quos magis in Domino videbitur expedire. Propterea omnibus et singulis ad quos spectat, ac pro tempore spectabit, mandamus, ut postquam dilectus filius abbas Octavius Adami supra memoratus diem supremum obierit, collegium alumnorum Hibernensium in liberam possessionem bonorum omnium, reddituum ac iurium quae eidem superius perpetuo concessimus et applicavimus, ipso facto constituatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes propterea praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, tibique dictoque collegio in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecess. nostri super divisione materiarum, nec non Pauli II. itidem praedecessoris nostri de bonis ecclesiasticis non alienandis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictorum collegii, monasteriorum et ecclesiarum, eorumque fundationum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro

plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XII. februarii MDCCCXIX., pontificatus nostri anno XIX.

LXXXIV.

Vicarium Apostolicum in Insulis Americae Septemtrionalis Angliae, Bataviae Daniaeque subiectis Episcopum Gerrensem constituit.

Dilecto filio Iacobo Bukley in Episcopum Ecclesiae Gerren. electo,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie te Ecclesiae Gerren., quae sub patriarchatu Alexandrino in partibus infidelium consistit, in Episcopum et pastorem auctoritate apostolicâ praefecerimus cum diversis gratiis et indultis, prout in nostris desuper in simili formâ brevis expeditis literis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur; cumque ven. fr. Thomas Gillow electus Episcopus Hypsopolitanus ac Vicarius Apostolicus designatus ad Septentrionales Americae Insulas tum Angliae tum etiam Bataviae Daniaeque ditioni subiectas, ob adversam valetudinem commisso sibi muneri obeundo impar evaserit, proindeque ab eodem se sponte abdicaverit; cumque summopere expediat alium illi sufficere, qui illorum fidelium omnibus Ecclesiae praesidiis carentium curam habeat, loca visitet, operariorum deficientiae prospiciat, ecclesiaeque disciplinam undequaque restituat: nos audito ven. fratre Guillelmo Poynter Episcopo Haliensi Vicario Apostolico Londini, ac dimissione praedicti Gillow susceptâ, de tuâ pietate, prudentiâ, studio, integritate, vigilantiâ ac christianae Religionis catholicaeque fidei zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequentibus, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te Vicarium Apostolicum praedictarum Insularum cum solitis facultatibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolicâ tenore praesentium constituimus et deputamus, ita tamen ut cum eae Insulae tot ac tam dissitae sint, ut unus illarum curam vix gerere possit, cum alio etiam in posterum a nobis designando spirituale illarum regimen dividere tenearis. Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac in futurum spectabit, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici huiusmodi officium illiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino nostro, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die V. martii MDCCCXIX. pontificatus nostri anno XIX.

LXXXV.

Synodum patriarchalem Maronitarum in monasterio S. Mariae de Loaisa celebratam, iuxta decretum S. Congr. de P. F. approbat; adiecta excommunicatione in monachos, qui monialium aedes ingrediuntur (1).

(1) Vide Collect. Lacensem vol. II., p. 375.

Venerabilibus fratribus Ioanni Dolce Patriarchae Antiocheno ceterisque Archiepiscopis et Episcopis inclytae nationis Maronitarum,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres.
salutem et apostolicam benedictionem.

Quod de constanti obsequio et eximia devotione in nos et Apostolicam Sedem vestra nobis pollicebamur, sedulo accurateque praestitum a vobis esse multa cum paterni animi nostri laetitia ex litteris vestris, ven. fratres, cognovimus. Cum enim pastoralis officii nostri, praecipueque illius, quo vos in Domino prosequimur caritate, esse duxissemus vos ipsos ad celebrandam Synodum excitare (1), in qua pravus monasteriorum, ut dicitur, ***duplicium*** usus perpetuo aboleretur, vos qua par erat obedientia synodum rite adunastis, et monachorum aedes ab aedibus monialium omnino separandas esse decrevistis. Nihil nobis gratius, nihil sacrae disciplinae conformius, nihil servandae morum puritati opportunius, nihil ad sinistros rumores, qui de religiosis viris et mulieribus sub eodem tecto habitantibus vulgo spargebantur, sedandos accommodatius decerni a vobis poterat. Vobis igitur impense gratulamur, ven. fratres, quod, neglectis difficultatum, quae huic separationi obstare videbantur, umbris, id perfeceritis, quod nostra et summorum Pontificum decessorum nostrorum vota constanter enixeque, sed ad hanc usque diem frustra, expetiveruut. Nos quidem habitae a vobis Synodo apostolicae auctoritatis robur, quemadmodum mox dicemus, adiungimus, sed nullum decretum libentius confirmamus, promptiusque ad exequutionem perduci volumus, quam illud, quo Coenobiorum, quae a monachis incolentur, ab iis, ubi moniales degent, omnimoda seiunctio praescribitur, quam adeo necessariam iudicamus, ut si quis monachus in aedes monialium pedem inferre posthac audeat, eum excommunicationi ipso facto incurrendae, et Episcopo loci reservatae, subiectum velimus. Sicuti vero monasteria ***duplicia*** de medio tollenda erant, ita maxime conveniebat, ut stabilis Patriarchae, Archiepiscopis, Episcopisque sedes in sua cuique dioecesi statueretur. Id enim exigebat et pastorum dignitas et expeditior accuratiorque dioecesium administratio. In hanc quoque rem, ven. fratres, consilia curasque vestras contulistis, et certam immobilemque in sua dioecesi sedem unicuique Episcopo assignastis. Ne singula persequamur, Synodus vestra severum ad examen a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui negotiis de Propaganda Fide praepositi sunt, revocata, talis iisdem visa est, ut eam, quibusdam tamen capitibus aut additis aut mutatis, dignam censuerint, quae a nobis auctoritate apostolica confirmaretur. Quae vero addenda aut mutanda iudicaverunt, ea distinctis articulis comprehensa decreto apposuerunt, cuius authenticum exemplar apostolicis hisce litteris adiunctum ad vos mitti praecepimus (2). Memorati articuli cum ad prae-

(1) Id factum est literis ap. *In communi.*

(2) Ex Tabul. S. C. de P. F. transcribimus decretum quo Synodi Patriarchalis Maronitarum decreta modificantur.

DECRETUM

Sacrae Congregationis generalis de Prop. Fide

HABITAE DIE XV. MARTII ANNI MDCCCXIX.

Cum per litteras apostolicas datas in forma brevis sub die I. novembris anni MDCCCXVI. confirmantes duo decreta S. Congregationis generalis de Propaganda Fide habitae die XII. augusti eiusdem anni indictum fuerit R. P. Iohanni Petro Dolci Maronitarum Patriarchae, et R. P. Aloysio Gandolphi electo tunc Episcopo Icosien, et delegato apostolico ut una cum Synodo eiusdem nationis modulam conficerent atque proponerent, qua et monachorum Coenobia a monialium Coenobiis separarentur, et tam patriarchalis quam singulis Episcopis Maronitarum in eorum respective dioecesibus certa et stabilis sedes designaretur, servatis, quae in praefatis decretis servanda praecipiebantur; pervenerunt acta praescriptae Synodi his super rebus celebratae in monasterio S. Mariae de Loaise diebus XIII. et XIV. aprilis an. MDCCCXVIII. una cum literis Patriarchae et Episcoporum dictae nationis, quibus enixis precibus postulabatur Synodi approbatio apostolica.

Perpensis itaque omnibus ac singulis Synodi statutis, auditis etiam Patriarcha, Delegato Apostolico atque Episcopis inclytae nationis Maronitarum, nec non monasteriorum patronis, Sacra Congregatio habita die et anno quibus supra, censuit, confirmandam esse Synodum cum aliquibus tamen variationibus et additamentis. Ut autem clarius innotescant tum ea, quae in laudata Synodo servanda sunt, tum ea, quae iuxta mentem Sacrae Congregationis reformanda vel addenda censentur, omnia haec simul in sequentibus articulis comprehenduntur.

1. Designentur pro solis monialibus septem monasteria, videlicet: 1. Bmae Virginis de Hacle, 2. Mar Sciallitae Mecbes, 3. Mar Habda Harhria, 4. Bmae Virginis de Baclusci, 5. S. Georgii Halma, 6. S. Eliae Ballune, 7. S. Georgii in novo Bhordoch. In suspenso autem pro nunc remaneat huius statuti executio quoad duo monasteria tantum, scilicet Bmae Virginis de Baclusci et S. Eliae Ballune, et examinentur asserta iura eorumdem respective patronorum

cavendas dissensiones, ad iura omnium servanda, ad disciplinam rectius firmiusque constituendam perquam accommodati sint, volumus, ven. fratres, ut statuta vestra ad eorum normam reformetis. Hoc pacto Synodum a vobis habitam approbamus, ratam habemus et auctoritate apostolica confirmamus. Superest, ven. fratres, ut quam

---

per deputationem trium Episcoporum in Synodo factam sess. 1. art. 13, quae transmittat relationem ad Sacram Congregationem, per quam postea providebitur, amotis tamen statim monachis, et viris quibuscumque ab his duobus monasteriis, non secus atque ab aliis supra dictis, quae monialibus designata sunt, ut infra fusius dicetur.

II. Servetur a monialibus regula iam tradita ab Episcopo Abdalla Caralli Hierapolitano, excepta obligatione surgendi media nocte ad orandum, a qua moniales dispensantur, sicuti etiam a recitatione divini officii monialibus regularibus praescripta, cuius loco permittitur, ut pro nunc moniales recitent officium aut coronam precatoriam B. M. V. donec ipsae linguam syriacam apprime edidicerint, quemadmodum in art. 3 et 10, sess. 1 praelaudatae Synodi statutum est, et interdicta monachis et presbyteris quibuscumque recitatione officii in ecclesiis monialium.

III. Omnia monialium monasteria, nullo excepto, subiiciantur Ordinario loci ad formam can. 3, cap. 3, part. 4, Synodi Libanensis anni MDCCXXXVI. *de Monialibus*, adempta cuicumque alteri Episcopo imposterum iurisdictione, si quam adhuc exercuerint, in monasteria extra ipsorum dioecesim posita salvis tamen, quibus competunt, iuribus patronatus. Ordinarii autem loci erit monastario deputare ad triennium confessarium, qui sit sacerdos gravis, aetate provectus, doctrina, pietate, morum honestate commendatus; procuratorem, qui non possit esse idem ac confessarius, a patronis praesentatum probare et removere quandocumque in Domino expediens iudicaverit; visitare, invigilare, et reliquos iurisdictionis acus explere ad formam dictae Synodi Libanensis et novissimae Synodi, servata tamen auctoritate, quae Patriarchae nationis competit iuxta Sacros Canones, praesertim *de supplenda negligentia praelatorum*, et iuxta dictam Synodum Libanensem.

IV. Procuratores monasteriorum post triennium confirmari non possint, nisi arbitrio Episcopi et patronorum. Electio autem procuratorum iam facta in Synodo art. 14, sess. 1 approbatur.

V. Designetur procurator pro monasterio Hrasci, servatis eiusdem monasterii constitutionibus quoad spiritualem ipsius directionem ad formam art. 8, sess. 1, praelaudatae Synodi.

VI. Circa electionem abbatissae aliorumque officialium, receptionem monialium in novitiatu vel professione, earumque dotationem, administrationem bonorum, rationemque eiusdem administrationis, Episcopo reddendam, totumque regimen, tam in spiritualibus, quam in temporalibus serventur omnino statuta Synodi Libanensis *de Monialibus*, et novissimae Synodi expressa articulis 4, 5 et 6, sess. 1.

VII. Monachis assignantur sex monasteria, videlicet: 1. B̃mae Virginis de Mastita, 2. Mar Dumat in Gadras, 3. Mar Ruhana Albachiha, 4. Mar Sarchis Raifun, 5. Sancti Antonii Bachata, 6. Sancti Georgii in veteri Bhordok ad formam art. 2, sess. 1, laudatae Synodi. Suspenditur vero pro nunc huius statuti executio, quoad monasterium Mar Rubana tantum, quod iustis de causis habitandum provisorie relinquitur monialibus nunc ibidem degentibus, prohibita tamen aliarum monialium admissione, atque addita omnino conditione, ut monachi inde statim removeantur, et in aliud virorum monasterium transferantur, idque ad obitum usque, aut translationem omnium praedictarum monialium.

VIII. Superiores monachorum eligantur, vel confirmentur, ad formam eorum constitutionum, approbata interim electione iam facta in Synodo illorum superiorum, quorum nomina recensentur sess. 1, art. 14, et servatis circa monasterium Mar Ruhana his, quae numero praecedenti praescripta sunt.

IX. Vita ac disciplina monachorum conformetur plane statutis Synodi Libanensis, et novissimae Synodi sess. 1, art. 12, et sess. 2, art. 4 et 5.

X. Pro Asceteriis seu recessibus piarum mulierum assignantur quinque monasteria, scilicet: 1. S. Iosephi Alharf, 2. S. Iosephi Alhosn, 3. S. Moysis Ballune, 4. S. Antonii in oppido de Gnaise, et 5. Beatissimae Virginis de Sciuaja.

XI. Episcopi nationis regulam, quam pro nominatis Asceteriis faciendam sibi in Synodo reservarunt art. 3, sess. 1, quo citius possunt, transmittant Sacrae Congregationi ad effectum approbationis, servatis tamen interim legibus in sequenti articulo declarandis.

XII. Nemo in posterum, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et Episcopi loci reservatae, monasticum habitum suscipere in praedictis seu monasteriis monialium sive Asceteriis praesumat, nec monachus quilibet sacerdotali licet charactere insignitus in iisdem habitet: comprehensis in hac prohibitione etiam procuratoribus et directoribus, ita ut eorum quoque domicilium nullam plane habeat cum monasteriis et Asceteriis communicationem; nec ad ea quilibet ingrediatur, nisi ad formam eorum, quae disposita sunt in Synodo Libanensi.

XIII. Cum autem spirituali Maronitarum bono maxime expedire videatur, si novum aliquod collegium aperiatur ad erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis iuventutem, hinc S. Congregatio valde probavit deputationem factam in Synodo art. 2, sess. 1, tam monasterii S. Georgii Rumje in collegium generale nationis cum regulis expressis sess. 2, art. 3, quam monasterii S. Iohannis de Zacrit in collegium particulare sub directione Archiepiscopi Cypri, et confirmavit chirographum erectionis praedicti collegii generalis sub titulo S. Maronis, quod praevio consensu et cessione patronorum dicti monasterii S. Georgii Rumje firmatum a Patriarcha et Episcopis nationis sub die XV. aprilis MDCCCXVIII., transmissum est eidem Sacrae Congregationi.

XIV. Sedes patriarchalis stabilis ac firma perpetuo maneat in monasterio Canobini. Archiepiscopus vero Hierapolitanus sedem iuxta morem retineat intra limites suae dioecesis iuxta art. 1 et 2, sess. 2, praelaudatae Synodi.

XV. Deficiente pro nunc, ut fertur, loco, qui sit aptus ad constituendam sedem Archiepiscopo Tripolitano intra fines suae dioecesis, permittitur actuali Archiepiscopo, ut domi suae, quam nunc inhabitat in Kesroano, manere possit, ea tamen lege, ut interim omni studio curetur, ut idonea ac stabilis sedes pro dicto Archiepiscopo Tripolitano in propria dioecesi provideatur iuxta cit. art., sess. 2.

XVI. Archiepiscopus Bybli et Bostrae sedes erit in novo supradicto collegio S. Iohannis Maronis in Vico Capharhai Botrensis dioecesis iuxta cit. art.

XVII. Sedes Archiepiscopi Eliopoleos sit in monasterio Mar Sarchis Raifun in provincia Kesroani iuxta art. cit.

XVIII. R. P. Stephano Gazeno actuali Archiepiscopo Damasci iustis de causis permittitur, ut degat, dum vivit, in monasterio S. Moysis Abissini, amotis tamen inde, et alio translatis, monialibus et mulieribus quibuscumque; interim vero designetur Sedes certa ac permanens Archiepiscopo Damasce-

componendae, ordinandaeque Synodo operam navastis, eamdem ut eius mandata effectu suo non careant strenue impendatis. Ad hoc vero praestandum longiori vos hortatione minime indigere persuasum nobis est. Neque enim nos fugit quantum inter medias infidelitatis obstinatique schismatis tenebras fulserit fulgeatque fides vestra

---

no pro tempore existenti intra fines suae dioecesis. Monasterium autem S. Antonii Bachata, quod in Synodo designatum fuit pro sede dicti Archiepiscopi Damasceni, maneat pro solis monachis, ut dictum est supra art. 7.

XIX. Sedes Archiepiscopi Cypri sit (prout in cit. art. 2, sess. 2) in Sciahuan districtus Becfaiae in provincia Kesroani.

XX. Et similiter iuxta saepe cit. art. sedes Archiepiscopi Berytensis sit in monast. S. Iohannis de Chatale provinciae Matan, amotis tamen inde statim et alio translatis, si quae adhuc ibi supersint, monialibus et mulieribus quibuscumque.

XXI. Quum vero plurimae postulationes porrectae fuerint, videlicet familiae de Gazenis super assertis iuribus in ecclesiis Mar Habdae et S. Mariae Liberatricis, et in monasteriis Bekorke, et Mar Habdae Harhriae, et B. M. Virginis de Baclusci; Archiepiscopi Eliapolitani in monasterio S. Sergii Raifun; familiae Habaisciae in collegio de Hain Uarca, et tandem familiae Alhagi in monasterio S. Ioseph de Alhosn, Sacra Congregatio remisit preces ad supradictam deputationem designatam in Synodo sess. 1, art. 13, quae omnia rite perpendat, ac referat ad eamdem Sacram Congregationem, per quam postea providebitur. Dum vero particularia isthaec iura patronorum examinantur, decretorum Synodi iuxta modum in superioribus XX. articulis expressum approbatae et confirmatae executio minime retardetur aut differatur.

Hisce ita reformatis, moderatis atque statutis, Sacra Congregatio decrevit supplicandum SSmo, ut dignetur praefatam Synodum iuxta modum ut supra expositum confirmare etiam per apostolicum breve, et R. P. Aloysium Gandolphi tamquam Delegatum Apostolicum deputare, ut auctoritate apostolica incumbat plenae ac promptae executioni eiusdem Synodi sic approbatae ac confirmatae, cum facultate etiam canonicis poenis ad statutorum observantiam adigendi contumaces cuiuscumque gradus, dignitatis et praeeminentiae iuxta morem in similibus servatum in aliis apostolicis constitutionibus.

Quam Sacrae Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro divina providentia Pio Papae VII. relatam per R. P. D. Carolum Mariam Pedicini Secretarium in audientia habita die IV. aprilis anni MDCCCXIX. Sanctitas Sua benigne approbavit, litterasque apostolicas expediri iussit.

Ex eodem Tabulario, pro historia Patriarchatus Maronitarum, desumimus decretum a S. C. de P. F. emissum an. MDCCCXVII. ad sedanda dissidia exorta inter Ioannem Dolce et Germanum Eva, quae Synodi celebrationem obstabant.

DECRETUM

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Perpensis omnibus, quae circa controversias Patriarcham inter Maronitarum R. P. D. Ioannem Dolce, et Hierapolitanum eiusdem nationis Antistitem R. P. D. Germanum Heva exortas, ad S. Sedem perlata sunt; ut meliori et expeditiori modo tot ac tam diutinis malis occurratur, quibus Hieropolitana eadem Ecclesia propterea subiicitur, ex eo potissimum, quod quamplurimi non solum Maronitae, sed etiam aliarum nationum, tam clerici quam laici, earumdem controversiarum occasione vel causa ecclesiasticis paenis aut ab iure aut ab homine latis irretiti feruntur; Sacra Congregatio censuit expedire, ut complicatae huic causae et discrepantibus relationibus finis aliquando imponatur, omnisque imposterum praecludatur hac de re quaestionibus aditus; ideoque decrevit supplicandum esse SSmo, quatenus apostolica benignitate, et de plenitudine suae potestatis praefatum Antistitem suae ecclesiae eiusque libero regimine restituat, omnesque et singulos cuiuscumque Ordinis, dignitatis, nationis dignetur absolvere a quibuslibet censuris, ac irregularitatibus in quas praedictarum controversiarum occasione vel causa sive a iure sive ab homine incurrere potuisse contigerit, vel quae eisdem controversiis causam aut occasionem praebuerint; de caetero districte praecipiens, ut unusquisque conscientiae suae consulat quoad ea in quibus se deliquisse, ideoque canonicas incurrisse poenas cognoverit; ut omni insuper partium studio, et querimonia de anteactis prorsus remota, pacem servet, ab iisque omnibus verbo, aut facto, se caute abstineat, quae renovandis quaestionibus atque dissidiis aditum aperire possent.

Huic autem Sacrae Congregationis sententiae SSmo Dno Nostro Pio PP. VII. relatae per Emum Dnum Card. Litta Praefectum in audientia habita die XIII. martii, Sanctitas Sua benigne annuit, atque in praefatis indulsit; enixe autem in Domino hortatur clerum ac populum Hierapolitanae Maronitarum Ecclesiae, ut suum Episcopum ad propria redeuntem omni amore et reverentia excipiat, debitamque ei obedientiam perpetuo profiteatur, et praestet; foreque confidit, ut ipse Antistes gregem suum, qua pastorem ac patrem decet, benevolentia, mansuetudine, charitate regere et gubernare omni studio adlaboret.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die XXII. martii MDCCCXVII.

L. Card. LITTA Praefectus

Loco ✝ Sigilli.

Carolus Maria Pedicini Secretarius.

Hoc S. C. de Prop. Fide decreto Germanus Eva ductus has lit. scripsit de pace et sedatis dissidiis:

COL DIVINO AJUTO

Agli illmi nostri figli nel Signore D. Antonio Noè nostro Vicario Rmo, ed all' onoratissimo Clero della nostra diocesi, ed al benedetto nostro popolo Maronita, arrivi questa pastorale, la quale si deve leggere pubblicamente nella chiesa di S. Elia col Decreto della Sagra Congregazione di Propaganda Fide.

GERMANO EVA

PER LA DIVINA MISERICORDIA
E GRAZIA DELLA SEDE APOSTOLICA
ARCIVESCOVO DELLA CITTÀ DI ALEPPO
E SUOI CIRCONVICINI

Luogo ✠ del Sigillo

La grazia divina, e la benedizione celeste scenda e dimori nelle anime e nei corpi di tutti gli individui della nostra illustre diocesi Maronita-Aleppina tanto del ceto clericale, che secolare obbedienti alla nostra autorità pastorale.

Vi sia noto, che dopo che fu presentata tutta la causa a Voi ben nota, al Tribunale della S. Sede Apostolica, e fu esaminata a lungo ogni cosa con

cum sedulo morum ad christianas leges exigendorum studio coniuncta. Hinc factum est, ut summi Pontifices decessores nostri praecipuo quodam caritatis affectu gentem vestram respexerint, quam Sedi Apostolicae obstrictissimam semper experti sunt. Non dubitamus, ven. fratres, quin novum meritis vestris cumulum nunc sitis addituri, ut et nos iure dicere possimus datam vobis esse gloriam Libani. Et benedictionem apostolicam vobis inclytaeque nationi vestrae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat. die XXV. maii MDCCCXIX. pontificatus nostri anno XX.

LXXXVI.

Confirmat decretum S. C. Rituum quo confraternitati B. Mariae Virginis de Subsidio erectae in metropolitana ecclesia Guatimalensi concessa fuit missa propria et officium eiusdem B. M. V. de Subsidio.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Ex parte ven. fratris Raymundi Archiepiscopi Guatimalensis et dilectorum filiorum cleri et officialium atque confratrum archiconfraternitatis Beatae Mariae Virginis de Subsidio nuncupatae in metropolitana ecclesia eiusdem civitatis canonice (ut asseritur) erectae expositum nobis nuper fuit, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione decretum obtinuerunt, tenoris sequentis videlicet:

Tenor rescripti Sacrae Congregationis.

« Sacra Rituum congregatio, supplicantibus reverendissimo Archiepiscopo et clero dioecesis Guatimalensis, nec non ven. archiconfraternitate Beatae Mariae Virginis de Subsidio nuncupatae in metropolitana erecta, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis Dionisii Bardaxy ponentis, benigne indulsit, ut suprascriptum officium cum missa propria in honorem Beatae Mariae Virginis ab eodem eminentissimo et reverendissimo domino relatore, et a r. p. Aloisio Gardellini sub promotore fidei et sacrae eiusdem Congregationis assessore (loco r. p. d. Andreae Cavalli promotoris fidei absentis) revisa, emendata et approbata celebrari et respective recitari valeant in dominica secunda novembris sacra festo Patrocinii Beatae Mariae Virginis ab universo dioecesis clero ritu dupl. secundae classis, addita etiam octava quoad clerum civitatis tantum, annuendo praeterea etiam pro gratia cele-

---

tutta l'esattezza, e con ogni premura nella Sagra Congregazione di Prop. Fide, questa a motivo della diversità delle relazioni, che ad Essa pervenivano sulle materie accennate, non ha potuto rilevare chiaramente e costantemente la verità e realtà della cosa, e lo stato delle controversie. E perciò l'Emo Card. Lorenzo Litta Prefetto della Sagra Congregazione per la sua soda e sagace sapienza, e zelo, e per amore della pace, e per l'esimia sua carità, ha egregiamente stimato affine di togliere e sradicare tutte le dissenzioni e vertenze, esser cosa assai giovevole, e di somma efficacia, anzi necessarissimo, ed importantissimo, di ottenere dal S. Padre, che dal tesoro della nostra Santa Madre Chiesa Pietrea, ed in virtù dell'autorità delle Chiavi consegnategli da Cristo in persona di Simone Pietro, si degni concedere una assoluzione generale, per cui vengono tolte ed annientate tutte le censure ecclesiastiche, tanto del Gius che dell'Ordinario, nelle quali potesse essere incorso alcun individuo di qualunque siasi sesso, nazione, dignità e grado, tutti in generale, e ciascheduno in particolare. Ordinando però Sua Santità ad ognuno di quelli, che hanno avuto parte nelle dette vertenze di provedere alla sua coscienza avanti Iddio, sgravandola di tutto ciò, a cui l'obbliga la legge del foro interno, spogliando l'uomo vecchio con tutti i suoi elementi, e vestendo l'uomo nuovo creato in Cristo Signore. Più, che si abbandoni ancora ogni spirito di partito, ostinazione e litigio, che detragga alla fama ed al buon nome del suo prossimo.

Vi scongiuriamo anche noi, *in visceribus misericordiae Dei nostri* di togliere affatto li motivi delle passate querele e confusioni benchè siano di poco momento: e di perdonarvi scambievolmente come ci ha comandato il nostro Divin Salvatore e Redentore con ogni premura. Stia ogni uno di voi in buona armonia, trattando il suo fratello colli legami della Santa Carità, senza la quale secondo il detto di S. Paolo non vi giova nemmeno la fede stessa, e questa ancora vi è pericolo di perdere in mancanza della carità. Eccovi in noi ancora un esempio di paterna clemenza, ed un segno dell'amore nostro verace pel bene delle vostre anime, onde già abbiamo condonato e perdonato, e rimesso tutte le calunnie fatte contro la nostra particolare persona. Similmente speriamo nella vostra pietà, che vi perdonarete scambievolmente l'uno l'altro come ci ha perdonato Iddio in Christo.

Ed ecco stese le nostre mani al Cielo imploriamo dal Padre de' lumi di spandere sopra di voi le sue grazie e celesti benedizioni, e di unire i vostri cuori in una perfetta carità e fraterno amore, e sopra di tutti insieme faccia discendere i suoi beni e grazie spirituali e temporali. La pace di Cristo, ed il suo eterno gaudio, empia i vostri cuori.

Finalmente confidiamo nella vostra pietà e bontà della vostra obbedienza in rendere il dovuto onore all'Illmo nostro Vic. Vesc. il P. D. Antonio Noè vostro superiore, come compete alla sua dignità, finchè a voi arriviamo, giacchè siamo di partenza verso di voi, se Dio ci permetterà.

E così terminiamo concedendo col più intimo del nostro cuore la benedizione tanto a voi, che alle vostre famiglie, a tutte in generale, ed a ciascheduna in particolare per la seconda e terza volta.

Roma 25 aprile 1817.

brandi supra approbatam missam ad aram dumtaxat Beatae Mariae Virginis (sub appellatione de Subsidio) in dicta metropolitana tantum singulis anni sabbatis, exceptis primae et secundae classis duplicibus, quadragesima, octavis, atque vigiliis privilegiatis. Atque ita in posterum in civitate, ac dioecesi de Guatimala servari mandavit. Die XV. maii MDCCCXIX. »

Confirmatio apostolica.

§ 2. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae nostrae confirmationis subsidio ipsum muniri vehementer desiderent; nos memoratum quoque officium cum missa propria eiusdem Beatae Virginis praesentibus pro insertis habentes, ac ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, idem decretum et singula in eo contenta atque expressa, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, eique inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac singulos cum iuris tum facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae metropolitanae, quatenus opus sit, statutis et civitatis ac dioecesis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. iunii MDCCCXIX., pontificatus nostri anno XX.

LXXXVII.

Officium proprium S. Catharinae virginis et martyris concedit monialibus monasterii a praedicta patrona nuncupati, ac erecti in civitate Guatimalae in America septentrionali.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae priorissa et moniales monasterii S. Catharinae virginis et martyris de Guatimala in America septemtrionali nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga eamdem sanctam ecclesiae sui monasterii titularem praeseferunt devotionis, affectu, eius cultum et venerationem in dies augeri vehementer desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ratio concessionis.

§ 2. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Iosepho Antonio Sala sac. Rituum Congregationis secretario coadiutore, ut eiusdem Sanctae Catharinae officium pro Praedicatorum ordine adprobatum etiam a dicti monasterii monialibus in posterum recitari possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus, atque idem officium ad easdem moniales extendimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii eiusque ordinis consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum

effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXII. iunii MDCCCXIX., pontif. nostri anno XX.

LXXXVIII.

Concessio iuris nominandi Archiepiscopum Leopoliensem Armeni catholici ritus pro imperatore Austriae.

PIUS PP. VII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter caetera privilegia quibus Romani Pontifices identidem augere consueverunt catholicos principes, ut pro rei sacrae bono et incolumitate impensius adniterentur, illud certe amplissimum percensetur, quo facultas ipsis tribuitur nominandi nonnullarum ecclesiarum antistites, quae in ipsorum ditione continentur. Cum carissimus in Christo filius noster Franciscus I. Imperator Austriae eiusmodi privilegio ex Apostolicae Sedis largitate gaudeat pro archiepiscopatibus et episcopatibus pene omnibus Latini ritus, qui intra suarum ditionum fines numerantur, extendi illud exoptavit ad archiepiscopalem Armeni catholici ritus Ecclesiam Leopoliensem; suaque idcirco in id vota ad nos perferenda curavit per dilectum filium nobilem virum Aloisium ex principibus Kaunitz de Bietberg suum apud nos et Apostolicam Sedem oratorem extraordinarium.

Ratio concessionis.

§ 2. Noveramus equidem praesertim ex monumentis asservatis in archivio huius sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cuius directioni illa subest ecclesia, illud post Armenorum in Gallecia Polonica unionem, ineunte saeculo decimo septimo conciliatam, ex Romanorum Pontificum benignitate concessum fuisse clero Armeno ipsius Ecclesiae Leopoliensis, ut in quolibet vacationis casu insimul in comitia conveniret, ac tres ecclesiasticos viros pietate, religione et scientia probatiores adscisceret per memoratam sacram Congregat. exhibendos Romano Pontifici, qui alterum ex iis pro suo lubitu Archiepiscopum enunciaret, uti subinde ad nostram usque aetatem peractum conspicitur. Verum cum illud etiam relatum ad nos fuerit laudatum Franciscum Imperatorem annuum censum, et alia non levia subsidia tam Archiepiscopo, quam capitulo et clero praedictae Armeni catholici ritus Leopoliensis Ecclesiae persolvenda decrevisse, piam hanc ipsius Imperatoris Francisci liberalitatem summopere commendantes, et luculentiora semper nostrae in eum benevolentiae testimonia praebere cupientes, votis eiusdem infrascriptis modo ac forma annuendum censuimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Ex certa itaque scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine saepe laudato Francisco primo Imperatore Austriae, suisque imperialis Austriacae domus successoribus, qui Leopoliensi civitati dominentur, quique una cum subditis in obedientia huius Sanctae Sedis persistant, indultum concedimus nominandi infra tempus a iure praefinitum nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti ad Leopoliensem archiepiscopatum Armeni catholici ritus dignâm et ex sacrorum canonum institutis idoneam personam ecclesiasticam ex tribus illis selectam, quas illius ecclesiae clerus legitime congregatus iuxta acceptas ab Apostolica Sede facultates rite in eum finem praesentaverit, cum obligatione personae ita nominatae ea omnia pro impetranda canonica institutione erga Sedem Apostolicam adimplendi, ad quae de iure et ex consuetudine teneatur, ac salva in reliquis auctoritate supradictae Congregationis de Propaganda Fide, cui nihil inde detrimenti volumus pontificiam hanc indulgentiam, uberioribus ipsius Imperatoris Francisci, suorumque successorum erga res catholicae Ecclesiae studiis curisque cumulandam, fore, censumque antedictae Leopoliensis Ecclesiae meliori qua possit ratione constabilitum, et ab omni pro futuro tempore exemptum difficultate constitutum iri.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a

quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedec. nostri super divisione materiarum, nec non nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae archiepiscopalis Armeni catholici ritus Leopoliensis Ecclesiae eiusque capituli et cleri nec non supradictae Congregationis de Propaganda Fide etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die xx. septembris MDCCCXIX., pontificatus nostri anno xx.

LXXXIX.

Querentibus Vicariis Apostolicis Angliae et Scotiae de privilegiis ad petitionem unius ex iisdem Vicariis concessis anno MDCCCXVIII. *collegio apud Stonyhurst existenti, ea revocat, ac decernit alia privilegia eidem Collegio collata intra suos limites continenda esse, servata in reliquis Constitutione* Apostolicum ministerium (1).

Venerabilibus fratribus Episcopis in Anglia et Scotia Vicariis Apostolicis,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Non sine magno animi nostri dolore ex vestris ad nos datis litteris die xxx. octobris elapsi anni intelleximus, ven. fratres, vehementer vos commotos ac perturbatos esse ob decretum quod incipit *Cum compertum fuerit,* vobis inconsultis, imo nec tale quidpiam suspicantibus, a Congregatione Propagandae Fidei favore Collegii apud Stonyhurst latum die XIV. decembris anni MDCCCXVIII., ac vobis nonnisi aliquot post menses communicatum. Siquidem nobis significastis et vestram hoc decreto minui auctoritatem iurisdictionemque praepediri, et statum ac ordinem everti, quem, ad praecidenda atque e medio auferenda in anglicanis istis missionibus iamdudum exorta dessidia, tantâ sapientiâ statuit optimisque regulis communivit fel. rec. Benedictus XIV. praedecessor noster apostolicis literis in formâ Brevis, quarum initium *Apostolicum Ministerium* die XXX. maii anni MDCCLIII. sub annulo Piscatoris datis; insuper et causam praeberi gravioribus adhuc dissidiis ac in dies recrudescentibus commotionibus. Enixe propterea efflagitatis a nobis, ut relate ad supramemoratum decretum quid nobis aequius et utilius in Domino visum fuerit statuamus, utque in posterum, vestratibus postulantibus, gratiae et privilegia ordinem in missionibus istis feliciter stabilitum mutatura non concedantur, nisi vobis Episcopis prius auditis, qui non unius tantum domus utilitatibus invigilatis, sed totius in istâ insulâ Ecclesiae curam commissam habetis.

§ 2. Quanta admiratione affecti fuerimus haec intelligentes, ex eo dignoscere potestis, ven. fratres, quod, cum memoratum decretum, ut probe nostis, ad preces nec non operâ et studio unius ex vestris in apostolico ministerio collegio latum fuerit, ne suspicari quidem poteramus, eumdem, vobis insciis aut contra vestram sententiam, quidpiam in tanto negotio egisse, ac in Vicariorum Apostolicorum, ideoque et suae pariter iurisdictionis praeiudicium harum missionum statum turbare subreptive ac inconsiderate voluisse. Sicut neque illud pertimescendum videbatur, ne regulae ac statuta a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore nostro praescripta, obtentu privilegiorum favore Collegii apud Stonyhurst subverterentur, cum ipsa Congregatio de Propagandâ Fide in eodem decreto salva esse ea omnia expresse voluerit atque edixerit. Verum contra nostram eiusdemque Congregationis mentem ac vota rem ces-

(1) Ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide.

sisse ex vestris litteris dolentes conspicimus.

§ 3. Quapropter, ut verbis utamur Bonifacii IX. praedecessoris nostri, cum deceat, Romanum Pontificem, praecipuum iustitiae conservatorem et auctorem, si quae alias deneganda concesserit, ea postea, rerum veritate compertâ, ad statum debitum reducere ac reformare, prout id conspicit salubriter expedire; omnibus serio matureque perpensis, expostulationibus vestris, ven. fratres, satisfacere decrevimus. Hinc ut vel exorta auferantur, vel alias fortasse oboritura praecidantur dissidia, ex quibus non parum incommodi ac detrimenti Religio ipsa catholica in istis missionibus capere posset, utque suus cuique constet honor, ac iura sarta tecta serventur, memoratum decretum, quod incipit *Cum compertum fuerit,* a Congregatione Propagandae Fidei latum favore Collegii apud Stonyhurst die XIV. decembris MDCCCXVIII., auctoritate apostolicâ qua fungimur, penitus infirmamus, nullumque ac irritum tenore praesentium declaramus, decernentes praeterea ut gratiae et concessiones, quae tam a praedecessore nostro fel. rec. Pio Papa VI., quam a nobis (sub die XXVI. septembris anni MDCCCII.) eiusdem Collegii praesidi impertitae fuerunt, intra eos limites revocentur et contineantur, quibus concludebantur antequam enunciatum decretum fieret, servatis in reliquis iis omnibus, quae in memoratis apostolicis in fromâ brevis literis, quarum initium *Apostolicum ministerium,* a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore nostro statuta ac praescripta reperiuntur. Quam quidem nostram declarationem eadem Congregatio Propagandae Fidei iussu nostro notam faciet saepe dicti Collegii apud Stonyhurst praesidi, minime dubitantes fore, ut sic omnia ad optatum exitum feliciter perducantur.

§ 4. Illud etiam praedictae Congregationi Propagandae Fidei mandamus, ut quotiescumque aliquis ex vestratibus gratias ac privilegia, unde ordo in missionibus istis feliciter statutus immutaretur, ab Apostolicâ Sede petierit, id apostolicae auctoritati nostrae concedendum non proponatur, nisi prius Congregatio ipsa sententiam vestram exquisierit, ut ita missionum istarum bono feliciter prospiciatur.

§ 5. Interea, ven. fratres, memoriâ recolentes praeclara B. Pauli Apostoli verba, quibus admonemur omnia nostra secundum ordinem et in caritate facienda esse, magis satagite ut, dum iusto ac discreto rerum et personarum ordini per apostolicam nostram solicitudinem, quoad licuit, provisum esse cognoscitis, per diligentiam vestram erga praesidem et alumnos florentis Collegii apud Stonyhurst, qui studiis promovendis ac iuvenibus in spem catholicae Religionis instituendis incumbunt, caritati aeque provisum esse nos pariter cognoscamus.

§ 6. In excolendâ Domini vineâ adlaborantes, ven. fratres, omne studium operamque vestram in id intendite, ut fideles omnes, quos pastorali solicitudini vestrae commisimus, seipsos invicem diligunt in caritate non fictâ, in verbo veritatis, ut in praesenti rerum animorumque perturbatione in omnibus seipsos praebeant exemplum bonorum operum; ut regem honorent, illique ita subiecti ac fideles existant, ut qui ex adverso sunt, vereantur nihil habentes malum dicere de nobis; ut a perversorum librorum lectione, quibus calamitosissimis hisce temporibus sancta nostra religio undique impetitur, abstineant, et piorum librorum, ac praesertim sacrarum Scripturarum lectione in editionibus ab Ecclesiâ adprobatis, in fide et in bonis operibus, vobis verbo et exemplo praeeuntibus, confortentur. Quod cum a vestrâ fide spectatâque in nos observantiâ praestitum iri confidimus, in pignus singularis nostrae erga vos benevolentiae apostolicam vobis benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. aprilis MDCCCXX., pontificatus nostri anno XXI.

XC.

Institutum et Regulam fratrum laicorum monachorum scholarum christianarum in Hibernia confirmat.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam:

Ad pastoralis dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam evecti, illa quae pro felici societatum quarumlibet pie sancteque institutarum uberes caritatis ac pietatis fructus, Deo adiuvante

atque incrementum dante, proferre iugiter satagentium, felicique personarum illis adscriptarum et pro tempore adscribendarum in via mandatorum Dei progressu provide prudenterque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus. Cum pia quaedam laicorum societas, sicut nobis relatum est a dilecto filio Magistro Carolo Maria Pedicini S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, in Hibernia gravissima damna perpendens, quibus egena iuventus afficitur ex ignorantia, vehementerque cupiens institutioni ac disciplinae prospicere pauperum puerorum, qui sua egestate scholas venales frequentare non possunt, ex quo fit ut poenitus rudes ipsa orthodoxae Religionis elementa saepissime ignorent, iisdem erudiendis operam dare se obtulerit, proindeque institutum quoddam sub titulo fratrum monachorum aliquot iam ab hinc annis erigere susceperit, fere ad instar illius, quod in Gallia erectum fuit sub titulo Fratrum Scholarum Christianarum a fel. rec. PP. Benedicto XIII. praedecessore nostro anno MDCCXXIV. per suam Constitutionem, quae incipit: *In Apostolicae dignitatis solio,* approbatum; eo nimirum sibi proposito fine ut pauperes adolescentes tum christianae Fidei rudimenta, tum literas, quae magis illorum conditioni convenire possunt, gratis edocerentur; ut autem salutare hoc Institutum firmius et aeque ordine stabiliretur, ac maiora in dies caperet incrementa virtutis, Regulas et Constitutiones quasdam a fratribus observandas condiderunt, quae parum differunt ab iis Christianarum Scholarum, easque Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum supplices obtulerunt, ut, si rectae et congruae repertae fuerint, apostolicae nostrae auctoritatis et adprobationis munimine roborarentur.

Regulae seu Constitutiones sunt sequentes, videlicet:

I. Quod fratres monachi nuncupati sub clientela SSmi Infantis Iesu, ac patrocinio Bmae Virginis Mariae eius Genitricis instituti, hoc maxime cavere debeant, ut pueros praesertim pauperes ad ea, quae ad bene christianeque vivendnm pertinent, erudiant; ac praecipuus eorum scopus et quasi spiritus instituti esse debeat studiosa sollicitudo puerilis institutionis ad normam christianae legis.

II. Quod pareant pro tempore existenti Superiori generali ab ipsis electo, vivantque in illis dioecesibus, in quibus admissi sunt de consensu Episcoporum, et sub eorumdem auctoritate.

III. Quod illorum Superioris generalis electio fiat scrutinio ac secretis suffragiis per Directores omnium domorum congregatos; Electus autem ad decem annos suo fungatur officio, nisi idem denuo electus et confirmatus in eo sit ad aliud decennium, itidemque in eodem consessu eodemque modo eligantur ab iis duo Assistentes, qui pro tempore existenti Superiori generali sint a consiliis, eumque in recta administratione adiuvent.

IV. Quod Assistentes in ea degant domo, in qua Superior generalis pro tempore commorabitur, eiusque consiliis intersint, ac manum praestent, exigente necessitate, ad respondendum literis, quas accipiet.

V. Quod ipsi fratres gratis pueros edoceant, neque praemium aut munera a discipulis vel ab eorum parentibus oblata accipiant.

VI. Quod nullus e fratribus sacerdotium ambiat, aut Ordines Ecclesiasticos aspiret.

VII. Quod fratres in hoc Instituto admittantur decimo sexto aut decimo quarto suae aetatis anno; sed vota simplicia perpetua non emittant, nisi vigesimum primum aetatis annum compleverint.

VIII. Quod vota fratrum sint castitatis, paupertatis et obedientiae, stabilis permanentiae in dicto Instituto, nec non pauperes gratis edocendi.

IX. Quod Superior generalis a convocato fratrum Capitulo Generali deponi possit his de causis, videlicet, ob haeresim, impudicitiam, homicidium, animi imbecillitatem, senii caducitatem, bonorum Instituti dilapidationem, aut aliquod enorme facinus, quod tali poena dignum censeatur a Capitulo generali, quod tunc ab assistentibus ad id convocabitur.

X. Quod fratres directores domorum particularium illas regant per triennium tantum; nisi iustis de causis Superiori generali pro tempore existenti eiusque assistentibus convenientius videatur, ut tempus huiusmodi diminuatur aut prorogetur; atque ut Superior generalis directoribus particularibus huiusmodi de sua potestate necessarias facultates concedere valeat circa votum paupertatis ac dispensationem bonorum temporalium; ita tamen, ut non liceat iisdem directoribus vel visitatoribus pro tempore deputandis fundos ac bona

tam mobilia, quam immobilia, inconsultis pro tempore existentibus Superiore generali eiusque assistentibus, alienare.

XI. Quod Visitatores a Superiore generali pro tempore existente designati ad munus triennale singulis annis semel domos visitent, exigantque a directoribus rationem impensi et expensi, et statim, finita qualibet visitatione, referant ad Superiorem generalem pro tempore existentem, quid sit in unaquaque domo emendandum.

XII. Quod Capitula generalia convocentur singulis decenniis, ad quae advocabuntur fratres directores uniuscuiusque conventus ac visitatores pro tempore; nisi aliquando magis expedire decernatur, ut Congregatio extraordinaria ante praefinitum tempus convocetur; totoque illo decennio assistentes electi collato munere perfungi valeant; nisi gravis aliqua necessitas cogat eos deponi ante idem tempus. Ad hunc tamen effectum, si nimis incommodum vel inopportunum censeatur, ut Congregatio generalis extraordinaria ad removendum aliquem vel utrumque ex assistentibus convocetur; eo casu Superior generalis per literas fratres directores cuiusque domus de suscepto consilio certiores faciet, iisdem rationes et causas patefaciens, propter quas illum vel illos removendos esse opportunum iudicaverit. Quo facto, si maior eorumdem directorum pars una cum Superiore generali vel eius assistente, cui in officio remanere contigerit, suam in scriptis opinionem declaraverit, quod pro bono Instituti ad huiusmodi remotionem deveniendum sit, in potestate Superioris generalis erit, illum vel illos amovere, et in casu amotionis ipse per literas fratribus notum faciet, ad novam electionem loco amoti vel amotorum esse procedendum. Quae quidem electio facienda erit per eadem suffragia in scriptis ad Superiorem generalem praefinito ad hoc die transmittenda; atque huiusmodi documenta in manibus duorum fratrum directorum ad id vocatorum tradentur; ipsique teneantur Superiorem generalem in scriptis certiorem facere in cuius vel quorum favorem suffragia emissa fuerint. Tunc autem Superior generalis declarabit, qui legitime electus vel electi fuerint.

XIII. Quod fratres non tam legendi ac scribendi modum, orthographiam atque arithmeticam pueros edoceant; sed eorum praecipue animos christianis atque evangelicis praeceptis imbuant; catechesim vel lectionem pii alicuius libri ad semihoram faciant singulis diebus, in quibus habentur scholae. Singulis vero dominicis aliisque de Ecclesiae praecepto festis diebus, ipsam catechesim sive lectionem ad unius horae spatium in ecclesia sive in locis, ubi commode congregari possint, pariter habeant.

XIV. Quod demum fratres visitare non possint Moniales sine expressa localis Episcopi licentia, et servatis conditionibus ab ipso in scriptis appositis.

§ 2. Iis igitur ad trutinam per praedictam Congregationem revocatis, auditoque ven. fratri Archiepiscopo Dublinensi aliisque Hiberniae Episcopis, qui hanc Societatem plurimum commendarunt, atque uberrimum ex ea fructum percipi retulerunt; praelaudata Cardinalium Congregatio nobis humiliter supplicavit, ut praedictum Institutum ac praeinsertas regulas approbare dignaremur. Nos igitur praelaudatae Congregationis ac Hiberniae Episcoporum votis annuere et fidelium utilitati prospicere volentes, ac singulares personas quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, de eorum fratrum consilio, Institutum praedictum et regulas seu constitutiones praeinsertas et omnia in illis contenta et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, sanamus atque supplemus.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, illisque plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitu-

tionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. septembris MDCCCXX., pontif. nostri anno XXI.

XCI.

Facultas utendi vestibus episcopalibus pro religiosis regni Poloniae, qui ad episcopalem dignitatem promoventur.

Venerabili fratri Prospero Episcopo Sandomiriensi,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Expositum nobis nuper tuo nomine fuit in regno Poloniae consuetudinem invaluisse, ut Episcopi, etiamsi in aliquo regulari ordine professionem emiserint antequam ad episcopatum essent electi, nihilominus apostolico eis suffragante indulto, eodem, quo alii Episcopi e clero assumpti saeculari, in episcopalibus aliisque eorum propriis functionibus utuntur vestitu, ideoque te, qui in Ordine Minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupati professionem emisisti regularem, memorato donari privilegio summopere exoptare humiliterque a nobis exposcere.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus huiusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut, regulari professione in ordine praedicto a te emissa minime obstante tua durante mora in regno praedicto, in posterum eodem vestitu, quo alii Episcopi in regno saeculari assumpti, in praedictis functionibus utuntur, ac etiam rochetto loco cottae, in pontificalibus aliisque functionibus peragendis uti libere et licite possis et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVI. septembris MDCCCXX., pontificatus nostri anno XXI.

XCII.

Erigit in Collegiatam ecclesiam S. Demetrii ritus graeci in oppido Piana dei Greci *dioecesis Montis Regalis in Sicilia cum dignitate Proto-papae curam animarum habentis,* XVI. *canonicis adiuvantibus in novo capitulo facultatem concedit statuta propria condendi, eiusque dotationem statuit, et novam institutionem exequendam Archiepiscopo Montis Regalis committit.*

Venerabili fratri, Archiepiscopo Montis Regalis,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Incumbentes in eam curam, ut Dei cultus efflorescat ubique magis, salutique animarum consulatur, libenter preces accepimus nobis porrectas a dilectis filiis hominibus et communitate oppidi seu terrae *Piana de' Greci* nuncupatae, quae ex deductis in Siciliam Graecis coaluit, ritumque Graecorum catholicorum retinet. Id siquidem illi apud nos precibus urgebant, ut, quum in eorum colonia ecclesia matrix et parochialis S. Demetrii martyris assurgat, cuius spirituali iurisdictioni viri mulieresque ad sex millia subiiciuntur, nec pares sint agro illi excolendo archipresbyter ac sacerdotes adiutores terni, quorum vigilantiae ac fidei plebs tota concreditur, sacerdotum, eum gregem curantium, numerum, erecto ibidem canonicorum collegio, augeamus. Iustis et ad incrementum pietatis pertinentibus votis libenter annuimus: quum praesertim carissimus in Christo filius

Ferdinandus utriusque Siciliae rex suas quoque in id preces adderet, nec verbis tantum petitioni isti suffragaretur, sed, quo est in rem catholicam studio, ecclesiae illius redditus sua amplificatos beneficentia vellet, ut canonicorum collegium, auctoritate nostra erigendum, alatur. Sed, quia multa erant accurato libranda examine per nostram congregationem rebus consistorialibus praepositam prius quam res ad exitum perduceretur; hinc, negotio in praedicta congregatione discusso, per decretum, quod, referente dilecto filio magistro Raphaele Matio, eiusdem secretario, die octava mensis novembris anni huius emisimus, perficiendi operis formam rationesque praescripsimus.

Erectio collegiatae in ecclesia S. Demetrii martyris.

§ 2. Illi igitur decreto inhaerentes, et praedictos exponentes ac singulares personas, quibus praesentes literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati mandamus, ac volumus, ut in oppido seu terra *Piana dei Greci* nuncupata matrix ac parochialis ecclesia S. Demetrii martyris ritus graeco-catholici (praevia suppressione tituli collativi archipresbyteratus, aliorumque, si quae sunt, beneficiorum quovis nomine nuncupatorum, a quibus animarum cura exercetur) erigatur in collegiatam eiusdem graeco-catholici ritus, quae etiam parochialis maneat, cum suo capitulo, choro, arca et sigillo communibus, gaudeatque omnibus et singulis iuribus, privilegiis et exemptionibus, prout aliae eiusdem ritus collegiatae ecclesiae, quae parochiales etiam sunt, non tamen titulo oneroso seorsum acquisitis iis utuntur et gaudent.

Nominatio dignitatis, et assignatio curae animarum.

§ 3. Iubemus itidem in hoc novo capitulo matricis et parochialis ecclesiae graeco-catholicae Coloniae una tantum dignitas constituatur sub titulo archipresbyteri, qui graecae proto-papa dicitur. Huic in praedicta ecclesia animarum cura, atque adeo servandae augendaeque fidei catholicae cura committetur. Huiusmodi vero munus in praesentiarum adiicietur actuali archipresbytero sacerdoti Georgio Motranga absque ulla nova provisione et apostolicarum literarum expeditione, et una cum omnibus privilegiis ac iurisdictionibus eidem ipsi, ut asseritur, concessis in literis institutionis sui actualis archipresbyteratus in civitate Montis Regalis die XXV. septembris anni MDCCCIV. expeditis. Praeter archipresbyteralem dignitatem sexdecim numero in eadem ecclesia canonicatus erigimus cum totidem praebendis, prout infra dicetur, qui per turnum, ut graeco-catholica Orientis disciplina fert, archipresbytero, seu proto-papae, praesto erunt in animarum cura, in sacramentis administrandis, in pueris ad christianam religionem informandis, in aegrotis praesertim in mortis periculo constitutis ope adiuvandis, in iis denique omnibus exequendis, quae continentur in eucologio a fel. rec. Bened. PP. XIV. praedecessore nostro reformato, ac typis Congregationis de Propaganda Fide Romae impresso anno MDCCLIV., quaeque ad suscepti muneris rationem pertinent, cum dependentia tamen ab archipresbytero, cuius officio cura est animarum annexa.

Deputatio inservientium.

§ 4. Decernimus insuper in eodem hoc capitulo, arbitrio tuo, venerabilis frater Archiepiscope Montis Regalis, tuorumque pro tempore successorum, eligi septem sacerdotes inservientes nuncupatos, quibus, occurrente vacatione alicuius ex praedictis canonicatibus, ad hunc ipsum canonicatum patebit adscensus et optio per maiorem secretorum capituli suffragiorum numerum. In canonicorum autem electione ii reliquis sacerdotibus inservientibus erunt praeferendi, qui in graeco Seminario Panormitano alumni sacrae Theologiae, linguae graecae literalis, sac. disciplinae, et rituum orientalis ecclesiae cursum, Panormitano Archiepiscopo testante, confecerint.

Dotatio capituli.

§ 5. Cum a communi *della Piana dei Greci* nuncupata annua nunc cuique ex tribus sacerdotibus archipresbyterum adiuvantibus unciarum quindecim congrua constituta reperiatur, ex quo quadraginta quinque unciarum summa coalescit, haec quoad trigintaquinque unciarum summam in tres partes dividetur, quarum prima archipresbytero, altera canonicis, tertia demum inservientibus tribuetur. Decem vero, quae ex quadragintaquinque superant, famulo cuidam stipendio erunt, ut nempe antedictis archipresbytero et canonicis in ecclesia parochiali et collegiata deserviat. Haec autem nova communalis congrua distributio sequenti regiae dotationis fundo adiicietur. Accidit sane percommode, ut carissimus in Christo filius Ferdinandus utriusque Siciliae rex pium consilium ceperit decori il-

ius ecclesiae coloniaeque illius spiritualis utilitati prospiciendi. Propterea factum est, ut regia munificentia ac iussu ex redditibus praelaturae Montis Regalis, sive eius mensae, qui supersunt, quique ex concessione apostolica, uti asseritur, ad eius nutum in piis usibus ac dispositionibus erogandi sunt, summam annuam quadringentarum unciarum favore novae huius collegiatae per nos erigendae libenter decreverit. Quam quidem annuam quadringentarum unciarum summam novo huic capitulo integram et absque ullo pondere addicimus, et applicamus perpetuo, ut inter dignitatem praedictam, aliosque capitulares convenienti eo, quo libuerit, modo, habita etiam ratione expensarum ecclesiae, per infrascripta capituli statuta designando, dividatur et assignetur.

Reservatio iuris nominandi capitulares favore regis utriusque Siciliae.

§ 6. Et attenta praedicta regia dotatione, carissimo in Christo filio Ferdinando utriusque Siciliae regi eiusque successoribus indulgemus, ut in casu vacationis praedictae archipresbyteratus dignitatis, sive proto-papae, exerceant ius nominandi ad eam dignitatem personam ex eis, quae, iuxta Concilii Tridentini praescriptum, per concursum institutum in curia archiepiscopali Montis Regalis, huic muneri subeundo idoneae repertae fuerint. Praeterea eidem futuro capitulo dictae collegiatae facultatem facimus condendi, licita tamen et honestati convenientia, statuta circa ea omnia, quae respiciunt huiusmodi collegiatae graeci ritus servitium, distributiones respectivarum praebendarum inter dignitatem, aliosque capitulares ac novi capituli caeremonias et habitum, quae consilio et opera venerabilis fratris Francisci Chiarchiaro graeci ritus orthodoxi Episcopi Lampsacensis in partibus adamussim elaborata et praefinita a Congregatione de Propaganda Fide erunt in posterum approbanda. Fraternitati vero tuae per praesentes committimus et mandamus, ut praedictum archipresbyteratum, canonicatus et sacerdotum inservientium officia in eadem matrice ecclesia cum supra expressis praebendis et conditionibus auctoritate nostra stabilias, nec non memoratam ecclesiam esse deinceps collegiatam decernas atque declares cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus et praeeminentiis, quibus aliae collegiatae ab hac Apostolica Sede legitime declaratae de iure, usu et consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, seu gaudere poterunt.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Decernentes has praesentes literas, quas per nostram brevium secretariam hac vice expediri mandavimus, firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos spectant et pro tempore quandocumque spectabunt, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. novembris MDCCCXX. pontificatus nostri anno XXI.

XCIII.

Confirmat privilegia alias concessa a S. M. Gregorio XV. favore monachorum Ordinis S. Bened. Reformatorum apud Helvetios.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Eos Romani Pontifices privilegiis ditant, quorum in agro Domini excolendo assidua est ac commendationem meretur industria.

Memorantur privilegia olim concessa.

§ 2. Idcirco, quum mira iam eluxisset pietas et catholicae rei promovendae studium in abbatibus et monachis monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Reformatorum nuncupatorum apud Helvetios; eorum ut meritis praemia persolveret, fel. rec. Gregorius XV. praedecessor noster per literas datas sub annulo piscatoris die XX. maii anni MDCXXII., privilegiis et immunitatibus illos pluribus exornavit. Quae quidem privilegia fel. pariter record. Urbanus VIII. praedecessor noster per similes literas datas die XXX. martii an. MDCXXIV. firma habuit ac rata; mox autem per alias huiusmodi literas datas die IX. septembris

anni MDCXXVI. in maius extulit, novisque accessionibus locupletavit, strenua eorum opera in catholicae religionis tuitionem commemorata. Nuper autem Eixsidlensis abbas ac monachi, eam ad congregationem pertinentes, demissis precibus a nobis petiere, ut privilegiis et indultis, quibus eorum congregatio ab iisdem praedecessoribus nostris aucta est et ornata, auctoritatis nostrae pondus nostramque confirmationem addamus.

Tenor apostolicae confirmationis.

§ 3. Nos vero, qui Ecclesiae ac nobis nova semper et illustriora experimenta pietatis ab eorum alacritate ac fortitudine pollicemur, illos propterea specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, omnia et singula quae in praedictis Gregorii XV et Urbani VIII. praedecessorum nostrorum continentur literis, privilegia, indulta, immunitates et concessiones confirmamus, nostraque apostolica auctoritate roboramus; ita ut perpetuae maneant, ac propriae abbatibus, monachis et fratribus, aliisque religiosis personis quibuscumque monasteriorum Ordinis S. Benedicti reformatorum nuncupatorum apud Helvetios, eorumque ecclesiis ac monasteriis; nec amittantur nisi ab illis vel monachis vel monasteriis, qui ab ea se congregatione sponte divulserint.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostoliclis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, nec non cancellariae nostrae regulis. Volumus tamen ut constitutio fel. record. Clementis XII. praedecessoris nostri, edita III. kalendas aprilis anno millesimo septingentesimo trigesimo secundo, integra atque inviolata servetur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVI. ianuarii MDCCCXXI. pontificatus nostri anno XXI.

XCIV.

Insulam Anticostis et partem terrae Labradoris ab archidioecesi Quebecensi separat, ac perpetuo iurisdictioni Vic. Ap. Terrae Novae tradit.

PIUS PP. VII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam tenet partem ea quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum; siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout, habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Ratio decernendae dismembrationis.

§ 2. Cum Quebecensis dioececis in America septemtrionali, sicut nobis relatum est, tantae sit amplitudinis, ut difficillimum sit eius praesuli pastorales curas extendere ad remotiores vastissimae illius regionis plagas, praesertim vero ad insulam Anticostis et ad eam terrae Labradoris partem, quae vergit ad oram borealem fluminis Sancti Ioannis; cumque propterea venerabilis frater Ioseph Octavius Plessis Archiepiscopus Quebecensis enixe postulaverit, ut tam ea insula, quam praedictae Labradoris pars a Quebecensi dioecesi distracta uniatur vicariatui apostolico insulae Terrae Novae, quae iis propinquior est et cuius praesul facilius et fructuosius potest earum curam gerere:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos spiritualibus christifidelium necessitatibus consulere, praedictique Archiepiscopi Quebecensis votis annuere volentes, ac omnes et singulas personas, quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis,

si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationi Propagandae Fidei praepositorum consilio, audito prius venerabili fratre Thoma Scallan Episcopo Dragonensi Vicario Apostolico Terrae Novae, qui eorumdem locorum curam suscipere assensus est, insulam Anticostis, et supradictam Labradoris partem a Quebecensi dioecesi auctoritate apostolica tenore praesentium dismembramus, et ut ipsae in posterum perpetuo unitae ac subiectae maneant iurisdictioni vicarii apostolici Terrae Novae, qui spiritualia praesidia catholicis ibi morantibus praestare et barbaros haereticosque ad Christi ovile perducere pro viribus curet, auctoritate et tenore praedictis volumus atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae Quebecensis Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris, die I. februarii MDCCCXXI., pontificatus nostri anno XXI.

XCV.

Exposito Syrensis dioecesis in Mari Aegeo perturbato statu, regimen illius ecclesiae committit Archiepiscopo Smyrnensi tamquam ap. visitatori, si Episcopus, Romam vocatus, post mensem obedire renuerit.

Venerabili fratri Archiepiscopo Smyrnensi,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nihil sane molestius afferri poterat nobis, quam quod a venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Congregationis de Propagandâ Fide praepositis nuper accepimus de Ecclesiâ Syrensi in Mari Aegeo, quae in tanta rerum omnium perturbatione versatur, ut, nisi nostrâ et huius Apostolicae Sedis auctoritate opportunum et grave aliquod adhibeat remedium, timendum vehementer sit, ne in extremum schismatis discrimen adducatur. Ex ipsâ namque Syrensi Insulâ atque ex pluribus Orientis civitatibus afferuntur praedictae Congregationi quotidie literae, quibus boni omnes huius S. Sedis auctoritatem implorant, atque auxilium, quanto citius fieri possit, exposcunt. Nobis ac congregationi praedictae persuasum est, malorum omnium causam ipsum esse dioecesis Episcopum venerabilem fratrem Ioannem Baptistam Russin. Elapsi sunt iam viginti duo circiter anni a quo illius ecclesiae Episcopatum assequutus est, ac vigesimus secundus iam fere fluit annus, a quo indignam ordine suo vitae rationem sequitur. Non illi commovendo satis fuere saepe scriptae commonitionis gratiâ praedictae Congregationis epistolae: non ea monita, quae Romam vocatus anno MDCCCXV. accepit tum voce tum scriptis, regendae Ecclesiae suae opportuna, ac vitando scandalo turbisque restinguendis necessaria. Ubi in Insulam rediit, graviori fuit illi ecclesiae detrimento. Brevi enim eo res adducta est, ut, Episcopo arbitratu suo omnia gerente, et sacri canones contemptui publice habiti, et disciplina Ecclesiae ssma eversa penitus videatur. Excitata gravissima est clerum inter et populum discordia; minores Clerici operibus vilibus ac sacrâ vocatione indignis addicti; ecclesiasticae poenae in innoxios pro lubitu Episcopi saepissime latae; haec ipsa Apostolica Sedes eiusdem indocti ac pervicacis Episcopi dicteriis ludibrio effecta.

§ 2. Sperabamus quidem futurum, ut anno MDCCCXIX. venerabili fratre Episcopo Chiensi Francisco Xaverio Dracopoli, cui Insularum maris Aegei apostolica visitatio commissa fuerat, Syram adeunte res componi possit, ac Episcopus ad bonam frugem revocari. Frustra tamen eo se contulit Apo-

stolicus Visitator: tam contumeliose enim, tam acerbe ab Episcopo est exceptus, ut maiori malo vitando opportunius duxerit ab Insulâ discedere, non modo re infectâ, sed ne visitationi quidem initio dato. Ab eo anno Ecclesiae Syrensis conditio deterior evasit: confirmata enim sunt mala iam superius descripta, imo graviora sunt effecta. Iis enim omnibus, tum ex clero tum ex populo, qui Visitatori, ut par erat, excipiendo, ac Visitationi Apostolicae ad exitum perducendae studuerant, censuris et poenis ecclesiasticis ab Episcopo mulctatis, civilem quodammodo bellum excitatum in Insulâ dici potest.

§ 3. Eâ itaque nos, qua universum complectimur Domini gregem, pastorali solicitudine tantis mederi malis cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio auctoritate nostrâ apostolica decrevimus, Episcopum Syrensem praedictum Romam vocandum eâ lege ut, nisi intra mensem a die mandati huiusce recepti ab Insulâ discesserit, suspensionem ipso facto incurrisse intelligatur. Quoniam vero ea, quae relata sunt, gravi timoris argumento sunt, ne Episcopus mandato non pareat et consequenter memoratam poenam ipso facto incurrat, hoc in casu, nos te, de cuius prudentiâ, doctrinâ, pietate, ac religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habemus, Insulam Syrensem praedictam adire volumus, ac episcopalis ecclesiae Syrensis Visitatorem cum iis facultatibus, quas haberes, si Episcopus praedictae ecclesiae esses, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eligimus et deputamus, donec a nobis et Apostolicâ hac Sede aliter provideatur, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus ac singulis, ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut tibi in praemissis prompte faveant et assistant, tuaque salubria monita humiliter excipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris vel statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die x. aprilis MDCCCXXI., pontificatus nostri anno XXII.

XCVI.

Erigit Episcopatum Cincinnatensem in America Septentrionali qui provinciam Ohio *complectatur, quam separat ab episcopatu Bardensi; eiusque Episcopum constituit Eduardum Fenwich Ordinis Praedicatorum, eique administrationem etiam committit cum eâdem auctoritate adiacentium provinciarum Michigan et Northwest.*

Dilecto filio Eduardo Fenwich fratrum Ordinis Praedicatorum professori in novum Episcopum Cincinnatensis Ecclesiae electo,

PIUS PP. VII.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus nostri curas non exiguam tenet partem ea, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum: siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout habitâ temporum ac circumstantiarum ratione fidelium utilitati conducere dignoscimus. Quum autem, sicut accepimus, in regionibus, quae Kentuckio in foederatis Americae provinciis conterminae sunt, ita catholicorum numerus, divinâ favente gratiâ, sit auctus, ut Bardensis Episcopus, cuius administrationi terrae illae commissae fuerunt, tum locorum distantiâ, tum operariorum paucitate, earum curam iam gerere nequeat; nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio huiusmodi necessitatibus prospicere cupientes, statuimus atque decernimus, ut nova Episcopalis Ecclesia in civitate Cincinnati, quae totam Ohio provinciam complectatur, erigeretur, prout auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in novam Episcopalem Ecclesiam Cincinnatensem cum omnibus iuribus et praerogativis iuxta sacros canones ac facultatibus tum ordinariis tum extraordinariis Episcopis pro tempore concedendis, quae ceteris earumdem provinciarum Episcopis concedi solent, erigimus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX. iunii MDCCCXXI., pontificatus nostri an. XXII.

XCVII.

Circumscriptio dioecesium regni Borussici.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. De salute animarum, deque catholicae religionis incremento pro apostolicae servitutis officio impense solliciti, curas nostras continuo intendimus ad ea omnia quae Christifidelium spirituali regimini procurando magis apta et utilia comparare posse dignoscamus. Hoc sane consilio iamdiu cogitationes nostras praecipue intendimus in regiones illas, quae actu dominatui subsunt serenissimi principis Friderici Guillielmi Borussorum regis, ut illius intercedente ope ac liberalitate rem sacram ibidem meliori, qua fieri posset, methodo componere valeremus.

Ratio edendae constitutionis.

§ 2. Probe siquidem nobis ante oculos versabatur praesens regionum illarum ratio, nec umquam deplorare cessaverimus ingentia damna promanata ex praeteritis rerum perturbationibus, quae florentissimas olim atque ditissimas Germaniae ecclesias a veteri, quo praestabant, splendore deiectas, ac bonorum praesidio spoliatas ad miserrimum redegerant statum, ex quo summa in catholicam religionem, et in catholicos ipsos, pernicies promanavit.

Idem ut supra.

§ 3. Cumque temporum conditio minime pateretur inclytae nationis Germanicae ecclesias ad splendidum antiquum statum aspicere revocatas, omne studium diligentiamque adhibuimus, ut tantis malis ea saltem pararemus remedia, quae ad conservandam illis in regionibus catholicam fidem et ad animarum Christifidelium salutem procurandam in primis necessaria et opportuna esse viderentur.

Idem ut supra.

§ 4. Huiusmodi autem votis nostris mirifice obsecundavit laudatus Borussorum rex, cuius propensam admodum invenimus et grato animo prosequimur voluntatem in catholicos magno numero sibi subditos, praesertim ex ei attributa grandi parte provinciarum ad Rhenum, ita ut omnia tandem fausto felicique exitu componere ac pro locorum positione atque incolarum commoditate novum in Borussiae regno ecclesiarum statum et dioecesium limites nunc constituere, singulasque deinde sedes, ubi deficiant, propriis, dignis et idoneis pastoribus donare valeamus.

Suppressio nonnullar. sedium episcopalium, et abbatialium.

§ 5. Pro expressis igitur, ac de verbo ad verbum insertis habentes omnibus iis, quae respiciunt infradicendas vel ecclesiarum et capitulorum, eorumque peculiarium anteriorum iurium ac praerogativarum extinctionem aut immutationem seu reordinationem, ac respectivarum dioecesium dismembrationem seu novam applicationem, nec non cuiuscumque praecedentis iuris metropolitici annullationem, et insuper quorumcumque interesse habentium consensui plenarie supplentes, ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praevia ex nunc omnimoda suppressione, extinctione et annullatione vacantis episcopalis sedis Aquisgranensis cum illius cathedrali capitulo, ad statum simplicis collegiatae, ut infra, reducendo, atque alterius episcopalis ecclesiae et capituli cathedralis Corbeiensis, nec non monasterii abbatiae nuncupatae Neocellensis vulgo « Neuenzell », ex nunc, itemque alterius monasterii abbatiae pariter nuncupatae Olivensis, ex nunc pro tunc, quando scilicet ex persona venerabilis fratris Iosephi de Hohenzollern Episcopi Warmiensis modeni abbatis Olivensis quomodocumque vacaverit; ut communia quoque Germanorum vota, regiis etiam aucta commendationibus, beni[illegible]o favore prosequamur, ad omnipotentis Dei gloriam et ad honorem beati Petri Apostolorum principis, Coloniensem ecclesiam iam antea inter Germaniae sedes nulli antiquitate ac splendore secundam, sub invocatione laudati principis Apostolorum, ad metropolitanae ecclesiae gradum restituimus, ac in illo perpetuo constituendam esse decernimus, eidemque metropolitanae suffraganeas assignamus episcopales ecclesias Trevirensem, Monasteriensem atque Paderbornensem.

Erectio ecclesiae episcopalis Posnaniensis in archiepiscopalem.

§ 6. Episcopalem pariter ecclesiam Posnaniensem sub invocatione sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, ad sedis metropolitanae gradum extollimus ac constituimus; eamdemque alteri archiepiscopali ecclesiae Gnesnensi sub invocatione Sancti Adalberti per dimissionem venerabilis fratris Ignatii Raczinsky ultimi illius Archie-

piscopi in manibus nostris libere factam, et per nos admissam, ad praesens vacanti aeque principaliter perpetuo unimus et aggregamus, ac venerabili fratri Timotheo Gorszenski moderno Episcopo Posnaniensi curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Gnesnensis plenarie committimus, eumdemque Archiepiscopum Gnesnensem ac Posnaniensem constituimus et deputamus, et Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem semper esse et appellari mandamus, eiusque iuri metropolitico episcopalem ecclesiam Culmensem suffraganeam assignamus.

Sedes eidem subiectae.

§ 7. Episcopales vero ecclesias Wratislaviensem ac Warmiensem huic Sanctae Sedi perpetuo immediate subiectas esse ac remanere debere declaramus.

Iura Archiepiscopo et Episcopo concessa.

§ 8. Singulis autem Archiepiscopis et Episcopis omnia et singula iura, praeeminentias, praerogativas ac privilegia aliis illorum partium Archiepiscopis et Episcopis legitime competentia tribuimus et confirmamus.

Deputatio dignitatum capituli eccl. Coloniensis.

§ 9. Quod spectat ad capitulum metropolitanae ecclesiae Coloniensis, in eo duas erigimus dignitates, praeposituram videlicet, quae maior erit post pontificalem, ac decanatum secundam, decem canonicatus numerarios et quatuor canonicatus honorarios, ac praeterea octo vicarias seu praebendatus.

Idem pro capit. Gnesnensi.

§ 10. Archiepiscopalis ecclesiae Gnesnensis capitulum constabit imposterum ex unica dumtaxat praepositi dignitate, et ex numero sex canonicatuum. Alterius vero Posnaniensis archiepiscopalis ecclesiae capitulum efformabunt duo dignitates, praepositi videlicet ac decani, octo canonicatus numerarii et alii quatuor canonicatus honorarii, nec non octo vicariae seu praebendatus.

Idem capitulorum Trevirensis et Paderbornensis.

§ 11. Cathedralium ecclesiarum Trevirensis atque Paderbonensis respectivum capitulum constabit ex duabus dignitatibus, una nempe praepositi ac altera decani, ex octo canonicatibus numerariis, et quatuor canonicatibus honorariis atque ex sex vicariis seu praebendatis.

Idem capituli Monasteriensis.

§ 12. In cathedrali ecclesia Monasteriensi capitulum constituent binae dignitates, maior nempe praepositurae ac secunda decanatus, et octo vicariae seu praebendatus.

Idem capituli Culmensis.

§ 13. Culmensis cathedralis ecclesiae capitulum constabit ex binis dignitatibus, praepositurae videlicet ac decanatus, ex octo canonicatibus numerariis, ex quatuor honorariis canonicatibus, et e sex vicariis seu praebendatis.

Idem capituli Wratislaviensis.

§ 14. Cathedralis ecclesiae Wratislaviensis capitulum efformabunt duo dignitates, una videlicet praepositurae et altera decanatus, decem canonicatus numerarii, quorum primus scholastici praebendam adnexam habebit, sex canonicatus honorarii, atque octo vicariae seu praebendatus.

Idem capituli Warmiensis.

§ 15. Demum quod attinet ad episcopalem ecclesiam Warmiensem, illius cathedrale capitulum in eo quo nunc reperitur statu consistet; reservata tamen nobis ac Romanis Pontificibus successoribus nostris facultatibus capitulum ipsum ad aliarum in regno Borussico existentium ecclesiarum normam imposterum conformandi.

Concessio curae animarum penes capitulum relictae.

§ 16. Porro in qualibet ex antedictis ecclesiis tam archiepiscopalibus quam episcopalibus animarum parochianorum cura habitualis residebit penes capitulum, actualis vero ab uno e capitularibus ad hoc expresse designando, et praevio examine ad formam sacrorum canonum ab Ordinario approbando, cum vicariorum auxilio exercebitur; ac in unoquoque ex iisdem capitulis duo ab Ordinario stabiliter deputandi erunt idonei canonici, a quorum uno poenitentiarii, ab altero vero sacram scripturam statis diebus populo exponendo theologi respective munera fideliter adimpleantur.

De residentia canonicorum.

§ 17. Singulis profecto ex primodictorum capitulorum canonicis honorariis, quos ad personalem residentiam et ad servitium chori minime obligatos esse declaramus, idem cum residentibus canonicis aditus ad chorum et ad caeteras ecclesiasticas functiones patebit; nosque ad maius praedictarum ecclesiarum decus ac splendorem omnibus antedictis dignitatibus et canonicis indultum utendi iisdem insigniis, quibus antea fruebantur, expresse confirmamus, et quatenus opus sit de novo concedimus et elargimur.

Ius capitulis concessum condendi statuta.

§ 18. Cuilibet similiter ex supradictis capitulis cathedralibus nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro novo et circumstantiis magis accommodato earumdem archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum earumque chori quotidiano servitio, nec non rerum ac iurium tam spiritualium quam temporalium prospero felicique regimine, gubernio ac directione onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum et aliorum quorum-

cumque emolumentorum exactione ac divisione, et poenarum incurrendarum a non interessentibus divinis officiis incursu, singulorum praesentiis et absentiis notandis, caeremoniis ac ritibus servandis, et quibusvis aliis rebus circa praemissa necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen atque honesta, et sacris canonibus, constitutionibus apostolicis decretisque Concilii Tridentini minime adversantia, sub praesidentia, inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere, atque edita declarare et interpretari, ac in meliorem formam redigere et reformare, seu alia de novo, ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observanda, sub poenis in contrafacientes statuendis pariter condere atque edere libere ac licite valeant, facultatem perpetuo concedimus et impertimur.

De conditionibus necessariis pro assequendis dignitatibus et praebendis.

§ 19. Dignitatum, canonicorum et vicariorum seu praebendatorum numero tam in metropolitanis, quam in cathedralibus capitulis ut supra praefinito, ad ea tam pro hac prima vice, quam pro futuris temporibus componenda statuimus, ut in posterum quilibet ad dignitates et canonicatus assequendos infrascriptis ornatus esse debeat requisitis, nempe quod maiores sacros ordines susceperit, utilemque ecclesiae operam saltem per quinquennium navaverit, vel in animarum cura exercenda aut adiuvanda sese praestiterit, vel theologiae aut sacrorum canonum professor extiterit, vel alicui in regno Borussico existenti Episcopo in dioecesanae administrationis munere inservierit, vel demum in sacra theologia aut in iure canonico doctoratus lauream rite fuerit consequutus: postremae tamen huiusce conditionis effectu ex iustis gravibusque causis per decennium a data praesentium computandum in suspensum remanente. Cuiuscumque vero conditionis ecclesiasticos viros aequali iure ad dignitates et canonicatus obtinendos gaudere debere decernimus; itemque statuimus unam in Monasteriensi, ac alteram in Wratislaviensi cathedralibus ecclesiis canonicalem praebendam designandam, et ab eo, ad quem iuxta mensium alternativam pertinebit, semper et quandocumque conferendam esse uni et alteri canonica requisita habentibus ex professoribus universitatum in dictis respectivis civitatibus existentium; atque ulterius decernimus tam praepositum parochialis ecclesiae Sanctae Hedwigis civitatis Berolinensis, quam decanum commissarium ecclesiasticum in comitatu Glacensi pro tempore existentes inter honorarios canonicos Wratislaviensis cathedralis capituli esse cooptandos; ita ut pari cum iis fruantur iure, locum illum atque ordinem tenentes, qui secundum respectivae nominationis tempus ipsis competere dignoscatur. Quilibet autem ex canonicis honorariis in unumquodque ex antedictis capitulis cooptandus sumendus erit ex numero archipresbyterorum animarum curam in respectiva dioecesi laudabiliter exercentium.

De nominationibus faciendis ad praebendas vacantes.

§ 20. Quod vero attinet ad novam supradictorum capitulorum pro hac prima vice ea qua convenit celeritate explendam compositionem, infranominando harum literarum exequutori potestatem facimus, ut in unaquaque ecclesia tam dignitates et canonicatus, quam vicarias, seu praebendatus actu vacantes, quae ad aequandum numerum ut supra designatum fortasse deficient, dignis et idoneis ecclesiasticis viris ex delegata sibi speciali apostolica facultate, ac huius Sanctae Sedis nomine, conferat; ita tamen ut ii dumtaxat, qui de dignitatibus et canonicatibus ab ipso provisi fuerint, apostolicas novae provisionis et confirmationis literas infra sex menses ex tunc proximos a dataria nostra impetrare et expedire facere teneantur. Et si contingat, quod in aliqua ex metropolitanis vel cathedralibus in Borussiae regno existentibus ecclesiis dignitates, canonici et vicarii seu praebendati legitime et canonice instituti adhuc viventes respectivum numerum a nobis ut supra praefinitum excedant, praedictus exequutor apostolicus, vocatis auditisque interesse habentibus, aut per voluntarias iurium abdicationes ab illis vel ab illorum aliquibus emittendas rem componat, proviso insimul per congruas vitalitias pensiones iam a serenissimo rege pollicitas dimittentium substentationi, aut si abdicationes huiusmodi minime habeantur, vel sufficientem numerum non attingant, in hoc casu, qui numerum in supradicta nostra dispositione praefinitum excedentes dignitatum, canonicatuum et vicariatuum possessionem postremo loco adepti fuerint, si apud ecclesias suas resideant, capitulares quidem et vicarii respective esse pergent, iuribus et praerogativis nunc iis competentibus fruentur, suosque redditus in ea quantitate percipient, qua in praesens gaudent: sed quando beneficia ab iis obtenta quocumque modo

vacaverint, aliis conferri minime poterunt, atque ex nunc pro tunc suppressa et extincta debeant intelligi, ad hoc ut deinceps praefixus ut supra numerus in respectivis capitulis adamussim observetur. Quod si in aliquo capitulo canonici minoribus in praesentiarum fruantur redditibus, quam qui futuris eorum loco assignantur, nullum isti reddituum augmentum consequantur, nisi ab exequutore apostolico singillatim similibus amplioribus redditibus donati fuerint.

Idem ut supra.

§ 21. Futuro autem tempore, ac successivis vacationibus a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris praepositura, quae maior post pontificalem dignitas in suprамemoratis archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis, necnon in ecclesia Aquisgranensi in collegiatam ut infra erigenda, itemque canonicatus in mensibus ianuarii, martii, maii, iulii, septembris, ac novembris in praefatis ecclesiis vacantes conferentur, quemadmodum in capitulo Wratislaviensi hactenus factum est: quo vero ad decanatus in praedictis metropolitanis et cathedralibus ecclesiis et ad canonicatus tam in ipsis, quam in dicta Aquisgranensi ecclesia in collegiatam erigenda in aliis sex mensibus vacantes ab Archiepiscopis et Episcopis respective conferentur. Vicariatus autem seu praebendatus in praedictis ecclesiis quocumque mense vacaverint, respectivorum Archiepiscoporum et episcoporum collationi relinquimus.

Declarationes circa ius electionis super ecclesiis Transrhenanis et Cisrhenanis.

§ 22. Rem denique Germaniae gratissimam, simulque praelaudato Borussiae regi acceptissimam nos esse facturos iudicantes, si electionum iure in Transrhenanis ecclesiis retento ac confirmato, et in Cisrhenanis cessato per apostolicas dispositiones anni millesimi octingentesimi primi nunc in ipsis Cisrhenanis dioecesibus praefati regis temporali dominio subiectis idem ius electionis redintegretur quoad capitula ecclesiarum ad Germaniam pertinentium, nempe Coloniensis, Trevirensis, Wratislaviensis, Paderbonensis et Monasteriensis, decernimus ac statuimus quod alia quacumque ratione vel consuetudine, nec non electionis et postulationis discrimine, nobilitatisque natalium necessitate sublatis, capitulis praedictis, postquam supradicta methodo constituta et ordinata erunt, facultatem tribuimus, ut in singulis illarum sedium vacationibus per Antistitum respectivorum obitum extra Romanam Curiam, vel per earum sedium resignationem et abdicationem (excepto tamen praesenti casu vacationis Coloniensis ac Trevirensis ecclesiarum) infra consuetum trimestris spatium dignitates et canonici capitulariter congregati, et servatis canonicis regulis, novos Antistites ex ecclesiasticis quibuscumque viris regni Borussici incolis, dignis tamen, et iuxta canonicas sanctiones idoneis, servatis servandis ad formam sacrorum canonum eligere possint. Ad huiusmodi autem electiones ius suffragii habebunt canonici tam numerarii quam honorarii, ne exclusis quidem illis, qui ultra capitularium numerum in hac reordinatione praefinitum quoad vixerint in ipsis capitulis conservabuntur.

De electionibus faciendis in capitulis Gnesnensi et Posnaniensi.

§ 23. Nihil vero in capitulis episcopalium ecclesiarum Warmiensis et Culmensis, nec non archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis invicem perpetuo unitarum innovantes, mandamus dumtaxat, ut Gnesnenses et Posnanienses capitulares ad Archiepiscopi electionem coniunctim debeant procedere. Quod autem spectat ad vacantem episcopalem ecclesiam Wratislaviensem, specialem potestatem facimus quinque actu in illa existentibus dignitatibus, nempe praeposito, decano, archidiacono, scholastico, et custodi, octo canonicis residentibus, et sex canonicis honorariis, qui nunc eius ecclesiae capitulares habentur, ut ad novi Episcopi electionem canonicam modo et forma praemissis hac etiam prima vice procedere possint et valeant.

De instrumentis ad Sedem Apost. transmittendis.

§ 24. Quaelibet vero electionum huiusmodi instrumenta in authentica forma exarata ad Sanctam Sedem de more mittentur, a qua si electio canonice peracta agnoscetur, et ex processu inquisitionis deinde a Romano Pontifice in singulis casibus alicui ex Archiepiscopis, vel Episcopis, intra fines regni Borrussici existentibus committendo, et ad formam instructionis iussu san. mem. Urbani VIII. praedecessoris nostri editae diligenter exarando, de electi idoneitate constiterit, electiones huiusmodi a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris iuxta statutum morem per apostolicas literas confirmabuntur.

De seminariis in singulis novis ecclesiis erigendis.

§ 25. In singulis praeterea civitatibus tam archiepiscopalibus quam episcopalibus unum clericorum seminarium vel conservandum, vel de novo quamprimum erigendum esse statuimus, in quo is clericorum numerus ali atque ad formam decretorum sacri Concilii Tridentini institui ac educari debeat, qui respectivarum dioecesium amplitudini et necessitati respondeat, quique

ab exequutore praesentium literarum congrue erit praefiniendus: Archiepiscopi tamen Gnesnensis et Posnaniensis iudicio et prudentiae relinquimus, vel in utraque civitate proprium ac distinctum, vel unum tantum in Posnaniensi civitate, quae amplis aedibus constat, pro clericis ambarum dioecesium seminarium constabilire, prout ecclesiarum ipsarum utilitas postulaverit.

Dismembratio nonnullor. locorum et paroeciarum.

§ 26. Volentes nunc, praevia dismembratione, separatione atque immutatione nonnullorum locorum et paroeciarum a priorum Ordinariorum iurisdictione subtrahendarum ad effectum illa et illas dioecesibus infrascriptis noviter aggregandi atque incorporandi, prout magis in Domino opportunum visum fuerit, et auditis etiam venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationi de propaganda Fide praepositis, ad novam dioecesium circumscriptionem procedere, ut singularum distinctis finibus quaestiones omnes auferantur circa spiritualis iurisdictionis exercitium, earum distributionem, ac divisionem de apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praescribimus iuxta eum qui sequitur modum, videlicet:

Efformatio dioecesis Coloniensis.

§ 27. Metropolitanae ecclesiae Coloniensis dioecesis efformabitur ex paroeciis sexcentum octoginta sex partim in sinistra, partim in dextera Rheni ripa positis. Et in sinistra quidem complectetur paroecias omnes pridem in suppressa ad praesens Aquisgranensi dioecesi contentas, quae ad provincias pertinent Coloniensem, Dusseldorphinam et Aquisgranensem, nempe, ultra paroecias civitatum Coloniae et Aquisgrani, ecclesias cantonales nuncupatas, Bergheimerdorff, Bonna, vulgo Bonn, Bruhl, Kerpen, Lechenich, Lessenich, Loevenich, Meckenheim, Munster, Eiffel, Tolbiacum, vulgo Zulpich, Crefeld, Dahlen, Dormagen, Elsen, Gladbach, Neuss, Urdingen, Viersen Bortscheid, Marcodurum, vulgo Duren, Erkelenz, Eschweiler, Geilenkirchen, Gemumd, Heinsberg, Iuliacum, vulgo Iulich, Linnig, Montjoie et Niddeggen, una cum earum ecclesiis succursalibus et adnexis, quae in dictis provinciis intra Borussici regni fines modo inveniuntur, a cantonalibus disiungendo paroecias succursales et adnexas extra regnum positas, et vice versa succursales et adnexas pridem pendentes a cantonalibus positis extra regnum aggregando cantonalibus in regno existentibus. Complectetur praeterea cantonales ecclesias ad Leodiensem dioecesim pertinentes, ac temporariae administrationi moderni vicarii capitularis Aquisgranensis ab Apostolica Sede commissas, videlicet ecclesias cantonales nuncupatas, Cronenburg, Eupen, Malmedy, Niederkruchten, Schleiden, et S. Vith, una cum earum succursalibus, et adnexis in Borussica ditione sitis, ac sex paroeciis succursalibus nuncupatis, Afden, Alsdorff, Merkstein, Rolduc, Ubach et Welz, modo dependentes a cantonali, Herckraedc, posita extra regnum Borussicum. Insuper complectetur novendecim provinciae Aquisgranensis ad Trevirensem dioecesim usque nunc pertinentes paroecias nuncupatas, Allendorf, Blankenhein a Dollendorf, Hollerath, Lommersdorf, Manderfeld, Marmagen, Mulheim, Nettersheim, Reifferscheid, Rescheid, Ripsdorff, Rohr, Schmittheim, Schonberg, Steinfeld, Tondorff, Udelhoven et Wildenburg, cum suis adnexis ecclesiis. In dextera autem Rheni ripa provinciisque Coloniensi, Dusseldorphina, et Confluentina paroecias complectetur regionum Tuitiensis, Dusseldorphinae, Essensis et Siegburgensis, cum earum succursalibus et adnexis, demptis tamen paroecia Romershagen, Paderbonensi dioecesi ut infra applicanda, nec non paroeciis Hachenburg et Marienstadt nuncupatis, quae in ducatu Nassaviae reperiuntur.

Constitutio dioecesis Trevirensis.

§ 28. Dioecesis episcopalis ecclesiae Trevirensis ab omni metropolitico iure Archiepiscopi Mechliniensis subtractae, ac metropolitanae Coloniensis suffraganeae adsignatae, constabit infra regni Borussici fines ex paroeciis sexcentum triginta quatuor, scilicet in sinistra Rheni ripa ex iis omnibus, quae actu ad illam dioecesim pertinent et provincia Trevirensi continentur; tum vero ex ea suppressae nunc dioecesis Aquisgranensis parte, quae in Confluentina provincia continetur, videlicet civitate ipsa Confluentiae et ecclesiis cantonalibus nuncupatis Ahdenau, Ahrweiler, Andernach, Boppard, Gastellaun, Cochem, Creutznach, Kaysersesch, Kirchberg, Kirn, Lutzerath, Mayen, Munstermayfeld, Niederzissen, Oberwesel, Polch, Punderich, Remagen, Rubenach, Simmern, Sobernheim, S. Goar, Stromberg, Treiss, Ulmen, Wanderath et Zell, cum suis succursalibus et adnexis; porro autem ex centum triginta duabus paroeciis tum cantonalibus, tum succursalibus cum suis adnexis, quae in circumscriptione anni millesimi octingentesimi primi dioecesi Metensi fuerant attributae, ac de-

inde temporariae administrationi vicarii capitularis Trevirensis ab Apostolica Sede commissa. In dextra vero Rheni ripa ex cunctis ecclesiis ditionis Borussicae, quae pridem ad ipsam Trevirensem dioecesim spectabant, quaeque per Gallicanarum dioecesium circumscriptionem anno millesimo octingentesimo primo a nobis factam ab illa fuerant dismembratae, ac in praesens a Vicario Apostolico in oppido Ehrenbreitstein residente ad nostrum beneplacitum administrantur; tandem vero extra praedictum paroeciarum sexcentum triginta quatuor numerum regnique Borussici fines cunctis illis, quae in territoriis principum Coburgensis, Homburgensis et Oldenburgensis inveniuntur iam ipsi dioecesi Trevirensi pertinentibus.

Item Monasteriensis.

§ 29. Dioecesim episcopalis Monasteriensis ecclesiae suffraganeae metropolitanae Coloniensis efformabunt biscentum octoginta septem paroeciae, intra fines regni Borussici sitae, et aliae quoque extra eiusdem regni fines in eodem dioecesano territorio actu comprehensae, de quibus in aliud tempus disponendi nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris, prout opportunum in Domino iudicabitur, facultatem reservamus. Adiungimus praeterea regiones nuncupatas Recklinghausensem, Sterkrathensem et Reesensem, pridem antiquae Coloniensis dioecesis, exclusa tamen ab hac postrema regione paroecia Oeffelt, sub temporali Belgici regni dominio existente; nec non ex dioecesi Aquisgranensi nunc suppressa cantonales ecclesias nuncupatas Calcar, Cleve, Cranenburg, Dulken, Geldern, Goch, Kempen, Meurs, Rheinberg, Wankum, Wesel et Xanten, cum suis succursalibus et adnexis, exceptis tamen iis dominio rege Belgarum in temporalibus subiectis. Adiungimus insuper paroecias nuncupatas Elten et Emmerich, cum sua filiali, huc usque sub missionibus Hollandicis extantes, itemque paroeciam Damme, quam ab Osnahurgensi dioecesi separamus, et paroeciam Oldenhurgensem, quam seiungimus a missionibus Septentrionalibus, quaeque pertinet ad ditionem ducis Oldenburgensis. Denique moderno ac pro tempore existenti Episcopo Monasteriensi perpetuo regendas et administrandas committimus quinque paroecias nuncupatas Brochterbeck, Ibbenbuhrem, Mettingen, Recke et Halverde, quae suffraganei Osnaburgensis administrationi ad Apostolicae Sedis beneplacitum erant commissae.

Item Paderbornensis.

§ 30. Paderbornensis episcopalis ecclesiae Coloniensis metropolitanae suffraganeae dioecesis iisdem, quibus nunc reperitur, manebit circumscripta limitibus. Illi praeterea adiungimus alteram nunc suppressam dioecesim Corbejensem cum integro suo territorio a venerabili fratre Ferdinando Episcopo Monasteriensi administratam, nec non ex Transrhenano antiquae Coloniensis dioecesis territorio decanatus, Meschedensem, Attendornensem, Brilonensem, Wormbachensem, Medebachensem et Wattenschidensem nuncupatos, cum suis parochialibus et filialibus ecclesiis, pariterque commissariatum Haarensem et paroeciam Romershagen, et ulterius Rittbergensem et Wiedenbruckensem decanatus, cum suis respective parochialibus et filialibus ecclesiis ab Osnabrugensi dioecesi separandos, nec non a dioecesi olim Moguntina postea Ratisbonensi disiungendas paroecias Siegen et Obernetphen nuncupatas, civitatem Heiligenstadt cum suo decanatu, et decanatus Beurensem, Biscoferodensem, Kirchworbensem, Kulstadtensem, Lengefeldensem, Neuendorfensem, Nordhausensem, Rustenfeldensem, Wiesenfeldensem, cum suis parochialibus et filialibus ecclesiis, et civitatem Erfurti cum tribus paroeciis suburbanis, atque paroecias in territorio magni ducis Saxoniae Wimarensis existentes, nec non paroeciam Eppensem extra Borussiae regnum in principatu Waldeccensi ab antiqua Coloniensi dioecesi segregandam; et demum, a missionum Septemtrionalium vicariatu apostolico separandas et a futuris ac pro tempore existentibus Paderbornensibus Episcopis perpetuo administrandas, paroecias Mindensem, scilicet, in Westphalia et in provincia Saxoniae, Adersleben, Althaldensleben, Ammensleben, Aschersleben, Hadtmersleben, ecclesias Sancti Andreae et Sanctae Catharinae Halberstadii, Hamersleben, Hedersleben, Huysburg, Magdeburg, Marienbek, Marienstuhl, Meyendorf, Stendal, Halle et Burg. Attentis autem grandaeva aetate ac egregiis de Ecclesia et de catholica religione meritis venerabilis fratris Francisci Egonis a Furstemberg praestantissimi Hildesiensis ac Paderbornensis praesulis ac missionum Septentrionalium Vicarii Apostolici, ne ipsi novae administrationis onus adiungatur, decernimus et mandamus nihil circa talem Antistitem in praesens esse innovandum, sed cuncta in eo, quo nunc reperiuntur, statu interea relinquendo ante-

dictam Paderbornensis dioecesis ampliationem eo dumtaxat tempore suum effectum sortiri debere, cum episcopali sedi Paderbornensi de laudati Antistitis Francisci Egonis persona quomodocumque vacanti novus Episcopus Apostolicae Sedis auctoritate instituetur. Interea vero omnia loca et paroeciae, quae a Coloniensi et Osnabrugensi dioecesibus ut supra dismembrantur, administrationi peculiaris Vicarii Apostolici a nobis committentur, ut inibi, usque ad Paderbornensis episcopalis sedis vacationem, et futuri novi Episcopi institutionem, exerceat spiritualem iurisdictionem: atque insuper alia loca et paroeciae a dioecesi olim Moguntina, postea Ratisbonensi, disiuncta, et ab Episcopo pridem Corbejensi, nunc Monasteriensi administrata, temporaneae pariter Vicarii Apostolici administrationi tradentur.

Item Gnesnensis et Posnaniensis perpetuo unitarum.

§ 31. Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis invicem perpetuo aeque principaliter unitarum dioeceses efformabunt ea ipsa loca, quae actu in iisdem continentur post novissimam dioecesium regni Polonici a nobis peractam circumscriptionem, exceptis tamen decanatibus Schlochaviensi, Tuchelensi et Camenensi, Culmensi dioecesi ut infra adiiciendis, ac praeterea decanatus Kruszwicensis, Juniuladislaviensis et Gniewckowensis a dioecesi Wladislaviensi separandi, qui ad praesens a Vicario Apostolico Gedanensi administrantur, nec non decanatus Ostrszeszowensis et Kempnensis disiungendi a dioecesi Wratislaviensi. Divisionem autem et assignationem territorii dioecesani pro una et altera dioecesi statuendam, infradicendo praesentium literarum exequutori peragendam expresse committimus.

Idem Culmensis.

§ 32. Dioecesis episcopalis ecclesiae Culmensis suffraganeae Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis constabit ex biscentum quindecim paroeciis, nempe cum suis respective succursalibus et filialibus ecclesiis ex decanatibus Lessensi, Rhedensi, Neumarkano, Loebaviensi, Lautenburgensi, Strasburgensi, Gollubensi, Thorunensi, Culmensi, Culmseensi et Gureznensi, cum paroecia Bialutten nuncupata: quae postremae duae, olim dioecesis Plocensis, a suffraganeo Culmensi in praesens administrantur; itemque ex decanatibus Gedanensi, Puzzigensi, Mirchaviensi, Dirschaviensi, Stargardensi, Moewensi, Neuenburgensi, Schwetzensi, Lauenburgensi, Schlochaviensi, Tuchelensi, Camenensi et Fordonensi: qui decanatus pridem dioecesis Wladislaviensis nunc ab antedicto Vicario Apostolico Gedanensi administratur, nec non ex territorio monasterii abbatiae nuncupatae Olivensis ut supra suppressi ex nunc pro tunc quando ex persona moderni abbatis quomodocumque vacaverit. Et quoniam expositum nobis fuit aptas Culmae deficere domos pro Episcopi et capituli decenti habitatione, facultatem tribuimus apostolico harum literarum exequutori, ut, auditis interesse habentibus, ac re mature perpensa, firmo remanente titulo ac denominatione episcopatus Culmensis, et opportunis assignatis ecclesiis atque aedibus, residentiam Episcopi et capituli Culmensis, si ita in Domino expedire iudicaverit, Pelplinum transferre libere ac licite possit et valeat, proviso insimul congruae cathedralis Culmensis manutentioni.

Item Wratislaviensis.

§ 33. Wratislaviensis episcopalis ecclesiae huic Apostolicae Sedi immediate subiectae dioecesim efformabit actuale illius territorium, exceptis dumtaxat decanatibus Ostrszeszowensi et Kempnensi, dioecesi Posnaniensi ut supra incorporatis, ac insuper decanatus Plessensis et Bythomiensis a Cracoviensi dioecesi disiuncti, nec non sequentes paroeciae in Lusatia, videlicet Neocellensis monasterii nullius ut supra suppressi, et aliae nuncupatae Wittichenau, Gunthorsdort, Hennersdorf, Pfaffendorf, Ublersdorf, a decano collegiatae ecclesiae Sancti Petri oppidi Budissinae in Lusatia superiori hactenus administratae: quae omnes insimul intra fines Borussici regni paroeciae ad sexcentum viginti unius numerum ascendent. Conservabit item illas, quas actu habet in Austriaca ditione paroecias. Futuri praeterea ac pro tempore existentis Wratislaviensis Episcopi administrationi perpetuo subiicimus eas, quae a Vicario Apostolico missionum Septentrionalium fuerunt huc usque administratae paroeciae in civitatibus Berolini, Potsdamii, Spandaviae, Francofurti ad Viadrum, Stettini et Stralsundiae, quaeque inposterum vi subdelegationis Episcopi Wratislaviensis a supramemorato praeposito parochialis ecclesiae Sanctae Hedwigis dictae civitatis Berolinensis erunt administrandae.

Item Warmiensis.

§ 34. Denique Warmiensis episcopalis ecclesiae Apostolicae Sedi pariter immediate subiectae dioecesis ex proprio actuali dioecesano territorio constabit, atque insuper ex decanatibus Fürstenwerderensi, Neuteichensi, Marichburgensi, Stuhmensi et

Christburgensi, cum suis ecclesiis tam succursalibus quam filialibus a dioecesi Culmensi disiungendis, ita ut integra dioecesis centum novemdecim paroecias complectatur.

Iurisdictionis ius super singulis locis Ordinariis concessum.

§ 35. Praedictas itaque civitates et ecclesias archiepiscopales et episcopales, itemque paroecias et loca respectivis ecclesiis pro dioecesi attributa, eorumque incolas utriusque sexus tam clericos quam laicos iisdem ecclesiis eorumque praesulibus pro suis respective civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuo assignamus, et in spiritualibus omnimode subiicimus, ad hoc ut cuilibet Antistiti vel iam promoto, vel in futurum apostolica auctoritate promovendo, liceat per se vel alios eorum nomine, postquam tamen supramemoratus Iosephus Episcopus Warmiensis praesentes literas debitae exequutioni mandaverit, et quoad nonnullas dispositiones nunc pro tunc a nobis factas cum tempus pro illarum exequutione ut supra definitum advenerit, veram, realem, actualem et corporalem possessionem regiminis, administrationis, et omnimodi iuris dioecesani et ordinarii, in praedictis civitatibus ac earum ecclesiis et dioecesibus, nec non bonis aliisque redditibus ad ipsarum dotationem ut infra assignandis vigore literarum apostolicarum canonicae institutionis libere apprehendere, apprehensamque retinere; proptereaque statim ac in locis per hanc nostram dispositionem singulis dioecesibus nunc attributis possessionem sumpserint, illorumque regimen actu consecuti fuerint, omnis antiquorum sub quocumque Ordinariorum, seu vicariorum vel administratoram titulo iurisdictio cessare debebit, omnesque facultates in partibus et locis ab eorum iurisdictione subtractis nullius erunt amplius roboris vel momenti.

Mandatum de communicando documenta.

§ 36. Nos enim ad respectivorum dioecesanorum utilitati consulendum praescribimus et iniungimus, ut omnia et singula documenta respicientia ecclesias, dioeceses, paroecias et loca ut supra dismembrata, ac de novo applicata, a veteribus cancellariis extrahi, et cancellariis dioecesium, quibus erunt incorporata, opportuna forma tradi, atque in iis perpetuo debeant asservari.

Conservatio iurisd. nonnullorum Ordinariorum in regno Borussico.

§ 37. Vicissim autem venerabiles fratres moderni ac pro tempore existentes Pragensis et Olomucensis Archiepiscopi, nec non Episcopi Reginorhadecensis et Litomericensis eamdem, quam nunc exercent, spiritualem iurisdictionem in regno Borussico etiam inposterum conservabunt.

Disiunctio nonnullarum ecclesiarum extra regnum Borussiae positarum.

§ 38. Filiales vero et parochiales ecclesias, earumque fractiones in hac nostra dispositione non comprehensas et extra regnum Borussiae existentes a matricibus et parochialibus in eodem regno positis disiungimus, et a proximioribus ordinariis aliis matricibus et parochialibus ditionum quibus in temporalibus subiacent, applicandas esse mandamus, ac vicissim de paroeciis et filialibus ecclesiis cum suis fractionibus intra Borussicum regnum positis, quae a matricibus extra idem regnum existentibus pendent, idem observandum esse decernimus, reservata nobis et huic Apostolicae Sedi cura de spirituali regimine aliis partibus et locis, si opus fuerit, providendi.

Ampliatio iurium Episcoporum suffraganeorum.

§ 39. Inspectis autem dioecesium Borussici regni amplitudine, ac magno dioecesanorum numero, cum difficile admodum esset Archiepiscopis et Episcopis confirmationis sacramentum christifidelibus administrare, aliaque pontificalia munera sine alterius Episcopi opera et auxilio exercere; hinc nos confirmantes suffraganeatus in dioecesibus regni Borussiae in quibus constituti reperiuntur, eos in Coloniensi ac Trevirensi dioecesibus redintegramus et de novo constituimus: atque idcirco quilibet Archiepiscopus et Episcopus nos et Romanos Pontifices successores nostros iuxta praescriptum morem supplicabit, ut aliquis ecclesiasticus vir opportunis praeditus requisitis ad suffraganei munus designetur, ac praevio canonico processu, servatisque consuetis formis de episcopatu titulari in partibus infidelium cum assuetae congruae adsignatione provideatur.

Privilegia civitati Aquisgranensi concessa.

§ 40. Quoniam vero praeclaram antiquissimam Coloniensem sedem archiepiscopalem duximus redintegrandam potius quam episcopalem sedem Aquisgranensem illius quodammodo loco viginti dumtaxat ab hinc annis erectam conservare; aliquam tamen civitatis Aquisgranensis rationem habendam esse existimantes, cognita etiam in id propensa serenissimi Borussici regis voluntate, decernimus ac statuimus, quod ecclesia sub titulo Beatae Mariae Virginis, antea cathedralis, in collegiatam immutetur, eiusque collegiale capitulum constet ex unica tantum praepositi dignitate et sex canonicatibus, cuius et quorum collatio semper quoad praeposituram Apostolicae Sedi et quoad canonicatus eidem Sedi Apostolicae

alternatim cum Coloniensi Archiepiscopo spectare debeat ac pertinere. Huiusmodi autem capitularibus ex peculiari gratia licentiam deferendi cappam magnam sericam violacei coloris cordulis sericis subsutam cum pellibus armellinis hyemali, aestivo autem tempore mozzettam supra rocchettum concedimus et indulgemus, atque ulterius facultatem condendi statuta iisdem modo et forma, quibus de capitulis cathedralium ecclesiarum supra luculenter dictum est, tribuimus et impertimur.

Deputatio executoris apostolici.

§ 41. In exequutorem praesentium nostrarum literarum praedictum venerabilem fratrem Iosephum Episcopum Warmiensem, de cuius prudentia, doctrina atque integritate plurimam in Domino fiduciam habemus, expresse nominamus, eligimus, constituimus et deputamus, eidemque committimus, ut supradicta omnia et singula a nobis disposita ad praestitutum finem perducat, atque pariter ad effectum vacantes ecclesias de idoneis pastoribus, quae prima necessitas est, cito providendi, et cunctas res ecclesiasticas ad meliorem statum et ordinem revocandi, quaslibet ecclesias congrua et firma dotatione muniri studeat, media ad hoc necessaria benevolentissime ac liberaliter exhibente praelaudato serenissimo Borussiae rege, qui magnanimi principis animum et propensissimam erga catholicos eius imperio subiectos voluntatem pro ordinandis absque ulla mora dioecesibus omnibus regni Borussiae aperte declaravit, et sequentibus ratione ac modo stabilienda et applicanda proposuit.

Creatio censuum super publicis sylvis regni.

§ 42. Super publicis regni sylvis nominatim designandis tot census auctoritate regia imponentur, quot erunt dioeceses dotandae, et in ea respectiva quantitate, ut ex iis annui fructus ab omnibus cuiuscumque generis oneribus prorsus liberi percipi possint, qui satis sint vel ad integram ipsarum dioecesium dotationem, si nullam actu habeant, vel ad supplementum eiusdem dotationis, si partem aliquam suorum bonorum adhuc possideant, ita ut singulae dioeceses eos annuos redditus imposterum habeant, qui redditibus pro archiepiscopali vel episcopali mensa, pro capitulo, pro seminario dioecesano, proque suffraganeo statutis in quantitate singulis inferius designanda perfecte respondeant: atque huiusmodi censuum proprietas per instrumenta in legitima validaque regni forma stipulanda et a praelaudato rege subscribenda unicuique ecclesiae conferetur. Et quoniam enunciatae sylvae, prout et publica bona omnia regni Borussiae, ob aes alienum a gubernio bellorum causa contractum hypoteca gravata sunt, atque ob id super nulla earum parte census imponi, eorumque fructus percipi, salva fide, possunt antequam, imminuta per solutiones a gubernio creditoribus hypothecariis factas aeris alieni summa, sufficiens sylvarum quantitas hypothecae vinculo liberata fuerit; cumque secundum legem, qua serenissimus rex creditoribus publicis cavit, anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio a magistratibus definiendum sit, qui agri ab eo vinculo soluti, quique adhuc nexi remanebunt: hinc decernimus praedictos census super sylvis supramemoratis dicto anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio, et citius etiam, si prius antedictae sylvae ab hypotheca saltem pro rata censuum imponendorum liberatae fuerint, esse imponendos, propterea eaque e singulis dioecesibus immediate saltem post annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium praedictorum censuum fructus esse percipiendos: ex nunc autem usque ad totum annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium, vel usque ad celeriorem dictorum censuum impositionem, eandem argenti summam fructibus censuum respondentem ab aerariis provincialibus unicuique dioecesi esse numerandam. Ne vero ullo modo numerationis prorogatio ultra annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium timeri possit, quum forte magistratus intercesserint, ne census imponantur, non satis diminuta publici aeris alieni quantitate, laudatus rex ultro promisit, conceptisque verbis sese obligavit, si praeter omnem expectationem id accidat, se curaturum esse, ut tot agri regiis impensis emantur pleno dominii iure singulis ecclesiis tradendi, quot necessarii sint ut eorum redditus annuas illas summas exaequent, quae a censibus percipiendae essent, nisi impedimentum illud intercessisset. Quae omnia cum serenissimus rex per diplomata in valida regni forma a se subscribenda in tuto ponere sit pollicitus, ut plenum et integrum effectum suo tempore sortiantur; hinc supradictus Iosephus Episcopus diplomata huiusmodi singulis ecclesiis tradet in respectivis archiviis asservanda.

Applicatio fructuum dictorum censuum.

§ 43. Similes autem redditus ad formam promissionis regiae, deductis oneribus, conflare debebunt sequentes annuas dotationum summas, nempe pro Archiepiscopo

Coloniensi ac pro Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi duodecim millium thalerorum Borussicorum, pro Episcopis Trevirensi, Monasteriensi, Paderbornensi et Culmensi octo millium thalerorum eiusdem monetae, pro Episcopo vero Wratislaviensi duodecim millium thalerorum dictae monetae ultra redditus fundi Wurbeniani ad eius episcopalem mensam spectantis pro parte dioecesis in regno Borussico, salvis manentibus illis redditibus quos percipit ex reliqua dioecesis parte temporali dominio charissimi in Christo filii nostri Francisci Austriae imperatoris, atque Hungariae et Bohemiae regis apostolici subiecta; quod vero ad Warmiensis episcopalis mensae dotationem pertinet, firmis bonis ac redditibus quibus actu illa mensa gaudet, nihil in praesens innovandum esse declaramus, sed aliquando ad aliarum in regno Borussico mensarum normam apostolica interveniente auctoritate fore conformandam.

Dotatio capituli Coloniensis.

§ 44. Pari methodo capitulum metropolitanae ecclesiae Coloniensis dotabitur in annua summa pro praeposito thalerorum Borussicorum bismille, pro decano thalerorum item bismille, pro quolibet ex duobus primis canonicis numerariis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus sex canonicis thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis canonicis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor canonicis honorariis thalerorum centum, pro quolibet demum ex octo vicariis seu praebendatis thalerorum biscentum.

Idem pro capitulo Gnesnensi.

§ 45. In archiepiscopali ecclesia Gnesnensi pro praeposito et sex canonicis, quibus illud capitulum imposterum constabit, ea reddituum quantitas conservabitur, qua praepositus et sex capitulares seniores actu fruuntur. In capitulo archiepiscopalis ecclesiae Posnaniensis redditus praedicto modo assignabuntur in annua summa pro praeposito thalerorum mille octingentorum, pro decano thalerorum pariter mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex quatuor sequentibus thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor canonicis honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo vicariis seu praebendatis thalerorum biscentum.

Idem capitulorum Trevirensis et Paderbornensis.

§ 46. In capitulis cathedralium ecclesiarum tam Trevirensis quam Paderbornensis pro praeposito thalerorum mille quatuorcentum, item pro decano thalerorum mille quatuorcentum, pro quolibet ex duobus primis canonicis thalerorum mille, pro duobus sequentibus thalerorum nongentorum, pro quolibet ex ultimis quatuor thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor canonicis honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex sex vicariis seu praebendatis thalerorum biscentum.

Item capituli Monasteriensis.

§ 47. In episcopali ecclesia Monasteriensi pro praeposito thalerorum mille octingentorum, ac pariter pro decano thalerorum mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus quatuor thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor canonicis honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo vicariis seu praebendatis thalerorum biscentum.

Item capituli Culmensis.

§ 48. In ecclesia cathedrali Culmensi pro praeposito thalerorum mille biscentum, item pro decano thalerorum mille biscentum, pro primo canonico thalerorum mille, pro secundo thalerorum nongentorum, pro quolibet ex reliquis sex thalerorum octingentorum, pro quolibet e quatuor canonicis honorariis thalerorum centum, et pro quolibet e sex vicariis seu praebendatis thalerorum biscentum.

Item capituli Wratislaviensis.

§ 49. In cathedrali ecclesia Wratislaviensi pro praeposito thalerorum bismille, pro decano thalerorum similiter bismille, pro primo canonico praebendam scholastici obtinente thalerorum mille quingentorum, pro quolibet e duobus sequentibus thalerorum mille centum, pro quolibet ex aliis septem thalerorum mille, pro quolibet ex sex canonicis honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo vicariis seu praebendatis thalerorum biscentum.

Item capituli Warmiensis.

§ 50. In ecclesia vero episcopali Warmiensi nihil circa eius capituli dotationem et formam in praesens immutandum esse declaramus, reservata tamen nobis et Romanis Pontificibus success. nostris facultate illas aliquando ad reliquarum Borussici regni ecclesiarum normam conformandi.

Item capituli Aquisgranensis.

§ 51. Aquisgranensis praeterea ecclesia per nos in collegiatam ut supra constituta capitulum constans ex unica praepositi dignitate et sex canonicatibus eamdem annuorum reddituum summam conservabit, qua actu gaudet.

Dotatio seminariorum.

§ 52. Committimus pariter antedicto Iosepho Episcopo Warmiensi, ut clericorum

seminariis in qualibet dioecesi opportune constabiliendis, firma remanente possessione bonorum, quae ad praesens obtinent, eas vel partiales vel integras, prout necessitas atque utilitas postulabit, bonorum dotationes attribuat, quae ab adpromissa serenissimi Borussiae regis liberalitate suppeditabuntur.

Concessio domorum episcopalium.

§ 53. Mandamus quoque eidem Iosepho Episcopo, ut pro cuiuslibet Antistitis decenti residentia vel vetera episcopia, si commode fieri poterit, vel alias domos ad id a praefato rege in respectivis civitatibus, atque etiam alteras ruri, si facile possit, concedendas; itemque domos pro dignitatibus, canonicis et vicariis seu praebendatis, nec non pro curia ecclesiastica, pro capitulo et archivio tribuendas opportune statuat atque assignet.

Dotatio fabricae cuiusvis ecclesiae.

§ 54. Ad manutentionem vero fabricarum, tam metropolitanarum quam cathedralium ecclesiarum, comprehensis quoque suppressis cathedralibus Corbejensi et Aquisgranensi, atque ad divini cultus ac inservientium expensas ea bona ac redditus etiam in futurum conservabuntur, quae iis usibus iam sunt destinata, quaeque serenissimus rex diligentissime servaturum est pollicitus; et in casu extraordinariae necessitatis confidimus fore, ut rebus hisce de thesauro regio liberaliter provideatur.

Dotatio sedium suffraganearum.

§ 55. Antedicto Iosepho Episcopo praeterea iniungimus, ut cuiuslibet archiepiscopalis et episcopalis ecclesiae suffraganeatus assuetae congruae dotatione provideat, utque singulis Archiepiscopis et Episcopis ad satisfaciendum expensis vicariorum generalium et curiae eam reddituum tribuat quantitatem, quae a praelaudato Borussiae rege iuxta liberalem ac providam suam promissionem hisce titulis factam constituetur.

De domibus ad alendos senes, vel infirmos sacerdotes destinatis.

§ 56. Et quoniam serenissimus Borussiae rex ultro nobis pollicitus est se non modo domos illas tam ad alendos emeritos senes vel infirmos sacerdotes, quam ad coercendos ecclesiasticos discolos, ubi existunt, conservaturum, sed etiam novas, ubi desunt, constabiliturum; propterea ipsi Iosepho Episcopo committimus, ut cognitis iis, quae de hac re statuerit praelaudatus rex, auditisque respectivis locorum Ordinariis, sub quorum iurisdictione huiusmodi domus manere debebunt, omnia quae opus erunt, circa memoratas domos earumque congruam dotationem disponat.

De conversione usus sacrae suppellectilis.

§ 57. Cum vero in suppressis Corbejensi et Aquisgranensi cathedralibus ecclesiis sacra reperiantur suppellectilia ad pontificalia in illis exercenda non amplius necessaria, facultatem praedicto Iosepho Episcopo concedimus, ut ea in usum et commodum archiepiscopalis ecclesiae Coloniensis, si opus fuerit, sin minus in usum aliarum regni ecclesiarum, quae iis indigeant, libere valeat convertere.

De assignatione dotationum in libris camerae facienda.

§ 58. Habita nunc ratione reddituum supramemoratis archiepiscopalibus et episcopalibus regni Borussiae ecclesiis ad praesens respective adsignatorum, in libris camerae apostolicae prout sequitur, nempe ecclesiam Coloniensem in florenis mille auri de camera, ecclesias invicem unitas Gnesnensem et Posnaniensem in florenis pariter mille, ecclesiam Wratislaviensem in florenis mille centum sexaginta sex cum duobus tertiis, ecclesiasque Trevirensem, Monasteriensem, Paderbornensem, Culmensem et Warmiensem in florenis sexcentum sexaginta sex cum duobus tertiis taxari mandamus.

Facultates concessae executori apostolico.

§ 59. Ut autem cuncta a nobis ut supra disposita rite, feliciter, ac celeriter ad optatum exitum perducantur, supradicto Iosepho Episcopo Warmiensi harum literarum exequutori deputato omnes et singulas ad huiusmodi effectum necessarias et opportunas concedimus facultates, ut praeviis respectivis dotationibus per instrumenta in valida regni forma exaranda ad uniuscuiusque ecclesiae cum suo capitulo sive erectionem, sive novam ordinationem, ac respectivi territorii dioecesani circumscriptionem procedere, aliaque omnia, ut supra ordinata, peragere atque statuere delegata sibi apostolica auctoritate libere ac licite possit et valeat; atque ulterius ipsi Iosepho Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis exequutionem unam seu plures personam vel personas, in simili vel alia dignitate ecclesiastica constitutam vel constitutas, subdelegare, et tam ipse Iosephus quam persona vel personae ab eo sic subdeleganda vel subdelegandae, super quacumque oppositione in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, etiam definitive et quacumque appellatione remota, pronunciare libere item ac licite possint et valeant, ac quilibet eorum respective possit et valeat.

De exemplis actorum ad Sanctam Sedem remittendis.

§ 60. Eidem vero Iosepho Episcopo expresse iniungimus ac mandamus, ut exempla singulorum actorum tam per se, quam per ab eo subdelegatos in praesentium literarum exequutionem conficiendorum intra quadrimestre ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat, in archivio congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 61. Praesentes autem literas, et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo ius aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes, cuiusvis status, ordinis, conditionis et praeeminentiae, ac etiam specifica, expressa et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis auditi fuerint, sive ex alia qualibet etiam laesionis vel alia iuridica, privilegiata ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore iuris clauso nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato, substantiali ac substantialissimo, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda, minime servata et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint, non sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, notari, impugnari aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis aut declarationibus generalibus, vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac tamquam ex pontificiae providentiae officio, certa scientia et potestatis plenitudine nostris factas et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo et inviolabiliter observari ac supradictarum ecclesiarum Episcopis et capitulis, aliisque quorum favorem praesentes nostrae literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum nullatenus umquam teneri, neque ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse ac fore volumus atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 62. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non dictarum ecclesiarum etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus ac formis, etiam si specialis, specifica et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse ex certa scientia et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 63. Volumus praeterea, ut harum literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 64. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, restitutionis, erectionis, unionis, dismembrationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, applicationis, circumscriptionis, concessionis indulti, elargitionis, assignationis, supple-

ctionis, subiectionis, attributionis, statuti, declarationis, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCCXXI., XVII. kalendas augusti, pontificatus nostri anno XXII.

XCVIII.

Approbat decretum S. Congregationis, vi cuius, praemissa derogatione a S. Sede facienda partis testamenti Comitis Augustini Casati Mediolanensis, eadem Congregatio administrationem suscipit duarum circiter partium pecuniae legatae ad fidei propagationem impendendae ea ratione quae ad testatoris mentem propius accedat, relicta alia parte eroganda inter eiusdem testatoris propinquos.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Componendis ecclesiasticis rebus, quae difficultatibus impeditae, et ex quibus verendum est, ne discordiae ac lites aliquando suboriantur, cogitationes nostras ac curas libenter impendimus.

§ 1. Sane ambigi nequit, quin maximâ praedicatione ac commendatione esse debeat promovendae catholicae Religionis fovendaeque pietatis ardor, quo, dum in vivis degeret, comes Augustinus Casati Mediolanensis ad supremae suae voluntatis tabulas condendas accessit. In iis enim mire se munificum praebuit erga Dei cultum fidemque orthodoxam sub principibus haud christianis et in locis hinc dissitis maxime laborantem. Verumtamen executio eorum, quae pro pio legato egregius testator mandavit, tantis visa est difficultatibus impediri, ut dilecti filii Clerici Regulares Societatis Iesu, iisque a testatore in piorum legatorum administratione substituti dilecti pariter filii religiosi viri Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceati nuncupati, oneri huiusmodi administrationis sese subduxerint.

§ 2. Quumque tum scripti a testatore haeredes, tum exequutores testamentarii ab eo constituti, nimirum dilectus filius noster Emmanuel S. R. E. presbyter Cardinalis De Gregorio nuncupatus, et ven. frater Archiepiscopus Mediolanensis de eo negotio diu ac multum egerint apud Congregationem de Propagandâ Fide, cuius maxime interest piam testatoris voluntatem haud effectu frustrari, die XXX. aprilis anni huius prodiit ab eâ decretum, cuius omnia et singula verba literis his apostolicis placet inserere.

DIE XXX. APRILIS MDCCCXXI.

Cum nobilis comes Augustinus Casati Mediolanensis testamento legaverit unum et viginti scutatorum millia in pias causas eroganda, earum commissâ exequutione patribus Societatis Iesu cum substitutione patrum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, hisce appositis conditionibus, nimirum

Primo. Ut ex eiusmodi legati fructibus quadringenta scutata quotannis persolvantur duobus Episcopis, qui inter infideles versentur.

Secundo. Ut schola theologiae moralis in iisdem infidelium partibus instituatur.

Tertio. Ut sacrum solemne singulis annis in aliquâ celebretur Terrae Sanctae ecclesiâ.

Quarto. Ut propinquis suis, qui vel eadem Loca sancta, vel limina Apostolorum visitaverint, congrua aliqua praestatio suppeditetur.

Quinto. Demum, ut fructus mille ducentorum nonaginta scutatorum multiplicentur in sortem.

Cumque tam PP. Societatis Iesu, quam Carmelitae suffecti, gravibus perspectis oneribus eiusdem legati, administrationi formiter renuntiaverint; hinc factum est, ut eiusdem tastatoris haeredes, accedente consensu atque approbatione Emi et Rmi Domini Emmanuelis Cardinalis De Gregorio nec non Rmi D. Caroli Caietani Gaysruk Archiepiscopi Mediolanensis, quibus testamenti exequendi cura mandata est, S. C. de Propagandâ Fide enixe rogaverint, ut impetratâ a SSmo Domino nostro facultate, eiusdem legati adimplendi curam sibi adscisceret, pro ratâ tantum tredecim millium ducentorum et sexaginta scutatorum, reliquâ relictâ summâ, scilicet septem millium septingentorum quadraginta scutatorum, in favorem propinquorum testatoris, iuxta modum de eiusdem Mediolanensis Archiepiscopi consensione, concorditer statuendum.

Re autem in Congregatione eâdem, referente Emo et Rmo Domino Card. De Gregorio, propositâ, Emi Patres decreverunt, supplicandum SSmo, ut admisso atque approbato haeredum et executorum assensu, absolutione factâ ab onere multiplicationis, exemptisque propinquis ab obligatione impositâ visitandi sancta nostrae Redemptionis loca vel Apostolorum limina, interpretari, rectificare et commutare benigne dignetur testatoris voluntatem, tributâ S. C. facultate adeundi et acceptandi praedictam ratam legati portionem, ad effectum erogandi fructus ex eâ provenientes in propagationem atque incrementum sanctae orthodoxae fidei inter infideles, sequendo, quo melius fieri poterit, piam testatoris voluntatem, et factâ Mediolanensi Archiepiscopo potestate statuendi, de haeredum consensione, modum, quo reliqua septem millium septingentorum summa inter propinquos sit eroganda.

§ 3. Quae omnia quum nobis innotuissent, referente dil. fil. magistro Carolo Mariâ Pedicini Congregationis de Propagandâ Fide Secretario, nos iam inde a die huius mensis primâ precibus Congregationis annuimus, eâque de re apostolicas literas dari mandavimus. Per has igitur literas utentesque apostolicâ potestate, approbationem nostram iis adiicimus, quae haeredibus comitis Augustini Casati eiusque testamenti executoribus placuere de administratione pii legati permittendâ Congregationi de Propagandâ Fide; item impositum a testatore pecuniae multiplicandae onus sublatum volumus; item absolvimus quae idem sanxit de locis nostrae Redemptionis memoriâ insignibus, vel de Apostolorum liminibus adeundis a suis propinquis; item Congregationi de Propagandâ Fide facultatem facimus accipiendi eam partem pii legati a testatore relicti, quae decreto Congregationis exprimitur, eamque impendendi ad incrementum catholicae Religionis in regionibus barbarorum, idque eâ ratione, quae ad testatoris voluntatem propius accedat; denique facultatem tribuimus ven. fratri Archiepiscopo Mediolanensi e suâ haeredumque comitis Casati sententiâ statuendi, qua ratione ac modo in eosdem propinquos eroganda sit reliqua pii legati pars, quam Congregatio de Propagandâ Fide minime administrandam suscipit.

§ 4. Decernentes, praesentes literas validas firmas et efficaces existere ac fore, dictisque plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter obtinere et observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, et causarum palatii apostolici auditores, et Sedis Apostolicae Nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non testamento praedicti comitis Augustini Casati, cuius praescripto etiam, ubi opus est, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. iulii MDCCCXXI., pontificatus nostri anno XXII.

XCIX.

Extinctio et suppressio sedis episcopalis Seynensis in regno Poloniae et erectio sedis Augustoviensis in eodem regno.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Sedium episcopalium translationes, non quidem ad rerum humanarum mobilitatem, sed pro Dominici gregis commodo et faciliori regimine sancire consueverunt Romani Pontifices, ne impensae, qua premuntur, de animarum salute sollicitudini defuisse videantur; nosque item, ubi in rei sacrae utilitatem cessura dignoscantur, apostolicae benignitatis providentiam desiderari minime permittimus. **Prooemium.**

§ 2. Decretis porro superiori anno millesimo octingentesimo decimo octavo archiepiscopali et episcopalibus sedibus cum respective capitulis, seminariis ac dioecesanis territoriis in Poloniae regno serenissimo ac potentissimo principi Alexandro Russorum imperatori ac regi Poloniae ad praesens subiecto nostrarum literarum apo- **Ratio suppressionis sedis Seynensis.**

stolicarum sub plumbo datarum pridie kalendas iulii, pontificatus nostri anno decimo nono, exequutionem commisimus bo. mem. Francisco Malczewski tum Episcopo Wladislaviensi, quo defuncto in eius locum ven. fratrem Stephanum Holowezyc modernum Archiepiscopum Varsaviensem plenarie suffecimus, atque ex distincta ab eo cum authenticis documentis ad nos transmissa relatione aperte intelleximus, graves ad constabiliendam episcopalem cathedram in civitate Seyna, praesertim ob minus aptas ecclesiam et domos, opponi difficultates quae nobis facile persuaserunt designatae episcopalis sedis Seynensis seu Augustoviensis necessariam fore commutationem seu translationem.

Designatio urbis Suwatki pro nova erigenda sede.

§ 3. Cognovimus pariter intra limites territorii assignati pro Seynensi seu Augustoviensi dioecesi urbem contineri Suwatki nuncupatam, quae utpote posita fere in medio palatinatus Augustoviensis ac illius provinciae gubernii caput, atque insuper sit in loco salubri et amoeno, ac in vasta planitie, multas enumerat etiam ex muro solido belle aedificatas, commodas et venustas domos, multoque plures complectitur incolarum familias in dies ob residentiam gubernii provincialis palatinatus Augustoviensis augescentes, et in qua ultra parochialem sub titulo Sanctissimae Crucis ecclesiam ex ligno constructam ab extra tamen congrue et intus decenter ornatam, altera longe amplior ex solido muro magnis sumptibus actu aedificatur cum non parva ab utroque latere area a gubernio adsignanda pro construendis tam in Episcopi quam in seminarii usum aptis aedificiis.

Erectio novae sedis, cum suppressione praecedentis.

§ 4. Huiusmodi insuper curis benevole obsecundando laudato Alexandro Russorum imperatore ac Poloniae rege, nos praevia suppressione, extinctione et annullatione sedis episcopalis in dicta Seynensi civitate, novam eius loco in praefata civitate Suwatki erigimus episcopalem sedem Suwatkiensem seu Augustoviensem nuncupandam, ad eamque transferimus ven. fratrem Ignatium modernum Episcopum Seynensem seu Augustoviensem, ac supramemoratam ex solido muro iam construi inceptam ecclesiam sub titulo ab infrascripto praesentium literarum exequutore de consensu praedicti Ignatii Episcopi designando, in cathedralem erigimus, ac in illam transferimus capitulum ipsius ante cathedralis de Seyna una cum omnibus respectivis fructibus, redditibus, proventibus, insigniis, iuribus, praeeminentiis, privilegiis, honoribus, gratiis et favoribus, quibus gaudent, firmis de caetero remanentibus dioecesis limitibus in erectione episcopatus Seynensis seu Augustoviensis pridem assignatis, in omnibus ad formam antedictarum literarum apostolicarum: licentiam interea tribuentes, ut donec fabrica novae ecclesiae fuerit absoluta, servitium chori et cunctae aliae functiones ecclesiasticae, ac etiam pontificalia, in supra enunciata parochiali ecclesia Sanctissimae Crucis adimpleantur.

Consulitur decenti erectioni novae sedis et curae animar. in suppressa.

§ 5. Quocirca eidem ven. fratri Stephano Archiepiscopo Varsaviensi committimus, ut ad novam episcopalis ecclesiae Suwatkiensis seu Augustoviensis a praedicto Ignatio Episcopo gubernandae erectionem, ac in ea memorati capituli cathedralis translationem, nec non decentis episcopii assignationem ac seminarii puerorum ecclesiastici opportunam constitutionem convenienti forma procedat, simulque consulat ut in suppressa cathedrali ecclesia in civitate Seynae animarum cura ut prius exerceatur, et sacrorum ministrorum ac divini cultus expensis sufficienter provisum remaneat; ad quorum effectum omnes et singulas ipsi Stephano Archiepiscopo necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam aliam vel alias personam seu personas in ecclesiastica dignitate constitutam seu constitutas subdelegandi, ac quascumque controversias et quaestiones forsitan orituras examinandi, iudicandi ac definiendi, sublata cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate: in contrarium facientibus etiam speciali, expressa et individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, exctinctionis, annullationis, erectionis, translationis, constitutionis, commissionis, et facultatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCXXI., tertio decimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno vigesimosecundo.

C.

Damnatio societatis secretae nuncupatae Carbonariorum.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ecclesiam a Iesu Christo Servatore nostro supra firmam petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit numquam portas inferi praevalituras, tot saepe ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut, nisi divina illa, et quae transire non potest, promissio intercessisset, metuendum videretur, ne ipsa illorum aut vi, aut artibus, aut calliditate circumventa, penitus interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, id etiam et praecipue quidem luctuosa hac nostra aetate factum est, quae novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab Apostolis praenuntiatum, quo (1) *venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.* Nec enim quemquam latet quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in unum adversus Dominum et adversus Christum eius, qui id praecipue curant, ut, deceptis per philosophiam et inanem fallaciam (2) fidelibus et ab Ecclesiae doctrina avulsis, ipsam ecclesiam, irrito licet conatu, labefactent et evertant. Quod ut facilius assequerentur, eorum plerique occultos coetus clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant, ut plurimos in suae coniurationis et sceleris societatem liberius pertraherent.

Damnatio sectarum in genere.

§ 2. Iampridem Sancta haec Sedes, his sectis detectis, magna liberaque voce contra eas clamavit, et consilia, quae clam ab iis essent inita contra religionem, imo et contra civilem societatem, patefecit. Iampridem omnium excitavit diligentiam ut caverent ne his sectis id conari liceret quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est his Sedis Apostolicae studiis non eum exitum respondisse quem ipsa spectabat, et scelestos homines numquam a suscepto consilio destitisse, unde consequuta tandem ea mala sunt, quae nosmetipsi perspeximus; imo homines, quorum superbia ascendit semper, novas etiam secretas societates inire ausi sunt.

Quae sit instit. sectae nuncupatae Carbonariorum exponitur.

§ 3. Commemorari hoc loco debet societas nuper orta, et longe lateque in Italia aliisque in regionibus propagata, quae licet in plures sectas divisa sit, ac pro earum varietate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen, sententiarum et facinorum communione, et foedere quodam inito una est, et *Carbonariorum* plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam et mirificum quoddam studium in Catholicam religionem et in Iesu Christi Servatoris nostri personam et doctrinam, quem etiam societatis suae rectorem et magnum magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt, quam iacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Leges quibus sectarii subiacent, nefariam esse societatem demonstrant.

§ 4. Sane severissimum illud iusiurandum quo veteres Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur se nullo umquam tempore, nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis qui in gradibus inferioribus versantur aliquid quod ad gradus pertinent superiores; clandestina illa praeterea et illegitima conventicula, quae more a pluribus haereticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cuiuscumque religionis et sectae in suam societatem, etsi caetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

Finis sectariorum quis sit exponitur.

§ 5. Verum coniecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis iudicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur quae in conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet, eorum catechismi et statuta, aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam societatem deseruissent cui antea adhaeserant, eius errores et fraudes legitimis iudicibus patefecerunt, aperte declarant, *Carbonarios* id praecipue spectare, ut magnam licentiam cuique dent religionem, quam colat, proprio ingenio et suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia in religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius; ut Iesu Christi passionem

(1) In epist. B. Iudae Ap. v. 18.

(2) Coloss. cap. 2, v. 8.

per nefarias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant; ut Ecclesiae sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videtur), et ipsa religionis catholicae mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apostolicam evertant, in quam, quoniam in ea apostolicae cathedrae semper viguit principatus, (1) singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quaeque ac perniciosa moliuntur.

Idem ut supra.

§ 6. Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt quae *Carbonariorum* societas tradit de moribus praecepta, quamvis confidenter iactet se a suis sectatoribus exigere, ut caritatem ac omne virtutum genus excolant et exerceant, ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluptatibus impudentissime ea favet: docet licere eos interficere qui datam de secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverit; et licet Apostolorum princeps Petrus praecipiat, ut Christiani (2) *omni humanae creaturae propter Deum subiecti sint, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis etc.*, iubeatque Paulus Apostolus (3) ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* ea tamen societas docet integrum esse seditionibus excitatis reges caeterosque imperantes, quos per summam iniuriam tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

Scelera a Carbonariis commissa declarantur.

§ 7. Haec aliaque huius societatis dogmata, et praecepta sunt; ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a *Carbonariis* commissa, quae adeo gravem honestis piisque hominibus moerorem attulerunt. Nos igitur, qui speculatores domus Israel, quae est sancta Ecclesia, constituti sumus et qui pro pastorali nostro munere cavere debemus ne Dominicus grex nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur, existimamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII. et Benedicti XIV. praedecessorum nostrorum, quorum alter quarto kalendas maias anni millesimi septingentesimi trigesimi octavi constitutione *In eminenti,* alter decimo quinto kalendas iunias anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi constitutione *Providas,* damnarunt et prohibuerunt societates *dei liberi Muratori,* seu *Francs Maçons,* aut alio quocumque nomine pro regionum et idiomatum varietate appellatas, quarum societatum fortasse propago, vel certe imitatio, haec *Carbonariorum* societas existimanda est, et quamvis iam duobus edictis per nostram status secretariam propositis hanc societatem graviter nos prohibuerimus, memoratos tamen praedecessores nostros sequentes, graves poenas in hanc societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus, praesertim cum *Carbonarii* passim contendant se duabus illis Clementis XII., Benedicti XIV. constitutionibus non comprehendi, nec sententiis et poenis in illis latis subiici.

Damnatio societatis.

§ 8. Audita igitur selecta Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et de eius consilo, ac etiam motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam societatem *Carbonariorum,* aut alios quocumque nomine appellatam, eius coetus, conventus, collectiones, aggregationes, conventicula damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

Prohibitio de ineunda, propaganda vel fovenda societate huiusmodi.

§ 9. Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis ac praeeminentiae, sive laicis sive clericis tam saecularibus quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictam societatem *Carbonariorum,* aut alias nuncupatam, inire vel propagare, confovere ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illi et cuicumque eius gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare ac suadere, ut huiusmodi societati, aut cuicumque eiusdem gradui, adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino

(1) S. Aug. ep. 43.
(2) Ep. 1, cap. 2, v. 13.
(3) Rom. cap. 3, v. 14.

ab eadem societate, eiusque coetibus, conventibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeant sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praeceptum de denunciando Episcopis socios.

§ 10. Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel caeteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus quae commemorata sunt, se inquinasse.

Damnatio omnium librorum ad sectam pertinentium.

§ 11. Postremo, ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes *Carbonariorum*, ut aiunt, catechismos et libros, quibus a *Carbonariis* describuntur quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos; et quibuscumque fidelibus sub eadem poena maioris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros vel eorum aliquem legere, aut retinere; ac mandamus ut illos vel locorum Ordinariis vel aliis ad quos eosdem recipiendi ius pertinet, omnino tradant.

Fides habenda transumptis.

§ 12. Volumus autem quod praesentium literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo vigesimo primo, idibus septembris, pontificatus nostri anno vigesimo secundo.

CI.

Deploratis dissensionibus inter Graecos Melchitas exortis ex illorum opinione, qui ad consecrationem eucharisticam perficiendam non sufficere verba Christi, sed necessaria etiam esse asserunt verba quae in liturgia sequuntur, prohibet sub definitis poenis opinionem illam affirmare vel defendere. Renovat insuper excommunicationem in legentes vel retinentes opera Germani Adami Archiepiscopi Aleppensis defuncti, donec Sedes Apostolica de iis iudicium tulerit.

Venerabilibus fratribus Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum, et omnibus eiusdem ritus catholicis Archiepiscopis et Episcopis eidem Patriarchae subiectis,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Adorabile Eucharistiae sacramentum Iesus Christus Dominus noster instituens, in quo singulari ac prorsus divino miraculo vere, realiter et substantialiter eius Corpus et Sanguis una cum animâ et divinitate sub panis vinique speciebus continetur, illud inter cetera sibi proposuit, ut esset sacramentum hoc symbolum illius corporis, cuius ipse Caput existit, cuique nos tamquam membra arctissimâ connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata (1). Itaque Paulus Apostolus de eodem hoc sacramento agens, praeclaris illis et gravissimis verbis usus est (2): *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus.*

§ 1. Sed inventi tamen sunt nonnulli perditionis filii, qui ex eodem hoc sacramento, quod veluti *signum unitatis et vinculum caritatis* (3) suscipere debebant, occasionem petere non dubitarunt acerbissima dissidia in ecclesiâ excitandi, ex qui-

(1) Concil. Trid. sess. 13, cap. 2.
(2) I. Cor. X, 16.
(3) S. August. Tract. 26 in Ioannem.

bus luctuosissima etiam schismata quandoque prodierunt, quae Romani Pontifices praedecessores nostri gravissime deplorarunt et nos ipsi, quoniam vulnera illa nondum consanuerunt, perpetuo deflemus. Sed alia nunc nobis eademque non levis exoritur doloris et metus causa ex iis, quae vestris in regionibus, praecipue vero in urbe Berroheensi, dudum commiserunt et adhuc committunt ii, qui magno quodam studio, sed omnino improbando, conati sunt et conantur tueri, propugnare et disseminare novam illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, qua docetur formam, qua vivificum hoc et in primis salutare sacramentum perficitur, non in solis Iesu Christi verbis consistere, quibus sacerdotes tam Latini quam Graeci in consecratione utuntur, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere eam precum formulam, quae memorata verba apud nos praecurrit, in vestrâ autem Litargiâ subsequitur. Quanta inde catholicorum offensio extiterit incredibile est, et vos certe tenetis quam graves ortae sint controversiae et quam turbolentae eos inter homines novis rebus studentes, ceterosque qui, omnes de religione novitates repudiandas esse existimantes, iure a novâ illâ opinione et veteribus Patribus inauditâ abhorrent.

§ 2. Ut his malis, quibus vestrae hae regiones premebantur, et quae graviora in dies evasura videbantur, remedium aliquod afferret iam ab anno MDCCCXII. qui, nobis fratribusque nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus propter temporum calamitatem ab Urbe absentibus, Pro-Praefecti Congregationis de Propagandâ Fide munere mandato nostro fungebatur, ad vos, ven. fratres, luculentas literas encyclicas scripsit, et in vestras regiones misit, quae eo praecipue spectabant, ut communem opinionem de formâ Eucharistiae in solis verbis Christi positâ strenue vindicarent, ac novae opinionis propugnatores a suscepto eam edocendi consilio gravissime deterrerent.

§ 3. Haec tamen, licet sapienter excogitata, nullum, ut vobis perspectum est, fructum attulerunt. Tantum abest ut, qui novam opinionem tuebantur, memoratis literis obsequuti sint, ut potius earum auctoritatem varias interserentes ineptas causas extenuare et declinare sint conati. Imo vero tantum abest, ut a suâ illâ doctrinâ tradendâ et evulgandâ abstinuerint, ut non modo pristinum suum illum morem pertinaciter servaverint, sed insolentiores et audaciores facti, non adorent ipsi, nec patiantur a ceteris adorari proposita dona, etiam post prolata Iesu Christi verba, nisi recitata sit etiam solemnis illa precum formula, quam necessariam putant, ut consecratio rata sit. Postremo eo progredi ausi sunt, ut de donis, super quae licet verba Christi iam adhibita sint, nondum tamen formula illa precum recitata fuerit, iis aliquando usi sint et utantur verbis, quae et commemorare animus exhorret, et scandalosa omnibus videntur, et peculiari quadam ratione piorum hominum aures offendunt. At eos oportebat in mentem revocare, in Ecclesiâ universâ semper veluti certum habitum fuisse, *verbum Christi transformare ea quae proposita sunt,* ut Ioannes Chrysostomus loquitur (1), et *sermonem Christi hoc conficere Sacramentum,* ut docet auctor librorum de Sacramentis (2): oportebat eos in mentem revocare, Graecos in Concilio Florentino per Bessarionem Nicaenum Archiepiscopum declarasse, se Ioannem Chrysostomum auctorem sequi, et putare, *verba Domini esse illa quae mutant et transformant panem et vinum* (3), ac tantum post hanc eorum mentis declarationem, Eugenium IV. praedecessorem nostrum eos fratres secum in fide coniunctos appellasse (4). Haec si illi considerassent et tanti eius auctoritatem fecissent qui literas illas scripserat, quanti debebant, non ea ausi fuissent, quae commemoravimus, et quae graviores molestias et turbulentiores etiam tempestates in vestris his provinciis, praesertim vero in urbe Berroheensi excitarunt.

§ 4. Itaque, ut horum hominum audacia comprimatur, et desinant tandem aliquando diuturnae illae et perniciosissimae contentiones, existimavimus oportere, ut novum hac de re decretum ederetur, quod et a nobismetipsis prodiret et graviora remedia contineret. Id igitur exequi continuo volentes, de consilio nonnullorum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus totam rem expendendam commisimus, auctoritate omnipotentis Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, in virtute

(1) Homil. I. de Prodit. Iudae num. 6.
(2) De Sacramentis lib. 4, cap. 4, n. 14.
(3) Mabillon Musei Italici tom I., pag. 243.
(4) Conc. Flor. sess. 25.

sanctae obedientiae, motu proprio et ex propriâ scientiâ ac deliberatione nostrâ praecipimus omnibus et singulis fidelibus vestri ritus, praecipue vero iis, qui Berrhoeam incolunt, cuiuscumque gradus et conditionis, etiamsi episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate praestent, ut non audeant deinceps, sive publice sive privatim, sive in publicis concionibus et catechismis, aliâque quacumque eius generis ratione, sive in privatis sermonibus ac disputationibus, docere, defendere, evulgare, suadere, tueri eam opinionem, quae tradit, ad mirabilem illam conversionem totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi, et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis eius necesse esse, praeter Christi verba, eam etiam ecclesiasticam precum formulam recitare, quam saepe iam memoravimus, ac perpetuum huius opinionis defensoribus Berrhoae et in his vestris regionibus commorantibus silentium indicimus. Quod si qui ex iis ausu temerario nostrum hoc decretum ac ordinationem violaverint, indictumque silentium non servaverint, non modo gravis peccati reatum incurrent, sed praeterea adversus eos nos decernimus, si patriarchali, archiepiscopali vel episcopali dignitate praediti sint, poenam suspensionis ab exercitio pontificalium, si vero sacerdotes sint aut aliis ordinibus insigniti, poenam suspensionis ab omnibus suis ordinibus, si vero sint laici poenam excommunicationis, atque ita quidem poenas has omnes decernimus, ut velimus eas ipso facto et absque ullâ aliâ declaratione ab iis incurri, qui nostrum hoc decretum non observaverint.

§ 5. Confidimus fore ut in personâ humilitatis nostrae Petrum Apostolorum Principem intelligentes et honorantes, cuius dignitas *in indigno haerede non deficit,* et gravissimis etiam poenis superius indictis salubriter exterriti, qui hactenus, ut annuimus, in suo consilio obstinati et pertinaces fuerunt, tandem aliquando se recipiant, et nobis praecipientibus obtemperent, utque illae animorum dissensiones et contentiones, quae eorum culpâ sunt inter vos, omnino conquiescant, et pristina illa pax reviviscat, qua ante ecclesiae istae florebant.

§ 6. Quamquam non haec tantum de Eucharistiae formâ contentio ac disputatio sit eorum dissidiorum fons et origo, quae apud vos percrebuerunt. Libri etiam, quos Germanus Adami, dum viveret, Archiepiscopus Berrhoeensis perscripsit, non modicas dissensiones excitarunt. Pleni illi vulgo dicuntur errorum, qui catholicae fidei adversantur, et praecipue impugnare putantur singularem illum, non honoris modo sed verae etiam iurisdictionis primatum ad exitum usque seculorum perduraturum, quem Christus Petro eiusque successoribus Romanis Pontificibus contulit, universo suo grege iisdem ad pascendum assignato. Et tamen sunt in his vestris regionibus, qui eos libros legant et plurimi faciant, opinionesque, quae in iis traduntur, disseminent atque spargant, aliis contra multo sapientioribus eos libros, auctorem et doctrinas graviter improbantibus. Atque ex postremo hoc hominum genere nonnulli nostram et huius S. Sedis opem implorantes, vehementer postularunt, ut eos libros omnino damnaremus. Nos sane, ut in re tam gravi omnia considerate, mature, et prorsus ex huius S. Sedis dignitate perficerentur, eos libros ex Arabicâ linguâ, qua conscripti sunt, in Italicam a peritis hominibus vertendos et deinde a sacro Cardinalium consilio, qui corrigendis Ecclesiae Orientalis libris praesunt, diligenter examinandos iussimus. Dum vero haec perficiuntur, quae fortasse non exiguum temporis spatium requirent, cupimus omne arcere periculum, quod afferri ex horum lectione librorum posset, quos iure suspectos habemus. Eam ob causam decretum de eorumdem prohibitione iam a Congregatione de Propagandâ Fide editum renovantes, eodem modo eodemque tenore praecipimus, ut donec ab Apostolicâ hac Sede sententia de libris illis proferatur, nemo sub poenâ excommunicationis audeat eos, vel omnes vel eorum aliquos, sive typis editos sive manuscriptos, quavis ratione legere et apud se retinere.

§ 7. Restat nunc ut vos, ven. fratres, magnam in eo diligentiam et operam ponatis, ut ille, quem nobis proposuimus, fructus ex his nostris literis percipiatur. Et primo quidem (quod futurum minime dubitamus) ea sit vestra agendi ratio, ut inde observantiae et docilitatis in Sedem Apostolicam exempla petantur. Deinde curate, ut omnes illi, quos vobis Spiritus Sanctus credidit, iis quae a nobis praecepta sunt, omni cunctatione et tergiversatione sepositâ obsequantur. Persuadete illis, ut omnes vocum et opinionum novitates evitent, quibus nihil potest esse periculosius, utque praecipue Cathedrae Petri, eiusque fidei

arctius adhaereant, ad quam *perfidia non potest habere accessum*. Haec profecto aliaque huius generis si a vobis studiose et industrie procurentur, non dubitamus quin sublatis scandalis et dissensionibus omnium horum fidelium futurum sit cor unum et anima una. Nos quidem vobis tum hac in re tum in ceteris, quae opportunitatem vobis et vestris his ecclesiis afferre possunt, Sedis Apostolicae auxilium pollicemur. Neque enim obliviscimur, quae de hac Sede verissime Celestinus I. praedecessor noster praedicavit (1): *Circa quamvis longinqua spiritualis* (eius) *cura non deficit, sed se per omnia, qua nomen Dei praedicatur, extendit.*

Interea vobis, ven. fratres, universisque catholicis vobis subiectis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII. maii MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CII.

Archiepiscopo Smyrnarum committit regimen ecclesiae Syrensis; in Urbem vero Episcopum et Vicarium eius generalem in provincia revocandum decernit (2).

Venerabili fratri Aloisio Cardelli Archiepiscopo Smyrnensi,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nihil sane molestius afferri potuit nobis, quam quod per ven. fratres nostros S. R. E. Cardinales negociis Propagandae Fidei praepositos de Ecclesiâ Syrensi in mari Aegeo nuper accepimus, quae in tantâ rerum perturbatione versatur, ut, si nostrâ et huius Apostolicae Sedis auctoritate opportunum et grave aliquod remedium suppeditemus, timendum vehementer sit, ne in extremum schismatis adducatur discrimen. Ex ipsâ Syrensi Insulâ atque ex pluribus Orientis civitatibus afferuntur praedictae Cardinalium Congregationi quotidie literae, quibus boni omnes huius S. Sedis auctoritatem implorant, nostrumque auxilium, quantocius fieri possit, exposcunt. Plurimum autem tristamur, quod ea, quae inde relata ac scripta sunt, sint talia, ut malorum pene omnium veluti causam esse describant ipsum Syrensem Episcopum Ioannem Baptistam Russin.

§ 2. Sperabamus quidem futurum ut anno MDCCCXIX. ven. fratre Episcopo Chiensi Francisco Xaverio Dracopoli, cui Insularum Maris Aegei apostolica visitatio commissa fuerat, Syram adeunte res omnes componi possent, ac quaenam vera esset malorum causa perspicue demonstrari. Frustra tamen eo se contulit Apostolicus Visitator, tam contumeliose enim tam acerbe ab Episcopo est exceptus, ut maiori malo vitando opportunius duxerit ab Insulâ discedere non modo re infectâ, sed ne Visitationi quidem initio dato. Confirmata enim ibi feruntur mala ac graviora etiam effecta. Descriptum enim est, iis omnibus tum ex clero tum ex populo, qui visitatori, ut par erat, excipiendo ac visitationi apostolicae ad exitum perducendae studuerant, censuris et poenis ecclesiasticis ab Episcopo mulctatis, civile quodammodo bellum in Insulâ excitatum videri.

§ 3. Nos gravissimis hisce de causis adducti in urbem vocavimus Episcopum, qui iam sex ab hinc mensibus hic versatur. Reliquit ille quidem e dioecesi profecturus Vicarium generalem Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum patrem Urbanum nomine. Eum tamen gravium criminum accusatum, et Episcopi rebus maxime studentem, nos de eorumdem Cardinalium consilio in provinciam revocandum decrevimus.

§ 4. Episcopo igitur Romam et Vicario generali in provinciam revocato, nos ad statum lacrimabilem illius dioecesis solicitudines nostras dirigentes, iis malis, quantum cum Domino possumus, mederi summopere curamus, ac de te, ob spectatam pietatem, doctrinam, prudentiam, aliasque virtutes tuas apud nos commendato, specialem in Domino fiduciam habentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum conse-

---

(1) In epist. ad Episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis apud Coustant. tom. I. Ep. RR. PP. col. MLXVI.

(2) Vide infra *In Petri*.

quendam, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de eorumdem Cardinalium consilio te in Visitatorem illius Syrensis dioecesis cum iis facultatibus, quas haberes, si eiusdem ecclesiae esses Episcopus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eligimus et deputamus, donec aliter ab hac Apastolicâ Sede provideatur: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium; tibique mandamus, ut in Insulam Syrensem praedictam ad exercendum Visitatoris Apostolici officium te conferas.

§ 5. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te ad demandatum tibi per praesentes visitatoris Apostolici munus illiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus, ad idem officium pertinentibus, faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVIII. iunii MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CIII.

Oborta inter Archiepiscopum Baltimorensem et patres Societatis Iesu in Marylandia controversia de praedio Wite-Marsh, quod primus ad mensam archiepiscopalem pertinere contendebat, propositam a S. Congregatione concordiam probat, qua statuitur, patres immittere statim debere Archiepiscopum in possessionem praedii quoad bis mille iugera, salva tamen mutatione praedii, si qua expediret, per S. Congregationem postea concedenda, Archiepiscopum vero relinquere debere patres in possessione pacifica aliorum bonorum.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Quum nobis relatum fuerit, inter venerabilem fratrem Ambrosium Marechal Archiepiscopum Baltimorensem in foederatis Americae provinciis, ac dilectos filios patres Societatis Iesu in Marylandia commorantes exortam fuisse controversiam de iure, quod sibi vindicat memoratus Archiepiscopus, annuam scilicet et consuetam percipiendi pensionem ex fundis, quos iidem patres sibi penitus vindicant, affirmante Archiepiscopo eiusmodi pensionem sibi suisque successoribus pro mensa episcopali deberi; nos pro pastoralis officii nostri sollicitudine controversiam praedictam expendendam conciliandamque commisimus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quibus in Congregatione generali habita die tertia iulii vertentis anni millesimi octingentesimi vigesimi secundi, referente venerabili fratre nostro Cardinali Fesch ponente, placuit rem de bono et aequo componere per concordiam inter partes Romae ineundam coram tribus ex praedictis venerabilibus fratribus nostris, scilicet Francisco Xaverio Castiglioni, Iosepho Fesch et Hannibale Della Genga. Quum autem optata huiusmodi concordia ad exitum perduci haudquaquam potuerit, iidem venerabiles fratres nostri in congregatione habita die prima iulii eiusdem anni, referente eodem ponente Cardinali Fesch, omnibus rite perpensis, censuerunt ac decreverunt, sub spe nostrae obtinendae approbationis, stabiliter constituendam esse archiepiscopalem mensam Baltimorensem super bonis stabilibus, quae felicis recordationis Pius PP. VI. decessor noster anno millesimo septingentesimo octuagesimo nono Episcopo Baltimorensi administranda tradiderat; ac ne ulla in posterum suboriatur dissidii vel contentionis causa, pariter censuerunt, nonnullis standum esse conditionibus, quae hic referuntur, videlicet:

Tenor pactorum concordiae initae a congregatione deputata.

§ 2. I. Ut reverendissimus Pater Aloisius Fortis praepositus generalis Societatis Iesu in virtute sanctae obedientiae, quam Apostolicae Sedi praestare tenetur, reverendissimum dominum Ambrosium Marechal Archiepiscopum Baltimorensem immittere omnino debeat in possessionem praedii nuncupati White Marsh cum omnibus suis adiunctis, nempe colonis, pecudibus, instrumentis, frugibus, atque annonis, et in eadem sanctae obedientiae virtute praecipiat patribus Iesuitis Marylandiae, ut promptam huiusmodi decreto exequutionem dent intra mensem a reditu eiusdem praesulis in suam dioecesim supputandum.

II. Si praedium White Marsh mensuram excesserit duorum millium iugerorum, sive, ut vocant, arpanarum, ea terrae portio, quae superat, quaeque magis a centro distat, ad patres Iesuitas possidenda pertineat, ducto centro ab ecclesia, quae in eodem fundo sita est.

III. Postquam Archiepiscopus ipsius praedii possessionem adierit, si graves aliquae causae concurrant, quibus expediri videatur, ne patres societatis eodem fundo priventur, liceat praeposito generali eiusmodi rationum momenta exponere sacrae Congregationi, quae iudicabit an mensa archiepiscopalis in eo potius, quam in alio praedio, constituenda sit, firmo semper Archiepiscopi iure.

IV. Si allatae a praeposito generali rationes eae revera futurae sint, ut ad praedii commutationem sacrae Congregationis iudicio deveniendum sit, idem praepositus generalis obligare tenebitur patres Iesuitas Marylandiae, ut loco fundi White Marsh offerant, accedant Baltimorensi Antistiti aliud praedium eiusdem valoris et commoditatis, quod iugera sive arpanas bismille contineat, et fundo White Marsh, quantum fieri potest, aeque respondeat tum quoad positionem et coeli salubritatem, tum quoad fecunditatem. Archiepiscopus vero in pacifica possessione manebit fundi White Marsh donec conventa permutatio a sacra Congr. approbata fuerit eiusque adprobationis documentum ad Archiepiscopi manus pervenerit.

V. Omni studio curandum erit iisdem patribus, ut praedium White Marsh usque ad diem, in qua Archiepiscopus illius possessionem inierit, eadem industria ac sedulitate excolatur, ac si ipsi perpetuo illud possidere deberent.

VI. Si fundus White Marsh, vel alius pro eo subrogandus, aliquo aere alieno gravatus fuerit ante initam Archiepiscopi possessionem contracto, eius solutio ad patres Societatis Iesu spectabit. Pari modo fructus ab eodem fundo, vel ab illius conductoribus, si qui sunt, provenientes usque ad eandem possessionis diem ab iisdem patribus percipientur.

VII. Quoties patres Societatis Iesu in Marylandia commorantes ea omnia diligenter impleverint, quae a sacra Congregatione in hisce articulis sancita sunt, Archiepiscopus Baltimorensis ex parte sua obligat se suosque successores, spondens, tam se quam illos semper agnituros, ratamque esse habituros liberam ac pacificam Iesuitarum possessionem in reliquis bonis, quae, exinde pontificio etiam accedente placito, iisdem libere administranda relinquuntur, ita ut nulla umquam in posterum vel ab Archiepiscopis, vel a clero saeculari possit iis inferri molestia, aut in pacifica huiusmodi possessione eos ullo modo vel sub quovis obtentu turbari, firmo tamen semper remanente interdicto de bonis non alienandis et salvis oneribus, quae iisdem bonis inhaerent.

§ 3. Omnibus mature perpensis et uti supra dispositis nomine praedictae Congregationis de Propaganda Fide petitum a nobis fuit, ut apostolicae potestatis nostrae munimine roboremus, idque praecipiamus, quod stabili constitutioni mensae archiepiscopalis Baltimorensis iuxta praemissa opportunum videtur. Nos huiusmodi congregationis votis annuere volentes ac singulares personas, quibus praesentes nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus huiusmodi nobis humiliter porrectis inclinati, omnia superius relata et a Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum circa stabilem constitutionem mensae archiepiscopalis Baltimorensis sancita, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, eisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si quos in ea irrepsisse contigerit, sanamus, atque supplemus, mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praeposito generali Societatis Iesu, ut, statim ac praesentes nostrae literae ei fuerint exhibitae, omnia in illis expressa et a nobis approbata accurate exequi teneatur. *Confirmatio apostolica.*

§ 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat et spectabit pro tempore, plenissime suffragari, et ab eisdem inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublata et decretum irritans.*

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXIII. iulii MDCCCXXII. pontificatus nostri anno XXIII.

CIV.

Facultatem tribuit fratribus Congregationis Ruthenorum S. Basilii Magni admittendi Latinos in eamdem congregationem.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Ea sunt ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum erga rem catholicam merita, praesertim in Ruthenae nationis cum hac Petri cathedra unione confovenda atque firmanda, ut commemorari satis ac satis amplo praeconio laudum extolli non possint. Quae quidem merita probe noscens ac praedicans Congregatio venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, cupiensque simul, prout ex usu catholicae rei est, quamplurimos ad institutum illud amplexandum accedere, non ita pridem decretum edidit in haec verba:

Expositio precum, et ratio concessionis. § 2. Cum ordo S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum non modo plurimum de ipsius nationis unione cum sancta Catholica Ecclesia sit meritus, sed etiam praecipuum sit orthodoxae religionis inter Ruthenos columen ac propugnaculum, adeoque ex fel. record. Clementis VIII., Pauli V. Benedicti XIV. aliorumque summorum Pontificum concessione pluribus cumulatus fuerit indultis ac privilegiis, eoque praesertim, ut latinis etiam liber pateat in eamdem congregationem ingressus; cumque modo decrescente eorumdem monachorum numero, procurator generalis nomine totius ordinis humillime supplicaverit, ut ad conservandam augendamque tam benemeritam congregationem, ex qua potissimum Episcopi, sacri praecones ac praeceptores desumuntur, et ad latinos adolescentes magis magisque excitandos ad amplectendum tam salutare institutum benigne renovetur, et, quatenus opus sit, denuo concedatur indultum, ut nempe latinis eidem congregationi se addicere et regularem in ea professionem emittere liceat: sacra Congregatio animadvertens, indultum hoc ad sanctam Ruthenorum unionem servandam propagandamque valde conferre, censuit supplicandum Sanctissimo pro eiusmodi indulti confirmatione seu concessione, itaut latini libere ac licite possint in eadem congregatione admitti, ipsius professionem facere et ad sacros ordines servatis in omnibus servandis promoveri. —

Tenor concessionis. § 3. Nos vero, pro studio, quo in monachos eiusdem ordinis ferimur, caventesque, ne sacra illa societas ad solitudinem redigatur, aut saltem infrequens fiat, neve legendi saepe ex ea Rutheni gregis pastores catholicaeque veritatis praecones desint, referente dilecto filio magistro Carolo Maria Pedicini eiusdem Congregationis secretario, die duodecima maii huius anni decretum id approbatione nostra munivimus. Quum vero nomine congregationis praedictae petitum nobis fuerit, ut de nostra eiusmodi approbatione et indulto apostolicis literis constare velimus, haud gravate inducimur, ut oblatis precibus obsequamur. Rursum igitur decretum, de quo egimus, confirmantes, omnesque ac singulos quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis anathematis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ut qui latino utuntur ritu, libere ac licite possint ordini Sancti Basilii Magni Ruthenorum eiusque congregationibus nomen dare, votisque Deo nuncupatis, id institutum profiteri, auctoritate apostolica concedimus et indulgemus, aliorum Pontificum praedecessorum nostrorum hac de re indulta renovantes ac, quatenus opus sit, id facultatis denuo impertientes.

Clausula sublata, et decretum irritans. § 4. Decernentes insuper has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; praedictoque ordini S. Basilii Magni Ruthenorum, in eumque admittendis tyronibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xxx. iulii MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CV.

Dimissis ab Archiepiscopo Baltimorensi territoriis Mississipi et Alabamae in America Septentrionali, ea gubernanda committit, uti Vicario Apostolico, Iosepho Rosati presbytero Congr. Missionis electo Episcopo Tenagrensi.

Dilecto filio Iosepho Rosati presbytero Congregationis Missionis,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos hodie te ecclesiae Tenagrensi, quae in partibus infidelium consistit, in Episcopum et pastorem auctoritate apostolicâ praefecerimus cum diversis gratiis et indultis, prout in nostris desuper in simili formâ brevis expeditis literis, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, uberius continetur; cumque territoria duo Mississipi et Alabamae in foederatis Americae provinciis, quorum spirituale regimen pertinebat ad Baltimorensem archiepiscopatum, a metropolitanâ sede tam dissita sint, ut, cum Archiepiscopus eorum curam gerere non posset, eam Neo-Aurelianensi Episcopo tamquam Vicario suo generali committere cogeretur: cum Episcopus Novae Aureliae ob translatam suam residentiam in civitatem S. Ludovici in Luisianâ superiori, quae leucas circiter quingentas ab eisdem territoriis distat, eorum curam amplius exercere non possit; aliunde vero Baltimorensis Archiepiscopus a spirituali eorumdem territoriorum regimine se sponte dimiserit; nos, ne fideles, qui ibi versantur, spiritualibus careant auxiliis, Vicarium Apostolicum territoriorum Mississipi et Alabamae cum charactere et titulo episcopali, et cum facultatibus, quibus ceteri foederatarum Americae provinciarum Episcopi potiuntur, eligere decrevimus.

§ 2. Itaque de tuâ pietate, prudentiâ ac studio ac chistianae catholicaeque fidei zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te Vicarium Apostolicum territoriorum Mississipi et Alabamae cum facultatibus alias ab hac S. Sede concessis Episcopis foederatarum Americae provinciarum ad nostrum et Sedis praefatae beneplacitum constituimus et deputamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 3. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium, iuxta tenorem praesentium, recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae archiepiscopalis ecclesiae Baltimorensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIII. augusti MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CVI.

Abrogat in Poloniae regno lit. Leonis X. super exclusione a canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus eorum, qui sanguinis nobilitate donati non essent.

PIUS PP. VII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Quoniam, ut docuit Sanctus Leo Magnus praedecessor noster, « sicuti quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari », idcirco aliquando non recusamus in iis, quae meram ad disciplinam pertineant, aliquid intendere vel remittere, nonnulla etiam, quae prius obtinebant, prorsus invertere.

Expositio constitutionis Leoninae pro regno Poloniae. § 2. Sane, quum res Polonorum publica iis olim vigeret legibus, quae supremam potestatem ad optimates fere integram traherent, facileque in Polonia despicerentur, qui clara maiorum gesta, ductamque generoso e sanguine originem prae se ferre non possent, salubri consilio fel. record. Leo X. praedecessor noster quum sciret, curandum esse ut sacris addicti viri in honore habeantur, Sigismundi primi Poloniae regis prece permotus, vetuit per literas apostolicas datas pridie kalendas augusti anno millesimo quingentesimo quinto ne, exceptis duobus sacrae theologiae ac totidem iuris magistris, assequi aliquis posset dignitates et canonicatus in ecclesiis Episcoporum sede conspicuis, quae intra Poloniae fines essent, nisi a nobilibus parentibus ortum duceret. Sequuta plures post annos sunt tempora, quibus in cunctis, quae veteri Poloniae regno continebantur, regionibus opinionum ac rerum magna est facta conversio, ut; quae Sigismundus Rex cum studio in catholicam religionem clarus, tum rei Polonicae apprime gnarus ac prudens, recte petiit, et a Leone X. Pontifice pientissimo prudentissimoque impetravit, ingens nunc catholicae rei detrimentum importent. Etenim, quum modo illis in regionibus non ea copia sit nobilium adolescentium qui cooptari sacratum in coetum velint, minus digni, immo aliquando prorsus indigni, ad ecclesiarum cathedralium dignitates ac canonicatus vocentur necesse est, si in iis legendis discedere a nobilitate non liceat.

Preces porrectae pro assequenda revocatione legis Leoninae. § 3. Quae quidem incommoda ven. frater Episcopus Plocensis nobis exposuit, postulavitque, ut aliquibus nunc, deinceps vero aliis, veniam queat pontificiae legis facere, ut quamvis haud summo loco nati sint, dignitatibus tamen et canonicatibus ecclesiae suae Plocensis licite admoveantur. Quumque serenissimus Moschorum imperator ac Poloniae rex apud nos agendum curaverit, ut Leonis X. interdictum de viris haud nobilibus ad dignitates et canonicatus ecclesiarum cathedralium non provehendis in universo Poloniae regno quoad Plocensem etiam dioecesim complectitur abrogemus:

Tenor dispensationis. § 4. Nos quibus id studium est, serenissimo imperatori ac regi, optime de nobis merito, quantum, Deo propitio, possumus, gratificari, agnita postulationis aequitate, interdictum illud Leonis X. praedecessoris nostri in universo Poloniae regno revocamus et abrogamus, revocatumque et abrogatum haberi apostolica auctoritate mandamus. Quare ibidem licebit homines haud ortu nobiles, sed tamen honesto loco natos et ex legitimo matrimonio procreatos, nec obnoxios impedimento ulli a sacris legibus constituto, servatis iis, quae servanda sunt, ad dignitates quasvis et canonicatus ecclesiarum cathedralium deinceps evehere.

Derogatio contrariorum. § 5. Id concedimus ac constituimus, non obstantibus memoratis literis felicis recordationis Leonis X. praedecessoris nostri datis pridie kalendas augusti anno millesimo quingentesimo quinto et felicis pariter recordationis Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. augusti MDCCCXXII. pontificatus nostri anno XXIII.

CVII.

Damnat agendi rationem et insaniam presbyteri Gulielmi Hogan in foederatis Americae statibus evehentis se supra Episcopos, et proprii Ordinarii Philadelphiensis, a quo excommunicatus fuerat, res et iura invadentis; reprobat etiam favorem, quo nonnulli laici refractarium fovent. Tolerari insuper non posse pronunciat, aedituos laicos

ius sibi arrogasse bona ecclesiastica independenter ab Episcopis administrandi, et parochos constituendi et amovendi.

Venerabilibus fratribus Ambrosio Marechal Archiepiscopo Baltimorensi, eiusque suffraganeis Episcopis, ac dilectis filiis temporalibus ecclesiarum administratoribus, ac fidelibus universis foederatarum Americae provinciarum,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Non sine magno animi nostri moerore intelleximus, Philadelphiensem Ecclesiam assiduis iamdiu dissidiis et contentionibus ita agitari, ut schismata orta sint, pravae diffusae doctrinae, ac tota ipsa ecclesia in summâ rerum omnium perturbatione versetur; idque duabus praesertim ex causis, nempe ex insanâ presbyteri Guilelmi Hogan arrogantiâ nefariisque ausis, tum etiam ex potestatis abusu quorumdam, qui temporalia ecclesiae bona administrant. Pervenit enim ad aures nostras perditissimum istum presbyterum Hogan, spretis atque subversis Ecclesiae legibus, in iudicem se erexisse Praesulis sui, nec dubitasse illius famam pluribus famosisque libellis dilacerare, fideles a legitimo suo Pastore avertere, Episcoporum concilium ad deponendum eumdem Antistitem advocare per literas, in quibus ipse tamquam supereminens apostolicam iis benedictionem audet impertiri, denique in possessionem cathedralis ecclesiae, expulso Episcopo, sese intrudere. Non illum bonorum querelae, non destitutio facultatum, non excommunicationis poena eidem iuste ab Episcopo illata ab incepto cursu deterrere potuerunt, sed spretis omnibus, sacramenta ministrare, parochialia omnia munia exercere, et sacrosancta mysteria sacrilego ac nefario scelere quotidie celebrare non erubescit, reus palam effectus Corporis et Sanguinis Domini. Execrabilia sane sunt haec.

§ 2. Quod vero et nos et universam Ecclesiam summâ non modo admiratione sed etiam indignatione afficit, illud profecto est, quod presbyter iste in tam manifesto legum omnium contemptu invenire potuerit non paucos sectatores, superbiae et contumaciae suae vindices ac fautores, qui ei potius (posthabitâ ac spretâ Episcopi auctoritate) quam legitimo suo Pastori adhaerere maluerint, cui etiam subsidia ad vitae sustentationem denegare non dubitarunt. Gravissima quidem haec est iniuria non modo Episcopo, sed etiam nobis et Apostolicae huic Sedi illata, ac signum defectionis ab Ecclesiae catholicae unitate, dum datum iis a S. Sede Pastorem ignominiose reiiciunt, et improbum hominem, qui ab ipsius Ecclesiae communione rescissus est, impie sequuntur, minime intelligentes, non eos tantum reos esse qui mala operantur, sed etiam eos qui eisdem assensum suum praebent, quique vel per se vel per alios auxilium, consilium vel favorem iisdem praestare minime reformidant. Ignorant ne ii, quod Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ex quo consequitur, Episcopos esse gregis Christi pastores? Satis autem perspectum est, quod non grex pastorem ducit, sed pastor gregem. Ignorant ne, hierarchicum ordinem ita in Ecclesiâ esse institutum, ut presbyteri Episcopis, Episcopi supremo Christi Vicario subesse debeant, ita ut presbyter ab Episcopo, non Episcopus a presbytero sit iudicandus? quod si fieret, totius Ecclesiae inverteretur ordo ac disciplina. Ignorant ne, non laicorum esse in ecclesiasticis iudiciis sese immiscere, quae Episcopis reservata sunt; propterea que illos nullam in causâ presbyteri Hogan habere partem, sed tantum Episcopo obtemperare debuisse? ignorant ne denique acta omnia, quae ille sacrilege ac temere exercet, nulla prorsus atque irrita esse? Hisce autem perspectis omnibus probe, divinâ opitulante gratiâ, futurum speramus, ut, qui inscitiâ vel errore eidem adhaeserant, et malis illius artibus seducti sunt, agnitâ nunc veritate ad rectam semitam redire festinent, et ab impio homine in posterum diligenter cavere, ne, illum sectantes, participes fiant delictorum eius, ac non effugiant iustum iudicium Dei.

§ 3. Alterum est quod assiduam praebet dissidiis et contentionibus causam, non solum Philadelphiae, sed etiam in pluribus aliis foederatis Americae provinciis, immodicum scilicet atque effraenatum ius, quod aeditui sive temporalium Ecclesiae bonorum administratores sibi vindicare praesumunt independenter omnino ab Episcopis. Id quidem nisi moderatione aliquâ limitetur, perpetua esse poterit abusuum et discordiarum origo. Itaque memorare debent aeditui, bona quae ad divinum cultum nec

non ad Ecclesiae eiusque ministrorum sustentationem oblata sunt, in Ecclesiae potestatem transire: sicut autem Episcopi ex ordinatione divinâ sunt qui praesunt Ecclesiae, ita ipsi non possunt ab eorumdem bonorum curâ, dispositione ac vigilantiâ excludi. Quare sacra Tridentina Synodus expresse mandavit administratores fabricae cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, et quorumcumque piorum locorum singulis annis ad reddendam Ordinario rationem administrationis teneri, addens (sess. 22, cap. 9, de ref.) quod, etiamsi ex praecipuâ aliquâ loci constitutione administrationis ratio reddenda sit aliis ad id deputatis, tamen cum iis adhibendus etiam sit Ordinarius. Quare si aeditui concordi animo cum Episcopo temporalia Ecclesiae administraverint, omnia pacifice et secundum ordinem fient.

§ 4. Novum autem ac plane inauditum est in Ecclesiâ illud quod aliquando istic accidisse accepimus, nempe aedituos et laicos sibi ius arrogasse constituendi pastores legitimis facultatibus destitutos, saepe etiam censuris obnoxios, ut nuper cum Hogan factum fuisse patet, illos etiam pro arbitrio amovendi, atque subsidia praestandi cui ipsi maluerint. Si ita acta sunt, uti fuit nobis nunciatum, quo pacto tolerari posset tam magna legum non ecclesiasticarum modo, sed divinarum etiam subversio? Ita enim non Episcopi praeessent Ecclesiae, sed laici; pastor subditus gregi suo effectus esset, et laici homines potestatem illam, quae Episcopis divinitus data est, sibi usurpare conarentur. At qui volunt in sinu s. matris Ecclesiae manere et sempiternae suae saluti consulere, universalis Ecclesiae leges religiose servare tenentur, et, sicuti civili potestati in iis quae temporalia sunt obtemperandum est, ita etiam in iis quae spiritualia sunt Ecclesiae leges a fidelibus servari debent; neque spiritualia cum temporalibus sunt confundenda.

§ 5. Quare ad vitanda dissidia ac perturbationes, quae ex incircumscriptâ aedituorum auctoritate saepe exoriuntur, regulas et instructiones quasdam vobis, ven. Fratres, pro aedituorum delectu ac moderamine transmittendas curavimus, quibus non dubitamus aedituos se plane conformaturos, quibusque servatis merito fore confidimus, ut omnia rite componantur, et pristina pax et tranquillitas in istis regionibus reflorescat (1). Hortamur itaque

---

(1) Regulas et instructiones per seq. lit. C. de P. F. tradidit, quas ex Tab. Cong. trascribimus.

Illmo. ac Rmo. Dno. Ambrosio Marechal Archiepiscopo Baltimorensi.

XXVII. iulii MDCCCXXII.

Quanta iam fuit Sacrae Congregationis laetitia ex incremento, quod catholica fides in foederatis istis Americae provinciis, divina opitulante gratia, in dies capiebat; tanta nunc animi acerbitate percepit dissidia, contentiones et scandala, quae aliquas earumdem provinciarum ecclesias misere exagitant, quaeque non fidei propagationem, atque decorem, sed illius contemptum ac subversionem minitantur. Re mature perpensa, compertum est, praecipuam malorum causam ex eo potissimum manare, quod ecclesiarum aeditui (vulgo Trustees) immodicum atque incircumscriptum ius sibi arrogant non modo super bonis ecclesiae, verum etiam super delectu pastorum, omniumque ecclesiasticarum rerum dominatu. Ad cohibendam hanc tantam ac effraenatam auctoritatem, ex qua innumera damna procedunt, prorsus necessarium eminentissimis patribus visum est, limitandum omnino esse aedituorum ius, certasque regulas praescribendas, intra quas aeditui continere se debeant. Sed quoniam ea ratio, quae pro ecclesiis imposterum aedificandis adhibenda esse censetur, applicari non potest ecclesiis iam extructis, Sacra Congregatio regulas, quae sequuntur, in utroque casu ac Episcopis servandas esse decrevit.

Quod attinet ad ecclesias, domos presbyterales, coemeteria, et si quae sunt alia ecclesiis adnexa, quae iam aedificata sunt, et quibus administrandis congregatio fidelium laicis aedituis ab initio tam indefinitam contulit potestatem, ut ab huiusmodi administratione Episcopus ipse ac Missionarii arceantur, Sacra Congregatio, perspectis eorumdem locorum legibus et circumstantiis, bene sentit, nimis periculosum fore, aedituos a possessione, in quae sunt civili quodam veluti contractu, depellere. Quare ita se rebus habentibus, alia nulla videtur posse adhiberi via, quam monita et obsecrationes. Rogamus itaque amplitudinem tuam, caeterosque Episcopos suffraganeos tuos, ut cum convocanda fuerit catholicorum Congregatio, a qua quotannis aeditui eliguntur, illius oculis Episcopi subiiciant gravissima damna, perturbationes et scandala, quae plures ecclesias adeo divexant, quaeque non aliunde proveniunt, nisi ex incircumscripta aedituorum auctoritate, easdem Congregationes sedulo, ac per viscera Domini Nostri Iesu Christi, suavibus adhibitis persuasionibus, hortentur et obsecrent, ut ad restituendam tranquillitatem, ordinem atque concordiam, illimitatam hanc aedituorum auctoritatem coercere velint, certisque terminis ac regulis circumscribere velint, quae, sicut accepimus, ab ipsa civili potestate confirmari facile possunt. Monendae sunt igitur eaedem Congregationes,

I. Ut in aedituorum delectu eos tantum eligere velint, qui plura verae pietatis, prudentiae, integritatis argumenta praebuerunt, eosque praesertim, qui sponte subsidia ad cultus divini splendorem pastorumque sustentationem conferre solent.

II. Ut in electione limites apponantur, intra quos aeditui contineri se debeant, ac primum ut ii nequeant ullo modo pastores ab Episcopo approbatos suo arbitratu dimittere, vel excludere ab ecclesia, eisque subsidia, quae ad vitae sustentationem necessaria sunt, denegare.

III. Ut iidem nullo pacto possint sacerdotes facultatibus destitutos vel ab Episcopo reiectos, multo autem minus illos, qui ecclesiasticis censuris ir-

et obsecramus in Domino primum satis perspectam pastorum solicitudinem, ut ipsi omni studio dent operam evellendis abusibus et stabiliendae ecclesiasticae disciplinae, opportune importune instantes, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientiâ et doctrinâ; deinde monemus etiam et adhortamur per viscera Salvatoris nostri Iesu Christi ecclesiarum aedituos certerosque fideles, ut traditos sibi a S. Sede pastores eo quo decet obsequio, honore et obedientiâ prosequantur, illos tamquam patres atque animarum suarum directores agnoscere, illorum monitis facile praebere aures, iis necessaria vitae subsidia suppeditare, non alios sanctuarii ministros excipere, nisi qui ab iisdem probati sint, quidquid denique illi ad rectum ordinem ac disciplinam instaurandam, quidquid ad restituendam pacem conferre posse iudicaverint, aequo promptoque animo amplecti velint, ut non sint schismata et omnes idem sapiant, eamdem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes (Philipp. 2, 2). Et quoniam sub florentissimo isto faustoque regimine catholicis datum est, sanctae suae religionis cultum libere posse exercere, luceat vestra fides ac pietas coram omnibus, ita ut non modo fidelibus, sed etiam iis, qui foris sunt, aedificationi et exemplo esse possitis, Deo ac patriae fideliter servientes. Quod dum divinae gratiae auxilio sedulo libenterque vos praestituros esse confidimus, apostolicam vobis omnibus benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXIV. augusti MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CVIII.

Prorogat facultatem dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, et deputandi idoneos sacerdotes ad illa contrahenda, factam Antistitibus locorum Brasiliae, S. Thomae in Insula, S. Iacobi Capitis Viridis et Angolensi in Africa.

---

retiti sunt, in ecclesiam aut in presbyterales domos introducere.

IV. Ut pastores in sacri sui ministerii exercitio ab aedituorum auctoritate independentes omnino sint.

V. Demum ut aeditui in omnibus, quae sacra respiciunt, cum Episcopo convenire omnino debeant, concorditerque cum illo se gerere. Hae quidem, et si quae sunt aliae ad Ecclesiae bonum et pacem tendentes, regulae proponendae sunt ab Episcopis catholicorum congregationibus, quae ius habent imponendi leges aedituis ad cohibendam immodicam auctoritatem, quae nimis incaute ab initio iisdem collata fuit, quaeque omnium malorum semen et causa est.

Veniens nunc ad ecclesias, quas imposterum aedificari contigerit, merito Sacra Congregatio confidit, ut fideles exemplo ducti malorum, quae ab indefinita aedituorum potestate acciderunt, malint potius in novis extruendis ecclesiis eas, ac bona illis adnexa Episcopis eorumque successoribus plane committere. Quoties ita se gerant, curare debent Antistites ut in ipso civili contractu fideles aperte declarent, sese ea sacra bona fiducialiter tantum, ac pro usu extructae ecclesiae committere Episcopo loci nominando; quae quidem clausula atque conditio, ut relatum nobis est, inclytae Americanae provinciae legibus minime adversantur. Ad vitandum autem omne periculum fraudemque, opus erit, ut Episcopus testamenti sui duo conficiat exempla, quorum alterum penes ipsum praesulem retinendum erit, alterum viro religione atque honestate sua spectatissimo tradendum, ut, si forte contigerit, exemplum ab Episcopo retentum deperdi vel occultari, nequeant illius haeredes ecclesiae bona sibi vindicare, cum ex altero exemplo constet, Episcopum eorumdem bonorum fiduciarium tantum modo possessorem, merumque illorum administratorem extitisse.

Quod si malint fideles sacra eiusmodi bona laicis administranda committere, tunc praesul omni studio cavere debet, ut commissa laicis auctoritas in civili contractu ita limitetur, ut neque ipsi, neque illorum successores ea possint abuti in detrimentum Ecclesiae. Apponendae limitationes erunt eae ipsae, quarum supra meminimus, atque ut contractus legesque impositae laicis maiori vi polleant, curandum erit, ut documentum a catholicorum Congregatione subscribatur. Posset etiam fortasse accidere, ut fideles variis aliquando seducti rationibus, incircumscriptam suis aedituis facultatem conferre mallent. Tunc Episcopus omnem dabit operam, ut fideles isti ab exitiali huiusmodi consilio avocentur. Quod si illi in sua pervicacia permanserint, licebit praesuli novae ecclesiae benedictionem denegare, nullumque iis tamquam ecclesiasticarum legum contemptoribus pastorem praeficere. Hae regulae sunt, quas Sacra Congregatio servandas esse putavit ad propulsanda, quantum fieri potest, innumera Ecclesiae damna, quae aedituorum causa exoriuntur, quaeque facile nunquam cessabunt, nisi effraenis ista illorum auctoritas cohibeatur. Tuum erit, amplissime Domine, iisdem regulis et instructionibus pro tua sapientia prudentiaque, uti iuxta temporum opportunitatem, simulque curare, ut harum litterarum exemplum ad cunctos foederatarum provinciarum Episcopos perferatur, ut in gravissimo huiusmodi negocio sit iis pro norma. Ac fore confidens, ut Deus pacis ac misericordiae benigne velit, divina sua accedere gratia, his providentiis efficaciam tribuere atque incrementum, eumdem enixe precor ut amplitudinem tuam diutissime servet ac sospitet.

Venerabilibus fratribus Antistitibus locorum Brasiliae, sancti Thomae in Insula, sancti Iacobi Capitis Viridis et Angolensi in Africa sub ditione carissimi in Christo filii nostri Ioannis Brasiliae, Portugalliae et Algarbiorum regis fidelissimi existentium,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Veteris concessionis tenor.

§ 1. Apostolicae Sedis benignitas spirituali fidelium utilitati semper intenta, eorumque peculiari necessitati prospicere cupiens, leges, quas Christi Ecclesia provide sapientissimeque sancivit, aliquando, inspectis temporum, locorum rerumque circumstantiis, temperare consuevit. Extraordinariis idcirco gravissimisque causis permotus sanctae memoriae Pius PP. VI. decessor noster, instante clarae memoriae Maria Francisca Regina fidelissima, nonnullas peculiares et amplas ad utilitatem catholicorum in Brasilia commorantium sub ditione laudatae reginae, per suas apostolicas literas in simili forma brevis datas die vigesima sexta ianuarii millesimo septingentesimo nonagesimo sexto tribuit facultates per annos vigintiquinque tantum duraturas, quas dein ad catholicos in regionibus Sancti Thomae in Insula, Sancti Iacobi Capitis Viridis et Angolensi in Africa sub eadem ditione degentes, per similes apostolicas literas datas die vigesima decembris eiusdem anni pariter extendit.

Expositio precum.

§ 2. Quum autem, vigintiquinque annorum spatio iam elapso, carissimus in Christo filius noster Ioannes Brasiliae, Portugalliae et Algarbiorum rex fidelissimus exponens nobis, memoratas gravissimas causas non solum vigere, verum etiam necessitates catholicorum in praefatis omnibus regionibus commorantium in dies augeri, enixis precibus a nobis petierit ut spirituali Christi fidelium regimini et utilitati nova quoque Apostolicae Sedis benignitate opportune consulere dignaremur:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur extraordinariis inspectis rerum, temporum, locorum et personarum circumstantiis, omnibusque mature perpensis, piis ipsius Ioannis regis votis, quantum in Domino possumus, benigne duximus annuendum, vestraque, venerabiles fratres, freti pietate, prudentia et doctrina infrascriptas ad alios vigintiquinque dumtaxat annos duraturas, et ab unoquoque vestrum in propria sua dioecesi cum fidelibus suae curae commissis, intercedente semper aliqua iusta et rationabili causa, gratis exercendas, concedimus facultates; videlicet « Dispensandi in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, super impedimento sive occulto, sive publico primi, nec non primi et secundi, ac secundi tantum affinitatis gradus ex illicita copula proveniente, ac prolem legitimam declarandi et, quatenus agatur de copula habita cum putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post eiusdem putatae uxoris nativitatem et non aliter. Dispensandi super impedimento criminis sive occulto sive publico in matrimoniis contrahendis, neutro tamen coniugum machinante, et in matrimoniis iam contractis etiam quando intervenerit machinatio, dummodo huiusmodi impedimentum fuerit occultum, insinuata per confessarium necessaria renovatione consensus, et in casu difficultatis, convalidato matrimonio in radice, et iniuncta gravi poenitentia salutari. Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis etiam inter levantem et levatum. Dispensandi super impedimento consanguinitatis et affinitatis in secundo simplici in linea aequali, et in secundo etiam mixto cum primo gradu tam in contractis quam in contrahendis. Dispensandi in quinquaginta dumtaxat casibus durante spatio supradictorum vigintiquinque annorum in matrimoniis tam contractis quam contrahendis super impedimento primi affinitatis gradus lineae transversae. Dispensandi in matrimoniis tam contractis quam contrahendis super impedimento tertii et quarti consanguinitatis et affinitatis gradus simplicis et mixti, nec non super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente. Absolvendi dispensandos ab incestus reatu, ac censuris et poenis ecclesiasticis ob huiusmodi excessus quomodolibet incursis, et dummodo mulier rapta non sit, et si rapta in potestate raptoris non existat. Dispensandi super defectu unius anni aetatis pro pubertate statutae ad contrahendum matrimonium, quando malitia suppleat aetatem. Item dispensandi super impedimento disparitatis cultus seu communionis nuncupato in matrimoniis tam contractis quam contrahendis ab una parte catholica cum altera parte Christiana acatholica, celebrandis tamen extra ecclesiam et absque parochi benedictione, privatim coram proprio parocho partis ca-

tholicae, et duobus vel tribus testibus iuxta formam a sacro Concilio Tridentino praescriptam, ac praemissa per partem acatholicam in forma iuris valida obligatione iurata permittendi educationem prolis utriusque sexus in religione catholica, nec impediendi parti catholicae liberum suae religionis exercitium, simulque monita parte catholica de gravi eius obligatione curandi pro viribus partis acatholicae conversionem. Demum deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento confirmationis catholicis dioecesanis in illis dumtaxat locis cuilibet ex huiusmodi presbyteris assignandis, ad quae vos personaliter accedere nequeatis, chrysmate tamen per vos aut alium catholicum Episcopum gratiam et communionem nostram et Sedis Apostolicae habentem benedicto, eodemque novo, si praesto sit, sin minus atiam antiquo, absque tamen pontificalibus insigniis, et ad normam institutionis editae iussu sacrae Congregationis de Propaganda Fide sub die quarta maii millesimo septingentesimo septuagesimo quarto ac typis impressae ». Potestatem insuper vobis tribuimus exercendi praedictas facultates matrimonia respicientes etiam per idoneos presbyteros a vobis in quolibet necessitatis casu prudentur subdelegandos.

Conditiones concessioni adiectae.

§ 4. Volumus autem, ut opportune prae oculis habeatis, quae de dispensationibus in causa matrimoniorum inter propinquos Tridentina synodus sapientissime praecepit capite quinto de reformatione, sessione vigesima quarta, ut, occasione oblata, dilucide illa Christi fidelibus explicetis. Attenta vero maxima distantia et amplitudine locorum regni Congensis, ut catholicorum quoque in illis regionibus degentium spiritualibus necessitatibus opportune occurratur, tibi venerabili fratri Episcopo Angolensi potestatem facimus communicandi supra dictas facultates matrimonia respicientes dignis et idoneis presbyteris, modo tamen et forma superius expressis exercendas, eosdemque presbyteros deputandi pro administratione sacramenti confirmationis iuxta praescriptum in memorata instructione Congregationis de Propaganda Fide.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, aliisque licet expressa et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis, notarii publici manu subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem omnino fides, quae ipsis originalibus, in iudicio et extra adhibeatur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IV. octobris MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CIX.

Deputat tribunal inquisitoriale cum facultatibus cognoscendi crimina, quae obiiciuntur Episcopo Syrensi (1).

Venerabili fratri Aloisio Cardelli Archiepiscopo Smyrnensi ac in insula et urbe Syrensi visitatori apostolico,

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. In Petri Apostolorum principis locum suffecti, cui claves regni coelorum Christus Iesus tradidit, universumque suum gregem pascendum commisit, intelligimus, cum suprema hac potestate impositum nobis gravissimum onus fuisse vigilandi, quoad possumus, et cavendi, ne quae ex eo grege ovis intereat. Itaque arbitramur muneris nostri esse, non solum errores evellere et zizania eradicare, quae in agro Dominico superseminavit inimicus homo, sed et Christifideles ad omnem sanctitatem informare, et scissuras et schismata inter eos vel impedire vel compescere, sontibus etiam si necesse sit, ex sacrorum canonum praescriptione mulctatis.

Memorantur omnia, quae fuerant praemissa, ut componerentur dissidia de bono et aequo.

§ 2. Haec nobis continenter animo revolventibus non potuit, quin occurreret isthaec Syrensis Ecclesia, quam iamdudum magnis molestissimorum dissidiorum motibus perturbatam, et in extremum veluti discrimen adductam compertum habemus. Ac doluimus sane, et vehementer ingemuimus ecclesiam exiguam illam quidem, sed fidelium in religionem catholicam et hanc

(1) Vide supra *Cum nos.*

beati Petri Sedem studio ac pietate antea floridissimam nunc in eum statum devenisse, ut metuendum videatur, ne plures ex iis, rerum meliorum desperatione et in Episcopum suum odio adducti, novo plane et hactenus inaudito exemplo ad schismaticos deficiant. Harum siquidem auctor calamitatum, quod dolenter dicimus, habetur venerabilis frater Ioannes Baptista Syrensis Episcopus, quem plerique accusant, quasi in ea gubernanda ecclesia usus sit ratione, quae cum adversetur sacris canonibus, Episcopi officiis, iustitiaeque praescriptionibus, fere omnium animos ab eo alienavit, et vitae morumque disciplinam vehementer labefactavit. Plurimum nos laboravimus, ut gravissimo huic malo remedium aliquod afferremus, et Episcopum, tum coram, cum Romae esset, quo eum vocaveramus, tum absentem per literas Congregationis de Propaganda Fide, saepe arguimus, obsecravimus, increpuimus in omni patientia et doctrina, ut se tandem reciperet, ad sacros canones omnem suam vitam conformaret, eamque susciperet in sua ecclesia administranda rationem, quae sublata omni offensionis causa Syrenses ei reconciliaret. Verum nihil profecimus, quemadmodum a probabilibus et gravibus auctoribus memorata Congregatio accepit, a quibus nunciatum est Episcopum post reditum in suam dioecesim (quem nostra benignitate impetraverat) nihil de veteri illa sua ratione remisisse, immo pertinaciorem et audentiorem evasisse. Has ob causas de consilio sacrae eiusdem Congregationis eum iterum Romam vocavimus. Cui mandato cum paruisset, et ex urbe ac insula Syrensi eius vicarius, qui Episcopi consiliorum et gestorum particeps videbatur, auctoritate nostra discedere iussus esset, nos per literas in forma brevis die decima octava iunii huius anni datas, ne ecclesia illa episcopali gubernatione careret, te apostolicum eiusdem visitatorem cum potestate episcopali declaravimus. Verum haec satis visa non sunt ad restituendam in pristinam tranquillitatem et splendorem Ecclesiam Syrensem. Nec enim sperandum videbatur Syrenses cum Episcopo hoc umquam pacem habituros, et desituras ecclesiae illius calamitates, si ille episcopatum retineret. Censuit igitur Congregatio, idque a nobis probatum est, ut Episcopo suaderetur voluntaria a suo munere abdicatio, atque, si id impetrari ab eo non posset, iusta et legitima quaestio de criminibus, quae ei adiiciebantur, institueretur ac ex sacris canonibus in eum animadverteretur. Si ille aequissimum abdicationis consilium amplexus esset, res omnis feliciter et ex eius dignitate composita fuisset. At numquam ad id flecti potuit. Illud igitur tantum restat miserum sane ac nobis luctuosum, sed ecclesiae illius saluti omnino necessarium, ut nempe legitima quaestio de Episcopo instituatur. Huic quaestioni te praeficiendum arbitramur, venerabilis frater, qui cum eo munere, quod iam indicavimus, in Syrensi Ecclesia fungaris, et singulari praestas doctrina, dexteritate et integritate in primis aptus videris gravissimo huic negotio perficiendo.

Tenor decreti.

§ 3. Itaque te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, tibi facultates necessarias et opportunas apostolica auctoritate concedimus, ut, servata saltem in iis quae substantiam spectant, et quoad temporum, locorum et personarum circumstantiae patientur, forma quae a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis statuta est, summariam per viam specialis inquisitionis iudicialis quaestionem de criminibus, quae Episcopo Syrensi obiiciuntur, instituas, rationem sequens, quae in instructione ab eadem Congregatione de Propaganda Fide mittenda tibi designabitur, ita tamen, ut solam factorum instructionem sumas, processumque conficias, quem primo quoque tempore ad nos transmittes, ut definitivam sententiam pronunciare possimus, quam nobis reservamus. Mandamus insuper omnibus et singulis in virtute sanctae obedientiae, ut tibi in iis omnibus, quae processum hunc respiciunt, obtemperent et obsequantur, utque praesertim a te acciti, tribunali tuo se sistant, et interrogati verum dicant testimonium, et caetera omnia praestent, quae tu ex iure et ex instructione tibi missa, ab iis ad processum memoratum conficiendum postulaveris.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam

causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque quibuscumque in contrarium facientibus, etiam speciali et individua mentione dignis, quibus apostolica auctoritate derogamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die III. decem. MDCCCXXII., pontificatus nostri anno XXIII.

CX.

Dismembratio duarum provinciarum Floridarum a dioecesi Novae Aureliae, earumque unio vicariatui apostolico noviter erecto in territorio Missisipi et Alabama.

PIUS PP. VII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam tenent partem ea, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum; siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est novos earum limites constituere vel constitutos immutare, prout, habita temporum, locorum et circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Ratio concessionis.

§ 2. Quum, sicut nobis relatum est, duae Floridarum provinciae, Orientalis nimirum, et Occidentalis in America septentrionali, quae primum Archiepiscopo Sancti Iacobi de Cuba, deinde per consistoriale decretum diei X. septembris MDCCLXXXVII. Episcopo Sancti Christophori de Havana in spiritualibus subiectae fuerunt, demum per literas apostolicas datas die XXV. aprilis MDCCXCIII. Neo-Aurelianensi Ecclesiae sub metropolitico iure Archiepiscopi Sancti Dominici, tam longe distent a civitate Sancti Ludovici in Loysiana superiori, ubi Novae Aureliae Episcopus sedem statuit suam, ut ipse Floridarum curam gerere nullo modo possit, eamque propterea sponte dimiserit:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos, ne fideles, qui in Floridis versantur, spiritualibus careant auxiliis, de venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio, ambas Floridarum provincias a Novae Aureliae dioecesi distrahere, easque per modum provisionis unire et adiungere apostolico vicariatui nuper erecto duorum confinium territoriorum Missisipi et Alabama volentes, spiritualem Floridarum curam et iurisdictionem venerabili fratri Iosepho Rosati tamquam vicario apostolico non minus duorum territoriorum Missisipi et Alabama novissime electo cum charactere et titulo episcopali, quam utriusque Floridarum provinciae cum facultatibus, quibus caeteris foederatarum provinciarum Episcopi potiuntur, auctoritate apostolica, tenore praesentium committimus, donec tamen per hanc Sanctam Sedem aliter provideatur. Mandantes propterea venerabili fratri Episcopo Sancti Christophori de Havana in virtute sanctae obedientiae, ne deinceps in Floridarum cura se amplius immisceat.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dioecesis Novae Aureliae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. ian. MDCCCXXIII., pontificatus nostri anno XXIII.

CXI.

Prorogat ad septennium gratias et privilegia alias concessa subditis regni Hispaniarum, qui subiiciuntur iurisdictioni patriarchae Indiarum.

Carissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hispaniarum regi catholico,

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Memorantur literae apostolicae alias ad rem latae.

§ 1. Maiestas tua, per dilectum filium equitem Iosephum Narcisum Aparici tuorum negotiorum procuratorem, literas nostras in simili forma brevis die vigesima octava iulii anno millesimo octingentesimo decimo quinto datas, et prorogationem ad septennium Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et a nobis in tuis regnis atque dominiis permissae respicientes, oculis nostris subiici curavit, tenoris sequentis, videlicet:

Carissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hispaniarum regi catholico,

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor praedictarum literarum.

§ 2. Compertum est nobis, Carolum III. felicis recordationis regem catholicum pio flagrantem desiderio parandi militibus aliisque ad regios exercitus pertinentibus praesidia, quibus, quum fixas sedes plerumque non habeant, frui nihilominus valeant spiritualibus utilitatibus et adiumentis, quae caeteri Christifideles ab ecclesiasticis suis superioribus et praelatis consequuntur, Clementem XIII. sanctae memoriae praedecessorem nostrum supplicem adiisse, ut praedictos milites aliosque ad regios exercitus pertinentes ab Ordinariorum iurisdictione eximeret, subiiceretque iurisdictioni venerabilis fratris pro tempore existentis Indiarum Patriarchae, ac regiorum exercituum vicarii generalis, qui facultates sibi impertitas per ecclesiasticos viros a semetipso delegandos exercere posset super praedictos, ubicumque locorum ii morarentur. Annuit pio religiosissimi principis desiderio praefatus Clemens praedecessor noster, literisque in forma brevis die x. martii anni MDCCLXII. datis in venerabilem fratrem Patriarcham Indiarum expeditas contulit facultates, quas deinde aliis similibus literis die XIV. martii anni MDCCLXIV. datis, confirmavit, quibus etiam ad tollendas nonnullas contentiones inter Cardinalem *de la Cerda* nuncupatum Indiarum tunc Patriarcham et Ordinarios locorum exortas declaravit, concessas facultates porrigi in omnes, qui aut pacis aut belli tempore sub eiusdem Caroli regis vexillis terra marique militarent, viverentque stipendio et aere militari, aliosque praeterea, qui ob aliquam legitimam causam illos sequerentur: eaedem facultates prorogatae deinceps de septennio in septennium fuerunt, tam ab ipso Clemente praedecessore nostro literis in forma brevis die XXVII. augusti anni MDCCLXVIII. datis, quam a Pio felicis recordationis Papa VI. praedecessore itidem nostro similibus literis die XXVI. octobris MDCCLXXVI. et XXI. ianuarii MDCCLXXXIII. et II. octobris MDCCXCV., ac a nobis ipsis similibus pariter literis die XVI. decembris MDCCCIII. expeditis. His et praedecessorum et nostris apostolicis literis ordo constitutus fuit Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis, quam quum Clemens praedecessor limitibus, quos memoravimus, circumscripsisset, Pius tamen pariter praedecessor tuis tuique parentis supplicationibus benigne annuens ampliavit etiam respectu personarum, erga quas exercere eam oporteret, concessa quoque venerabili fratri Indiarum Patriarchae facultate absque ullo scrupulo tutaque conscentia declarandi quaenam personae gaudere praedicta Castrensi iurisdictione deberent, cuius quidem praedecessoris nostri exemplum in superius memoratis nostris literis nos quoque sequuti sumus. Huius ampliationis occasione, duo in lucem prodierunt designationes huiusmodi personarum, altera a Cardinali Delgado die III. februarii MDCCLXXIX., altera ab illius in dicto patriarchatu successore Cardinale Sentmanat die X. iulii MDCCCIV. editis, quibus quum propositum esset personas recensere, quas Castrensis ecclesiastica iurisdictio complecti deberet, praestitutos tamen antea fines praetergredi ultimus praesertim visus est, ita ut Hispaniarum Archiepiscopi et Episcopi non leviter offenderentur, et ipse ven. frater Archiepiscopus Toletanus Cardinalis de Bourbon nuncupatus, vir sane praeclarissimus et religiosissimus, conquestus ob hanc causam apud regium thronum tuum fuerit de venerabili fratre Indiarum Patriarcha, quod in declarandis supradictis personis facultates ab hac Apostolica Sede nostra concessas multis modis excesserit, ingenti Ordinariorum potestatis dispendio. Quas querelas etsi praedictus Indiarum Pa-

triarcha diluere conatus sit, ac ostendere nihil in ea re a se peccatum esse, attamen quae tua est, charissime in Christo fili noster, pietas et erga hanc Apostolicam Sedem devotio, totam hanc controversiam, integrumque de ea iudicium ad hanc nostram Apostolicam Sedem deferri iussisti, ad quam utpote antedictae iurisdictionis fontem pleno iure spectat ipsius iurisdictionis amplitudinem, certosque fines praescribere ac declarare. Quam ob causam audita antea sententia Congregationis dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quam hanc in rem deputavimus, die decima ianuarii superioris anni literas apostolicas in forma brevis ad te dedimus, quibus quidquid in nuperrimo praedicti cappellani maioris edicto super aliis personarum classibus iurisdictioni suae subiiciendis additum reperitur super ea, quae in praecedenti defuncti Cardinalis Delgado edicto aut in literis apostolicis concessionis huiusmodi singillatim fuerat expressum, id omne contra nostram et huius Sanctae Sedis mentem et concessiones factum fuisse declaravimus, atque apostolica auctoritate definivimus. Hisce peractis, sperabamus, omnem in posterum ambigendi occasionem fuisse sublatam. Sed ineunte hoc anno expositum nobis humiliter tuo nomine fuit, haerere adhuc piissimo tuo in animo dubitationes de hac ecclesiasticae Castrensis iurisdictionis ampliatione, versarique hac de re interdum magnas inter angustias religiosissimam conscientiam tuam, quas sperares tolli radicitus posse, si Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis ratio per nos ad eam formam redigeretur, cuius ipse specimen ac veluti prospectum nobis scriptis reverenter exhiberi iussisti, additis etiam seorsim rationibus et declarationibus quae eorum, quae postulabas, opportunitatem demonstrarent, nos propterea orans, ut per nostras apostolicas literas exhibitam tuo iussu Castrensis iurisdictionis formam adprobare benigne dignaremur. Quamobrem quum nihil nobis sit optatius, quam controversiarum germina amputare, omnesque compescere anxietates, quae tuam, piissime rex, tuorumque subditorum conscientiam agitare possent, libenti animo postulationes tuo nomine porrectas excepimus, rogataque iterum sententia Congregationis dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quos in re adeo gravi in consilium advocare censuimus, cuncta a te in ordinationem ecclesiasticae Castrensis iurisdictionis proposita examini subiecimus. Comperimus autem, quod quum ea non adeo ingenti intervallo ab iis finibus recedant, quos Cardinalis Delgado descripserat sua in declaratione, quam nos apostolicis nostris postremis literis quodammodo adprobavimus, tum illud praeseferunt peculiare ac commendatione dignissimum, quod graphice ac veluti in tabula depictum commostrant, totius eiusdem Castrensis iurisdictionis ambitum, dumque ita ambiguitates et controversias amovent praeciduntque, hac utilitate pensant aliquatenus quidquid Ordinariorum potestati decerptum augent Castrensi iurisdictioni. Quae quidem eo lubentiore animo observavimus, quo magis comperimus graviores nobis suppeditare rationes, ob quas desiderium, quo iugiter flagramus, obsecundandi iis, quae tibi grata et accepta esse noscimus, implere tutius atque alacrius valeamus. Quum enim conveniat providae Apostolicae Sedis benignitati facilem se et liberalem ostendere in gratiis et favoribus elargiendis christianis principibus, qui ex praeclaris maiorum suorum meritis et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione et obsequio erga Sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur, nihil nobis optatius obtingere potest, quam quum occasionem oblatam cernimus, qua obsequi tuis votis valeamus, qui tuorum maiorum exemplis, tuaque egregia animi indole excitatus omnibus hisce laudibus cumulatissime praefulges.

Tenor pristinae concessionis.

§ 3. Quibus causis permoti, teque specialibus favoribus et gratiis pro tua erga hanc nostram Apostolicam Sedem observantia prosequi volentes, tuisque piis desideriis annuere, Castrensem ecclesiasticam iurisdictionem in tuis regnis et dominiis eo modo, quem inferius iuxta propositas a te regulas enucleabimus, constituere et circumscribere decrevimus, prout vigore praesentium constituimus et definimus. Ac primum quidem statuimus et decernimus, quod Castrensi ecclesiasticae iurisdictioni praedictae subiecti sint, et subiecti habeantur tam illi, qui foro gaudent belli aut marinae militaris, aut politico, dummodo integro hoc foro gaudeant, et civili scilicet et criminali, quam eorum etiam familiae et omnes personae servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae atque personae toto integroque gaudent praedicto foro, expresse declarantes, quod quae illorum familiae et personae hoc foro non

gaudent, aut gaudent quidem, sed non integro, sub Castrensi ecclesiastica iurisdictione haud comprehenduntur. Quam quidem praefiniendae eiusdem iurisdictionis priorem regulam quum amplectimur, pro certo habemus, nec maiestatem tuam, nec reges tuos successores ullo umquam tempore permissuros, ut toto et integro belli aut marinae foro ulli alii gaudeant, praeter eos, qui pro re militari aut politica regiis exercitibus sint addicti, quique horum familias constituant, ac in horum versentur famulatu. Quoniam vero si omnes et quotquot praedicto gaudent foro ad ecclesiasticam Castrensem iurisdictionem pertinere deberent, graves persaepe orirentur difficultates in administrandis spiritualibus praesidiis aliquibus personarum classibus, quae quum per omnia maiestatis tuae regna et dominia dispersae sint, non raro in locis degunt, in quibus nec ulli existunt Castrenses parochi, nec eos constituere expedit, idcirco, ut saluti animarum et sacramentorum administrationi pro iniuncti nobis pastoralis muneris sollicitudine undique consultum sit, volumus et decernimus, quod generalis regula superius praestituta de personis ecclesiasticae iurisdictioni Castrensi in posterum subiiciendis locum non habeat in officialibus aliisque personis iis copiis adscriptis, quae militiae in Hispaniis nuncupantur, quandocumque dicti officiales dictaeque personae in armis non sint ob aliquod servitium maiestati tuae praestandum, in quo tamen casu illae quidem personae iurisdictioni Castrensi subiectae erunt, sed non earum familiae, nec earum famuli, nisi illae seu isti ipsas personas sequantur, et integro gaudeant foro; praeterea a generali praedicta regula excipimus quemcumque militiae addictum, qui tamen a regio maiestatis tuae servitio immunis sit, etiamsi aliquod a pietate tua stipendium accipiat. Excipimus insuper viduas militum eorumdemque familias et servos, nautas, naucleros praeterea et artifices in cathalogo descriptos, veluti servitio armamentariorum et regiarum navium mancipatos, qui etsi integro gaudeant marinae foro, tamen tunc solum sub Castrensi iurisdictione erunt, quum ad opera servitiaque, quibus vacant, vocati, consueta stipendia percipere incipiant, in quo tamen casu familiae servique eorum ad Castrensem iurisdictionem non pertinebunt, nisi morentur in urbe provinciae principe, aut in loco, in quem convenire iussi fuerint ad proprias uniuscuiusque artes exercendas et integro foro saepedicto gaudeant. Demum sub Castrensi ecclesiastica iurisdictione comprehendi nolumus damnatos ad opus, qui intra arces atque praesidia non continentur, quippe qui custodiae tantum causa a militari imperio pendent, haud vero pertinent ad militiam. Praeter hos vero, quos fori militaris causa Castrensi iurisdictioni subesse volumus, ad eamdem iurisdictionem spectabunt omnes personae, quae regios exercitus sequuntur, eisque exercitibus quocumque nomine, seu titulo, probantibus tamen ducibus, aliisve militaribus superioribus, inserviunt, etiamsi praedictae personae supradicto foro non gaudeant; idque servabitur in casu cuiuscumque militaris expeditionis, tametsi copiae fuerint auxiliares, dummodo tamen spirituali earum regimini alia prospectum non sit ratione, quae a presenti nostra dispositione sit diversa, cui regimini et peculiaribus eius constitutionibus nihil detractum volumus. Ad eamdem praeterea iurisdictionem spectabunt omnes, qui in navibus maiestatis tuae existant, quamvis militiae non sint adscripti, aut ad aliud quodcumque forum, aliamve iurisdictionem pertineant: quod etiam servari volumus in navibus mercatoriis, quae nomine aerarii regii conductae, praesidio navium maiestatis tuae protectae propter aliquam causam sive expeditionem iter facient, etiamsi bellicae naves, quibus proteguntur, auxiliares sint maiestatis tuae, quo in casu eadem repetita intelligantur, quae de copiis auxiliaribus superius constituimus. Eamdem vero ob loci causam regiorum exrcituum vicarius generalis iurisdictione utetur in omnes, qui in quibuscumque arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis militaribus, opificiis in usum rei militaris, et nauticae maiestatis tuae institutis, collegiis militaribus commorentur, in quibus maiestas tua castrenses habeat parochos, aut expedire censeat huiusmodi parochos constituere, excepto oppido Septa praesidiisque minoribus in Africa existentibus, quibus in locis eorumdem Ordinarii plena iurisdictione fruentur, qua hactenus potiti sunt, ratione que loci potiri debuerunt, eaeque tantum personae vicariatui subiectae erunt, quae comprehenduntur sub aliis regulis generalibus a nobis constitutis. In aliis vero arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis, opificiis et collegiis militaribus praefatis vicariatui suberunt etiam

quotquot iis in locis in poenam detinentur, nec non damnati ad opera, infirmi, aliique, qui quamcumque ob causam iis in locis commorari debeant. Arcium autem, fortalitiorum, castellorum supradictorum nomine intelligenda esse declaramus loca illa muris instructa et praesidiis munita, quorum ambitus non pagum, non vicum, non oppidum, non civitatem, aut alia id genus complectitur. Demum iurisdictioni Castrensi subesse volumus ecclesiasticos viros, qui legitimo et consueto more designati aliquod obtineant munus, sive pro administratione iustitiae, sive pro expeditione negociorum ipsius iurisdictionis, sive pro cura animarum una cum ipsorum familiis et reliquis personis eorumdem servitio addictis, quod ipsum ad laicos quoque porrigi volumus, qui legitime, ut supra, munus aliquod exerceant in vicariatu propter easdem causas administrandae iustitiae, expediendique negocia vicariatus, itemque ad ipsorum uxores, et filios non emancipatos cum parentibus cohabitantes, et ad servos. Constituta pro modo, quem hactenus enucleavimus, ecclesiasticae iurisdictionis Castrensis forma ratioque ex quatuor manat fontibus titulisve, propter quos duntaxat sive omnes, sive eorum aliquem quatuor pariter personarum classes vicariatui generali subiici et pro subiectis habendas esse auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus et definimus, ita quidem, ut prior classis ratione fori complectatur personas, quae integro eodem gaudent foro militari tam civili quam criminali, altera ratione servitii eas comprehendat, quae regios exercitus sequuntur et eis inserviunt, tertia ratione loci ex illis constituatur, quae degunt in locis militari imperio subiectis, quarta denique ratione officii iis constet personis, quae apud ipsum vicariatum muneribus funguntur. Ex quibus quidem quum certi statique fines Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis sub oculis quodammodo sint, et illius forma ratioque in nucleo veluti posita videatur, non immerito, charissime in Christo fili noster, in spem ducimur, nullas deinceps ambiguitates perplexitatesque suborituras esse, quibus religiosissimae conscientiae tuae tranquillitas, cui prae omnibus consulere cupimus, angi turbarique valeat. Quod si nihilominus aliquod adhuc oriri dubium contingat, utrum aliqua aut aliquae personae sint aut non sint iurisdictioni Castrensi subiectae, quoniam nostris his literis praescribitur et declaratur nullam aliam personam dictae iurisdictioni manere subiectam, nisi illas, quae quatuor classibus antea expositis comprehenduntur, idcirco maiestatis tuae erit declarare utrum persona aut personae, super quibus dubium oritur, in praedictis quatuor classibus comprehendantur, ad hoc ut sint aut non sint Castrensi iurisdictioni subiectae. Tandem moderno et pro tempore existenti Patriarchae Indiarum, cappellano maiori ac personis ab ipso delegatis seu delegandis ac subdelegandis, in ecclesiastica dignitate constitutis, sive aliis sacerdotibus probis et idoneis facultates omnes iuxta tenorem ac formam praedictarum literarum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, nempe Clementis XIII. die decima martii millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, die decima quarta martii millesimo septingentesimo sexagesimo quarto ac die vigesima septima augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, nec non Pii VI. die vigesima sexta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, vigesima prima ianuarii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, et secunda octobris millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, et signanter nostrarum tam sub die decima sexta decembris millesimo octingentesimo tertio, quam decima ianuarii millesimo octingentesimo sexto expeditarum, concessas, confirmatas, ampliatas et explicatas, quarum omnium tenores pro plene et sufficienter expressis hic haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo etiam confirmamus, tribuimus et elargimur; excepta tamen facultate in dictis literis Pii VI. praedecessoris concessa, ac in superioribus nostris confirmata, sed in postremis pariter nostris literis die decima ianuarii millesimo octingentesimo sexto explicata — declarandi scilicet, quae et quales debeant esse personae huiusmodi exercituum et quibus ipsae frui ac potiri valeant privilegiis, de qua superius iam provisum est, quamque per praesentes auctoritate apostolica excipimus, abolemus ac penitus abrogamus. Itemque easdem gratias, concessiones, privilegia et indulta quaecumque, de quibus in praedictis apostolicis literis facta est mentio, pro memoratis quatuor classibus personarum iisdem modo et forma auctoritate et tenore praedictis ad septennium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synoda-

libus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ordinum, quorum personae huiusmodi professae fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. iunii MDCCCVII., pontificatus nostri anno VIII.

Preces porrectae pro consequenda prorogatione indulti.

§ 5. Quum autem, sicut maiestatis tuae nomine expositum est, expleto iam septennio, facultates praedictae in praecitatis literis expressae in exitu sint, cupiasque illas alterius prorogari, nova adiecta declaratione, ut castrensi ecclesiasticae iurisdictioni praedictae subiecti sint, et subiecti habeantur non solum illi, qui iuxta ante actas leges foro gaudebant integro belli aut marinae militari aut politico, civili scilicet et criminali, quamvis ad praesens civili non gaudeant, qui nunc non existit, sed etiam eorum familiae et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae atque personae ex illis sint, quae, si anteactae vigerent leges, toto integroque gauderent praedicto foro:

Tenor prorogationis.

§ 6. Nos vero maiestatis tuae votis, quantum in Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis porrectis inclinati, moderno ac pro tempore existenti Patriarchae Indiarum uti cappellano maiori ac regiorum exercituum cappellano maiori, et idoneis sacerdotibus ab ipso delegatis vel delegandis aut subdelegandis omnes et singulas facultates in praeinsertis nostris literis contentas et expressas ad septennium proximum tantum duraturas auctoritate apostolica tenore praesentium denuo concedimus et impertimur, nec non easdem gratias et privilegia quaecumque in praecitatis literis concessa iterum elargimur et confirmamus, decernentes, ut Castrensi ecclesiasticae iurisdictioni praedictae subiecti sint et subiecti habeantur non solum illi, qui iuxta anteactas leges foro gaudebant integro belli aut marinae militari aut politico, civili scilicet et criminali, quamvis ad praesens civili non gaudeant, qui nunc non existit, sed etiam eorum familiae et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae atque personae ex illis sint, quae, si anteactae vigerent leges, toto integroque gauderent praedicto foro; servata tamen in reliquis forma et dispositione apostolicarum nostrarum literarum superius relatarum.

Alia derogatio in contrarium facientium.

§ 7. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in eisdem literis non obstare volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXI. ianuarii MDCCCXXIII. pontificatus nostri anno XXIII.

CXII.

Ob grassantem persecutionem concedit Vicario Apostolico et eius coadiutori in Sinis eligere, iuxta modum, successorem (1).

Venerabilibus fratribus Aloisio Fontana Episcopo Sinitensi Vicario Apostolico Sutchuensi provinciae, et Iacobo Leonardo Perochean Episcopo Maxulen. in Vicariatu praefato coadiutori,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum in Sutchuensi provincia persecutio contra christianos, licet paululum imminuta, non sit tamen extincta, et missio illa in his adhuc versetur rerum adiunctis, ut Episcopis Pastoribus suis facile privari possit, idcirco nos pro commissi nobis divinitus pastoralis officii cura, ne Christifideles eiusdem provinciae ob nimiam locorum distantiam Pastoris solatio diu carere contingat, spiritualibus eorumdem fidelium necessitatibus extraordinaria quadam ratione providendum esse decrevimus.

§ 2. Nos igitur vos, venerabiles fratres, a quibusvis excommunicationis, suspensionis

(1) Ex Tab. Cong. Reg. dei Brevi vol. III., p. 230.

quotquot iis in locis in poenam detinentur, nec non damnati ad opera, infirmi, aliique, qui quamcumque ob causam iis in locis commorari debeant. Arcium autem, fortalitiorum, castellorum supradictorum nomine intelligenda esse declaramus loca illa muris instructa et praesidiis munita, quorum ambitus non pagum, non vicum, non oppidum, non civitatem, aut alia id genus complectitur. Demum iurisdictioni Castrensi subesse volumus ecclesiasticos viros, qui legitimo et consueto more designati aliquod obtineant munus, sive pro administratione iustitiae, sive pro expeditione negociorum ipsius iurisdictionis, sive pro cura animarum una cum ipsorum familiis et reliquis personis eorumdem servitio addictis, quod ipsum ad laicos quoque porrigi volumus, qui legitime, ut supra, munus aliquod exerceant in vicariatu propter easdem causas administrandae iustitiae, expediendique negocia vicariatus, itemque ad ipsorum uxores, et filios non emancipatos cum parentibus cohabitantes, et ad servos. Constituta pro modo, quem hactenus enucleavimus, ecclesiasticae iurisdictionis Castrensis forma ratioque ex quatuor manat fontibus titulisve, propter quos duntaxat sive omnes, sive eorum aliquem quatuor pariter personarum classes vicariatui generali subiici et pro subiectis habendas esse auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus et definimus, ita quidem, ut prior classis ratione fori complectatur personas, quae integro eodem gaudent foro militari tam civili quam criminali, altera ratione servitii eas comprehendat, quae regios exercitus sequuntur et eis inserviunt, tertia ratione loci ex illis constituatur, quae degunt in locis militari imperio subiectis, quarta denique ratione officii iis constet personis, quae apud ipsum vicariatum muneribus funguntur. Ex quibus quidem quum certi statique fines Castrensis ecclesiasticae iurisdictionis sub oculis quodammodo sint, et illius forma ratioque in nucleo veluti posita videatur, non immerito, charissime in Christo fili noster, in spem ducimur, nullas deinceps ambiguitates perplexitatesque subordituras esse, quibus religiosissimae conscientiae tuae tranquillitas, cui prae omnibus consulere cupimus, angi turbarique valeat. Quod si nihilominus aliquod adhuc oriri dubium contingat, utrum aliqua aut aliquae personae sint aut non sint iurisdictioni Castrensi subiectae, quoniam nostris his literis praescribitur et declaratur nullam aliam personam dictae iurisdictioni manere subiectam, nisi illas, quae quatuor classibus antea expositis comprehenduntur, idcirco maiestatis tuae erit declarare utrum persona aut personae, super quibus dubium oritur, in praedictis quatuor classibus comprehendantur, ad hoc ut sint aut non sint Castrensi iurisdictioni subiectae. Tandem moderno et pro tempore existenti Patriarchae Indiarum, cappellano maiori ac personis ab ipso delegatis seu delegandis ac subdelegandis, in ecclesiastica dignitate constitutis, sive aliis sacerdotibus probis et idoneis facultates omnes iuxta tenorem ac formam praedictarum literarum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, nempe Clementis XIII. die decima martii millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, die decima quarta martii millesimo septingentesimo sexagesimo quarto ac die vigesima septima augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, nec non Pii VI. die vigesima sexta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, vigesima prima ianuarii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, et secunda octobris millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, et signanter nostrarum tam sub die decima sexta decembris millesimo octingentesimo tertio, quam decima ianuarii millesimo octingentesimo sexto expeditarum, concessas, confirmatas, ampliatas et explicatas, quarum omnium tenores pro plene et sufficienter expressis hic haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo etiam confirmamus, tribuimus et elargimur; excepta tamen facultate in dictis literis Pii VI. praedecessoris concessa, ac in superioribus nostris confirmata, sed in postremis pariter nostris literis die decima ianuarii millesimo octingentesimo sexto explicata — declarandi scilicet, quae et quales debeant esse personae huiusmodi exercituum et quibus ipsae frui ac potiri valeant privilegiis, de qua superius iam provisum est, quamque per praesentes auctoritate apostolica excipimus, abolemus ac penitus abrogamus. Itemque easdem gratias, concessiones, privilegia et indulta quaecumque, de quibus in praedictis apostolicis literis facta est mentio, pro memoratis quatuor classibus personarum iisdem modo et forma auctoritate et tenore praedictis ad septennium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synoda-

libus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ordinum, quorum personae huiusmodi professae fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. iunii MDCCCVII., pontificatus nostri anno VIII.

Preces porrectae pro consequenda prorogatione indulti.

§ 5. Quum autem, sicut maiestatis tuae nomine expositum est, expleto iam septennio, facultates praedictae in praecitatis literis expressae in exitu sint, cupiasque illas alterius prorogari, nova adiecta declaratione, ut castrensi ecclesiasticae iurisdictioni praedictae subiecti sint, et subiecti habeantur non solum illi, qui iuxta ante actas leges foro gaudebant integro belli aut marinae militari aut politico, civili scilicet et criminali, quamvis ad praesens civili non gaudeant, qui nunc non existit, sed etiam eorum familiae et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae atque personae ex illis sint, quae, si anteactae vigerent leges, toto integroque gauderent praedicto foro:

Tenor prorogationis.

§ 6. Nos vero maiestatis tuae votis, quantum in Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis porrectis inclinati, moderno ac pro tempore existenti Patriarchae Indiarum uti cappellano maiori ac regiorum exercituum cappellano maiori, et idoneis sacerdotibus ab ipso delegatis vel delegandis aut subdelegandis omnes et singulas facultates in praeinsertis nostris literis contentas et expressas ad septennium proximum tantum duraturas auctoritate apostolica tenore praesentium denuo concedimus et impertimur, nec non easdem gratias et privilegia quaecumque in praecitatis literis concessa iterum elargimur et confirmamus, decernentes, ut Castrensi ecclesiasticae iurisdictioni praedictae subiecti sint et subiecti habeantur non solum illi, qui iuxta anteactas leges foro gaudebant integro belli aut marinae militari aut politico, civili scilicet et criminali, quamvis ad praesens civili non gaudeant, qui nunc non existit, sed etiam eorum familiae et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae atque personae ex illis sint, quae, si anteactae vigerent leges, toto integroque gauderent praedicto foro; servata tamen in reliquis forma et dispositione apostolicarum nostrarum literarum superius relatarum.

Alia derogatio in contrarium facientium.

§ 7. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in eisdem literis non obstare voluimus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXI. ianuarii MDCCCXXIII. pontificatus nostri anno XXIII.

CXII.

Ob grassantem persecutionem concedit Vicario Apostolico et eius coadiutori in Sinis eligere, iuxta modum, successorem (1).

Venerabilibus fratribus Aloisio Fontana Episcopo Sinitensi Vicario Apostolico Sutchuensi provinciae, et Iacobo Leonardo Perochean Episcopo Maxulen. in Vicariatu praefato coadiutori,

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum in Sutchuensi provincia persecutio contra christianos, licet paululum imminuta, non sit tamen extincta, et missio illa in his adhuc versetur rerum adiunctis, ut Episcopis Pastoribus suis facile privari possit, idcirco nos pro commissi nobis divinitus pastoralis officii cura, ne Christifideles eiusdem provinciae ob nimiam locorum distantiam Pastoris solatio diu carere contingat, spiritualibus eorumdem fidelium necessitatibus extraordinaria quadam ratione providendum esse decrevimus.

§ 2. Nos igitur vos, venerabiles fratres, a quibusvis excommunicationis, suspensionis

(1) Ex Tab. Cong. Reg. dei Brevi vol. III., p. 230.

et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide consilio, vobis facultates necessarias et opportunas auctoritate nostra apostolica per praesentes tribuimus, quarum vigore in casu quo alteruter ex vobis, nempe tu, venerabilis frater Episcope Siniten., qui Vicarius Apostolicus Sutchuensis provinciae ad praesens existis, et tu, venerabilis frater Episcope Maxulen., qui coadiutoris munere in Vicariatu praefato fungeris, missioni illi prius defuerit, superstes ex vobis possit illum ex missionariis europaeis, quem magis idoneum in Domino iudicaverit, eligere in suum coadiutorem cum futura successione in munere Vicarii Apostolici, eumque Episcopum consecrare cum titulo Ecclesiae Episcopalis in partibus infidelium, quo gaudet ille, qui primus ex vobis e vivis erit decessurus, et cum iisdem facultatibus coadiutori praefato tributis. Praeterea superstiti ex vobis, ut eidem coadiutori eligendo ut supra, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperit, munus consecrationis auctoritate nostra praefata impendere licite valeat, accitis, et in hoc illi existentibus duobus, loco Episcoporum, praesbyteris saecularibus seu cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti regularibus praefatae huius Sanctae Sedis gratiam et communionem habentibus, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem.

§ 3. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis ab illo per Episcopum consecrantem iuramento et professione fidei huiusmodi, tam superstes ex vobis consecrationis munus dicto coadiutori impendere, quam ille suscipere praesumpserint, Episcopus consecrans a pontificalis officii exercitio, et tam ille quam consecratus a regimine et administratione ecclesiarum suarum suspensi sint eo ipso. Decernimus praeterea ut Episcopus electus alterutrius ecclesiae ad illam, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur. Mandamus propterea in virtute sactae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore ut coadiutorem a superstite ex vobis eligendum ad officium huiusmodi eiusque liberum exercitium, iuxta earumdem praesentium tenorem, recipiant et admittant, aliique in omnibus quae ad officium huiusmodi pertinent praesto sint atque obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam sive poenam quam rite in rebelles tulerit, seu statuerit, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque et indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris die IV. martii MDCCCXXIII., pontificatus nostri anno XXIII.

CXIII.

Regem Lusitaniae enixe rogat, ut commercium Nigritarum in omnibus ditionibus suis extirpari curet (1).

---

(1) Ex Reg. Epist. Latin.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni regni uniti Portugalliae, Brasiliae et Algarbiorum Regi fidelissimo,

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi perspecta maiestatis tuae virtus monitis atque hortationibus nostris minime indigere videtur, ipsa tamen religionis simul atque humanitatis ratio nos excitat, ut tuum gravissimâ in re studium atque operam requiramus. Quod quidem officium pietatis per se aequitatisque plenissimum eo libentius apud maiestatem tuam gerendum suscipimus, quod et gratissimum tibi fore confidimus, et non parum etiam, ubi illud pro tuâ virtute fueris secutus, utilitatis ac gloriae apud tuas exterasque gentes tibi comparaturum.

Summo cum animi nostri moerore accepimus, Nigritarum commercium, quod in tantâ christianorum principum humanitate ac sapientiâ sublatum penitus atque extinctum putabamus, in nonnullis ditionum tuarum partibus acerbiori etiam, quam antea, ratione adhuc exerceri. Quamquam enim a maiestate tuâ (id quod summae tibi laudi vertendum) nonnullae cum pluribus Europae principibus conventiones initae fuerint ad miserrimam Nigritarum sortem allevandam, ac leges etiam aliquae poenaeque sancitae, quibus ipsorum commercium vetatur, eas tamen saluberrimas legum sanctiones non omnes ditionum tuarum partes aeque amplecti ac devincere cognovimus.

Neque vero solicitudinem nostram fugare potuerunt acerbissima cruciatuum ac molestiarum genera, quibus perditi negotiatores, omnem prorsus humanitatis sensum exuentes, Nigritas ipsos miserandum in modum solicitant. Quibus sane auditis, animo vehementer commoti, ac nobiscum etiam repulantes quantum decessores nostri, doctrinâ non minus quam pietate clarissimi, nefariam huiusmodi hominum servitutem, utpote religioni atque humanitati in primis infensam, constantissime sint aversati, pontificiae nostrae caritati paternoque amori omnino congruere duximus, a tot tantisque malis miserrimam illam hominum partem, quibuscumqne possumus mediis, eripere.

Itaque ad maiestatem tuam, cuius egregiam erga nos voluntatem cognitam penitus planeque perspectam habemus, paterna haec officia dirigimus, eamque intimo cordis affectu hortamur in Domino atque obsecramus, ut, singulari suâ prudentiâ in consilium advocatâ, omnem det operam, uti opportunae illae hac de re legum poenarumque sanctiones in omnibus suarum, qua late patent, ditionum partibus accurate serventur, ac probrosum demum Nigritarum commercium summo cum religionis atque humani generis commodo radicitus extirpetur. Quo praeclarissimo quidem opere nihil erit maiestatis tuae virtute dignius, nihil ad tuam pietatem aequitatemque prodendam atque exterarum praesertim gentium studia tibi devincienda opportunius.

In firmam itaque spem erigimur fore, ut maiestas tua ad tam eximium opus, satis iam suâ sponte excitata, nostris modo hisce accedentibus votis, pro filiali suâ erga nos et Apostolicam hanc Sedem observantiâ, id ipsum alacrius etiam atque enixius urgere velit. Quare age, carissime in Christo fili noster, insitae in regio tuo sanguine pietati ac virtuti obsequere, foedam negotiatorum cupiditatem, qui omnia iustitiae atque humanitatis iura nefario quaestui postponunt, sapienter compesce, tibique omnino persuade, te in hoc strenue suscipiendo negotio, atque ad optatum exitum perducendo, rem quidem Deo primum acceptam, iucundissimam nobis, tibi vero maxime gloriosam esse facturum. Nos interim diuturnam tibi incolumitatem felicitatemque adprecantes a Domino cum peculiaribus paternae caritatis nostrae significationibus apostolicam benedictionem bonorum omnium auspicem tibi, carissime fili noster, amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. martii MDCCCXXIII., pontificatus nostri anno XXIV.

CXIV.

Franciscum Chossat Presbyt. Cong. Missionis Vic. Ap. Missionis Iuliae Cesareae constituit (1).

---

(1) Ex Tab. Cong. Reg. dei Brevi vol. II., pag. 250.

Dilecto filio Ioi Francisco Chossat
Presbytero Cong. Missionis,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ob temporis difficultates multis abhinc annis vacaverit Vicariatus Apostolicus missionis Iuliae Caesareae, magnumque inde detrimentum capere rem catholicam illis in locis compertum sit, nos pro pastoralis officii nostri cura, qua dominicum gregem ubique terrarum existentem complectimur, rei tanti momenti consulere quam cito decrevimus; itaque ad te, qui inter presbyteros Congregationis Missionis connumeraris, ac de cuius pietate, prudentia et zelo, aliisque virtutum meritis indubia nobis perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus, teque proinde a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Propagandae Fidei consilio, te Vicarium Apostolicum missionis Iuliae Caesareae cum solitis facultatibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit pro tempore, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici missionis praefatae officium illiusque liberum exercitium, iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XV. martii MDCCCXXIII., pontificatus nostri anno XXIV.

CXV.

Facultatem tribuit Vicario Apostolico in regione Chiliensi existenti deputandi viros idoneos cum qualitate episcopali, qui ei opitulentur in cura animarum in eadem regione.

PIUS PP. VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Animarum salus, cuius studio vehementer urgemur, id nobis consilii suggessit, ut fraternitatem tuam deligeremus ad gravissimum Vicarii Apostolici munus in regione Chiliensi obeundum. Pluribus idcirco extraordinariis facultatibus te instruximus, quibus et malis, quae illic invenies, mederi, et spiritualibus Christifidelium inibi degentium necessitatibus praesto esse valeas. Animo autem reputantes quid potissimum ad uberiorem capiendum ex procuratione tua fructum conducere possit, facile occurrit in tanta locorum amplitudine, ac plane dolenda ecclesiarum viduitate, opportunissimum fore, si aliqui sacerdotes doctrina et integritate vitae commendati episcopali dignitate augeantur; ut praesidio tibi sint, et dioecesium, quarum administratio temporarie eis per te committenda erit, comodo et utilitati prospiciant.

Tenor concessionis.

§ 2. Ne igitur bonum, cui vehementer intendimus, in longum tempus differatur, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi facultatem et auctoritatem impertimur, simulque committimus, ut duos vel tres ecclesiasticos viros virtute conspicuos, omnibusque dotibus per sacros canones requisitis praeditos, antistites designes, assignata cuilibet una ex infrascriptis ecclesiis episcopalibus in partibus infidelium, nimirum Iborensem vacantem per obitum bonae memoriae Francisci Iosephi de Souza Lima ultimi illius Episcopi extra Romanam Curiam defuncti, itemque Polomoniensem vacantem per obitum bonae memoriae Ioannis Sodhorodeski, ac Vranopolitanam vacantem per obitum

bonae memoriae Iosephi Olechowski, qui utramque ultimo loco tenuerant, et extra Romanam Curiam decesserunt.

Conditiones servandae in nominatione.

§ 3. Postquam vero iidem ecclesiastici viri patentibus literis canonicae institutionis nostro et Apostolicae Sedis nomine per te expediendis, donati fuerint, ac fidei professionem et fidelitatis Romano Pontifici debitae iuramentum emiserint, potestatem tibi facimus, ut ipsis consecrationis munus impendere libere ac licite possis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam expressa et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXVIII. iunii MDCCCXXIII., pontificatus nostri anno XXIV.

CXVI.

Separat ab episcopatu Munkacsiensi graeci ritus in Hungaria archidiaconatum Szathmariensem cum sex vice-archidiaconatibus et septuaginta duabus paroeciis, et subiicit Episcopo Magnovaradiensi graeci ritus, quin hic ullam exercere possit iurisdictionem in Latinos; separationem exequendam committit Nuntio Ap. Vindoboniensi (1).

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Imposita humilitati nostrae in rem christianam universam sollicitudo proferre nos adigit apostolicae benignitatis dispensationem ad ea comparanda, quibus in dominici gregis utilitates facilius prospectum iri dignoscamus. Hoc proinde consilio in eas dioecesium divisiones annuendum ut plurimum censuimus, quibus facilior atque commodior sacrorum procuratio fideli populo conciliaretur.

Expositio precum.

§ 2. Neque alia de causa preces audiendas duximus, quibus carissimus in Christo filius noster Franciscus I. Austriae Imperator atque Hungariae et Bohemiae rex apostolicus superioribus annis institerat, ut ab episcopatu Munkacsiensi graeci ritus catholici amplissima dioecesi tot loca separaremus, quot essent satis ad alteram episcopalem sedem noviter constabiliendam; itemque nonnulla alia seiungeremus alteri iam existenti sedi episcopali incorporanda. Factum inde fuit, ut quinquennio ante omnibus opportune compositis per apostolicas sub plumbo literas datas decimo kalendas octobris anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo decimo octavo novam Eperiessensem graeci ritus catholici episcopalem ecclesiam erexerimus. Nunc vero, quoniam laudatus Franciscus imperator et rex per dilectum filium Antonium comitem Appony suum apud nos et hanc Apostolicam Sedem oratorem extraordinarium preces iteravit, ut ab antedicta dioecesi Munkacsiensi infrascripta loca dismembrando eadem uniamus Magnovaradiensi dioecesi graeci pariter catholici ritus; cumque habito etiam venerabilis fratris Alexii moderni Episcopi Munkacsiensis expresso consensu, luculentis et testimoniis monumentisque nobis constiterit novam hanc dispositionem in summum illius populi commodum fore cessuram, idcirco eiusmodi petitioni benigne annuendum in Domino censuimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Quare, omnibus accurate ac diligenter perpensis, ut catholicorum graeci ritus uniti in illis partibus degentium spirituali regimini facilius consulatur, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, a Munkacsiensi graeci ritus catholici dioecesi perpetuo dismembramus, seiungimus ac separamus archidiaconatum Szathmariensem sex vice-archidiaconatus complectentem cum septuaginta duabus paroeciis, nempe ex vice-archidiaconatu Szathmariensi in comitatu eiusdem nominis paroecias nuncupatas Ovarie, Parisalma, Vetes, Dob, Bagos, Csenger Uifalu; ex vice-archidiaconatu magnokarolyiensi paroecias nominatas Nagy, Karoly, Valachor, Nagy-Karoly Ruthenor, Veszend, Portelek, Dengelek, Endred, Reszege, Körtuéllises Szaniszlo, Csamaukoz, Kiss-Majteny, Domahida, Szent-Mikloss, Esztrö, Genes, Mezo Terem, Kapjou; ex vice-archidiaconatu Nyierensi in comitatu Szathmariensi paroecias vocitatas Lugos, Fabianháza, Vasvany, Ders, Claszari Gebe, Hadasz, Parasznya, Peniszlek; ex vice-archidiaconatu Bihaliensi in comitatu Szath-

(1) Exc. et coll. cum Reg. Bull. Abbreviatoris.

mariensi paroecias denominatas Nanto, Also-Bokad, Rakos-Terebess, Kiss-Szokond, Nagy-Szokond, Felsö-Bokad, Olah-Kodos, Meddes, Olah-Györös, Gyongy, ac paroecias Alsò-Szopor et Kenge in comitatu Szolnoti mediocri; ex vice-archidiaconatu Erdödiensi in comitatu Szathmariensi paroecias nuncupatas Madarasz, Föelle-Terebess, Piskarkos, Zsadány, Amacz Nagykults, Invasko, Paczafalu, Kozep Homorod, Rez-Teleck, Orosz-Falu; et ex vice-archidiaconatu Erdoszadiensi in comitatu Szathmariensi paroecias vocitatas Erdö-Srada, Remette-Mezo, Olah-Uifalu, Tamary, Vorosmarth, Barlina, Lipo, Krasso, Cziko, Olah-Tajfalu, Farhas-Aszod, Szakalos-Biko, Barlafalu, Magyoros, Pap-Biko, Ralaszut, ac Balatafalu, et in eis respective existentes collegiatas, si quae sint, filiales et alias quascumque ecclesias, abbatias, monasteria, et conventus, nec non utriusque sexus habitatores et incolas graeci ritus uniti tam ecclesiasticos quam laicos ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate Episcopi Munkacsiensis omnino eximimus et liberamus, dictumque archidiaconatum cum sex enunciatis vive-archidiaconatibus, ac memoratis septuaginta duabus paroeciis dioecesi Magnovaradiensi perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, omnes in illis habitatores et incolas graeci ritus uniti cuiusvis gradus, status, ordinis et conditionis ordinariae iurisdictioni, regimini, potestati, auctoritati et superioritati moderni ac pro tempore existentis graeco-catholici Episcopi Magnovaradiensis perpetuo item subiicimus atque supponimus; ea tamen expresse adiecta lege, ut tam venerabilis frater Samuel hodiernus Episcopus Magnovaradiensis, quam omnes eius in eodem episcopatu successores nullum umquam ordinariae iurisdictioni Episcoporum catholicorum latini ritus, quam ipsi in suos subditos eiusdem ritus latini in paroeciis ut supra dismembratis exercent, praeiudicium sub quocumque praetextu inferre praesumant, sed antedictus Episcopus Magnovaradiensis, illiusque pro tempore successores iurisdictionem suam in clerum et populum Ruthenorum graeci ritus uniti, inque alios eumdem ritum et unionem sequentes dumtaxat valeat exercere, servantes adamussim et exacte adimplentes omnia et singula decreta ab hac sacra Congregatione de Propaganda Fide quoad Graecos cum Latinis immixtim viventes pluries emanata.

§ 4. Quocirca venerabili fratri Paulo Archiepiscopo Ephesino nostro et Apostolicae Sedis apud supralaudatum Franciscum Imperatorem ac regem nuntio, quem in harum literarum nostrarum exequutorem eligimus et deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates etiam quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam subdelegandi, ac super quacumque oppositione adversus praemissa in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura, servatis de iure servandis etiam definitive et quavis appellatione remota, libere ac licite pronunciandi. Eidem vero Paulo Archiepiscopo et Nuntio iniungimus, ut actorum omnium in praemissorum exequutione conficiendorum authentica exempla suo tempore Romam transmittat in archivio sacrae Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda. *Deputatio executoris apostolici.*

§ 5. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet interesse habentes seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo umquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu impugnari vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus. *Clausula sublata et decretum irritans.*

§ 6. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis et in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, supradictarumque Munkacsiensis ac Magnovaradiensis ecclesiarum etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. *Derogatio contrariorum.*

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, exemptionis, liberationis, unionis, annexionis, incorporationis, subiectionis, suppositionis, statuti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Pe- *Sanctio poenalis.*

tri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCCCXXIII., quinto nonas iulii, pontificatus nostri anno vigesimoquarto.

CXVII.

Confirmat decretum S. R. C. super declaratione privilegiorum circa usum insignium pontificalium, quibus ex Sedis Apostolicae indulto nonnullae dignitates gaudent.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Decet Romanos Pontifices pro impensa ipsorum in ecclesiae bonum sollicitudine maximopere adniti, ut quae per eos identidem decernuntur privilegia, praestitutis legibus apprime contineantur, ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari, aliorumque iura laedi contingat. Sapienti proinde consilio praedecessoribus nostris visum est, re prius per Congregationem Sacris Ritibus praepositam discussa, opportune praefinire, quidnam iuris inducant mitrae ac pontificalium usus aliaque id genus insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi abbates praelatosque nonnullos Episcopo inferiores et quaedam canonicorum collegia honestare. Ita sane fel. record. Alexander VII. praedecessor noster, habita coram se Sacrorum Rituum Congregatione die vigesima septima septembris anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, decretum sancivit, quo leges traduntur de usu pontificalium praelatis Episcopo inferioribus tributo; itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV. constitutionem, quae incipit *In throno iustitiae,* editam tertio kalendas martii anno millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, ad decreta adprobanda, quae eadem congregatio vulgaverat de privilegio pontificalium, quo Urbinatense capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

Ratio concessionis.

§ 2. Haec vero aliaque in eam rem data decreta ex ipso temporum lapsu quandoque etiam ex eorumdem ignoratione sua interdum executione carere, multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebescere dolendum est, quibus in rei sacrae perniciem converti conspiciuntur, quae ab Apostolicae Sedis indulgentia ad cultum religionemque in sacrorum tractatione ipso etiam ornatuum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco et graves querelae perlatae ad nos sunt, ut et episcopalis ordinis maiestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obtrudunt, privilegiorum cuncta pene, quibus episcopalis dignitas splendescit, sibi adtributa arbitrantur, et accuratam sacrorum rituum observantiam vindicemus, quos talium concessionum praetextu impune perfringi admonemur.

Decretum latum a sac. Congregatione Rituum.

§ 3. Ne itaque usus huiusmodi inordinatus privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus, id adhibentes remedii, quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, efflagitabant: neque remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu pontificalium in metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum iniungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, decretum ab eadem prolatum est die XXVII. augusti anni proxime praeteriti, quod hic adiungimus, videlicet « Ex Romanorum Pontificum indulgentia certa quaedam illustria honoris insignia collegiis canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et ordinis maiestas commendaretur magis, et ipsa sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio, ut quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu atque a concedentium voluntate plane absono infeliciter pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contingere, graves undique invalescunt querelae hominum et auctoritate et sapientia praestantium. Nedum enim modus pontificio diplomate praestitutus interdum violari conspicitur, sed id crebro honoris ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum personarumque ratione, quod vix primoribus ex ecclesiastica hierarchia datum dignoscitur ».

« Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit sacra Rituum Congregatio,

quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita: atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium pontificalium collegiis canonicorum insignioribus liberaliter collatum statis quibusdam conditionibus moderandum curavit, praesertim in Panormitana die XXII. aprilis MDCLXXXIV. et in Urbinatensi die XXIX. ianuarii MDCCLII. ».

« Novis tamen et deterioribus adhuc percrebescentibus adversus haec instituta consuetudinibus, nonnullisque dubiis nuper delatis super usu pontificalium in metropolitana ecclesia Barensi, placuit Sanctissimo Domino nostro Pio PP. VII. rem universam eidem sacrae Congregationi discutiendam demandare, quae, exquisita prius sententia sacrae Congregationis Caeremonialis secretarii, itemque Sedis Apostolicae caeremoniarum magistri, cunctisque rationum momentis accurate diligenterque perpensis, edendum censuit decretum, quo pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad ritualium praescriptionum normam coerceantur. Eius porro decreti articuli sunt, qui sequuntur:

I. Sacra peragere ritu pontificali de iure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

II. Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus in propriis ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII. a Benedicto XIV. confirmata.

III. In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

IV. Dignitates, canonici, rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium, prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali Apostolicae Sedis privilegio.

V. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede dignitatibus, canonicis, rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati episcopali, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

VI. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter celebrantem et assistentes cum insigniis pontificalibus.

VII. Nam celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia, non item assistentibus, dum dignitates, canonici, rectores etc. sacra sumere debent indumenta.

VIII. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a sacra Congregatione, caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

IX. Hisce omnibus uti poterit solummodo dignitas, canonicus, aut rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

X. Qui vero in missa solemni diaconum et subdiaconum agunt, etiamsi sint dignitates, canonici etc., nec mitram, nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad evangelium et ad epistolam adhibere poterunt.

XI. Dignitatibus, canonicis, rectoribus etc. missam cum insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis vel impediti, vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum pluviali et mitra. In reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

XII. In ecclesiis civitatis et dioecesis cum insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in maioribus solemnitatibus, assentiente Episcopo, et assistente capitulo.

XIII. Numquam vero iisdem utantur in missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

XIV. Si dignitas vel canonicus, etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum vel novitia, expleto tyrocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus insigniis uti nequeat, nisi de expressa Episcopi licentia, qua obtenta, iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

XV. Cum pontificalibus indumentis cele-

brans nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris, qui officio diei respondeat.

XVI. Nequit praeterea tam in solemni, quam in missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, palmatoria, presbytero assistente, salutare populum cum ℣. *Pax vobis* « loco ℣. *Dominus vobiscum* » aut trinam dare benedictionem post missam, vel cum Sacramento, et si quae sunt alia, quae solis competunt de iure Episcopis, et ex privilegio praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere statis diebus concessum est.

XVII. Dignitates, canonici, rectores etc. quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris indumentis, videlicet pluviali vel casula vel dalmatica amicti in processionibus sanctissimi Corporis Christi, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, etiamsi has functiones peragat dignitas vel canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti aut vita functi.

XVIII. Assistentes Episcopo tam in altari, quam in cathedra, quando ministrant vel cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

XIX. Solemniter celebrantes, dum Episcopus sacra assumit indumenta, aut solium ascendit, stent sine mitra.

XX. Non liceat eis uti pulvino sub genubus, Episcopo praesertim assistente.

XXI. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum oloserico velo e collo pendente, nisi pro dignitate, canonico, rectore etc. solemniter celebrante vel sacramentum in processionibus deferente.

XXII. Dignitates, canonici, rectores in processione sanctissimi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

XXIII. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

XXIV. In missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum a simplicibus sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelae luceant in altari.

XXV. Defuncti nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum mitra.

XXVI. In eorumdem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito, non apponatur mitra.

XXVII. Insigniis seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in literis apostolicis.

XXVIII. Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad sacram Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii, providebit.

Si quae vero capitula amplioribus, ac praeter huiusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec iura in sacram Congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

Confirmatio apostolica.

§ 4. Hoc porro decretum, ac rationum momenta, caeterasque Sanctae Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus, cumque experientia edoceamur ex minus recto privilegiorum huiusmodi usu plura incommoda redundare, ac praesertim haud parum detrahi splendori episcopalis dignitatis, quam sartam ubique ac tectam nostri est muneris protueri, idem decretum, ut illius dispositio firmius subsistat atque accuratius observetur ab omnibus, auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus et confirmamus, eique perpetuae inviolabilisque firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus, illudque ab iis omnibus et singulis ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illius observantia et adimplemento ullo umquam tempore recedi debere mandamus.

Conditiones adiectae.

§ 5. Praeterea hisce nostris apostolicis literis ea iterum ad observationem revocari volumus ac, quatenus opus sit, denuo adprobamus et sancimus, quae per praedecessores nostros, ac praesertim per felicis recordationis Alexandrum VII. in memorato decreto diei XXVII. septembris MDCLIX., illiusque declaratione edita sub die XX. iulii MDCLX., nec non per fel. record. Benedictum XIV. sua constitutione, quae incipit *In throno iustitiae,* atque alias per sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu pontificalium praelatis Episcopo inferioribus et canonicis attributo.

Mandatum de servando rescripto.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis per apostolica scripta mandamus, ut praesentes no-

stras literas atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate nostra debitae executioni demandari, illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet, per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 7. Praesentes autem literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in ius vel controversiam vocari; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos et Sedem Apostolicam praedictam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, factis et faciendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere. Sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus quibusvis editis vel edendis specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et, quatenus opus sit, ecclesiarum, quarum capitulis pontificalia insignia concessa reperiuntur, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae adprobationis, confirmationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCCXXIII., quarto nonas iulias, pontificatus nostri anno XXIV.

CXVIII.

Revocat literas apostolicas quibus fuerat institutum vicariatum apostolicum territorii Mississipi et Alabamae in foederatis Americae provinciis, et novam dioecesium divisionem in ipsis provinciis statuit (1).

---

(1) De eadem re ad Ludovicum Du Bourg Episcopum Novae Aureliae Pontifex scribit.

Venerabili fratri Ludovico Guillelmo Novae Aureliae Episcopo,

PIUS PAPA VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum superiori anno ex relatione secretarii Congregationis ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum susceperimus, duo territoria Mississipii et Alabamae appellata, in foederatis Americae provinciis existentia, quorum spirituale regimen pertinebat ad Baltimorensem Archiepiscopum, a Metropolitana sede tam dissita esse, ut neque Archiepiscopus praedictus per se ipsum, neque per te tamquam suum Vicarium generalem, attenta translatione tuae residentiae in civitate S. Ludovici in Luisianâ Superiori, quae leucas circiter quingentas ab iisdem territoriis distat, eorum curam gerere posset, ac proinde Baltimorensis Archiepiscopus a spirituali eorumdem territoriorum regimine se sponte dimiserit: nos pastoralis officii nostri esse duximus, il-

Dilecto filio Iosepho Rosati presbytero Congregationis Missionis electo Episcopo Tenagrensi,

PIUS PP. VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum superiori anno ex relatione secretarii Congregationis venerabilium fratrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum acceperimus, duo territoria Mississipi et Alabama appellata, in foederatis Americae provinciis existentia, quorum spirituale regimen pertinebat ad Baltimorensem archiepiscopatum, a metropolitana sede tam dissita esse, ut neque Archiepiscopus praedictus per seipsum, neque per venerabilem fratrem Ludovicum Novae Aureliae Episcopum tamquam suum vicarium generalem, attenta translatione suae residentiae in civitatem Sancti Ludovici in Luisiana superiori, quae leucas circiter quingentas ab iisdem territoriis distat, eorum curam gerere posset, ac proinde Baltimorensis Archiepiscopus a spirituali eorumdem territoriorum regimine se sponte dimiserit, nos pastoralis officii nostri esse duximus, illorum fidelium necessitati consulere, ac propterea te in Vicarium Apostolicum duobus territoriis praedictis cum charactere et titulo episcopali ecclesiae Tenagrensi, per alias nostras in simili forma brevis die decima tertia augusti millesimo octingentesimo vigesimo secundo datas literas, designavimus, ac dein, quum praedictus Episcopus Novae Aureliae, ob distantiam pariter locorum, Floridarum curam gerere nullo modo posset, eamque propterea sponte dimiserit, ambas illas provincias a Novae Aureliae dioecesi distractas, ad tempus, et donec aliter per hanc Sanctam Sedem provideretur, apostolico vicariatui praedicto per alias pariter nostras in simili forma brevis die XXI. ianuarii currentis anni datas literas adiunximus. Nunc autem ex recenti eiusdem Congregationis secretarii relatione literis Episcopi Novae Aureliae innixa nobis innotuit, vicariatus praedicti institutionem et successivam Floridarum unionem, nec non tuam ad vicariatum huiusmodi designationem, non modo inutiles esse, ob catholicorum in statibus illis infrequentiam, non modo inopportunas, eo quod regiones illae Episcopo sustentando omnino impares sint, verum etiam, quoad praedictam designationem, religioni ipsi in tota Luisiana ex-

---

lorum necessitati consulere, ac propterea Vicarium Apostolicum duobus territoriis praedictis cum charactere et titulo episcopali dilectum filium Iosephum Rosati presbyterum congregationis Missionis per alias nostras in simili formâ Brevis die XIII. augusti MDCCCXXII. datas literas designavimus, ac deinde, quum tu, ob distantiam pariter locorum, Floridarum curam gerere nullo modo posses, eamque propterea sponte dimiseris, ambas illas provincias a Novae Aureliae dioecesi distractas, ad tempus et donec aliter per hanc S. Sedem provideretur, Apostolico Vicariatui praedicto per alias pariter nostras in eâdem formâ Brevis die XXI. ianuarii currentis anni datas literas adiunximus.

§ 2. Nunc autem ex recenti eiusdem Congregationis Secretarii relatione tuis literis innixa nobis innotuit, Vicariatus Apostolici praedicti institutionem et successivam Floridarum unionem, nec non praedicti Rosati designationem, non modo inutiles esse ob catholicorum in statibus illis infrequentiam, non modo inopportunas eo quod regiones eae Episcopo sustentando omnino impares sint, verum etiam, quoad praedictam designationem, Religioni ipsi in totâ Luisianâ extremam perniciem afferre; intereant enim oportet, prout asseritur, tum domus Congregationis Missionis, quae nuper tantâ cum ecclesiae utilitate in Luisianâ condita est, tum Seminarium clericorum, tum denique Collegium adolescentibus religioni ac bonis artibus instituendis praedicto Iosepho Rosati, Vicario electo, a Luisianâ abeunte, qui unus his omnibus, propter sacrorum ministrorum, qui in eâ regione commorantur, exiguum numerum et immaturam aetatem, utiliter praeesse potest.

§ 3. Hisce mature perpensis, ac de eorumdem ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio pro maiori Religionis et fidelium utilitate de sententiâ decedere opportunum esse ducimus. Nos igitur praedictas apostolicas literas, quibus Vicariatum Apostolicum territoriorum Mississipii et Alabamae in foederatis Americae provinciis instituimus, eique Floridas ex dioecesi Novae Aureliae disiunctas adiunximus, et praedictum Rosati in Vicarium Apostolicum huiusmodi elegimus, auctoritate apostolicâ tenore praesentium revocamus et abrogamus, et ita, ut dilectus filius Iosephus Rosati praedictus, qui Episcopus Tenagrensis fuit a nobis per alias apostolicas literas die XIII. augusti MDCCCXXII. datas electus, et nunc forsan consecrationis munus iam suscepit, revocatâ designatione ad Vicarii Apostolici officium, opem tibi in procurandâ ecclesiâ tuâ ferat, et sit tuus Coadiutor, sub lege tamen instituendâ, tibique et illi imponendâ, ut Luisiana tota in duos Episcopatus intra triennium dividenda sit: qua quidem divisione nondum perfectâ, si tu (quod Deus avertat) e vivis decedas, Rosatus praedictus universam Luisianam initio obtinere debeat, eâ vero divisione ad exitum perductâ, unam tantum ex duabus illis sedibus gubernare ipse teneatur, alterâ illi relictâ, quem Sedes Apostolica designaverit: quod si vero, te adhuc vivo (id autem a Domino ex corde precamur) Luisianae divisio absolvatur, tunc volumus, ut Rosatus praedictus continuo, coadiutoris tui officio deposito, per apostolicas literas eo tempore scribendas, illius ex duabus sedis Episcopus sit instituendus, quam tu relinques. Haec auctoritate nostrâ mandamus atque statuimus; non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. iulii MDCCCXXIII., pontificatus nostri anno XXIV.

tremam perniciem afferre, intereant enim oportet, prout asseritur, tum domus Congregationis Missionis, quae nuper tanta cum Ecclesiae utilitate in Luisiana condita est, tum seminarium clericorum, tum denique collegium adolescentibus religioni ac bonis artibus instituendis, te a Luisiana abeunte, qui unus his omnibus propter sacrorum ministrorum, qui in ea regione commorantur, exiguum numerum et immaturam aetatem, utiliter praeesse potes. Hisce mature perpensis, ac de eorumdem venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio, pro maiori religionis et fidelium utilitate de sententia decedere opportunum esse ducimus.

Tenor revocationis, et novae concessionis.

§ 2. Nos igitur praecitatas apostolicas literas, quibus vicariatum Apostolicum territorium Mississipi et Alabama in foederatis Americae provinciis instituimus, eique Floridas ex dioecesi Novae Aureliae disiunctas adiunximus, et te in vicarium apostolicum elegimus, auctoritate apostolica, tenore praesentium revocamus et abrogamus, et ita, ut tu, qui Episcopus Tenagrensis fuisti a nobis per alias apostolicas literas die XIII. augusti MDCCCXXII. datas electus, et nunc forsan consecrationis munus iam suscepisti, revocata designatione ad vicarii apostolici officium, opem Episcopo Novae Aureliae in procuranda ecclesia suae feras, fungendo munere sui coadiutoris, sub lege tamen instituenda, tibique et illi Episcopo imponenda, ut Luisiana tota in duos episcopatus intra triennium dividenda sit; qua quidem divisione nondum perfecta, si Episcopus Novae Aureliae (quod Deus avertat) e vivis decedat, tu universam Luisianam initio obtinere debeas; ea vero divisione ad exitum perducta, unam tantum ex duabus illis sedibus tu gubernare tenearis, alteri illi relicta, quem Sedes Apostolica designaverit. Quod si vero Episcopo Novae Aureliae adhuc vivo (id autem a Domino ex corde precamur) Luisianae divisio absolvatur, tunc volumus ut tu, continuo coadiutoris officio deposito, per apostolicas literas eo tempore scribendas, illius ex duabus sedibus Episcopus sis instituendus, quam Episcopus Novae Aureliae relinquet. Haec auctoritate nostra apostolica mandamus atque statuimus, non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum de servanda nova divisione.

§ 3. Mandamus propterea in virtute sanctae obebientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te ad officium coadiutoris, et, si divisio Luisianae, vivente Episcopo Novae Aureliae, ad exitum non fuerit perducta, tunc ad universae Luisianae spirituale gubernium initio, iuxta earumdem praesentium tenorem admittant, tibique in omnibus, quae ad huiusmodi gubernium pertinent, praesto sint, atque obediant, tuaque salubria monita et mandata reverenter suspiciant, ac efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris in rebelles, seu statueris, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. iulii MDCCCXXIII., pontificatus nostri an. XXIV.



LEO PP. XII.

CONSTITUTIO I.

Vicario capitulari Leodiensi scribit de lege contrahendi matrimonium coram magistratu civili antequam in faciem Ecclesiae contrahatur: legem damnat et explicat oeconomiam S. Sedis super dispensatione graduum in casibus (1).

Dilecto filio I. A. Barrett
Vicario Capitulari Leodiensi,

LEO PP. XII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Minime novae accidunt nobis angustiae, in quibus locorum Ordinarii in regno isto versantur ex eo quod leges fidelibus obligationem imponunt, civiles coniugii formas coram magistratibus implendi antequam matrimonium contrahere valeant iuxta eam formam quae a S. Tridentino Concilio decreta est. Tantam hanc calamitatem in regno isto et in aliis amarissime deploramus. Scimus enim quam gravia mala inde exurgant, et quam ingentia pericula animarum saluti ab hoc veluti fonte dimanent. De hoc itaque rerum statu merito doles tuis literis die xx. dec. superiorioris anni datis, nosque in iis religionis zelum, quo praestare te scimus, apprime recognoscimus. Quod vero ad nos scribis, Card. Poenitentiarium maiorem nostrum dispensationes in favorem pauperum relaxare nolle, *nisi constet ex testimonio Ordinarii quod matrimonium dictum civile coram magistratu iam contraxerint,* perinde ac si coniugium, civiliter attentatum, tamquam necessariam conditionem ad relaxandas dispensationes exigeret, ac quoddam veluti meritum ad eas consequendas agnosceret et haberet, id falsum omnino esse tibi significamus. Haec enim agendi ratio a spectatissimo Cardinali illo, nobis probantibus iubentibusque, tenetur. Peculiari in primis, ac multo maiori, quam erga ceteras nationes, indulgentiâ utitur, cum de dispensationibus fidelium istius regni agitur, ac si, quantum ad matrimonia in gradibus primi affinitatis lineae collateralis, aut primi et secundi consanguinitatis *civiliter* inita, facilem in dispensando se praebet, aegro admodum animo id facit, immo vero conditiones gravis ac diuturnae poenitentiae atque eleemosynae pro viribus erogandae in literis dispensationis appositae probant, factum *civilis contractus* acriter illum improbare ac detestari. Adhuc tamen considerans nullam adesse rationem ut qui vinculo illo incaute aut malo se animo constrinxerunt, ab eo expedire se valeant, utpote quod regni leges insolubile reddunt, piae matris Ecclesiae misericordia iis poenitentibus subvenit, qui admissum facinus agnoscunt et detestantur, ut sese Deo et Ecclsiae reconcilientur; neve ceteri pravum illorum exemplum sequantur, gravibus ab hoc eos poenitentiis deterret.

§ 1. Quod si in concedendis gratuito praesertim in primo affinitatis gradu dispensationibus absque urgenti et gravissimâ causâ difficilem se praebet, ad id strictâ impellitur obligatione illâ, quae S. huic Sedi incumbit, ne in destructionem potius, quam in aedificationem, apostolica cedat auctoritas et indulgentia. Ita enim accideret, si facilitas dispensandi leve esse primi affinitatis gradus vinculum demonstraret, et, scandalosis huiusmodi coniunctionibus multiplicatis, machinationibus in coniugum vitas aliisque criminibus fraenum facile laxaretur. Uno verbo, Apostolicae huius Sedis oeconomia haec est, ut, civili nexu constricto, necessitati invita subveniat, re vero integrâ abusui periculi pleno voluntarie nolit cooperare.

§ 2. Probe autem cognoscimus, permultos adesse qui contemptâ auctoritate ecclesiasticâ ac spe freti eam flectendi ad dispensationem elargiendam, facili negotio a gubernio impetrant veniam, cum consanguineis et affinibus civiliter contrahendi, atque ita diu in incestuoso scandalique pleno concubinatu vivunt. Atque hoc quidem

(1) Ex Roskovany. De matrimonio in Ecclesia catholica potestati ecclesiasticae subiecto. Coll. cum Reg. Literar. Latinar. in Arch. Vatic. existent.

gravissime nos angit; videmus enim a perversis huiusmodi ecclesiae filiis qui ad eius leges infringendas paratum animum afferunt, parum aut nihil utilitatis expectari posse. Iudicamus tamen, indulgentiâ nostrâ ulterius protractâ, meliores fructus et familiarum catholicarum conservationem polliceri nobis non posse; quandoquidem qui magnum matrimonii sacramentum tam pravo animo ac voluntate suscipiunt, fructus benedictionis difficile admodum producturos. Haec ad tuas literas rescribimus, et cum paternâ praecipuâ caritate apostolicam tibi ac fidelibus curae tuae concreditis benedictionem impertimur ex corde.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. febr. MDCCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

II.

Ordinatio seminarii Romani, illiusque unio cum collegio Germanico.

LEO PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Recolentes animo divinum illum effatum « Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea », deque morum emendatione solliciti, nihil, Deo adiuvante, praetermittimus, quod ad rectam adolescentium institutionem pertineat, seduloque curamus, ut honestis artibus aut literis imbuantur, praesertim autem, ut in eorum mentes mature pietas influat. Ac Romanum quidem lycoeum, finitimamque amplissimam domum, olim a felicis recordationis Gregorio XIII. praedecessore nostro fundatam, clericisque regularibus Societatis Iesu attributam, clericis iisdem restituendam decrevimus una cum adnexo templo et proxima sacra aede Caravitica, ut imitati veterum e suo coetu sodalium exempla pergant literis iuventutem instituere, pietatis autem stimulis omnem aetatem, et omne genus hominum incitare. Sed quia Romani nostri seminarii alumni iampridem in aedes Gregoriano lyceo iunctas migrarunt, vetus autem illorum domus alium, nec facile nunc immutandum, conversa in usum fuit; non potuimus non paternas nostras curas in id intendere, ut alumnis illis, praeclaram in spem succrescentibus, et e quibus ministros apprime pios, rerumque divinarum peritos, Ecclesia sibi pollicetur, aptum alibi domicilium paremus. Simul ut opportunam in disciplinam tradantur, ac ne redditaum penuria utilitates intercipiat, quas a iuventute expectamus, iuramenti fide divinis misteriis addicta, alia nonnulla statuere ac decernere visum est.

§ 2. Motu igitur proprio, certa scientia, plenaque apostolica potestate sancimus atque mandamus: I. Ut seminarii nostri Romani regimen penes saecularem romanum clerum maneat. Regimen seminarii clero saeculari conceditur.

II. Ut eius alumni sedem mutent, et in aedem collegii olim Germanici transferantur, ita tamen, ut iis pateant etiam cubicula, quae rustici operis atrium spectant, pateat solarium, pateantque integri duo superiores ordines cubiculorum, qui sunt in finitima aede Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium bono regimini praepositorum, quorumque ordinum alter in ipsa aedificii corona fenestras habet, alter supra coronam attollitur. Translatio seminarii in sedem collegii Germanici.

III. Ut haec omnis aedificatio pleni, liberi, perpetuique iuris seminarii Romani habeatur, utque aditus obstruatur ad reliquas aedis partes, quibus deinceps Congregatio fruetur. Aedificii proprietas seminario conceditur.

IV. Ut qui tempore quovis erit in urbe eiusque districtu Romanorum Pontificum vicarius in spiritualibus generalis, is in ipso seminario sedem ac domicilium habeat. Praefinitio sedis et domicilii in seminario pro vicario generali in spiritualibus Summi Pontificis.

V. Ut, quamdiu secus non praescribetur, alumni collegii Germanici in seminario Romano degant; Cardinalis autem vicarius patroni Germanicae iuventutis vices impleat. Et iuventus excipietur contuberniis (italice *camerate*) a iuventute seminarii Romani seiunctis; sed utriusque nationis iuvenes eadem literaria institutione ac mensa eadem utentur. De distributione contuberniorum pro alumnis Romanis et Germanicis.

VI. Ut, nisi aliquando statuetur secus, collegii Germanici redditus seminario Romano accedant, unumque in patrimonium coalescant. Unio redditaum seminarii et collegii Germanici.

VII. Ut seminarii Romani annuus census scutatorum nummorum quindecim millibus constet. Ea summa conflabitur e tribus scutatorum millibus, quae proprium annuumque seminarii vectigal sunt; e scutatorum sex millibus, quibus ad ferendas impensas adiuvatur quotannis ab aerario nostro apostolico, aliisque sex scutatorum millibus, quae singulis annis percipiet e Germanici collegii redditibus; qui redditus, Dotatio seminarii.

si eam summam non conficient, quod deerit, ab aerario nostro pendetur.

De subrogatione reddituum seminarii, si obvenerit segregatio a collegio Germanico.

VIII. Ut si aliam Germanico collegio domum aptari, illudque a seminario Romano dissociari contiget, ab aerario nostro suppeditetur quidquid statuto seminarii patrimonio deficiet.

Ius collegio tributum creandi doctores in sacra theologia.

IX. Ut potestas sit in seminario Romano sacrae theologiae doctores creandi, eoque honore iuvenes afficiendi, qui consuetum ibi sacrarum disciplinarum cursum confecerint, factoque de eorum eruditione periculo, honore illo digni reperti fuerint.

Exemptio seminarii a iurisdictione parochiali.

X. Ut parochorum nemini in seminarium Romanum ius sit, sed e sacerdotibus qui in seminario procurationem aliquam habent, a Cardinali vicario aliquis eligatur, qui omnia ac singula parochi munera diligenter obeat erga professores disciplinarum, alumnos, convictores, ministros, famulos et alios quoslibet Cardinali vicario vel seminario addictos; dummodo illi in seminario constitutum domicilium habeant, in eoque morentur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Haec apostolica auctoritate constituimus ac mandamus, decernentes insuper has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa, quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ac legis fundationis praedicti seminarii ac collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. aprilis MDCCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

III.

Iosephum Petrum Habaisci Ep. Tripolitanum confirmat Patriarcham Anthiochenum Maronitarum etsi quadraginta annis minor sit, et ex tribus suffragiorum partibus non adamussim duae in eius electionem convenerint, eumque absolvit a vinculo Ecclesiae Tripolitanae (1).

---

(1) Ex Reg. dei Brevi vol. III., p. 255.

Quum per obitum Rmi D. Ioannis Petri Dôlci Maronitarum Patriarchatus Antiochenus vacasset, Episcopi eiusdem nationis die XXV. maii a. MDCCCXXIII. in monasterio Canubinensi S. Mariae congregati elegerunt in novum Patriarcham Rmum D. Iosephum Habaisci Episcopum Tripolis.

Postea tum ab electo Patriarchâ Iosepho, tum ab Episcopis electoribus ad felicis recordationis Pium Papam VII., et ad S. Cong. de Prop. Fide per rev. patrem Basilium Dursun oratorem et procuratorem literae missae sunt, quibus S. S. rogabant, ut electum Patriarcham confirmare, eique Pallium de B. Petri corpore sumptum, tradere dignaretur.

Aliae praeterea a Rmo D. Aloysio Gandolfi Episcopo Icosiensi et Vicario Apostolico Hierapolitano, nec non ab Episcopo Maronitâ eiusdem civitatis, et a proceribus nationis, atque a generalibus Monachorum Abbatibus in idem argumentum scriptae sunt epistolae, quibus electi Patriarchae Iosephi merita ac virtutes omnium assensu et plausu enunciabantur.

Totius igitur negotii examine, referente R. D. Petro Caprano Archiepiscopo Iconiensi et Secretario S. Congregationis de Propagandâ Fide, a Sanctitate Sua ad Emos Patres eiusdem S. Congregationis remisso, in Congregatione generali habitâ die XII. ianuarii MDCCCXXIV. editum est huiusmodi Decretum:

Quum S. Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro relatam a R. P. D. Petro Caprano Archiepiscopo Iconiensi in audientiâ habita die XXV. ianuarii currentis anni, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, et in Consistorio habito die III. maii seq. habuit allocutionem:

VENERABILES FRATRES,

Die duodecimâ mensis maii superioris anni mortalis vitae cursum explevit bonae memoriae Ioannes Petrus Dolce Antiochenus Maronitarum Patriarcha. Iustis eidem de more persolutis, convenerunt illius nationis Episcopi ad eligendum Patriarcham, quem in demortui locum sufficerent. Collatis itaque suffragiis, ven. fratrem Iosephum Habaisci Episcopum Tripolitanum tam insigni dignitate ornandum declaraverunt. Huiusmodi electio non Episcopis modo, monachis, et primoribus eiusdem nationis probata, sed communibus etiam totius po-

Venerabili fratri Iosepho Petro Habaisci Episcopo Tripolitano in Patriarcham Antiochenum nationis Syro-Maronitarum,

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accommode prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis Pastor accedat idoneus et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat atque informet, ac bona Ecclesiae sibi tradita non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

§ 1. Sane Patriarchalis Ecclesia Antiochen. nationis Syro-Maronitarum cui bo. me. Ioannes Petrus Dolce ultimus illius Patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Ioannis Petri qui, extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem Patriarchalis Ecclesiae celerem et felicem, ne Ecclesia Patriarchalis huiusmodi longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Patriarchali Ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te nuper Episcopum Tripolitan. quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi catholici, et dilecti filii clerus nationis Syro-Maronitarum ad praefatam Patriarchalem Ecclesiam pro eorum Patriarcha elegerunt seu postularunt, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit; et attendentes quod tu qui Ecclesiae Tripolitan. hactenus laudabiliter praefuisti, munus Consecrationis suscepisti, solemniter celebrasti, ordinationes habuisti, Sacramentum Confirmationis administrasti, et ita bene te gessisti, dictam Patriarchalem Ecclesiam scies, voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae Ecclesiae Patriarchali nationis Syro-Maronitarum quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis oc-

---

puli plausibus generatim excepta est. Iam enim eximiarum virtutum fama, quibus electus Patriarcha eminet, per universam Maronitarum gentem clare percrebuerat.

His permota rationibus, venn. fratrum nostrorum, qui negotiis Propagandae Fidei praesunt, Congregatio nobis supplicandum decrevit, ut memoratam electionem confirmaremus, licet irregularitates aliquas in ipsam irrepsisse contigerit. Harum prima illa est, quod ex tribus suffragiorum partibus, non adamussim duae, ut Libanensis Concilii canones a Benedicto XIV. approbati diserte praescribunt, in electionem consenserint. Electores enim cum decem numero essent, electio non pluribus quam sex suffragiis peracta est. Altera vero, quod ven. frater Iosephus Habaisci quadragesimum aetatis suae annum nondum attigerit, cum idem Concilium Libanense neminem eligi posse in Patriarcham statuerit, qui annum aetatis suae quadragesimum non expleverit.

Nos autem animadvertentes Episcopos ipsos, de quibus sermo est, antequam ad ferenda suffragia accederent, de hoc inter se convenisse, ut si de aliquo in Patriarcham eligendo ageretur, qui episcopali dignitate iam praefulgeret, sex ad eius electionem suffragia satis essent, ven. vero fratrem Iosephum Habaisci Episcopum Tripolitanum aetatis suae defectum copiosâ virtutum et meritorum supellectili compensare; ipsius electionem in Antiochenum Maronitarum Patriarcham nobis confirmandam esse duximus, sanatis auctoritate nostrâ irregularitatibus, quae huiusmodi electionem reddere irritam possent.

Atque ut novo Patriarchae luculentius paternae caritatis nostrae testimonium praebeamus, eum sacro Pallio de corpore Divi Petri sumpto decorare, ut postulat, constituimus, atque hoc pastoralis officii plenitudinis insigne ipsi mittere per dilectum filium Basilium Dursun Ordinis Antoniani congregationis Montis Libani Abbatem, et eiusdem Patriarchae in Urbe procuratorem. Omnibus insuper privilegiis novum Patriarcham ditabimus, quibus eius praedecessores ornari a Sede Apostolicâ consueverunt. Hoc pacto rem ipsi gratam et inclytae Maronitarum nationi, quam eadem Sedes Apostolica singulari studio libens meritoque prosequuta semper est ac prosequitur, acceptissimam faciemus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et approbamus electionem a venn. fratribus Episcopis Syro-Maronitis factam de personâ ven. fratris Iosephi Habaisci Patriarchae, quem absolvimus a vinculo quo tenetur Ecclesiae Tripolitanae, ac transferimus ad Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syro-Maronitarum, praeficientes eum in Patriarcham et Pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedulâ Consistorialibus exprimitur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

casione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ut provisio et praefectio per nos ut infra faciendae praesentesque nostrae litterae suum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes ipsamque electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate approbantes et admittentes omnesque et singulas ac substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum, te licet absentem a vinculo quo Vestrae Ecclesiae Tripolitan., cui hactenus praefuisti tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad dictam Patriarchalem Ecclesiam Antiochen. nationis Syro-Maronitarum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine paribus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem dictae Patriarchalis Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam Patriarchalem Ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata Patriarchalis Ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigatur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Patriarchalem Ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque Patriarchalis Ecclesia Gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; nec non venerabilibus fratribus nostris suffraganeis Orthodoxis ac dilectis etiam filiis Capitulo et Vassallis dictae Patriarchalis Ecclesiae ac clero et populo eidem Patriarchali Ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam ac reverentiam debitas et devotas ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, ac clerus te pro nostra et eiusdem Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli vero praefati te debito honore prosequentes tibi fidelitatem debitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita inde exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi dictae Patriarchalis Ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum te in aliquo immisceas, in manibus duorum venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum vel Episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in illis partibus degentium seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam praesentibus adnotatam, et sic a te praestiti iuramenti formam ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus, ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat. — Forma autem iuramenti quod praestabis talis est: — Ego Iosephus Petrus Habaisci Patriarcha Antiochen. nationis Syro-Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Romanae Sedi et Domino nostro Domino Leoni Papae XII. suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio aut consensn vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter

manus quomodolibet ingerantur vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore; consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae Domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc propose et, quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos et rebelles Domino nostro et successoribus praefatis propose persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad patriarchalis Ecclesiae meae statum et cleri et populi disciplinam. Animarum denique quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo curabo et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar; quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio capituli mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum; de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione S. Concilii Tridentini per supradictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli mei, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. —

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo vigesimo quarto, quinto nonas maii, pontificatus nostri anno primo.

IV.

Gratulatur Episcopo Chelmensi rhuteni ritus de amplo reditu a Russiae Imperatore et Poloniae Rege ecclesiae cathedralis capitulo concesso.

Venerabili fratri Ferdinando Ciooanowsoki Episoopo Chelmensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolioam benediotionem.

§ 1. Pergrata nobis fuerunt ea, quae tu ad fel. rec. praedecessorem nostrum Pium Septimum scripsisti de annuo reditu decem et octo millibus florenorum a serenissimo totius Russiae Imperatore et Poloniae Rege Alexandro I. ad Capituli cathedralis ecclesiae tuae, Nativitati Bmae Virginis Mariae ac S. Wladimiro dicatae, commoditatem destinato, quaeque nobis in eius locum suffectis allata sunt, ut opportunam tibi responsionem de toto negocio mitteremus. Ac fuit quidem nobis merito iucundum literas illas tuas perlegere. Non modo enim singulare continent tuae in Apostolicam Sedem observantiae et venerationis testimonium, verum etiam praeclarum afferunt summae Imperatoris ac Regis munificentiae argumentum, qui praeter illum, quem diximus in Capituli tui utilitatem reditum

annuum decretum, ita etiam est animo comparatus, ut ampliorem quoque pecuniae summam eâdem de causâ pendere velit in posterum, ubi primum per imperialis regiique aerarii sui vires licebit. Voluimus nos, quae tu scribebas, a venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis perpendi, nobisque deinde, quae eorumdem de totâ re sententia esset, referri. Id vero postquam accurate perfectum est, nihil aliud etiam de memoratorum venn. fratrum nostrorum consilio tibi scribendum esse censemus, nisi laetari nos magnopere cathedralis Ecclesiae tuae, cui ob serenissimi principis clementiam copia offertur veteris splendoris sui non leviter recuperandi.

§ 2. Gratulamur igitur tibi ac Capitulo cathedralis ecclesiae tuae vehementer laetamur, quod, ubi antea propter amissam ob rerum vicissitudines maiorem reddituum suorum partem ad eas erat angustias reductum, ut valde parvum haberet canonicorum numerum, erigi nunc ex paupertate suâ possit ac, copiosiori cononicorum numero restituto, publico divino cultui splendidius inservire. Contingere fortasse poterit, ut Capituli reditus pro Imperatoris ac Regis munificentiâ, quemadmodum commemoravimus, aucti sufficiant non modo restituendis quinque dignitatibus ac veteri numero canonicorum cathedralium, verum etiam honestae canonicorum gremialium substentationi constituendae. Utrum vero copia sit in praesentiarum totum illum canonicorum veterem numerum restituendi, an oporteat pauciorem illorum numerum designare, nemo rectius te poterit iudicare, qui omnia loci adiuncta plane nosti, quique rei adminicula omnia habes explorata. Illud tamen tibi certum esse debet, vel omnes iuxta veteris Capituli tui formam canonici restituantur, vel ob redituum angustiores fines necesse sit minorem eorum numerum restituere, id nunquam germanae Capituli antiquitati esse obfuturum. Persuasum igitur nobis est, te reditum illum annuum, quem magnanimus Imperator in Capituli tui bonum decrevit, accipientem curaturum, ut omnia in illo recte constituantur, conservatis dignitatibus, insignibus honoris, ac praerogativâ qualibet, quibus antea iure potiebatur.

§ 3. Certum etiam nobis est, te diligentiâ tuâ facturum, ut quinque praelati, quemadmodum utebantur antea crucis et hypogonatii gerendi facultate, ita etiam utantur in posterum; adhibeant vero crucis insigne canonici, qui antea illius gerendae copiâ gaudebant; neque minus est nobis animo persuasum, te pro summo, quo praestas, sacrorum canonum custodiendorum studio, illos tantum in posterum ad canonicatus cathedrales nominaturum atque instituturum, quos ex clero tuo pietatis, doctrinae morumque integritatis laude commendatos esse compereris, ceterisque praeditos esse ornamentis, quae in beneficiorum collatione Ecclesiae decreta requirunt, ac servaturum etiam haec omnia in titularibus seu gremialibus canonicis nominandis instituendisque eo numero, quem arbitrio prudentiaeque tuae relinquimus ac reservamus. Denique illud tibi certum esse volumus paratos nos esse iustis petitionibus semper annuere, vehementerque optare veram, qua te ecclesiamque tuam prosequimur, benevolentiam tibi ostendere, libentique animo esse excepturos, si aliquid scripseris nobis, quod ad Capituli bonum promovendum tibi statuendum esse videatur. Postremo tibi ac gregi tibi commisso apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII. aug. MDCCCXXIV., pontificatus nostri anno I.

V.

Reintegrat patriarchatum Coptorum Alexandriae in Aegypto.

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium in quo de praestantia sedis Alexandrinae disseritur.

§ 1. Petrus Apostolorum princeps, qui pro accepta divinitus potestate pascendi universas oves et agnos Christi suam in omnem terram adhibebat sollicitudinem, adiutorem suum et interpretem Marcum in Aegyptum misit, ut Alexandriae, quae urbs tum in Aegypto tum in orbe universo celeberrima habebatur, patriarchalem sedem conderet, ex qua Aegyptii et finitimae gentes Christi praecepta ac instituta docerentur, et ad omnem sanctitatem christianorum hominum propriam informarentur. Haec eius sedis origo eamdem ve-

hementer nobilitavit. Itaque veteres Alexandrinam sedem a Petro Apostolo decoratam apostolicam, et cum ecclesia Romana affinitate et cognatione quadam coniunctam, et secundam post Romanam orbis christiani sedem praedicarunt. Nativae huic Alexandrinae sedis nobilitati ea accessit, quae ex plurium praesulum, qui eamdem obtinuerunt, sanctitate ac virtutibus, atque ex diuturna praesulum Alexandrinorum in Orthodoxa fide retinenda constantia, sponte sua emanavit. Quem enim latent luculentissima illa ecclesiae Alexandrinae lumina et ornamenta Athanasius et Cyrillus? Quis ignorat Alexandrinos per diuturnum tempus vera cum laude gloriari potuisse eorum Patriarchas quemadmodum et Romanos pontifices fidem rectam et immaculatam servasse?

Vicissitudines quibus Alexandrina sedes subiecit memorantur.

§ 2. Haec aliaque cathedrae Alexandrinae ornamenta saepe animo nostro reputantes, et cum iis conferentes, quae deinde evenerunt, non potuimus a lacrymis temperare, et cathedrae olim florentissimae miserrimam conditionem non deflere. Haec enim cathedra, cuius diutius tanta extitit constantia in fide catholica tuenda, ut Sanctae huius Sedis, quam nos meritis licet imparibus obtinemus, imitatricem et discipulam ostenderet, protinus Bioscori et Thimothei Eluri scelere impietatis cathedra evasit, eademque nefarie occupata fuit ab hominibus ex eorum Monophisitarum genere qui Iacobitae dicti sunt, quod Iacobum Zangalum sive Beradeum illius impietatis veluti instauratorem in explicanda haeresi illa sequerentur. Ac fuit illud calamitosissimum quod tanto temporis intervallo, quantum ab ea aetate ad nos effluxit, et praecipue postquam Aegyptus in potestate Saracenorum redacta est, fere nemo ex iis patriarchis fuerit, qui Bioscori et Iacobi errores vel sequutus non sit vel sincere et constanter eiuraverit, et qui Aegyptios sibi subiectos a Saracenis Coptorum nomine appellatos, aliosque qui iis parebant, in earumdem sententiarum perversitate pertinacius continere conati non sint. Quamvis autem Alexandriae Graeci suos habuerint Patriarchas, qui una cum hominibus sibi creditis doctrinam de duabus Christi naturis tuebantur in synodo Calcedonensi generali confirmatam, et qui Melchitae dicebantur, tamen nec iis semper per Saracenos licuit eam dignitatem sibi assumere et vindicare; et cum deinceps fere omnes hi Patriarchae una cum suis plurimis gregalibus in Graecorum errores et schisma inciderint, et ipsi a catholicae fidei unitate miserandum in modum defecerunt. Itaque Aegypto fere omnino catholica religio deleta est. Quod si posterioribus temporibus missionariorum latinorum praecipue laboribus ac periculis nonnulli Copti ab errore ad veritatem revocati sunt, illi quidem ita pauci fuerunt, ut vere pusillus grex appellari potuerit, et praeterea a caeteris Coptis perpetuo afflicti et vexati proprio Episcopo carere coacti sunt, nec aliis iis praesto fuit praeter vicarium apostolicum ab hac Sancta Sede designatum, aliosque nonnullos ex ea praecipue gente presbyteros, qui spiritualibus eorum necessitatibus provideret.

Renunciatio emissa a Patriarcha qui catholica dogmata minime profitebatur.

§ 3. Sed benedictus Deus et pater omnis consolationis, qui moerorem nostrum levare velle videtur, quo ex tanta Alexandrinae sedis, imo et universae Aegypti, calamitate obruti sumus! Nam fortissimus ille vir, qui in eo regno nunc rerum potitur, consilium suscepit, quo nullum est salubrius, ut nempe ipso diutius ferre nolit, ut quis se veluti Coptorum Patriarcham gerat, quin catholica dogmata profiteatur, idque nobis manifestandum et patefaciendum curavit. Qua eius voluntatis declaratione nihil potuit evenire nobis iucundius. Intelleximus enim eo rem spectare, ut, sublatis qui per tot saecula sedem Alexandrinam haeresi sua contaminaverant viris, efficiantur plane catholici, et digni qui Sancti Marci successores habeantur. Nec nos certe fugit illam etiam posse inde existere utilitatem, ut quae gentes Coptis patriarchis haereticis hactenus obtemperantes in eorumdem errorum genere versatae sunt, catholicis Patriarchis constitutis, se se recipiant, errores, quibus assensi sunt, detestentur, et nostrae huic cathedrae principali, quae cum novi Patriarchae communione coniungantur et ipsi uniantur.

Resolutio Sacrae Congregationis Prop. Fidei super reintegratione patriarchatus catholici.

§ 4. Itaque manus nostras ad coelum elevantes ea qua par est animi demissione Deo, a quo omne datum optimum est, innumeras gratias agendas duximus, eodemque tempore rogandos de re universa sententiam venerabiles fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui Congregationis de Propaganda Fide res ac negotia moderantur. Qui post diligentem, ut solent, rei considerationem censuerunt pro patriarchatu Copto, qui cum tamdiu ab haereticis occupatus fuerit, et non iure sed facto tantum existere videtur, novum, quoniam di-

vino consilio se opportune offert occasio, statuendum esse auctoritate nostra apostolica, sive restituendum iustum legitimumque Coptum patriarchatum, cui omnes parere debeant, qui aut vicario apostolico Coptorum, aut illis subiiciebantur, qui se quamvis perperam Coptorum Patriarchas Alexandrinos dicebant.

Erectio patriarchatus.

§ 5. Hanc venerabilium fratrum nostrorum memoratae Congregationis sententiam nos vehementer probavimus. Itaque ex certa scientia ac matura deliberatione nostris et de plenitudine apostolicae potestatis, sublato, quatenus opus sit, Copto patriachatu Alexandrino qui de facto tantum extabat, patriarchatum Coptum Alexandrinum catholicum statuimus vel restituimus, cui omnes qui in Aegypto sunt Copti subiici debeant, omnesque praeterea earum gentium homines in quas patriarchae haeretici ad eum usque qui nuper extremum diem obiit, auctoritatem exercere contendebant. Huic autem patriarchatui Copto catholico, eique, qui illum obtinebit, omnes honores, privilegia, praerogativas, nomina, omnemque potestatem tribuimus, quae vel sacris canonibus innititur, vel consuetudini, cui non irrationabilia momenta suffragentur.

Electio Patriarchae.

§ 6. Verum satis non est ad id obtinendum, quod, patriarchatu hoc constituto, confidimus impetraturos patriarchalem dignitatem statuere, nisi ille etiam eligatur qui eamdem gerere debeat. Quamvis autem mos Coptorum sit, ut praecipuae Episcoporum, qui Patriarchae subiiciuntur, in eo eligendo partes sint, nullam tamen eorum rationem haberi hoc tempore posse iudicarunt venerabiles fratres S. R. E. Cardinales de Propaganda Fide, quos etiam hac de re consuluimus. Nam si eum excipimus qui nuper a nobis electus et consecratus est Archiepiscopus Memphetensis, caeteri omnes Episcopi Copti tum haeresi tum schismate ab ea sede divelluntur, unde omnis oritur potestas sacerdotalis. Itaque nullo eligendi patriarchae iure potiuntur. Nobis proinde, ut plena qua nos Christus donavit Episcopos ubique locorum constituendi potestate uteremur, consuluerunt, atque, prout ab ipsis etiam postulaveramus, spectatum virum indicarunt, quem eligere in patriarcham possemus, dilectum nempe filium Maximum Givaid sacerdotem Coptum genere, vicarium Coptorum apostolicum, qui nuper a nobis Utinensis Episcopus in partibus infidelium renunciatus est, et tamen consecrationis munus nondum suscepit.

Concessio iurium et praerogativarum.

§ 7. Ex eorum igitur consilio, auctoritate omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra eligimus et creamus Patriarcham catholicum Coptorum memoratum Maximum Givaid cum omnibus honoribus, iuribus, praerogativis, oneribus patriarchatui ipsi inhaerentibus, eum absolventes ad effectum tantum de quo agitur consequendum ab omni censura tam a iure quam ab homine forsan illata, et ab omni irregularitate dispensantes, eumque solventes, quatenus opus sit, ab omni vinculo quod cum ecclesia Utinensi contraxerat, ad quam electus fuerat, et ad patriarchatum praememoratum transferentes.

De consecratione electi.

§ 8. Volumus insuper ut ipse, quoniam hactenus consecratus non fuit, consecrationis munus suscipiat ab Episcopo aliquo vel Archiepiscopo, qui communione et gratia Sanctae huius Sedis Apostolicae fruatur, et quidem ritu Copto, qui omnis tamen superstitionis expers sit, dispensantes eum ab hoc nostro ritus Copti adhibendi praecepto eo tantum casu, quo perfici id non possit, eidemque tunc permittentes ut ritu latino consecretur. Volumus pariter ut intra tres menses ab eo tempore inchoandos, quo primum authenticum nuncium de sua electione acceperit, consecrationem recipiat; quod si eo temporis spatio perfici consecratio vere non posset, ad alios tres menses idem tempus prorogamus, iubentes, ut diutius consecratio non differatur. Permittimus tandem et opportune dispensamus, ut eius consecrationi possint cooperari duo praesbyteri loco duorum Episcoporum, qui ex veteri et communi consuetudine assistere deberent.

Deprecatio.

§ 9. Speramus fore, ut per merita Iesu Christi filii sui Deus misericordiarum pater his quae a nobis hisce in literis constituta sunt omnipotentia et gratia sua faveat, atque inde uberrimi illi fructus existant quos in huius patriarchatus institutione seu restitutione nobis proposuimus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 10. Praesentes autem literas, atque in eis contenta et statuta quaecumque, et ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes, vel quomodolibet habere praetendentes, cuiusvis status, ordinis, conditionis et praeeminentiae, illis non consenserint et auditi non fuerint, vel ex qualibet alia iuridica et privilegiata causa, colore ac praetextu nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aliove quolibet, licet substantiali, defectu notari, im-

pugnari aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari vel in controversiam vocari umquam posse, sed tamquam ex pontificiae providentiae officio certa scientia et potestatis plenitudine nostris factas et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere, ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, quibuslibet apostolicis ac in provincialibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; quibus omnibus et singulis eorum tenores pro expressis habentes, ad praemissorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 12. Volumus autem ut harum literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, restitutionis, electionis, absolutionis, translationis, deputationis, facultatis, indulti, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo vigesimo quarto, decimo octavo kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

VI.

Status Missisipensis ab Archiepiscopo Baltimorae ob distantiam dimissi regimen Episcopo Novae Aureliae veluti Vicario Apostolico committit.

Venerabili fratri Ludovico Gulielmo Neo-Aurelianensi Episcopo,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum ven. frater Ambrosius Marechal Archiepiscopus Baltimorensis, cuius iurisdictioni dioecesanae status Missisipensis in Foederatâ Americâ subiectus erat, ob nimiam a dioecesi suâ distantiam sponte se a iurisdictione in eumdem abdicaverit, nos, dimissione eiusdem Baltimorensis Archiepiscopi acceptatâ, necessitati fidelium eiusdem status consulere volentes, donec, factâ divisione Luisianae in duos Episcopatus, illud regimen uniatur Episcopo viciniori, ac de tuâ probitate, integritate, doctrinâ, atque prudentiâ plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, etc. censentes, de venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis de Propaganda Fide praepositorum consilio, fraternitati tuae regimen eiusdem status sub titulo Vicarii Apostolici ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum committimus cum solitis facultatibus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 2. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos pertinet, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant, et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti status etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in

suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX. augusti MDCCCXXV., pontificatus nostri anno II.

VII.

Innovatis decessorum constitutionibus, sectas Ecclesiae et societati adversas, quocumque appellentur nomine, damnat; obligationem eos denunciandi imponit; principes et fideles ad earum incrementum impediendum hortatur etc. (1).

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur literae a Clemente XII. datae pro damnatione eiusdem iniquae societatis.

§ 1. Quo graviora mala Christi Dei et servatoris nostri gregi imminent, eo maiorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi et regendi potestas et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiae specula positi sint, longius prospicere insidias, quas christiani nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen nunquam assequentur) exterminandam, easque tum fidelibus indicare et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices praedecessores nostri vigilias boni pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis sectas extremum ecclesiae exitium minitantes prohibendas et penitus delendas curarunt. Nec ex annalium ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest pontificiae huius sollicitudinis memoria. Quae nostra et patrum nostrorum aetate gesta sunt a Romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se obiicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. praedecessor noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam *de'Liberi Muratori* sive *des Francs Maçons*, sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino catholicae Ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta constitutione cui initium *In eminenti* edita quarto kalendas maias anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo, cuius tenor is est, qui subiicitur:

Clemens Episcopus

servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus

salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor harum literarum.

In eminenti apostolatus specula etc. (2).

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo trigesimo octavo, quarto kalendas maii, pontificatus nostri anno octavo.

Etiam Benedictum XIV. societatem damnasse memoratur.

§ 2. Haec tamen recolendae memoriae Benedicto XIV. itidem praedecessori nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum latam in Clementis dudum mortui literis excommunicationis poenam iam evanuisse, quod Benedictus eas literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum pontificum leges obsolescere, nisi a successoribus expresse approbentur, et praeterea manifeste patebat a Benedicto saepius Clementis constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de sectariorum manibus extorquendam iudicavit Benedictus edita nova constitutione, cuius initium *Providas*, decimo quinto kalendas aprilis anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, qua Clementis constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut aiunt, specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est Benedicti constitutio:

Benedictus Episcopus

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Tenor Benedictinae damnationis.

Providas Romanorum Pontificum etc. (3).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae MDCCLI., decimo quinto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

---

(1) Vide infra Gregorium XVI., Pium IX., Leonem XIII.

(2) Reliqua vide vol. III., Suppl. p. 780.

(3) Ibid.

Decr. in praedecess. constitutionibus non fuisse executioni mandata Pontifex lamentatur, novamque damnationem sectae decretam a Pio VII. memorat.

§ 3. Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti haec decreta fecissent, quanti tum ecclesiae tum reipublicae salus postulabat! Utinam sibi persuasissent in Romanis Pontificibus beati Petri successoribus non modo Ecclesiae universae pastores et magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores, et diligentissimos periculorum, quae imminent, indices suspicere se debere! Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede Apostolica fuerant patefacta, iam ab eo tempore rem plane confecissent! At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam iudicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quae nunquam friguerunt, aliae complures exortae sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quae caeterarum princeps in Italia aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa nomine tenus diversos, acerrime catholicam religionem et supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Qua calamitate ut Italiam aliasque regiones, imo et ipsam pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper pontificio regimine, illa irrepserat una cum exteris hominibus eius invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius septimus, cui nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum et hominum diversitate appellaretur, gravissimis poenis damnavit, edita idibus septembris anno millesimo octingentesimo vigesimo primo constitutione, cuius initium *Ecclesiam a Iesu Christo,* huius etiam exemplum nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est eiusmodi:

Pius Episcopus

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Tenor constitut. Pianae.

Ecclesiam a Iesu Christo etc. (1).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo vigesimo primo, idibus septembris, pontificatus nostri anno XXII.

Ratio novae constitutionis.

§ 4. Non multo post editam hanc a Pio VII. constitutionem ad supremam beati Petri cathedram nullis nostris meritis evecti nos fuimus; et continuo omnem nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea praesertim memoranda est quae *Universitaria* dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum universitatibus habeat, in quibus iuvenes a nonnullis magistris, qui eos non docere, sed pervertere, student, eiusdem mysteriis, quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.

Idem ut supra.

§ 5. Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatae et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europae principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum et seditionum, quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt quos ad mortem designarunt? Quot et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

Idem ut supra.

§ 6. Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, quibus ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore, commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima eius dogmata et praecepta; eius dignitas extenuatur; et pax illa et felicitas, qua suo quodam iure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.

Idem ut supra.

§ 7. Nec putandum est, omnia haec mala, aliaque, quae praetermissa a nobis sunt, clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri, quos de religione et republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum vel stultitiam dictitant; imo non raro nullum

(1) Reliqua vide vol. IV., pag. 609.

esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent: codices et statuta, quibus sua consilia et instituta explicant, aperte declarant cuncta, quae iam memoravimus, et quae ad legitimos principatus labefactandos et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se coniunctas.

Nova damnatio omnium secretarum societatum.

§ 8. Quae cum ita sint, nos muneris nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem ut nulla ex iis iactare possit se apostolica sententia nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et etiam motu proprio et certa scientia ac matura deliberatione nostris societates occultas omnes tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt, quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur in praedecessorum nostrorum literis in hac nostra constitutione iam allatis, quas expresse confirmamus.

Poenae indictae eis qui occultas societates, vel directe, vel indirecte fovent, inducunt, et provocant.

§ 9. Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis ac praeeminentiae, sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates, quocumque nomine appellentur, inire vel propagare, confovere ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, illis et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare ac suadere, ut huiusmodi societatibus aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur aut intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, earum coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Onus denunciandi socios.

§ 10. Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis vel caeteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse.

Damnatio iuramenti adhiberi soliti suis in conventiculis.

§ 11. Praecipue vero iusiurandum illud impium plane ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur nemini patefacturos quae ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea superioribus sive ecclesiasticis sive laicis patefaciunt, omnino damnamus et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est iusiurandum quod in *iustitia* pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad iniustam caedem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem societatem moderantur, ius habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fideiussorem appellare? Rectissime patres Concilii Lateranensis III. inquiunt can. 3. « Non enim dicenda sunt iuramenta, sed potius periuria, quae contra utilitatem ecclesiasticam, et sanctissimorum patrum veniunt instituta ». Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia, sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam, et in publicis scriptis dicant *non est Deus,* audeant tamen iusiurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.

Monitum speciale ad Ordinarios, aliosque superiores.

§ 12. Haec a nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc vero vestram, venerabiles fratres catholici Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, operam non postulamus modo, sed etiam flagitamus. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in vos non parcentes gregi:

sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem quam vos. Illud tenete a vobis maxima ex parte pendere hominum vobis commissorum in religione, et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus *qui mali sunt,* eoque tempore, quo plures *non sustinent sanam doctrinam,* perdurat tamen permultorum fidelium in pastores suos observantia, quos iure suspiciunt veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum eius. Utimini igitur in ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per vos sectariorum dolos, et quanta diligentia eos eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant vobis auctoribus et magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima religionis nostrae mysteria, et purissima Christi praecepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac, ut vos verbis alloquamur praedecessoris nostri Clementis XII. in sua epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiae Catholicae diei decimae quartae septembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi octavi, « Repleti simus, obsecro, fortitudine spiritus Domini, iudicio et virtute, ne tamquam canes muti non valentes latrare greges nostros patiamur fieri in rapinam, et oves nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsos obiiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de episcopatus vigore; et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec christiani ultra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus ».

Auxilium a catholicis principibus praebendum pro extirpatione sectarum.

§ 13. Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium, carissimi in Christo filii nostri catholici principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cuius in dignitate successores, et nominis licet indigni haeredes sumus, ad Leonem imperatorem scribens usus est: « Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas ». Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad catholicam religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro imperio subiectorum incolumitatem, sectae illae a vobis coercendae sint. Religionis enim causa hoc praesertim tempore, cum societatis salute ita coniuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus religionis, quam vestrae potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut religionem aut regiam ullam potestatem superesse.

De malitia sectariorum compescenda.

§ 14. Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestrae potestatis amplificationi studere, tum eius eversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta, ut suadeant nostram et Episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur, imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda iura, tum ex iis, quae propria sunt apostolicae huius cathedrae et *Ecclesiae principalis,* tum ex iis, quae ad Episcopos pertinent, qui in nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes, quae vestro imperio subiiciuntur, si forte perspiciant everti terminos quos de rebus sacris Christus et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam regiminis formam immutandam et destruendam.

Deprecatio ad universos catholicos porrecta.

§ 15. Vos etiam omnes, o dilecti filii, qui catholicam religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem, omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri vobis poterit ex coniunctione cum hominibus qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro et ubique clament se publici Ecclesiae et societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis iam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle? Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum ave iubet Ioannes in secunda sua

epistola cap. 10, et quos primogenitos diaboli appellare maiores nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis et mellitis sermonibus, quibus vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit; eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod religioni adversetur, imo nihil vel praedicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim iusiurandum illud nefarium, quod iam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione iurare debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quae graviora et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum societatum vim et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt, consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. cap. 1. « qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. »

Clausulae salutares et irritantes.

§ 16. Postremo eos, qui cum iam essent illuminati, et gustavissent donum coeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad nos vocamus. Eius enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare iustos, sed peccatores, et se pastori aequiparavit, qui, relicto reliquo grege, sollicite ovem quaerit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei et Iesu Christi filii eius misericordia et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Iesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi patris, qui filios prodigos iamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero ut quantum in nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas nostras has apostolicas literas in regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque confessario, modo sit ex eorum numero qui a locorum in quibus degunt Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit (quod Deus misericordiarum pater avertat), ut committat, illud temporis spatium quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat et vero resipiscat, eo elapso continuo et obligatio denunciandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet; nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem iuramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a nobis vel a nostris successoribus, aut ab iis, qui a Sede Apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

Fides habenda transumptis.

§ 17. Volumus autem quod praesentium nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 18. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, confirmationis, innovationis, mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo vigesimo quinto, tertio idus martii, pontificatus nostri anno secundo.

VIII.

A Rege Saxoniae petit, ut ducem Vinariensem inducat ad irritandam legem

qua confessariis praecipitur ut denuncient ea, quae in rei vel publicae vel privatae damnum attentari sacramentali confessione resciverint (1).

Carissimo in Christo filio nostro Friderico Augusto Saxoniae Regi illustri,

LEO PP. XII.

Carissime in Christo fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Eximius ille, qui in te semper emicuit, catholicae religionis amor, firmumque tuum eiusdem sartae tectae servandae propositum, singularis denique benevolentia, qua nos, carissime in Christo fili noster, prosequeris, faciunt ut gravi solicitudine pressi ad regiam maiestatem tuam confugiamus, operamque in momentoso negotio ad religionem pertinente tuam enixe imploramus. Tibi, ut putamus, haud ignota est lex die VII. octobris anni MDCCCXXIII. in magno Vinariensi ducatu lata, quae simul ac prodiit magnae illis catholicis offensioni fuit, quod ipsam catholicae doctrinae quibusdam in capitibus repugnantem deprehenderunt. Inter catholicae enim doctrinae dogmata numerandum est, sacramentalis confessionis sigillum nullâ generatim causâ quamvis urgentissimâ violandum, quod non naturali dumtaxat et ecclesiastico, sed divino quoque iure praescribitur. Deus enim sacramentalis confessionis institutor est, quam omnes omnino refugerent, si peccata sua revelari quandoque posse vel minimum dubitarent. Hinc factum est, ut sacros confessionis ministros, quos nullum tormentorum genus, ne comminatae quidem mortis periculum, ab occultandis poenitentium culpis deterruit, inter Martyres suos Ecclesia catholica veneretur.

Nihilo tamen minus Vinariensi, de qua scribimus, lege sacerdotibus indicitur, ut denuntient quidquid in rei vel publicae vel privatae damnum attentari sacramentali confessione resciverint, ut delicta antéverti, funestique delictorum, quae iam patrata fuerint, effectus averruncari hoc modo possint. Ad huiusmodi legis promulgationem catholici omnes ingemuerunt. Vicariatus autem Fuldensis sibi non tacendum ratus eâdem de lege, cum iis, ad quos pertinet, catholicum dogma invocans expostulavit, argumentaque subiecit, quibus sacramentalis sigilli infractio naturali divinoque iure vetita ostenditur.

Horum tamen argumentorum nullâ ratione habitâ responsum Vicariatui fuit, frustra eum de abrogandâ lege laborare, cuius ne minimus quidem apex ullo esset tempore periturus. Vicariatus Fuldensis hoc se responso exanimari minime passus est. Expostulationes itaque argumentaque sua iterans, catholicam de infrangili sacrarum confessionum secreto doctrinam strenue tueri non destitit. In hoc gravissimi, ut vides, negotii statu, non tam Vicariatui Fuldensi quam catholicae religioni in discrimen adductae cum nos adesse debeamus, ad te, carissime in Christo fili, preces nostras convertimus, ut, qua es apud regiae familiae tuae principes auctoritate et gratiâ, magno duci Vinariensi ad irritandam, de qua agitur, legem auctor esse velis.

Id si facias, magnam a catholicis laudem et, quod maximum est, a Deo mercedem consequeris: nostrae autem erga te caritatis vincula ita obstringes, ut nihil te carius futurum nobis sit. Age ergo, carissime in Christo fili noster, citam operi manum admove, religiosae causae advocatus esto, haerentem cordi nostro spinam penitus erue. Nos interim assidue Deo supplicabimus, ut optatum studiis in hanc rem tuis exitum praebeat omnique felicitatis genere compleat regiam maiestatem tuam, cui benedictionem apostolicam tantorum bonorum auspicem, et cum praestantissimâ reginâ coniuge universâque domo tuâ communicandam, amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI. iulii MDCCCXXV., pontificatus nostri anno II.

IX.

Gratulatur de felici Ecclesiae Quebecensis statu sibi ab Episcopo relato, ac de novis ad Ecclesiam accessionibus quae in dies fiunt, ac Episcopum cum populo confirmat in unitate et in adhaesione quam Sedi Apostolicae profitetur (2).

(1) Ex Reg. Vatic. ut supra.

(2) Ex Reg. Epist. Latin.

Venerabili fratri Iosepho Octavio Episcopo Quebecensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil optatius accidere nobis potest in nostrâ hac sollicitudine omnium ecclesiarum, quam laetos de statu earum nuntios audire. Quo vero illae longiore a nobis terrarum ac maris disiunctae sunt intervallo, eo maiore perfruimur laetitiâ voluptatis agnoscentes exitu confirmatum quod scriptum est de Christo: *dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Quare grati maiorem in modum sumus fraternitati tuae, cuius diligentiâ cognovimus, quantae in ultimis istis regionibus accessiones factae sint et in dies fiant regno Christi. Gratulamur vero tibi ex animo tam uberes fructus curarum tuarum pastoralium, teque et adiutores tuos etiam atque etiam hortatur in Domino, ut non defatigemini laborantes in evangelio. Quod vero non desint qui adversentur, id quidem mirum non est: *omnes enim qui pie volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* Illud potius est admirandum quod quae in Ecclesiae perniciem molitur potestas tenebrarum, ea ipsa ad eam serius ocius provehendam et illustrandam conferant.

De reliquo, ven. frater, admoneantur nostro nomine crediti tibi populi ut *conversationem inter gentes habeant bonam, ut ex bonis operibus eos considerantes glorificent Deum:* in eo autem praesertim bona eorum eniteat conversatio, ut *soliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Praeclarum eiusmodi spiritus praebes testimonium, dum tua et immensae istius multitudinis credentium in Cathedram Petri, hoc est in centrum unitatis, obsequia in sinum te nostrum scribis deponere. Agimus Patri luminum gratias, a quo verae fidei donum in tot hominum millia descendit, atque inde fore sperantes ut *crescant in illo per omnia, qui est caput, Christus,* tibi, ven. frater, gregique tuo, licet longe dissiti corpore, praesentes tamen spiritu, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die x. augusti MDCCCXXV., pontificatus nostri anno II.

X.

Statum Mississipensem in Foederata America separat ab archiepiscopatu Baltimorensi et in Vicar. Ap. erigit (1).

Venerabili fratri Ludovico Gulielmo Neo-Aurelianensi Episcopo,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum venerabilis frater Ambrosius Marachal Archiepiscopus Baltimorensis, cuius iurisdictioni dioecesanae Status Mississipensis in Foederata America subiectus erat, ob nimiam a dioecesi sua distantiam sponte se a iurisdictione in eumdem abdicaverit, nos, dimissione eiusdem Baltimorensis Archiepiscopi acceptata, necessitati fidelium eiusdem status consulere volentes donec, facta divisione Luisianae in duos episcopatus, illud regimen uniatur Episcopo viciniori, ac de tua probitate, integritate, doctrina atque prudentia plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis de Propaganda Fide praepositorum consilio fraternitati tuae regimen eiusdem status sub titulo Vicarii Apostolici ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum committimus cum solitis facultatibus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos pertinet, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant,

(1) Ex Reg. Brev. de Prop. Fide, vol. III., pag. 288.

et efficaciter adimplere curent; alioquin sententiam, sive poenam, quam tuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contrariis derogat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti status et iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores pro plene et sufficienter expressis, hic de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. aug. MDCCCXXV., pontificatus nostri anno II.

XI.

Queritur cum praesulibus Poloniae de iis quae in comitiis Polonis statuta fuerant circa causas matrimoniales per iudices laicos decernendas. Respondet, suppeditari non posse tribunali laico defensorem ecclesiasticum in iisdem causis, nec licere fidelibus a vinculo coniugii per hos iudices solutis ad alias transire nuptias, neque Ecclesiae ministros posse ritus sacros in his nuptiis adhibere (1).

Venerabilibus fratribus Primati, Archiepiscopis et Episcopis regni Poloniae,

LEO PP. XII.

Venerabiles fratres. salutem et apostolicam benedictionem.

Persuasum habentes gentem Polonam pro veteri eius in divinas et ecclesiasticas leges religione ac fide aegerrime tulisse inductum externâ vi morem matrimonii civilis et impiam vinculi, quod Deus coniunxit, dissolvendi lege sancitam libertatem, nunquam profecto induxissemus in animum fieri posse, ut, factâ sibi per clementissimum Imperatorem legum illarum abrogandarum facultate, easdem cum reipsa abrogasset, in causis matrimonialibus vellet a laicis iudicibus iudicari. Quantas nos in angustias ea res adduxerit, explicare satis non possumus. Nam nova ista comitiorum lex, ita uti lata est, quemadmodum recte animadvertitis, canoni XII., sess. 24 Concilii Tridentini apertissime adversatur, nec sane, catholico illaeso dogmate, inficiari quisquam potest, iuris Ecclesiae inviolabilis esse, ut iudices dumtaxat ecclesiastici legitimi sint iudices causarum matrimonialium. Ex alterâ vero parte gravissimum nobis accidit, Imperatori de catholicâ in regno isto religione adeo benemerito, a quo in tantâ ceterarum quoque rerum ecclesiasticarum perturbatione, multa etiam in posterum expectamus in catholicos beneficia, id negare, quod optare se significat ad maius ex parte nationis malum evitandum. At cum nostri officii sit, rogantibus vobis sententiam nostram aperire, respondemus, non licere salvâ fide orthodoxâ defensorem ecclesiasticum in causis matrimonialibus tribunali iudicum ita constituto, quemadmodum in comitiis decretum est, subministrare, neque licere fidelibus coniugibus, perinde ac si essent iudicum illorum sententiâ soluti, ad alias nuptias transire, neque ministris Ecclesiae nuptiis huiusmodi sacros ritus adhibere: ceterum sperare nos, fore ut aliquid proponatur consilii, quo res ita componantur, ut et sua iura constent Ecclesiae, et ratio, si qua eâ in re haberi possit, sententiae comitiorum habeatur.

Ceterum, venn. fratres, summis prosequimur laudibus zelum vestrum, qui ne tantum vulnus infligeretur Ecclesiae, quoad per vos fieri potuit, obstitistis, minime dubitantes, quin eâdem semper constantiâ bonum certamen fidei sitis certaturi. Magna vero spes nobis affulget a sapientiâ ac benignitate augustissimi Imperatoris, qui cum optaverit feliciorem exitum comitiorum, hoc est suae ipsius voluntati consentaneum, qui caverat, ne ii, quibus demandatum erat ut codicem pro regno Poloniae conficerent, aliquid praesumerent contra dogmata disciplinamque Ecclesiae catholicae adiicere; eâque tamen sancitâ lege, cum dixerit velle se de hoc negotio nobiscum agere, dubitare quidem non possumus, quin summum Ecclesiae catholicae Pastorem ac

(1) Ex Reg. epist. ad principes etc.

Magistrum de Ecclesiae eiusdem iuribus legibusque loquentem sit aequis auribus auditurus. Interim toto animo commendamus vos Deo et verbo gratiae ipsius, ut vos caelesti lumine dirigat ac virtute confirmet, idemque ut pro nobis faciatis etiam atque etiam rogantes, apostolicam benedictionem vobis, venn. fratres, gregibusque vestris peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. dec. MDCCCXXV., pontificatus nostri anno III.

XII.

Confirmat constitutiones collegii Hibernorum in Urbe instaurandi.

LEO PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Collegii Hibernensis vicissitudines memoratur.

§ 1. Plura inter collegia hac in Urbe constituta, ubi adolescentes diversis orti nationibus tamquam novellae plantationes in hortis conclusis alebantur et succrescebant, ut in tempore possent magno et ornamento et usui esse vineae Domini, illud quidem Hiberniae accenseri meretur apta domo aptisque redditibus apprime munitum. Collegium hoc eo spectabat, ut illius nationis alumni ibidem alerentur, atque ad pietatem ac bonas artes informarentur, quique in clerum cooptati, ac rerum divinarum scientia instructi, patriam redeuntes catholico Hiberno gregi plane se devoverent, atque egregia Sancti Patricii exempla omni ope atque opera imitanda curarent. Verum ob temporum vicissitudines, e quibus quot quantaque mala in christianam praecipue rempublicam profecta sint meminisse cogitatio reformidat, eius collegii domus alium in usum fuit misere conversa, pars autem bonorum distracta. Quum tamen res praeter omnium expectationem, unius Dei beneficio, novam induissent faciem, congregatio christiano nomini propagando praeposita maiora damna, quae ex eiusdem collegii iactura in dies oriri poterant, praepedire studens, eius patrimonii reliquias in unum collegit; quumque res prospere feliciterque contigisset, annuum redditum scutatorum nummorum sexcentum confecit, cuius praesidio omnem dedit operam, ut sex clerici alumni in Hibernia mittendi in Urbano, ceu dicunt, collegio, ubi adhuc extant, exciperentur. Ad supremum itaque potestatis fastigium ex aeternae mentis inaccesso consilio immerentes evecti, nulli pepercimus curae, nulli labori, ut vetera omnia huius urbis collegia, plurimorum Pontificum amplissimorumque virorum cura saluberrime condita, ob acerbissimas tempestates diu interclusa rursus instaurarentur. Cuius porro voti compotes, ea qua vellemus alacritate fieri nullo pacto potuimus, quippe quod rationum momenta expendere, impedimenta exorbere, omniaque, ut opus ad exitum perduceretur, comparare haud parvi momenti res erat. Interea vero, dum huiusmodi consilia capienda tota mente complectebamur, dilectus filius presbyter Michael Blake Dublinensis Episcopi vicarius generalis, sacrorumque Hiberniae Antistitum negotia gerens, supplici libello apud nos institit, se paratum esse annuum vectigal conferre, ut, nobis benigne annuentibus, novum Hiberniae gentis collegium instituatur, in quo non solum adolescentes excipiantur sacro saltem subdiaconatus ordine insigniti, ab Archiepiscopis vel Episcopis mittendi, atque collegii sumptibus omnino alendi, verum etiam alii clerici eorumdem Archiepiscoporum vel Episcoporum rogatu, nullo tamen collegii incommodo sed alieno aere sustentandi, dummodo omnes tum vivendi rationem, tum leges a nobis probandas diligenter servent.

Nova dotatio eiusdem collegii.

§ 2. Nos igitur Hiberniae pastorum pietatem plurimum commendantes, eorumque votis pro virili parte favere cupientes, quum presbyter Michael Blake septem supra decem millia argenteorum ad constituendam partem annui vectigalis illius collegii in foenore posuerit, e quibus percipiuntur quotannis scutati nummi octingenti et quinquaginta; quumque in posterum, quantum aliunde ipsi obvenerit, tantumdem augeatur: motu-proprio, certa scientia, plenaque apostolica potestate collegium Umbriae, sive, ut vocant, Umbro Fuccioli, quod assurgit in area Sanctae Luciae ab Apothecis nomen adeptae, etsi Germanico collegio id concedere a nobis fuisset statutum, cui quidem aptum alibi domicilium parabimus, Hiberno collegio adsignamus et attribuimus, eique adiudicamus eos redditus, qui e veteri Hiberniae collegio supersunt, ut in ferendis impendiis ad iuvenum institutionem aliquid praesidii capiat. Ut vero leges ei societati regendae haud ita pridem scriptae tempori penitus respondere nequaquam pos-

sent, alias idcirco, quas integerrimi viri, atque eruditionis laude clarissimi, accurate recognoverunt, atque accommodas fore putarunt, auctoritate apostolica confirmamus, easque sedulo servare praecipimus. Sunt autem eae leges huiusmodi, videlicet:

CONSTITUTIONES COLLEGII HIBERNORUM IN URBE INSTAURANDI.

Tenor constitutionum.

§ 3. Cum sine legibus nulla hominum societas stare diu, ac florere possit, idcirco constitutiones legesque pro novo Hibernorum collegio ad veteris Ludovisiani Hibernorum collegii normam, quantum res patitur, accommodatas statuere, nedum utile sed necessarium visum est.

CAPUT I.

De institutionis fine, et excipiendorum dotibus et classibus.

De institutionis fine, et excipiendorum dotibus et classibus.

§ 4. Cum regulae omnes, quae statuuntur, ut optatam pariant utilitatem, ad propositum finem assequendum conducere debeant, antequam de iis agatur, valde expedire videtur, ut praecipui fines, quibus idem collegium restituitur, recte intelligantur.

Duo potissimum sunt huiusce institutionis fines. Primus quidem, ut Hibernorum adolescentium animi erigantur, excitentur, atque ab ineunte aetate vehementi inflammari possint desiderio in pietate ac bonis artibus alios praestandi, ea spe quodam veluti praemio allecti, fore ut, si confecto summa cum laude studiorum curriculo aliis in Hibernorum collegiis, ubi praeclarum dederint religionis, ingenii eorumque profectus specimen, ac simul sacris sint initiati ordinibus, titulum et ius quoddam acquirant veniendi Romam, ac degendi in hoc nationali collegio. Hic vero sine ullo eorum sumptu per triennium alentur, ut non modo magis magisque ad theologicas disciplinas ac pontificium ius instruantur, verum etiam quidquid ad Ecclesiae disciplinam, ad vetera monumenta, atque ad liturgicas res pertinet, et theoretice et actu penitus ediscant in urbe, quae catholicae religionis princeps est et sacrarum rerum magistra.

Alter vero institutionis finis in eo versatur, ut adolescentes, qui rite delecti, et commendati a praesulibus Hiberniae, Romam venerint, ita informentur, ut ad verbum Dei praedicandum, sive ad obeundas in patria missiones, plane idonei reperiantur, et omnibus exemplo sint, non minus vitae integritate atque doctrina, quam christiana humilitate, morum suavitate et charitate, ita scilicet ii erunt, qui et Episcopis operam in excolendo grege poterunt praestare, et catholicam religionem adversus eius hostes invicte propugnare: quae una si attentius, ut par est, perpendatur, non solum in altera, sed etiam hac ipsa in vita civilis societatis pacem, tranquillitatem felicitatemque comparat.

Iam porro, etsi praecipuus atque potissimus sit huiusce collegii finis suo sumptu eos adolescentes omnino alere, non tamen praetermittendum operam dare institutioni aliorum, qui neque studia absolverunt, neque adhuc sacris ordinibus initiati, quotiescumque praecipuum aliquid vectigal, quod temporis progressu facile eventurum speratur, pro hac adolescentium classe constituatur, vel etiam si forte Hiberniae Episcopi vellent iuvenes aliquos, sive presbyteros, sive clericos, in hoc collegium mittere inibi educandos, atque in studiis perficiendos, congrua semper pensio, vel ab ipsis Episcopis, vel ab eorumdem iuvenum parentibus, aliisve ad eorum substentationem persolvatur. Itaque ii, qui poterunt collegio excipi, in quatuor distribuuntur classes. Prima eorum, qui, emenso studiorum cursu, sacros ordines iam susceperunt, collegii sumptu omnino alendi; altera convictorum, qui eadem in conditione versantur; tertia adolescentium, qui nondum philosophicis theologicisque disciplinis operam navarunt, neque sacros ordines susceperunt, quique ex pecunia aliunde accepta sustentandi; quarta denique convictorum eiusdem aetatis.

Si is, qui mittitur, si ad primam pertinet classem, eorum scilicet, qui ad sacros ordines promoti sunt, et quibus praecipuo quodam iure locus in collegio debetur tamquam praemium meritorum, quibus in patria praestiterunt, ut supra commemoravimus, is primum omnium rectori exhibere debebit testimoniales literas a quatuor Hiberniae Metropolitis, vel etiam ab uno, de aliorum sententia subscriptas, quae eius merita testentur, eumque dignum reputent, qui in collegio excipiatur. Explorata ac rite perspecta eiusmodi literarum authenticitate, candidatus tenebitur tantum pecuniae rectori solvere, quantum requiritur pro impensis ad eiusdem reditum in

patriam. Post haec iuvenis humanitus excipietur, eiusque dies ingressus aliqua laetitiae significatione honestabitur; hinc illi piis per aliquot dies commentationibus et exercitiis in recessu peractis inter praecipuos collegii alumnos suscipietur, et per triennium, ut dictum superius est, collegii sumptu plane deget.

Si vero iuvenis, qui adveniet, constitutus utique sit in sacris ordinibus, et studiorum quoque cursum expleverit, sed non sit ex eorum classe, qui ex merito excipiendi, hic etiam (quoties de illius pietate, ingenio et sufficienti scientia constiterit) in collegium poterit convictoris titulo admitti. Ipse tamen prius commendatitias sui Episcopi literas eidem rectori exhibere debebit, earumque authenticitate perspecta, antequam ipse inter convictores adnumeretur, tradere eidem rectori tenebitur non modo tantam pecuniae vim quanta opus est ad reditus impensas, verum etiam quae ad sex mensium convictus pensionem requiritur, quaeque semper in antecessum solvetur. Quae omnia cum ipse peregerit, convictus initium capiet a spiritualibus exercitiis eodem plane modo, quo primae classis alumni.

Quod si iuvenis, qui sese inter alumnos cooptari deposcit, neque eius sit aetatis, quae ad sacros ordines suscipiendos requiritur, neque studiorum cursum perfecerit, sed in collegio locum habere possit ex aliqua cuiuspiam voluntate, qui expresse pro hac adolescentium classe bona congruosque redditus collegio legaverit; tum iuvenis iste rectori praebere debebit testimoniales sui Episcopi literas ac documenta, quibus constet ipsum legitime natum in Hibernia, vel saltem ex patre Hiberno, sacrum baptismi lavacrum et confirmationis sacramentum suscepisse, catholicam profiteri fidem, non minorem decimo quinto, nec maiorem vigesimo anno esse, humaniorum saltem literarum studium explevisse, praestantis esse ingenii et firmae valetudinis, ab eo fuisse missum et commendatum, cui nominandi ius est, denique pietate, docilitate, diligentia, studiique assiduitate ita commendatum, ut sperare iure liceat praeclarum Ecclesiae ministrum in tempore futurum. Hisce omnibus perspectis, rector hunc iuvenem curae ac probationi subiiciet alicuius ex iis primae classis alumnis, qui prudentia atque consilio magis praestare videatur, quique munus suscipiet erudiendi iuvenem per quatuor menses in recta collegii legum intelligentia atque observantia, et simul pietate, virtute, ac literarum studio. Quod si compertum fuerit, illum ecclesiastica quidem vocatione praeditum, utilemque operarium esse evasurum, tunc adolescens, praehabitis triduo spiritualibus exercitiis, locum accipiet inter alumnos tertiae classis, qui nondum sunt ad sacros ordines evecti.

Fieri demum potest, ut aliquis magnae expectationis adolescens vel sua vel Episcopi voluntate cupiat in idem collegium convictor adscisci annua soluta pensione. Hoc in rerum statu sat erit, ut ipse commendatitias sui praesulis literas rectori exhibeat, quae testentur de dotibus aliisque quae necessario requiruntur, et, praeter pecuniae vim ad reditus impensas, pensionem pro sex mensium convictui in antecessum persolvat, idonea praestita in posterum cautione. Caeterum de his eadem ratio ac norma servabitur quae de convictoribus secundae classis superius statuta, et hi quartam classem constituent.

Quilibet autem adolescens collegii alumnus, elapso biennio (si id a praesidibus exquiratur), legum et regularum ipsius collegii observantiam spondere tenebitur, ac iuramentum praestare ex formula tradita in finem constitutionum veteris Hibernorum collegii, quae totidem verbis hic refertur.

Formula iuramenti praestandi a quolibet alumno collegii Hibernensis.

Ego N. filius N. dioecesis N. plenam habens instituti huius collegii notitiam, legibus et constitutionibus ipsius, quas iuxta superiorum explicationem amplector, me sponte subiicio, easque pro posse observare promitto.

Insuper spondeo et iuro, quod, dum in hoc collegio permanebo, et postquam ab eo quocumque modo, sive completis, sive non completis studiis, exiero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia vel sacrae Congregationis de Propaganda Fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Spondeo pariter et iuro quod, volente Sacra Congregatione de Propaganda Fide, vel eminentissimo pro tempore huius collegii regnique Hiberniae protectore, statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros etiam presbyteratus ordines, cum superioribus visum fuerit, promovebor.

Item voveo et iuro, quod sive religionem ingressus fuero, sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, mei status, exercitii et loci, ubi moram traxero, Sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabo.

Voveo praeterea et iuro, quod iussu praedictae Congregationis de Propapanda Fide, vel eminentissimi pro tempore protectoris, sine mora in provinciam meam revertar, et ibi perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis licentia religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Denique voveo et iuro, me praedictum iuramentum eiusque obligationem intelligere, et observaturum iuxta declarationes factas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, et brevi apostolico roboratas sub die XX. iulii MDCLX. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.

CAPUT II.

De moderatoribus et administris.

De moderatoribus et administris. § 5. Rector omnibus praeest, sive maioribus, sive inferioribus collegii administris, ipse tamen suberit in omnibus eminentissimo collegii patrono, Sacrae vero Congregationi Propagandae Fidei, vel singulis mensibus, vel quandocumque ei libuerit, accuratam reddet rationem tum de collegii redditibus, impensis et statu, tum quomodo se gerant alumni vel in pietate vel in disciplinarum studio.

Rei domesticae cura, Hibernorum adolescentium indoles, magis accommodata eorumdem institutio, facilior denique subsidiorum adeptio, merito quidem postulare videntur, ut collegii rector ex eadem Hiberniae natione constituatur. Itaque congruum est, ut eius electio fiat a quatuor Hiberniae Metropolitis, qui, quotiescumque res postulabit, ad tanti momenti munus omni studio ac maturitate eligendum curabunt eximium aliquem sacerdotem, qui non solum prudentia, pietate atque doctrina, sed omni virtutum genere praefulgeat. Qui vero ab Episcopis delectus fuerit, delati muneris nullum exercendi ius acquiret, nisi prius ipsius electio a Sacra Congregatione Propagandae Fidei probata et confirmata fuerit.

Praecipuum rectoris munus erit sollicite diligenterque curare non solum ut ea omnia, quae collegii legibus praescripta sunt, a singulis accurate serventur; sed etiam ut ea ipsa non aegro, sed aequo promptoque animo adimpleantur. Quare ipsemet exemplo suo monita atque praecepta exequi et confirmare satagет, atque, ut caeteris gratior et amabilior communis vitae disciplina reddatur, ipse primum pro viribus, et, prout sui muneris partes ferent, eam servare studebit.

Rector, ut suo munere perfungatur, adiutoribus eget, tum in iis, quae disciplinam et oeconomicam administrationem spectant, tum quoad ea, quae doctrinarum studia respiciunt. Ad primum quod attinet, ipsius erit idoneum sacerdotem, eminentissimo patrono approbante, in vice rectorem constituere, qui de recto collegii moderamine et rei familiaris ministerio sub rectoris obedientia curam gerat. Maxima vero de sollicitudine doctrina exhibenda est. Quamobrem stabile semper in eodem collegio domicilium habebit egregius aliquis presbyter studiorum praefectus qui Italus sit, quique maiori, qua fieri potest, diligentia et cura eligendus erit, ut plane idoneus sit ad iuvenes edocendos omne sacrarum literarum genus. Eius erit, alumnos in recto studiorum ordine, ac librorum delectu dirigere, ea repetere et magis explicare, quae in scholarum praelectionibus tradita sunt, iuvenum ingenium eorumque erga literarum studia voluntatem investigare, quid unusquisque in studiis profecerit experiri, demum libenter ea omnia praestare, quae ad eorumdem progressum conferre possunt. Rectoris partes erunt exquirere et eminentissimo patrono proponere virum, quem ad tam arduum obeundum munus aptiorem iudicaverit; erit autem eiusdem Cardinalis patroni, perpensis propositi viri dotibus, decernere utrum ille ad studiorum praefecturam constituendus, nec ne. Tum vice rector, tum studiorum praefectus ex communi collegii mensa alentur.

Quod autem attinet ad spiritualem alumnorum curam, rectoris munus erit, assentiente semper eminentissimo patrono, sacerdotem doctrina et pietate ornatum Italum in ordinarium collegii confessarium seu conscientiae moderatorem eligere. Hic non modo semel in hebdomada, statis diebus et horis, collegium adire tenebitur ad

sacramentales iuvenum confessiones audiendas, verum etiam praeter ordinem, quandocumque vocatus fuerit, eiusmodi officii partes implebit. Praeterea curabit solida pietate alumnos imbuere, et quidquid ad spiritualem tum illorum, tum etiam inservientium utilitatem expedire censebitur, in id operam studiumque suum diligenter conferre.

Agendum superest de aliorum administrorum inferiorumque inservientium delectu et muneribus. Verum cum redditus satis ampli nondum sint, ii tantummodo in praesentia excipientur, quibus eminentissimi patroni rectorisque iudicio opus erit, iisque pro re et tempore munus et stipendium constituetur. Quoquo vero tempore rector maxime sollicitus erit ne collegii redditus ex nimio famulantium numero vel negligentia distrahantur, sed omni studio curabit, ut sumptus omnes in manifestam eiusdem collegii utilitatem cedant.

Interea collegii huius moderatores et administri sentiant, se iure teneri ad ea sedulo fideliterque adimplenda, quae eorum muneris sunt ex collegii praescriptis, cuique certum quolibet mense stipendium persolvetur ab eminentissimo patrono designandum.

CAPUT III.

De iis quae pietatem spectant.

De iis quae pietatem spectant.

§ 6. Omnes qui ecclesiastica munia obire cupiunt, ad eam vitae perfectionem contendant oportet, quae praecipue ab Ecclesiae ministris requiritur, quorum munus est caeteros ad omnem sanctitatem verbo et exemplo allicere atque excitare. Nemo proinde, qui alumnus in collegio excipitur, satis muneri suo divinae vocationi atque hominum expectationi se fecisse putat, nisi magis divinae quam humanae sapientiae studiis eo potissimum tempore, quo in collegio moratur, vacaverit. Ea omnia propterea, quae pietatem spectant, quaeque in hoc capite observanda proponuntur, non perfunctorie, sed prompto alacrique animo, omnes adimplere conentur.

Itaque primo mane surgendi signo dato, et audita voce *laudetur Iesus Christus,* singuli respondebunt *semper laudetur,* statimque e lecto surgentes, et sanctissimo crucis signo muniti, singuli vestibus suis maxima cum modestia se induent; hinc abluendis manibus, aptandis lectulis, componendisque cubiculis operam dabunt, idque per horae dimidium. Si quid autem temporis his omnibus peragendis superrerit, illud ab iis, qui citius sese expediunt, in piis matutinis precibus privatim recitandis impendetur.

Ad campanulae signum cuncti in sacellum convenient, ibique Sancti Spiritus in primis ope implorata, aliisque praescriptis precibus recitatis, horae dimidium in profunda coelestium rerum et christianarum virtutum meditatione, proposito prius argumento, transigent, ut nempe in iis meditandis mentis oculi divina quadam luce perfundantur, et iuvenum spiritus divino quodam veluti alimento percepto tota die quodammodo nutriatur atque pinguescat.

Omnes, praeter sacerdotes, qui sacris operantur, incruento missae sacrificio quotidie religiosissime intererunt, alumno clerico superpelliceo induto alternatim ministrante.

Sit semper ex alumnis sacerdos aliquis oratorii seu domestici sacelli praefectus a moderatoribus constitutus, qui curet, ut sacri Ecclesiae ritus et caeremoniae tum in sacro celebrando, tum in recitandis horis canonicis, accurate serventur, quique caeteros non sacerdotes alumnos edoceat circa modum ministrandi sacerdoti sacris operanti, altare concinne componendi, et pro tempore ornandi. Idem curabit, ut sacellum a domestico famulo statis diebus, et quandocumque oportuerit, everratur atque mundetur. Singuli vero sacerdotes, rectore mandante, sacrum facient pro benefactoribus et collegii necessitatibus. Omnes quotidie ante prandium et coenam dato signo in idem oratorium convenient recitaturi litanias Beatae Mariae Virginis, et antiphonam *Salve regina* aut aliam pro tempore una cum consuetis precibus. Prandio et coena absoluta, cuncti pariter in idem sacellum recta pergent, ibique eucharistico sacramento humiliter salutato dominicam orationem et salutationem angelicam secreto ter recitabunt. Vespere autem, priusquam adeant cubicula, per horae quadrantem suae quisque conscientiae examini in eodem sacello vacare debebit; hinc meditationis argumentum pro die postero ex praescripto rectoris vel vice rectoris significabitur; quibus peractis, neque confabulari, neque ad studium incumbere licebit, sed cuncti summa cum modestia et silentio petent conclavia, et ad cubandum sese component.

Rector autem curabit ne umquam desit meditandi materies, quam vel in scriptis vel in pio aliquo libello legendam proponet, vel ipsemet viva voce explicabit. In caenaculo nemo discumbat, nisi peracta a rectore vel vice-rectore benedictione. Facto denique edendi fine, signoque dato ab illo, qui praeest, simul omnes surgent, et ad breviarii Romani praescriptum debitas Deo gratias persolvent. Dum mensae accumbitur, interea semper aliquid perlegetur, nisi aequa aliqua occasio se praebeat rectori aliter praescribendi, initio sumpto ab integro fere sacrae scripturae capite: reliquum vero temporis impendetur in legendo libro a rectore praescripto, qui liber intellectum simul foveat et dirigat voluntatem, ut, cum cibo corpus alitur, aliquod etiam quasi pabulum menti praebeatur.

Qui ad divinum officium recitandum tenentur, id una simul quotidie pro tempore in oratorio sive ecclesia iis horis, quae in in horaria tabella designata peragent. Caeteri vero dominicis et festis anni diebus id ipsum cum sacerdotibus praestabunt.

Omnes vero qui nondum sacerdotio funguntur, tenentur quinto decimo quoquo die, itemque in solemnioribus anni festis, ad poenitentiae sacramentum statutis horis bene parati accedere, et eucharistiae sacramento ea, qua par est pietate, animique ardore se reficere, nisi confessarius alicui sacram synaxim differendam censuerit. Quo si confessarius pro uberiore cuiuspiam spirituali profectu putet frequentiorem sacrae mensae usum posse illi conferre, id quidem, prout directori in Domino visum fuerit, plane licebit.

Cum iuvenum numerus satis erit, debebunt ii singulis dominicis festisque diebus in collegii ecclesia sacra mysteria et officia celebrare, ut collegiales ecclesiae quam ad rem sedulo instituentur in sacris caeremoniis et cantu Gregoriano. Quamdiu tamen id commode fieri non possit, cuncti nisi legitime impediti singulis diebus festis se conferent in ecclesiam S. Apollinaris, vel presbyterorum sáecularium congregationis missionis in Campo Martio, ibique cum aliis de clero summa cum modestia assistent in choro solemni missae sacrificio, ut nempe iam nunc sacras caeremonias addiscant, et dies festos, ut ecclesiasticos decet viros, sacro ritu sanctificent.

Non praetermittant festis praesertim diebus sacram scripturam, catechismum Romanum, gesta sanctorum, aliosque pios libellos, maxime Thomam a Kempis, subsecivis horis attente perlegere, ut ad omne virtutum genus eximiamque pietatem, divina opitulante gratia, sese componant.

Horis pomeridianis, praesertim festis diebus, collegio exeuntes sanctissimam Eucharistiam in ecclesia, in qua per urbem éxponi contigerit, adorare non negligant, indulgentias lucraturi, populoque ut exemplo sint. Adolescentibus autem advertendum est, ut in templum ingressi et humi procumbentes non surgant nisi ex praefecti signo.

Denique certis anni temporibus, praecipue vero feriis literariis, antequam sacros collegii alumni ordines suscipiant, et ad sacras obeundas missiones contendant, dies aliquot in divinarum rerum meditatione aliisque spiritualibus exercitiis ex rectoris praescripto transigent.

CAPUT IV.

De studiorum ratione.

§ 7. Cum ii, qui Dei ministri et ministeriorum eius dispensatores sunt futuri, non solum perlucere exemplo, sed etiam verbo alios instruere debeant in via Domini, opus quidem est, ut rerum divinarum scientia implorato a patre luminum auxilio penitus imbuantur, et ad illius gloriam omne eorum studium et laborum fructus referant. Ut autem in scholasticis exercitationibus a sensu suo quispiam non decipiatur, oportet, ut nemo suum sensum et voluntatem sequatur, sed moderatorum iudicio se quisque conformet. Nemo libris utatur, qui a praefecto studiorum approbati non sunt: ideoque rectoris erit alumnorum cubicula saepius obire, ut si forte libros male olentes ipse repererit, eos illico tollat, et in detentores severius inquirat et animadvertat. Nemo dum in collegio versatur, peculiares libros sibi comparandos curet, nisi ex praesidum venia. In libris autem, quos ipsi acceperint, nec scribant quidquam, nec ullas ducant lineas, multo autem minus licebit illos cuiquam commodare, praesertim extra collegium, sed eos diligenter custodient, ut integri reddi possint, et in suum locum referri. Nemo quoque librum ullum ex communi collegii bibliotheca extrahere et ad suum cubiculum perferre audeat, nisi prius praesidis facultatem acceperit; qua habita, libri titulus in tabella describendus erit, ut suo tempore ibi reponatur.

De studiorum ratione.

Caveant alumni in disputationibus ne sint iracundi, mordaces et pervicaces, sed mites atque demissi, nec solum praeceptoribus, sed etiam praefectis sese obedientes exhibeant. In iis omnibus, quae studia scientiasque respiciunt, studiorum praefecto se omnino dirigendos sciant, eoque petente parati sint suorum studiorum rationem reddere. In exercitatione studiorum latine loquentur.

Statis diebus et horis alumni ad scholas seminarii Romani penes ecclesiam Sancti Apollinaris pergent, alumni sacerdotes, qui theologicum cursum in aliis Hiberniae collegiis iam absolverunt, iis dabunt operam studiis, quae sibi opportuniora ex rectoris et studiorum praefecti sententia praestituta fuerint. Adolescentes autem, qui humaniores tantum literas in patria didicerunt, reliquum studiorum cursum in eodem Romani seminarii lyceo prosequentur.

Nemo e scholis vel a domesticis etiam exercitationibus absit, nisi praesidis venia. Dum autem scholis intersunt, omni plane modestia ita se gerant, ut sint aliis exemplo. Adolescentes tam in eundo quam redeundo bini procedent, eos comitante aliquo ex alumnis primae classis. Ii vero, qui sunt in sacris ordinibus constituti, bini vel terni incedent non servato adolescentium ordine, semper vero cum sociis a rectore assignandis. Per vias non disputabunt, non contendent, neque colloquentur, nisi submissa voce, et quoties opus fuerit. Incedentes per urbem, si viri dignitate praestantes vel religiosi occurrant, iis omnibus debita reverentiae signa praestabunt.

Studiorum cursus quoad inferiores alumnos a praesidibus statuetur pro cuiusque captu et ingenio, plerumque tamen, nisi quid impediat, anni quatuor ad theologica et canonica, duo ad philosophica studia obeunda impendantur, nisi aliter praesidibus visum fuerit. Si quis autem, vel propter adversam valetudinem, vel aliis de causis, ad scholastico-dogmaticam theologiam idoneus praesidum iudicio non videatur, huic anni tres ad conscientiae casus et controversias addiscendas assignabuntur, ut citius in patriam reverti possit. Quod ut clarius dignoscatur, singulis annis sub scholarum finem omnes adolescentes alumni, qui primo, secundo et tertio anno dant operam theologiae scholastico-dogmaticae, per horae saltem dimidium periculum facient de iis, quae illius anni curriculo didicerunt; ex quo patebit, quae studia sint unicuique assignanda. Theses publice propugnandae non nisi praevio praesidum permissu defendendae assumantur.

Horae quibus alumni in collegio studiis vacare debent, a rectore ex praefecti studiorum sententia statuentur, eaque horarum ratio ab alumnis diligenter servabitur. Feriis, in quibus scholae vacent, non tamen diebus festis de praecepto, doceantur alumni unius horae spatio a praefecto studiorum theorice ac practice sacros ritus et caeremonias, praesertim eas quae ad missae celebrationem et sacramentorum administrationem pertinent. Erit etiam magister, qui iisdem diebus in cantu Gregoriano alumnos instituat.

Maxime demum momenti est, ut qui ad verbum Dei disseminandum vocati sunt, ab ineunte aetate huiusmodi ministerio vernacula illorum lingua exercendo assuescant. Quare nimis expedire videtur, ut ipsi iam nunc in lucubrandis Anglico sermone concionibus sub disciplina periti viri, qui a rectore statuetur, adeo dent operam, ut unusquisque praeside mandante paratus sit ingenii et eloquentiae suae coram aliis specimen dare.

CAPUT V.

De domestica disciplina.

§ 8. Communem vitae rationem collegii legibus et institutis praescriptam cuncti sequantur, nec peculiare quidquam agere audeant sive in vestibus, sive in lecto aliisque suppellectilibus, aut alia qualibet re, et in omnibus pendeant a nutu rectoris. **De domestica disciplina.**

Qui in sacris ordinibus sunt constituti, talarem induant vestem instar cleri Romani saecularis. Ruri vero permittitur ut breviori viatoria veste, decenti tamen et nigri coloris, utantur. Adolescentes autem nigram tunicam cum epitogio seu toga eiusdem coloris semper induant.

Nemini licebit sine praesidis facultate emere quidquam, neque ullas apud se retinere pecunias, sed eas, quas secum quisque attulerit, vel aliunde recèperit, penes rectorem deponat, qui ad necessarios cuius-que usus illas servabit.

Nemo, inscio et non consentiente rectore, se immisceat externis negotiis, tametsi pia sint. Exterorum colloquia tam domi quam foris, quantum fieri potest, vitentur; domi vero non permittantur nisi habita a praeside facultate.

Nemo adolescentium sine expressa venia ingrediatur aliorum cubicula, nec habeat quisquam in cella sua scrinium, arcam, aut aliud quidlibet obserratum, nisi altera clavis sit penes rectorem, qui ea possit pro libitu adaperire. Si quis autem deprehensus fuerit aliquid subripuisse ex alterius cubiculo, is e collegio dimittetur.

Silentium statutis horis ad pacem quietemque fovendam, et ad colenda studia maxime necessarium, sancte servetur, et si aliquando loqui opus fuerit, sermones sint vel necessarii, vel utiles, pii et ecclesiastico viro digni. Generatim autem omnium alumnorum verba, oculi, vultus, ac motus omnes modestiam praeseferant, redoleantque pietatem ac disciplinam.

Epistolas mittere vel accipere nemo adolescentium debet absque praesidis permissu, cui etiam ostendendae erunt, ut nempe si velit eas legat, lectasque pro arbitrio suo mittat, nec ne, prout satius in Domino iudicaverit; nis iis ad quem scribitur, maiorem habuerit, quam rector, auctoritatem.

Si quis in grave aliquod crimen inciderit, quod pacem, bonos mores et domesticam disciplinam perturbat, eo accepto viatico quod deposuerat, e collegio egredietur. Si quis autem levius aliquid commiserit, paratus esse debebit praesidis arbitrio eas luere poenas, quae ipsi ad conservandam disciplinam et pro communi bono impositae fuerint.

Tempore quo singuli ad privata sua studia debent incumbere, ne vagentur, aut invicem colloquentur, nisi quid breve necessitas postulet. Loca autem et officinas domesticorum vel artificum adire non audeant, neque cum iis agere aut quidquam ab iis vel alio quovis accipere, nisi impetrata prius a praeside venia.

Nemo e collegio sine praesidis facultate et socio ab eo designato egrediatur, et eodem comitante unusquisque semper hora praescripta domum redeat. Nemini omnino liceat extra collegium pernoctare, neque fas erit extra collegium prandere seu coenare, nisi impetrata a rectore facultate, quae tamen perraro et nonnisi graves ob causas, impertietur.

Statuentur a praeside opportunae ad deambulandum horae pro tempestatum ratione. Loca vero quo pergent animi relaxandi gratia, numquam sint in alumnorum arbitrio, sed a praeside ipso vel saltem a praefecto praefinienda. Praesidis autem erit curare, ne alumni pergant ad loca urbis frequentiora, ubi strepitus atque tumultus. Caeteris exeuntibus, nemo domi remaneat sine urgente necessitate, ac de rectoris permissu.

Non concitato cursu deambulent, sed modeste per vias incedant, submissa voce, si opus sit, inter se colloquentes, caveantque ne sensuum suorum portas daemoni apertas relinquant. Adolescentes vero neque a praefecto et sociis ullo pacto recedant, neque cum obviis amicis subsistant.

In recreationibus nihil immodeste agant, neque ab aliorum coetu discedere cuilibet liceat sine praesidis facultate. Vigilent etiam praesides atque praefecti ne nocua colloquia inducantur inter alumnos, ut sunt iurgia, contentiones, contumeliae, comparationes odiosae, temerarii sermones de rebus publicis, detractiones contra praesides et alios quoslibet, verba immodestia et alia huiusmodi, quae quidem omnia diligentissime sunt vitanda, et si forte fiant severe punienda.

Ut sacra simul et profana eruditione, quae tamen ecclesiasticos decet viros, possint iuvenes huius collegii commodius exornari, diebus ferialibus vel quandocumque rectori visum fuerit licebit iis simul euntibus celebriores adire bibliothecas, templa urbis, egregia artium opera, et alia Romanae maiestatis monumenta invisere.

De externa quoque munditia omnes solliciti sint: quare unusquisque cubiculum suum saepe verrere, suppellectilem decenter dispositam servare, non faedata maculis vestimenta, ac sese mundum in omnibus exhibendum curabit.

Si quid aliquando acciderit, quod neque hisce constitutionibus cautum aut praescriptum sit, vel etiam pro temporum opportunitate commutandum videatur, rector continuo eminentissimo patrono denunciet, ut si quid forte ad disciplinae firmamentum vel augmentum ipse in Dominum melius atque opportunius expedire iudicaverit, auctoritate sua constituat et iubeat.

Demum sciant omnes, se nisi e collegio dimitti velint, rectorem aliosque praepositos et praeceptores colere, omnibusque officiis ac reverentia prosequi debere, eos modeste alloqui, iisque omnem praestare obedientiam. Atque ut huiusmodi leges hactenus relatae ab omnibus diligenter serventur, eae bis in anno, scilicet exeunte mense iunio atque decembri, coram omnibus perlegentur, earumque exemplar in aula collegii asservabitur.

De patrono collegii.

§ 9. Volumus demum, ut qui tempore quovis erit in urbe Cardinalis negotiis et consultationibus Propagandae Fidei praefectus, patroni Hibernae iuventutis partes gerat, et quod in praesentia eorumdem negotiorum congregatio suo caret praefecto, dilectus filius noster Franciscus Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Bertazzolius nuncupatus, quamdiu vita suppetat patroni munere perfungatur. Erit praeterea sacrae ipsius Congregationis tum ecclesiasticis, tum pecuniariis et familiaribus huiusce collegii rebus praeesse, ac sacerdotem morum integritate, virtutis ac doctrinae copia, aliisque nominibus insignem a quatuor Hiberniae Archiepiscopis in unum consentientibus adlectum in rectorem constituere, quotiescumque ad id muneris idoneum censebit. Rectori autem liceat studiorum praefectum et confessarium nominare, quorum uterque a Cardinali patrono, si ei videbitur, erit deinde adprobandus; itemque alumnos, convictores ex eiusdem patroni sapientia admittere, vel minus idoneos arcere. Ne vero Umbriae provincia huiusmodi consilio nostro aliquid habeat detrimenti, quippe quae commemoratam domum Umbro-Fuccioli summa novem millium et biscentum nummorum scutatorum sibi comparavit, thesaurario nostro committimus et mandamus, ut a pontificio aerario huiusce summae pendatur annuus fructus nummorum scutatorum tercentum sexaginta, ut necessarii ad victum cultumque illius provinciae instruantur alumni, qui pro re et tempore in episcopali Tifernati seminario degunt, idque donec eidem Umbriae provinciae integra summa novem millium et biscentum argenteorum fuerit restituta, vel secus ei consuletur. Denique Congregationi Fidei Propagandae onus iniungimus eos alendi Hiberniae alumnos, qui in Urbano collegio nunc sunt, ut, priusquam patriam revisent, divinarum rerum cursum conficiant, suisque muneribus obeundis idonei omnino evadant. Haec apostolica nostra potestate constituimus et sancimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 10. Decernentes insuper has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causae, quae expressae sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ac legibus fundationis primaevi Hiberniae collegii, et etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Enixis interim precibus ab Deo exposcimus, ut congerat in Sancti Patricii apostolos plena manu charismata gratiarum, et det illis spiritum sapientiae, qua elucescere possint in domo Dei, et lux eorum luceat praesertim coram civibus, ita ut quos sibi patria iunctos in terris habuere, perpetuo beatitudinis coelestis habeant socios.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV. febr. MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XIII.

Dismembratio provinciae Canadae a dioecesi Quebecensi, illiusque erectio in novum episcopatum Sanctae Sedi immediate subiectum.

Venerabili fratri Bernardo Claudio Archiepiscopo Quebecensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam tenet partem ea, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum; siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est illos moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout, habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Ratio concessionis et erectionis tenor.

§ 2. Quum in superiori Canadae provincia copiosior quotannis, favente Domino, catholicorum numerus evadat; quumque ad

promovendum ibi religionis bonum et ad fidei progressus vehementius iuvandos valde utile visum sit, provinciam ipsam a dioecesi tua Quebecensi separare, ac in peculiarem Episcopatum seu dioecesim erigere, nos, re mature discussa, ac praecipue ratione habita tum literarum, quibus bo. me. Ioseph Octavius Plessis dum viveret Archiepiscopus Quebecensis, tum consensum suum de memoratae provinciae a dioecesi sua separatione libere et luculenter manifestavit, tum sententiae eiusdem ac aliorum gravissimorum virorum, qui arbitrati sunt novae huius dioecesis erectionem omnino utilem, et religionis maiori stabiliorique bono procurando valde opportunam futuram, ac de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine provinciam superioris Canadae in dioecesim propriam, et a tua Quebecensi distinctam, ac ab Apostolica hac Sancta Sede immediate dependentem, cuius sedes esse debeat urbs Kingston seu Regipolis, limites vero ii ipsi, quos decessor tuus constituit quum memorata provincia tamquam districtus episcopalis vicario suo generali suffraganeo auxiliari tradita fuit administranda, erigimus ac constituimus, cum omnibus et singulis iuribus et privilegiis, honoribus, praerogativis, immunitatibus, gratiis et indultis episcopali dioecesi de iure, usu et consuetudine competentibus, ac dioecesim praedictam sic a nobis erectam Episcopi pro tempore ab hac Sancta Sede eligendi iurisdictioni et potestati ordinariae spiritualique regimini, auctoritate et tenore praedictis, subiicimus, eamque a dioecesi tua Quebecensi perpetuo disiunctam et divisam declaramus. Mandantes propterea clero et populo dictae novae dioecesis, ut Episcopo per nos et hanc Sanctam Sedem pro tempore eligendo debitam praestent obedientiam et reverentiam.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque etiam speciali et expressa derogatione et mentione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. febr. MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XIV.

Ut provinciali fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo in Anglia succedat, absque Capituli convocatione Gulielmum Hinsela eligit (1).

Dilecto filio Gulielmo Hinsela fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo nuncupat. provinciae Hiberniae professori,

LEO PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo stabilius provinciae Hiberniae fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo nuncupat. regularis observantia ordinate procedat, sollicite curamus, ut statim ac tempus officii provincialis eiusdem provinciae, quod iam ferme in exitu est, dilectus filius Thomas Coleman hodiernus provincialis omnino absolverit, alius ei succedat qui auctoritate nostra apostolica absque Capituli provincialis convocatione et vocalium suffragiis electus munus praedictum cum adnexis facultatibus et iuribus obire valeat. Nos itaque te, qui eiusdem Ordinis et provinciae professor existis, de cuius doctrina, pietate et prudentia luculenta accepimus testimonia, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine nunc pro tunc quum hodiernus provincialis munus suum confecerit, in provincialem pro-

(1) Ex Reg. Brevium vol. III., p. 304.

vinciae Hiberniae dicti Ordinis eligimus, constituimus et deputamus, tibique concedimus, ut omnibus iuribus, facultatibus, privilegiis, praerogativis, auctoritatibus, honoribus et indultis per eiusdem Ordinis et provinciae constitutiones provincialibus huiusmodi tributis atque concessis uti, frui libere et licite possis et valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si in Comitiis provincialibus rite servatisque de iure servandis electus fuisses. Mandantes propterea in virtute s. obedientiae omnibus et singulis praedicti Ordinis et provinciae superioribus et fratribus, aliisque ad quos spectat, ac in futurum spectabit, ut te recognoscant, et opportuno tempore ad officium praedictum admittant, tibique in omnibus idem officium respicientibus pareant, faveant et assistant. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, tibique in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae Nuncios ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Ordinis et provinciae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. aprilis MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XV.

Approbat erectionem ecclesiae parochialis in Ducatu Analth-Coethensi proposita et dotata a novo Duce Ferdinando, qui etiam cum uxore haeresim eiuraverat; eam a B̃ma Virgine nuncupandam censet, cuius imaginem affabre depictam pro eadem ecclesia mittit; hanc ecclesiam immediate subiicit Sedi Apostolicae regendam per Vicarium Apostolicum Saxoniae; eligit etiam parochum patrem Bechs Soc. Iesu; et Vicarium Apostolicum hortatur ut in eo Ducatu religionem catholicam promoveat.

Venerabili fratri Ignatio Bernardo Mavermann Episcopo Pellensi Vicario Apostolico in Saxonia,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Supremum hoc apostolatus fastigium, ad quod nullis nostris meritis evecti fuimus, tot quidem redundat curis et angustiis, ut vix dies aliqua labatur, quae non afferat plures, easdemque graves, dolendi et moerendi causas. Verum Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui est Deus totius consolationis, saepe consolatur nos in tribulationibus nostris, animumque nostrum iis pene fractum erigit et recreat, singularibus et felicissimis Ecclesiae Catholicae, cui praesumus, eventibus. Gravissime certe dolebamus, cum animo reputaremus, quem in statum et quam miserum prolapsa sit res catholica in Germanicis istis regionibus, ubi olim mirifice florebat; eaque recordatio erat nobis acerbior, tum quod illam ecclesiae calamitatem, non modo ex aliorum sermonibus audivimus, sed etiam oculis nostris ipsis perspeximus, cum in minoribus constituti, nuncii apostolici munus plures annos in Germania gessimus, tum quod exploratum nobis esset per ea, quae deinde evenerunt, multo miserabiliorem et calamitosiorem catholicae religionis conditionem in Germania evasisse. Prooemium.

§ 2. Verum, dum haec animo revolveremus, literae nobis allatae sunt, quibus nomine serenissimi principis Ferdinandi, qui nuper haereditario iure ducatu Analthino Coethensi potitus est, nunciabatur paratum Expositio precum.

se esse, non modo permittere, sed et efficere, ut in urbe Coethensi ducatus sui principe, ecclesia catholica parochialis erigatur, in qua catholici, qui ea in urbe sunt, libere religionem nostram sanctissimam exercere possint; et praeterea petere, ut huic ecclesiae sacerdos probus, ille quidem prudens et rerum ecclesiasticarum peritus praeficiatur, qui parochi munus gerat, et, quae religionis sunt, procuret; ac velle se fundos ecclesiae eidem attribuere, ex quorum redditibus, qui quotannis quadringentos nummos scutatos attingent, parochus alatur. Hoc nuncio accepto, tantam concepimus animo laetitiam, quantam vix verbis explicare possumus. Quae enim maior laetandi causa esse poterat, quam in ducatu, in quo trecentis fere ante annis religio catholica tantam iacturam fecerat, ut penitus interiisse videretur, et vix sub initium huius saeculi aliquos cultores, sed paucos illos quidem iterum adepta fuerat, continuo eadem reviviscere, atque ita ut, principe non tollerante tantum, sed omnino favente et adiuvante, publica ecclesia catholica erigatur?

Gaudet Pontifex principem Ferdinandum, eiusque uxorem eiurata haeresi catholicam religionem professos fuisse.

§ 3. Sed ad gaudium hoc nostrum cumulus accessit, cum serenissimus princeps Ferdinandus, et serenissima ducissa eius uxor, postquam satis instructi a viro docto et pio fuerunt, die vigesima quarta superioris octobris prope Parisios coram venerabili fratre Archiepiscopo Parisiensi, haeresim, cui hactenus adhaeserant, eiurarunt et catholicam religionem professi sunt, impetrata a censuris absolutione, caeterisque omnibus pie sancteque expletis, quae peragenda ab iis erant. Egimus igitur maximas Deo eiusque filio Iesu Christo gratias, eam etiam ob causam, quod fausta haec initia maiorem in dies religionis catholicae felicitatem et progressus protendere videretur.

Confirmatio erectionis novae eccl. parochialis.

§ 4. Ut autem firma ac stabilia essent, quae tam feliciter inchoata sunt, utque serenissimi principis, imo iam dilectissimi in Christo filii nostri Ferdinandi ducis, votis satisfaceremus, et significaremus quam grata nobis fuerint quae evenerunt, haec constituta sunt, quae mox indicabimus et quae scribenda ad te esse censuimus, venerabilis frater, quod non exigua in iis exequendis pars tibi tributa a nobis sit. Itaque approbamus, imo vehementer commendamus consilium extruendae ecclesiae catholicae in urbe Coethensi, ac studium et largitatem quam eam in rem Ferdinandus dux adhibere constituit, attributis praecipue fundis ex iis, qui ad eum pertinent, ad parochum sustentandum, quorum redditus quotannis quadringentis nummis scutatis aequales sint. Ea ecclesia Deo dicabitur in honore Deiparae Virginis matris nostrae amantissimae, atque eiusdem virginis imaginem in ea ecclesia fidelium pietati exponendam dono misimus affabre expressam ex elegantissima tabula Raphaelis Sanctii Urbinatis pictorum facile principis, quae paucos ante annos in Vaticanam pinacothecam translata est, cum antea in oppido Fulginati esset, quod ditione nostra continetur, et Roma vix centum mille passibus distat. Ea ecclesia parochiae catholicae dignitate et nomine potietur, atque in eam convenient catholici, ut quae religionis sunt officia, sancte et libere explere possint.

Ecclesia immediatae S. Sedis iurisdictioni subiicitur.

§ 5. Nec vero haec ecclesia ulli Episcopo, qui extra ducatum Coethensem moretur, sed immediate nobis et sanctae huic Sedi Apostolicae subiicietur. At quoniam nos longe absumus, propterea decernimus ut tu vice nostra in urbe et ducatu Coethensi fungaris, concedentes tibi auctoritate apostolica ut ea in urbe et ducatu utaris facultatibus iis omnibus, quibus veluti Vicarius Apostolicus in Saxonia donatus es. Tuum erit praecipue parochiae Coethensi sacerdotem pium, prudentem doctumque designare, praeficere et instituere, qui parochi munus rite recteque obire possit, ei conferendo facultates muneri illi necessarias.

Deputatio parochi.

§ 6. Quoniam vero multum interesse putamus omnes intelligere, magnam nos de nova hac parochia curam et sollicitudinem gerere, voluimus nos ipsi prima hac vice parochum designare ac designavimus dilectum nempe filium P. Bechs presbyterum ex Societate Iesu hactenus iuris canonici professorem in seminario Hildesemiensi, de cuius pietate, doctrina et prudentia praeclara accepimus testimonia. Hunc tu in parochia Coethensi parochum rite institues. Haec sunt, quae communicanda et mandanda tibi, venerabilis frater, a nobis erant de gravissimo hoc negotio. Non dubitamus quin tu pro tua pietate et rei catholicae augendae studio, diligentissime omnes muneris tibi commissi partes sis impleturus. Erit nobis pergratum, tibique amplissimum, et, quod caput est, Deo et Servatori nostro acceptissimum, excitari tua opera in ea urbe et ducatu religionem intermortuam et fere extinctam, ac imitari te exempla Bo-

nifacii aliorumque sanctissimorum virorum, qui religionem catholicam in Germaniam vel primum intulerunt, vel amplificarunt.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Haec a te expectantes, decernimus et mandamus has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII. maii MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XVI.

DECRETA

De Hebraeorum iuramento.

FERIA IV. DIE XXIV. MAII MDCCCXXVI.

In congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus generalibus inquisitoribus contra haereticam pravitatem a S. Sede Apostolica specialiter electis et deputatis, proposito recursu Hebraeorum universitatis urbis, quo supplices petebant, ut S. Congregatio ad se advocare dignaretur resolutionem dubii ad Sacram Rotam delati circa iuramentum ab Hebraeis in iudicio praestandum in quadam causa inter ipsam universitatem et Abraham Eliam Baraphael pariter Hebraeum, quod dubium ita se habebat – *Stantibus etc. An sit praestandum iuramentum super Thephilim, seu potius super Biblia in casu etc.* – Eminentissimi DD., auditis DD. consultorum votis, dixerunt – *Causam spectare ad S. Officium, ideoque avocandam esse.* –

Quod quidem iudicium Sanctissimus D. N. D. Leo PP. XII. eadem die in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii concessa plene approbavit.

FERIA V. DIE XIII. IULII MDCCCXXVI.

In congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo D. N. D. Leone PP. XII. in palatio apostolico Vaticano, eadem Sanctitas Sua, auditis Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. Cardinalium generalium inquisitorum suffragiis, decrevit « Deferri posse Hebraeis iuramentum super Bibliis, excluso tamen accessu iudiciali ad eorum Synagogam, et exclusa praescriptione determinati voluminis libri legis Moysis, vulgo dicti *Cascer*.

Super Thephilim vero praescribi non debere. »

FERIA V. DIE XVII. AUGUSTI MDCCCXXVI.

In congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis coram Sanctissimo D. N. D. Leone PP. XII. habita in palatio apostolico Vaticano, eadem Sanctitas Sua, auditis Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. Cardinalium generalium inquisitorum suffragiis, rem pro praxi plenius declarare volens, iussit nihil innovari circa consuetudinem iuramenti minori solemnitate Hebraeis delati ad tactum calami. Iudex tamen, sive notarius, quibus deferendi iuramenti ius est et onus incumbit, iuraturum gravissimis verbis monere poterit, immo etiam debebit, de importantia iuramenti et poenis periurii, in quod si graviter homines animadvertunt, multo magis scrutator cordium Deus, qui inter praecepta decalogi hoc expresse tulit, ne eius nomen invanum accipiatur, et se Deum veritatis edicit, timendus est, si in falsitatis testem ipse advocetur. Iuraturus autem distincte et expresse assentiatur atque profiteatur, se in iis, ad quae iuranda accedit, Deum testem advocare. Perspicue vero idem moneatur, iuramentum praestari in obvio sensu verborum et iuxta intentionem deferentis, ita ut nulla tergiversatione, aut mentali restrictione, aut propria secreta intentione excusari possit; quae

etiam omnia iuraturus requisitus expresse profiteri debeat, immediate ante ipsam iuramenti praestationem.

Quod si aliquis, sive christianus sive hebraeus, in iudicio contendens, iuramentum ob maiorem solemnitatem deferri Hebraeo petat ad tactum Sacrarum Scripturarum, id quidem in casibus, in quibus exigere iuramentum per iura licet, a iudice, decreto interposito, concedatur: hoc tamen iuramentum non in aliquo Hebraeorum oratorio, sed in ipso tribunali, vel loco aequipollenti, a iudice designando, praestetur coram eodem iudice, et iuxta praxim in huiusmodi servari solitam.

Iam vero Sacrae Scripturae, sive Sacrarum Scripturarum partes aliquae aut fragmenta ex illis veteris testamenti, quas uti tales Hebraei nobiscum venerantur, sive in originali textu, sive in translatione, Hebraeo iuraturo sic tangendae proponantur, ut reapse ad tactum SS. Scripturarum, verbi Dei, legis Dei, se intendere iurare et se iuraturum esse profiteatur: reliquae item admonitiones et declarationes, de quibus supra, gravissimis verbis simul eidem proponantur, et ab eodem exigantur.

Nicolaus Soldini
S. Rom. et Univ. Inquisit. Notarius

Loco † Sigilli

XVII.

Innovat et confirmat, iuxta modum, privilegia et facultates Societati Iesu a decessoribus concessas (1).

LEO PP. XII.
ad futuram rei memoriam.

Memoratur reintegratio eiusdem Societatis facta a Summo Pont. Pio VII.

§ 1. Plura inter et egregia, quae summi consilii Pontifex Pius VII. praedecessor noster cum ante suam ex urbe deportationem, tum post eius reditum pro rei christianae bono perfecit, illud profecto, quod Societatem, cui a parente Sancto Ignatio Iesu nomen inditum (siquidem ipsi per speciem se se obtulit, Deus eum sociosque Iesu filio baiulanti crucem commendans) instaurandam curavit. Neminem porro latet quot quantaque in christianam praecipue rempublicam commoda ex hac ipsa Societate, quae virorum et pietate et multiplici doctrinarum laude praestantium foecunda nutrix, profecta, et in posterum etiam profectura speramus, cum vix novellis defixa ramos late pandit. Equidem praeter alia non solum in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia, verum etiam in Italia, ac transalpinis remotisque regionibus, ubi peramanter excepta, nihil non aggreditur ac movet, ut iuvenes et adolescentes piis ac liberalibus disciplinis mature imbuti nostrae proximaeque aetatis ornamento sint futuri. Dum vero idem praedecessor noster omnia eius collegia, domos, provincias, alumnosque in suam ac Sedis Apostolicae tutelam, praesidium et obedientiam omnino recepit, sibi et Romanis Pontificibus successoribus reservavit ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constituendam et communiendam opportuna viderentur. Quod operis procul dubio perfecisset, nisi aetate iam gravis, curisque in regenda ecclesiae navicula diu multumque iactata confectus, ab Deo evocatus, in eius sinum complexumque advolasset, promeritam coronae gloriam accepturus. Itaque nos, qui, etsi impares, ex aeternae mentis inaccesso consilio in suprema pontificia amplitudine et specula collocati, nostri muneris esse ducimus id ipsum promovere, ut Societas Iesu novis firmetur praesidiis, eiusque alumni totidem in agro Domini operarii, partem sibi concreditam magno animo conentur excolere, utilesque plantationes, quas pater coelestis conseruit, uberius rigatae accipiant a Christo Iesu incrementum ad salutem. Quum igitur sedulo perpenderimus, petentibus Societatis Iesu alumnis, privilegia ac facultates, quibus ex praedecessorum nostrorum Pauli III. et Iulii itidem III. indulgentia S. Ignatius auctus ante celebrationem sessionis decimae septimae et insequentium usque ad postremam vigesimam quintam Concilii Tridentini, itemque alias eidem Societati a Romanis Pontificibus Sancto Pio V., Gregorio XIII. et Urbano VIII. tributas, eas quidem adlegendas existimavimus, quas tum ex eiusdem Concilii decretis, ac deinceps ex variis praedecessorum nostrorum constitutionibus, tum ex temporum inclinatione et hodierna Romanae Ecclesiae disciplina nobis visum est expedire.

Tenor concessionis.

§ 2. Quapropter auctoritate nostra apostolica easdem ipsas innovamus, confirma-

---

(1) Vide infra Greg. XVI. et Leonem XIII.

mus, ac iterum concedimus ex harum literarum praescripto, e quo ne transversum quidem unguem discedi praecipimus; quin imo Societati Iesu eiusque alumnis gratificari cupientes, et in primis generali praeposito, ut praesuli, ac eorum praefecto, qui e sua familia evangelii causa in longinquas regiones mittuntur, hisce facultatibus nonnullas alias ex benignitate nostra adiungere non gravamur. Illae autem sunt huiusmodi, videlicet: Primo religiosis viris in Societatem Iesu cooptatis veniam facimus, qua christiani populi sacras confessiones possint excipere, verbum Dei annuntiare, sacramenta administrare, assentientibus ac probantibus quibusque locorum ordinariis praesulibus, in quorum dioecesi vel quasi dioecesi eos versari contigerit. Possunt praeterea ordines qua minores qua maiores accipere, etiam extra tempora ac interstitiis nequaquam servatis, a quocumque sacro Antistite cum cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu ordinarii illius loci praesulis in quo id fiet; nec non de eiusdem sententia possunt ecclesiae Societatis Iesu a quolibet Episcopo vel Archiepiscopo benedici et consecrari. Peculiaribus autem rationibus permoti volumus, ut Societas eiusque alumni nullibi teneantur cuiuslibet praesulis rogatu visitandi onus aut religiosarum mulierum virginumque curam suscipere. Eis item liceat a casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvere, exceptis iis, qui continentur in bulla Coenae Domini; vota simplicia commutare, nunquam vero vota castitatis, religionis, trium peregrinationum ad sacra beatorum Apostolorum limina, ad Sanctum Iacobum in Compostellis, et ad Ierusalem, eaque vota in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii; horam ante auroram, horamve post meridiem, divinis operari, ac peracto sacrificio seu ante illius celebrationem, aut alias, Eucharistiae sacramentum ministrare; atque etiam eos qui irregularitatem occultam tam ad suscipiendos, quam ad exercendos ordines incurrerint, in foro conscientiae tantum ab hoc impedimento absolvere. Decernimus insuper ut ab animadversione e Societatis legum praescripto irrogata nefas sit extra Societatem provocare; ut Societatis alumni confiteri nequeant animae noxas, nisi iis qui a praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi; ut nemini, qui in Societate vota nuncupavit, ad aliam sacram familiam, praeter Carthusiensium, liceat transire; ut irregulares, qui Societati dant nomen (nisi irregularitas sit ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi, et simul excepta irregularitate, quae oritur ex infamia iuris vel facti) possint promoveri ad sacros ordines, et ad quaecumque Societatis officia; ut tyronum magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii, quod vetat ne praesules sacras excipiant alumnorum confessiones; ut Societas ex eius consuetudine, constitutionibus, ac se gerendi modo, omnibus privilegiis perfrui possit eis sacris familiis, quae mendicando vivunt, sive, ut vocant, mendicantium, generatim tributis; demum ut Christifideles templa Societatis adeuntes, semel in anno die festo tituli eorum cuiuslibet, plenariam indulgentiam valeant lucrari.

Facultates praepositi generalis.

§ 3. Praepositum vero generalem, uti praesulem, potestate donamus iis e Societate alumnis, quibus id opportunum ducit, veniam tribuendi, qua in domestico sacello legitime erecto perlitent; iustis de causis eosdem alumnos a ieiunio et vetitis cibis dispensandi; adversa valetudine laborantibus divinum officium in pias alias preces commutandi; item indulgendi, ut, si aequum est, horae matutinae, peracto sacrificio, recitentur; iis alumnis, quibus expedire existimet, facultatem faciendi, cuius vi libros prohibitos queant legere; postremo huiusmodi facultatibus omnium Societatis domorum et collegiorum in qualibet provincia praesules muniendi. Post haec statuimus, ut generalis praepositus sacris ubicumque missionibus praesit, quibus suae Societatis alumni ad catholicae religionis commodum et animarum salutem operam navabunt. Quare ei liceat ad nuntiandum Iesu Christi evangelium suos mittere alumnos, ubi praecones isti desiderantur, ac praesertim ubi ecclesiasticorum operariorum numerus sit adeo exiguus, ut parvulis panem quaerentibus non sit qui frangat; nec non earumdem missionum praefectos constituere. Et quo uberiores fructus inde possint referri, ipsi praeposito generali eas impertimur facultates, quae continentur formulis a suprema Inquisitionis congregatione, ex praedecessorum nostrorum voluntate, iamdiu confectis, quaeque iuxta locorum distantiam, sacra efflagitante Congregatione christiano nomini propagando praeposita, a nobis huiusce laboriosae provinciae praefectis tribuuntur, ad eos a praeposito generali, ab hisce ad alios tanto ministerio addictos delegandas. Praefecti vero aliique christia-

nae veritatis nuntii in regionibus ordinariorum praesulum iurisdictioni subiectis, id muneris, nisi ex eorum venia, nequeant exercere; si vero inibi nulla sit ecclesiastica iurisdictio, eodem munere libere perfungantur. Ut autem ex hac nostra indulgentia omne dubium quod a formularum discrimine, quas commemoravimus, oriri posset, omnino arceatur, easdem ipsas facultates, quibus pro Ecclesiae bono ipsum praepositum instruimus, hic singillatim enumerandas censemus, iisdemque verbis expressas, quas Congregatio christiano nomini propagando praeposita in iis concedendis solet usurpare, nimirum:

Enumeratio distincta privilegiorum, et facultatum tributarum.

I. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera: et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis.

II. Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia: quo vero ad praeterita, etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam; et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

III. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente.

IV. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

V. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

VI. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet II., III., IV., V., non concedantur, nisi cum clausula « dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit in potestate raptoris non existat »; et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

VII. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

VIII. Benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

IX. Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint, ubi s. officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi, in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

X. Absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in bulla Coenae contentis.

XI. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

XII. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secus deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

XIII. Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel sedes vacet.

XIV. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum, et praesertim quadragesimae.

XV. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima missa non sumpserit ablutionem, per horam unam ante auroram et aliam post meridiem, in altare portatili, sine ministro, sub diu et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. Huiusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime, et ex gravissimis et urgentissimis causis, in quo graviter tam conscientia praepositi generalis, quam praefectorum missionum, nec non missionariorum ipsorum oneratur.

XVI. Deferendi sanctissimum Eucharistiae sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

XVII. Induendi vestibus saecularibus, si

aliter vel transire vel permanere non poterit in locis missionum.

XVIII. Administrandi omnia sacramenta, etiam parochialia, ordine et confirmatione exceptis, et quoad sacramenta parochialia in dioecesibus ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii aut eorum Vicarii, vel in parochiis ubi non erunt parochi, vel ubi erunt de eorum licentia.

XIX. Benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata « medaglie » vulgo nuncupata, et applicandi indulgentias huiusmodi benedictionibus a nobis impertiri solitas Christifidelibus qui secum habentes, vel apud se retinentes, aliquod ex praefatis, pia opera praescripta adimplebunt ad formam instructionis, quae per Sacram Congregationem de Propaganda Fide missionariis, quibus haec facultas a nobis conceditur, una cum concessae facultatis instrumento, distribuitur.

XX. Et praedictae missionariorum facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur: ac per viginti annos tantum a data praesentium concessae intelligantur. Quod si forte contigerit indicatum viginti annorum tempus Sedis vacantis tempore expirare, nunc pro tunc omnes et singulas prorogatas decernimus usque ad novi Summi Pontificis electionem, ad quem debeat praepositus generalis, ut missionum Societatis Iesu superior, quam primum recurrere pro earumdem facultatum innovatione.

Clausula sublata et decretum irritans. § 4. Caeteras autem facultates, ac privilegia in hisce literis contenta, tam Societati Iesu suisque alumnis, quam praeposito generali, uti illius praesuli, ex benignitate apostolica in perpetuum concedimus et indulgemus; decernentes easdem ipsas literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli III., Iulii III., Sancti Pii V., Gregorii XIII. et Urbani VIII. praedecessorum nostrorum apostolicis literis, nec non omnibus et singulis illis, quae ab ipsis in suo quisque diplomate non obstare decretum est, caeterisque contrariis quibuscumque. Interea vero, dum Societatis Iesu alumnos peramanter in Christo complectimur, et apostolicam eis omnibus benedictionem impertimur, Deum enixe oramus atque obsecramus, ut patrum et maiorum suorum exempla imitantes, omnia ad Dei gloriam sint relaturi.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI. iulii MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XVIII.

Luisianam in duos episcopatus dividit: Episcopatui Novae Aureliae Luisianam inferiorem tribuit cum territorio Mississipensi; superiorem vero in novum episcopatum erigit cum Sede in urbe S. Ludovici.

LEO PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam tenet partem ea, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum. Siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est novos earum limites constituere, vel constitutos immutare, prout, habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Memoratur praedec. decrevisse intra triennium peragere velle dioecesium divisionem. § 2. Quum felicis recordationis Pius Papa VII. decessor noster per suas apostolicas in simili forma brevis die decima quarta iulii millesimo octingentesimo vigesimo tertio datas literas, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, decreverit, Luisianam totam intra triennium in duos episcopatus dividendam esse, nos, auditis praedictis venerabilibus fratribus, ac rebus omnibus mature perpensis, memoratam divisionem ad exitum perducere curamus, in spem adducti, ex hac divisione permagna religionis confirmandae et latius quotidie propagandae proventura commoda, quum episcopatu etiam in superiori Luisiana constituto expeditius procurari ibi possint, quae catholicorum in iis regionibus magno numero commorantium spirituale bonum respiciunt, quae conducere poterunt ad copiosiorem clerum ibi efformandum, quaeque ad fide-

lium copiam amplificandam, et Ecclesiae splendorem augendum sunt in primis opportuna.

Divisio et distributio dioecesum novarum.

§ 3. Nos itaque per praesentes auctoritate apostolica statuimus ac decernimus, in dioecesi Novae Aureliae in posterum solam inferiorem Luisianam cum territorio Mississipio, quod in praesentiarum venerabilis frater Episcopus Novae Aureliae tamquam Vicarius Apostolicus gubernabat, comprehendi, superiorem vero Luisianam separatam a dioecesi Novae Aureliae in propriam dioecesim erigi, cuius sedes sit in civitate Sancti Ludovici. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus nostris se subiiciant, illasque accurate exequi teneantur ac debeant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII. iulii MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XIX.

Utriusque Luisianae regimen interim committit Iosepho Rosati Cong. M. et ipsum Episcopum constituit Novae Aureliae.

Venerabili fratri Iosepho Rosati Episcopo Tenagrensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quod fel. rec. praedecessor noster Pius PP. VII. tribus ab hinc annis faciendum nunc esse statuerat, quodque tibi, ven. frater, literis apostolicis die XIV. iulii an. MDCCCXXIII. scriptis diserte significaverat, id hodiernâ die fecisse nos in Domino laetamur. Dedimus enim alias hac ipsâ die, sub annulo Piscatoris literas apostolicas, quibus Luisianam totam in duos Episcopatus divisimus. Nam superiorem illius regionis partem a dioecesi Novae Aureliae seiunximus, et novam dioecesim constituimus, quae superiorem omnem Luisianam comprehenderet, sedemque illius episcopalem civitatem S. Ludovici esse decrevimus: Novae Aureliae autem dioecesim inferiori tantum Luisianâ constare iussimus una cum territorio Mississipio, quod literis apostolicis die XIX. augusti MDCCCXXV. datis Episcopo Novae Aureliae tamquam Vicario Apostolico gubernandum commiseramus. Novus igitur Ecclesiae in Luisianâ administrandae nascitur ordo, ac omnem sperandi rationem habemus, novi quem diximus episcopatus erectionem permagno religionis nostrae incremento in istis regionibus esse futuram.

§ 2. Verum operâ tuâ, ven. frater, in tam gravi negotio nunc maxime indigemus, nobisque persuasimus, si tu consilio nostro obsequaris, felicem exitum rem esse habituram. Annuendum enim tandem aliquando arbitrati sumus precibus ven. fratris Ludovici Guillelmi Du-Bourg hactenus Novae Aureliae Episcopi, qui pluries a nobis petiit, ut episcopatus sui abdicationem seu renunciationem susciperemus, ac de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum memoratam abdicationem vel renunciationem nos acceptasse ei significavimus. Rebus igitur mature perpensis, ac de eorumdem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, id primo loco statuimus, ut, quoad aliter a nobis decernatur, tum utramque dioecesim, tum Novae Aureliae tum S. Ludovici, administres ac gubernes.

§ 3. Deinde, quoniam religioni vehementer omnino expedire videtur, ut tu Novae Aureliae instituaris Episcopus, auctores et hortatores tibi sumus, ut hunc episcopatum acceptes. Nam intelligimus quantopere tu opportunus utilisque futurus sis religionis negotiis in dioecesi Novae Aureliae feliciter regendis. Habemus vero iam prae oculis quem Episcopum S. Ludovici instituamus, hominem scilicet, qui opera ad fidem ibi confirmandam propagandam-

que a te incepta prosequetur, nihilque omittet quod Ecclesiae utilitati esse possit, praesertim cum tu inde discedens sacerdotum numerum religionis necessitati parem ibi relicturus sis. Age ergo, ven. frater, et novum hoc tuae erga nos Sedemque Apostolicam observantiae argumentum suppedita. Magnam de tuo religionis amplificandae eiusque utilitatis procurandae studio opinionem iamdiu iure concepimus. Scimus te nihil aliud nisi Dei Opt. Max. gloriam, animarum salutem, et Ecclesiae incrementum dies noctesque cogitare. Exploratum denique nobis est tuis laboribus auctum in istis regionibus esse religionis splendorem, ac te praeclare respondisse expectationi, quam boni omnes conceperunt, cum te missionibus Luisianae devovisti. Restat, ut episcopatus, quem memoravimus, Novae Aureliae acceptatione meritis tuis ornamentum aliud adiungas. Huic autem consilio et exhortationi nostrae ubi primum te assentiri nobis significaveris, continuo ad te literas apostolicas mittemus, quibus Novae Aureliae Episcopatus tibi conferatur. Interea vero apostolicam benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. iulii MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XX.

Archiepiscopum Smyrnarum Visitatorem Apostolicum ecclesiae Chiensis in mari Aegeo deputat ad cognoscendum eius statum post excidium anni MDCCCXXIII.

Venerabili fratri Aloisio Mariae Cardelli Archiepiscopo Smyrnensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum necesse sit, prout nobis relatum fuit, de statu praesenti Chiensis Ecclesiae in Mari Aegeo accurate cognoscere, ut, post gravissimum quod pertulit excidium anno MDCCCXXIII., ea omnia comparentur ac reficiantur, quae necessaria sunt, ut Episcopus, quum fuerit electus, commorari ibi commode ac decenter possit, nos Visitatorem Apostolicum in eâdem dioecesi constituere statuimas, ac de te, ven. frater, specialem in Domino fiduciam habentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratiâ absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te in Visitatorem Apostolicum dioecesis Chiensis auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eligimus et deputamus, tibique facultates necessarias et opportunas dictâ auctoritate tribuimus et impertimur, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XIX. sept. MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno III.

XXI.

Destinatio pastoris, qui, tempore vacationis ecclesiae episcopalis Goae in Indiis Occidentalibus, illius gubernium suscipiat.

LEO PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§ 1. Ecclesiarum omnium cura atque sollicitudo, earum vel maxime, quae primates, ac disiunctissimae, suo carent Antistite, felicis recordationis Gregorium XIII. praedecessorem nostrum adduxerunt, ut serenissimi Lusitaniae et Algarbiorum regis votis annueret, dum petiit facultatem, quam intereadum Goae Ecclesia, metropolis et ecclesiarum Indiae Orientalis prima, suo viduata pastore, Cochinensis Episcopus, qui illi metropolitico iure subest, in ea sedens cathedra, eius ecclesiae rationibus consuleret, eique maxime utilitati et adiumento foret. Ipse enim perspexit pontifex, ubi vacat Goannensis sedes, quum Goae civitas valde procul ab urbe, in qua Romanus Pontifex sedet, longaque et difficilis subeunda navigatio, nisi biennio exacto, et saepenumero etiam triennio, novum illius pastorem eo adire nequaquam posse; hoc autem temporis intervallo plura non minus in civilem quam in christianam rempublicam sequi mala, mores currumpi, ecclesiasticam relaxari disciplinam, evangelii praecones

in traducendis hominibus a misera daemonum servitute ad verum Dei cultum tepescere. Itaque quum contingere possit, ut, dum Goannensis Ecclesia, simul et Cochinensis vidua, vel dum cochinae Episcopus ecclesiam Goae regendam susceperit, e vivis eripiatur, dilectissima in Christo filia nostra Elisabeth Maria regnorum Lusitaniae et Algarbiorum regens, per dilectum filium comitem de Funchal suum penes nos legatum extra ordinem, postulavit a nobis suppliciter, ut hoc in casu Archiepiscopus Crancanorensis eiusmodi muneri succedat, vel in utriusque defectu Episcopus Meliaporae illud obeat.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur, quibus sacerdotium magnum, licet immeritis, confisum, in ecclesiae Goae commodum intendentes, votis quoque permoti suae regiae celsitudinis, quae tam maximo in catholicae religionis bonum studio afficitur, auctoritate nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut, si forte Cochinensis Ecclesia iam vacet, tum Goae ecclesia suum expectat Antistitem, vel interea dum huiusce regimen susceperit sit vacatura, ne eiusdem Goae ecclesia ullo umquam careat pastore, Crancanorensis Archiepiscopus in dioecesi Goae curanda, regenda atque administranda iisdem utatur facultatibus, iisdemquc polleat indultis, quibus Cothinensis Episcopus a memorato Pontifice per literas apostolicas sub annulo piscatoris expeditas, ac datas die decima tertia decembris millesimo quingentesimo septuagesimo secundo fuit donatus. Demum quum fieri possit, ut vacante ecclesia Goae, tum Cochinensis, tum Crancanorensis suo quaeque orbata Antistite, eadem potestate nostra facultatem facimus, cuius vi, quum id contingat, Meliaporae Episcopus eiusdem Goanensis ecclesiae habenas suscipiat ac regat.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Haec concedimus, servatis tamen iis conditionibus, quae in eodem Gregorii XIII. diplomate adiectae sunt, ac non obstantibus in omnibus, quae per idem diploma non obstare decretum est.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII. decem. MDCCCXXVI., pontificatus nostri anno IV.

XXII.

Nova divisio vicariatuum apostolicorum in Scotiae regno.

Venerabilibus fratribus Episcopis Scotiae vicariis apostolicis,

LEO PP. XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Quanta laetitia affecti sumus cum ex gravissimis acceptis testimoniis certiores facti sumus, religionem Catholicam in Scotia uberes progressus fecisse, atque omnem sperandi rationem esse, futurum ut ampliores in posterum fructus percipiantur, facile intelligitis, venerabiles fratres, quibus nostra de religionis incremento ubique procurando sollicitudo cognita atque explorata sit. Deo optimo maximo de ea re gratias egimus ex animo, illumque precati sumus, ut qui coepit opus bonum ipse perficiat, et expeditionem religioni propagandae rationem omnem suppeditet.

Memoratur quomodo bini tantum vicariatus antiquitus extarent.

§ 2. Atque ea causa fuit, quare ven. fratres Ranaldum Macdonald Episcopum Aeryndelensem, qui in montanis insulisque Scotiae vicarii apostolici hactenus munus gessit, ac Alexandrum Paterson Episcopum Cybistranum venerabilis fratris Alexandri Cameron Episcopi Maximinianopolitani hactenus vicarii in planis eiusdem regni coadiutorem, cui nos ob Episcopi Maximianopolitani senectutem infirmamque valetudinem contulimus plenam in illum vicariatum iurisdictionem, vehementer ab initio laudaverimus, cum nos precati sumus, ut ob auctum valde in Scotia numerum catholicorum, et ad religionem ipsam ibi facilius amplificandam, novum tertium in eo regno vicariatum apostolicum institueremus. Neque enim vetus illa totius Scotiae divisio in duos tantum apostolicos vicariatus, quorum alter superiorem, alter inferiorem Scotiae partem complecteretur, quae quidem divisio multo minori catholicorum numero in ea antea commorantium gubernando satis esse praeteritis temporibus poterat, opportuna nunc esse videbatur eorum regimini, cum tanto copiosior illorum numerus in eo regno evaserit.

De necessitate instituendi tertium.

§ 3. Neque dubitandum arbitramur tertii vicariatus apostolici institutione novum praesidium afferendum esse religioni in Scotia propagandae, cum idcirco duobus vicariis apostolicis iamdiu de fidei amplificatione optime meritis novus laborum et pastoralis curae consors adiungi deberet. Advenientem igitur Romam ven. fratrem

Alexandrum Episcopum Cybistranum, ut de tam gravi negotio apud Sedem Apostolicam curam ageret, peramanter amplexi sumus, remque totam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis considerandam ac perpendendam continuo commisimus, qui auctores nobis deinde fuerunt, novam Scotiae in tres vicariatus divisionem religionis bono illic procurando opportunam ac ferme necessariam videri.

Divisio novorum districtuum.

§ 4. De eorumdem igitur venn. fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate novum tertium in Scotia vicariatum apostolicum instituimus, ac, immutata, quae hactenus erat, Scotiae regiminis ecclesiastici divisione, decernimus Scotiam totam in tres districtus seu vicariatus apostolicos orientalem, occidentalem et septentrionalem dividendam esse, illamque nunc ita dividimus: Districtus orientalis comitatus comprehendet utriusque Lothian, Perthae, Fifae, Clacinani, Stirlini, Angusiae, Dunfrisi, Kircubrigii et Roxburgi, eiusque vicariatus sedes erit in ipsa Scotiae metropoli Edenburgi; Districtus occidentalis comprehendet comitatus Lanorci, Renfrewi, Dunbretoniae, Argatheliae, Wigtoni, insulas occidentales vulgo dictas Hebrides et partem comitatus Invernessi per lineam ductam a lacu Lochash per Kintail et Glenmoriston ad lacum Ness et Castellum Augusti, deinde per regionem Badenochs ad ripam Speii Fluminis, ubi occurrit vicariatus septemtrionalis: occidentalis autem huius vicariatus sedes erit Glasqua; Districtus denique septemtrionalis comprehendet partem comitatus Invernessi per limitem supra descriptum, comitatus Oberdoniae, Banffi, Moraviae, Nairnii, Rossi, Cromartii, Lutherlandiae, Caithnessi, Orcades insulas et Shetlandum; eius vero districtus vicarii sedes erit Aberdonia. His ita statutis, venerabilis frater Alexander Cameron Episcopus Maximianopolitanus, qui hactenus Vicarius Apostolicus in planis Scotiae erat, orientalis districtus vicarius apostolicus erit, atque venerabilis frater Alexander Paterson Episcopus Cybistranus eius coadiutor, plena, quam a nobis acceperat, Episcopo Maximianopolitano vivente, in planis Scotiae iurisdictione in orientali districtu potietur; venerabilis frater vero Ranaldus Episcopus Aeryndelensis, qui hactenus in montanis et insulis Scotiae vicarius apostolicus erat, eodem munere fungetur, in occidentali eiusdem regni districtu. Pro septemtrionali denique districtu dilectus filius sacerdos Iacobus Franciscus Kyle vicarii apostolici munus geret, quem per alias in simili forma brevis nostras literas Episcopum Germaniciensem elegimus, et ad vicariatus officium deputavimus. Haec sunt, venerabiles fratres, quae, precibus etiam votisque vestris annuentes, ad ecclesiae bonum in patria vestra augendum, in Domino constituenda esse iudicavimus.

Conclusio.

§ 5. Confidimus autem, Deo, qui dat incrementum his, quae a nobis statuta sunt, obsecundante, felicem faustamque religioni novam hanc ecclesiastici regiminis divisionem esse futuram. Tantum est vero quo vos praestatis animarum salutis consequendae studium, tantus quo excellitis in Ecclesiam catholicam amor, ut, Deo opem ferente, a vestris laboribus, vigiliis, curaque Episcopis digna, uberrimos in vinea Domini fructus collecturos vos perpetuo esse ducamus. Interea vobis et catholicis omnibus ecclesiasticae vestrae iurisdictioni subiectis apostolicam nostram benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XIII. febr. MDCCCXXVII., pontificatus nostri anno V.

XXIII.

Erectio sedium episcopalium Michiganensis et Nordwestiensis.

LEO PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Ratio et tenor concessionis.

§ 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam tenet partem ea, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum: supremae siquidem potestatis iudiciique nostri est novos earum limites constituere, vel constitutos immutare, prout, habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus. Quum ex acceptis venerabilium fratrum Ambrosii Marechal Archiepiscopi Baltimorensis et Eduardi Jenwinck Episcopi Cincinnatensis aliorumque gravissimis testimoniis constiterit, opportunissimum esse ad religionem in provinciis Michigan et Nordwest amplificandam confirmandamque, ex iisdem provinciis, quibus hactenus venerabilis frater Episcopus Cincinnatensis

praedictus veluti administrator apostolicus praefuit, peculiarem propriamque dioecesim erigere et constituere, cuius sedes sit in civitate Detroit, fines autem earumdem, provinciarum limites, nos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, rebus omnibus mature perpensis, memoratae dioecesis erectionem ad exitum perducimus. Per praesentes igitur nostras apostolicas literas ex apostolicae potestatis plenitudine provincias Michigan et Nordwest praedictas peculiarem propriamque dioecesim erigimus et constituimus, cuius episcopatus sedes sit in civitate Detroit, fines autem, earumdem provinciarum limites, cum omnibus iuribus, privilegiis et honoribus, nec non oneribus solitis et consuetis, aliisque per canonicas sanctiones huiusmodi dioecesibus concessis et attributis. Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat, ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus nostris se subiiciant, illasque accurate exequi teneantur ac debeant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 2. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae praedictae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XX. martii MDCCCXXVII., pontificatus nostri anno V.

XXIV.

Iosephum Rosati ab episcopatu Tenagrensi in part. infid. ad episcopatum S. Ludovici in America foederata transfert, retenta interim administratione Episcopatus Novae Aureliae.

Venerabili fratri Iosepho Rosati Episcopo Tenagrensi et Ecclesiae Novae Aureliae Administratori auctoritate apostolica deputato,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quum post acceptas nostras in simili formâ brevis die XVIII. iulii elapsi anni MDCCCXXVI. datas literas, quibus fraternitati tuae proponebatur Episcopatum Novae Aureliae accipere, tu, supplici ad nos misso libello, ac literis Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum scriptis, ita responsum dederis et eiusmodi rationum momenta exposueris, ut ostenderes ad religionis bonum in Luisianâ uberius ac facilius procurandum omnino conducere, si tu Episcopus S. Ludovici in statu Missouriano potius quam Novae Aureliae Episcopus deputaveris; nos, omnibus mature perpensis, ac de eorumdem Cardinalium consilio, te a Tenagrensi sede in partibus infidelium, quam ad praesens obtines, transferre, et Episcopum S. Ludovici nominare atque instituere decrevimus, retentâ etiam a te tamquam administratore apostolico dioecesi Novae Aureliae, donec aliter haec S. Sedes statuerit, quemadmodum literis apostolicis praedictis illius ecclesiae administratio tibi fuit commissa.

§ 2. Nos itaque te a quibusvis excommunicatione etc. absolutum fore censentes, fraternitatem tuam a Tenagrensi sede in partibus infidelium, ad aliam S. Ludovici in statu Missouriano actu vacantem auctoritate apostolicâ tenore praesentium transferimus, ac illi in Episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac praeterea mandamus, ut tu tamquam administrator apostolicus dioecesim Novae Aureliae, donec aliter haec Apostolica Sedes statuerit, gubernare prosequaris, quemadmodum literis apostolicis diei XVIII. iulii elapsi anni MDCCCXXVI. illius ecclesiae administratio fuit tibi commissa.

§ 3. Nos vero in illo, qui dat gratiam et largitur dona, confisi quod, dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia S. Ludovici per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur,

parique utilitate et prosperitate administratio Ecclesiae Novae Aureliae procedet, grataque in spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris promptâ devotione animi amplectens, curam et administrationem praedictas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia S. Ludovici gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XX. martii MDCCCXXVII., pontificatus nostri anno V.

XXV.

Regulae servandae in electione Antistitum sedium vacantium regni Germaniae.

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ad Dominici gregis custodiam pastores praeficere, qui et sacrorum procurationi et ministerio verbi semitis illum regant iustitiae ac salutis, maxima semper assiduaque contentione Romani Pontifices adnisi sunt, probe gnari id sibi ex muneris sui officio a pastorum principe in primis commendari.

Quae de sedibus huiusmodi Pius Papa VII. disposuerit memoratur.

§ 2. Hoc proinde consilio pro summo, quo in Ecclesiae bonum flagrabat studio, felicis recordationis praedecessor noster Pius Septimus maximae sibi religioni duxit intentas in eos Orthodoxae fidei cultores sollicitudines convertere, qui serenissimorum principum statuumque Germaniae, regis nempe Witembergiae, magni ducis Badensis electoris Hassiae, magni ducis Hassiae, ducis Nassoviensis, liberae civitatis Francofurtensis, magni ducis Megapolitani, ducum Saxoniae, ducis Oldeburgensis, principis Waldecensis, ac liberarum civitatum Hanseaticarum Lubecensis et Bremensis dominationi subsunt, ac proinde diligentissime iis omnibus perpensis, quae magis ex re esse visa sunt, praesides sacrorum iisdem adsignandos curavit. Datis idcirco ad diem septimam kalendas septembris anno millesimo octingentesimo vigesimo apostolicis literis, quarum initium *Provida solersque,* archiepiscopalis Friburgensis sedes eiusque suffraganeae quatuor, Rottemburgensis nimirum, Moguntina, Limburgensis ac Fuldensis, constitutae sunt, cunctis opportune in id operis sancitis, quae ad Antistitum censum, ad canonicorum collegia, ad seminaria, ad paroecias, ad cathedrales aedes erant praefinienda; quin imo Deo iuvante, qui pater est luminum et auctor totius consolationis, in eo iam sumus, ut iis sedibus suos quamprimum pastores praeficiamus.

Quae disponenda supersint declaratur.

§ 3. Verum nonnulla adhuc concilianda desiderabantur, quibus in futura tempora de Antistitum praesertim electione opportune pro locorum ratione esset consultum, ut integra in id causae perstent Apostolicae Sedis iura et omnia, quae idcirco erunt ibidem peragenda, communis opinionis testimonio commendentur, nostras in id curas impense appulimus, id unice in gravissimo hoc et difficili negotio revolventes animo, ut ea omnia adimerentur, quibus adhuc praepediuntur maxima animarum lucra per memoratae bullae dispositiones procurata, et optatum exitum tandem nanciscantur, quae in religionis commodum fuerant constituta.

Decretum.

§ 4. Omni itaque negotii ratione in examen deducta, iisque susceptis consiliis, quae ex rei natura eiusque adiunctis universis, occurrerunt, auditis nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur decernimus ac mandámus:

De candidatis nunciandis.

I. Quotiescumque sedes archiepiscopalis vel episcopalis vacaverit, illius cathedralis ecclesiae capitulum intra mensem a die vacationis computandum summos respectivi territorii principes certiores fieri curabit de nominibus candidatorum ad clerum dioecesanum spectantium, quos dignos et idoneos iuxta sacrorum canonum praescripta iudicaverit ad archiepiscopalem vel episcopalem ecclesiam sancte sapienterque regendam. Si forte vero aliquis ex candidatis ipsis summo territorii principi minus gratus extiterit, capitulum e catalogo eum delebit, reliquo tamen manente sufficiente candidatorum numero, ex quo novus Antistes eligi valeat. Tunc vero capitulum ad canonicam electionem in Archiepiscopum

vel Episcopum unius ex candidatis qui supererunt iuxta consuetas canonicas formas procedet, ac documentum electionis in forma authentica intra mensem ad summum Pontificem perferri curabit.

De confectione processus informativi.

II. Confectio processus informativi super qualitatibus promovendorum ad archiepiscopalem vel episcopales ecclesias a Romano Pontifice ad formam instructionis piae mem. Urbani PP. VIII. iussu editae uni Episcoporum provinciae vel ecclesiastico respective dioecesis viro in dignitate constituto committetur: quo accepto, si summus Pontifex compererit promovendum iis dotibus instructum, quas sacri canones in Episcopo requirunt, eum quanto citius fieri poterit iuxta statutas formas per apostolicas literas confirmabit.

De nova electione, si prior defecerit.

III. Si vero aut electio minime fuerit canonice peracta, aut promovendus praedictis dotibus instructus non reperiatur, ex speciali gratia summus Pontifex indulgebit, ut capitulum ad novam electionem ut supra canonica methodo valeat procedere.

De capitulis efformandis.

IV. Capitula tam metropolitanum quam cathedralia pro prima vice eo qui sequitur modo efformabuntur. Postquam Archiepiscopus vel Episcopus respective Sanctae Sedis auctoritate fuerint instituti, eis a summo Pontifice committetur, ut eiusdem summi Pontificis nomine ad nominationem decani canonicorum, et vicariorum capituli procedant, iisque dent canonicam institutionem; deinceps vero, quotiescumque decanatus aut canonicatus vel vicariatus vacaverint, Archiepiscopus vel Episcopus cum respectivo capitulo alternis vicibus intra sex hebdomadas a die vacationis proponent summo territorii principi quatuor candidatos in sacris ordinibus constitutos, iisque praeditos qualitatibus, quas sacri canones in capitularibus requirunt. Quod si forte aliquis ex ipsis candidatis summo territorii principi minus sit gratus, id quamprimum Archiepiscopo vel Episcopo, vel respective capitulo, idem summus princeps indicari curabit, ut ab elencho candidatorum deleatur. Tunc vero Archiepiscopus et Episcopus ad collationem decanatus, canonicatus, aut praebendae, seu vicariae, vel respective capitulum, intra quatuor hebdomadas procedet ad nominationem unius ex reliquis candidatis, cui Archiepiscopus aut Episcopus canonicam dabit institutionem.

De alumnis seminariorum.

V. In seminario archiepiscopali vel episcopali is clericorum numerus ali, atque ad formam decretorum sacri Concilii Tridentini institui ac educari debebit, qui dioecesis amplitudini et necessitati respondeat, quique ab Episcopo congrue erit definiendus.

De communicatione habenda cum Sancta Sede.

VI. Liberum erit cum Sancta Sede de negociis ecclesiasticis communicare, atque Archiepiscopus in sua dioecesi et provincia ecclesiastica, uti et Episcopi in propria quisque dioecesi, pleno iure episcopalem iurisdictionem exercebunt, quae iuxta canones nunc vigentes et praesentem ecclesiae disciplinam eisdem competit. Haec porro, quae tenore praesentium apostolicae sanctionis robore communimus, districte mandamus, ut Antistites et capitula memoratarum sedium in iis, quae ad ipsos spectant, accurate ac diligenter exequantur et servent. Id vero et ab serenissimis principibus certa iucundaque spe praestolamur, ut animo quo sunt magno et excelso, atque ad populorum felicitatem operandam intento animadvertentes, quanam nostra toto hoc in negotio se se protulerit indulgentia, benevolos se in dies magis praebeant erga catholicos subditos, quos certe et fide et obsequio et obediendi studio sibi quam maxime devinctissimos tempore quolibet nanciscentur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere ac fore.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis, praesertim de iure quaesito non tollendo, caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Fides habenda transumptis.

§ 7. Volumus insuper ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, adprobationis, derogationis, statuti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omni-

potentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicae MDCCCXXVII., tertio idus aprilis, pontificatus nostri anno v.

XXVI.

Exemptio ecclesiarum Belemensis de Parà et S. Ludovici de Maragnano a iure metropolitico Patriarchae Lisbonensis, illarumque subiectio archiepiscopatui sanctissimi Salvatoris in Brasilia.

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Romanorum Pontificum vigilantia in universalis Ecclesiae regimine ad illa etiam curas suas extendit, quae in omnium Christifidelium utilitatem et commodum opportune queant converti.

Expositio precum. § 2. Exhibitas idcirco nobis a dilecto filio magistro Francisco Correa Vidigal carissimi in Christo filii nostri Petri primi Brasiliae imperatoris apud nos et Sedem Apostolicam ministro plenipotentiario eiusdem imperatoris nomine hilari animo excipiendo preces respicientes unam Belemensem de Parà, et alteram S. Ludovici de Maragnano episcopales ecclesias, quae actu subsunt iuri metropolitico venerabilis fratris Patriarchae Lisbonensis, inspectaque ingenti locorum distantia et maris Oceani necessaria interiectione, facile cognovimus quod nonnisi diuturno infesto et periculoso itinere patet inter eas accessus, ac proinde quae metropolitici iuris sunt difficillime peragi, et exequutioni mandari possunt.

Tenor concessionis. § 3. Votis propterea laudati imperatoris libenter obsecundare, ac populorum in illis regionibus degentium bono et negotiorum promptae ac feliciori expeditioni opportune consulere cupientes, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quorumlibet interesse habentium supplentes consensui memoratas Belemensem de Parà et S. Ludovici de Maragnano episcopales ecclesias a quacumque dependentia et subiectione patriarchatui Lisbonensi plenarie eximimus et liberamus, illasque archiepiscopatui sanctissimi Salvatoris in Brasilia suffraganeas adsignamus, huiusque iuri metropolitico omnimode ac perpetuo supponimus atque subiicimus; ita ut venerabilis frater modernus Archiepiscopus sanctissimi Salvatoris, illiusque in archiepiscopatum successores, omnibus ac singulis iuribus, privilegiis et facultatibus in praedictas suffraganeas polleant, quae ipsis iuxta sacrorum canonum praescripta legitime spectant et competunt.

Clausula sublata et decretum irritans. § 4. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, illis non consenserint, ac vocati et auditi non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari umquam posse,sed semper ac perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere. Et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane decernimus.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus quibusvis, etiam in synodalibus, provincialibus generalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, antedictarumque patriarchalis, archiepiscopalis et episcopalium ecclesiarum statutis, iuribus, privilegiis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, assignationis, suppositionis, subiectionis, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo XXVII. nonis iunii, pontificatus nostri anno v.

XXVII.

Erectio collegiatae ecclesiae oppidi Planae Graecorum *sub titulo S. Demetrii Thessalonicensis martyris dioecesis Montis regalis in regno utriusque Siciliae.*

Venerabili fratri Domenico Benedicto Montis regalis Archiepiscopo,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Moderantibus nobis totius catholicae Ecclesiae gubernacula, nihil potius esse debet, quam ut Dei cultus efflorescat ubique magis, salutique animarum consulatur.

Memorantur, quae fuerint disposita a Pio VII. pro huius ecclesiae collegiatae erectione.

§ 2. In hanc curam incumbens felicis recordationis Pius VII. praedecessor noster libenter preces excepit ei porrectas a dilectis filiis magistratibus et civibus oppidi, quod *planam Graecorum* nuncupant, quippe quae saeculo decimoquinto exeunte ex deductis in Siciliam Graecis coaluit, et ritum Graecorum catholicorum servans tibi paret. Id siquidem illi apud ipsum Pontificem precibus institerunt, ut, quum in eorum colonia ecclesia matrix et parochialis a Sancto Demetrio M. Thessalonicense nomen habens assurgat, cuius archipresbyter ac sacerdotes adiutores terni ingenti illi plebi sibi concreditae curandae atque regendae impares erant, sacerdotum agrum illum excolentium numerum, erecto ibidem canonicorum collegio, augeret. Huiusmodi votis benigne annuit praedecessor noster, eo vel magis quod Ferdinandus I. utriusque Siciliae rex illustris eadem vota commendatione prosequutus est, nec verbis tantum petitioni isti suffragatus, sed, quo erat in rem catholicam studio, ecclesiae illius redditus annuo censu unciarum quatuorcentum amplificavit, auxit, ut canonicorum collegium auctoritate apostolica erigendum aleretur. Hinc rebus omnibus a congregatione consistoriali, cui negotium commissum, accurato examine libratis et quibusdam propositis conditionibus, ipse pontifex suas edidit literas sub annulo piscatoris expeditas ac datas die decima secunda decembris anno millesimo octingentesimo vigesimo.

Sententia de re edita a sacra Congregatione consistoriali.

§ 3. Verum, quum nonnullis ex causis praepedita deinceps fuerit illius collegialis ecclesiae constitutio, et plura in novum examen deduci oportuerit, rem totam denuo ad Congregationem consistorialem detulimus. Explorata itaque sententia tua ac instante in dies impensius carissimo in Christo filio nostro Francisco I. utriusque Siciliae rege, per decretum, quod referente dilecto filio magistro Paulo Polidorio eiusdem Congregationis secretario die vigesima secunda proximi superioris mensis emisimus, perficiendi operis formam rationesque ad consilia praedecessoris nostri praescripsimus.

Tenor concessionis.

§ 4. Illi igitur decreto inhaerentes et singulos quosque, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, plena auctoritate nostra volumus atque mandamus, ut in oppido *planae Graecorum* parochialis et matrix ecclesia honori Sancti Demetrii Thessalonicensis martyris dicata, extincto prius collativo titulo archipresbyteratus ac trium aliorumque, si quae sunt, beneficiorum parochialium, in collegiatam graeco-catholici ritus, servato parochialitatis, ceu dicunt, iure, sub plena ordinaria iurisdictione tua, seu istius ecclesiae in tempore Archiepiscopi, erigatur cum suo capitulo, choro, arca et sigillo communibus, omni prorsus adempta iisdem spe habendi umquam futuris temporibus Episcopum proprii ritus cum territorio separato.

Deputatio unius dignitatis cum coadiutoribus.

§ 5. Iubemus itidem, in hoc novo capitulo unam dumtaxat dignitatem constitui cum titulo archipresbyteri, qui graece *Protopapa* dicitur, cui animarum curam in commemorata ecclesia S. Demetrii, prout antea, commissam praecipimus, datis eidem coadiutoribus tribus aliis presbyteris, usque adhuc parochis cappellanis nuncupatis, nunc vero in canonicorum numerum cooptandis. Haec porro dignitas in praesentiarum attribuetur hodierno archipresbytero Georgio Matranga, quin ulla nova collatio et apostolicae literae requirantur.

Praefinitio numeri canonicorum et beneficiariorum.

§ 6. Praeter archipresbyteralem vero dignitatem tredecim canonicatus erigantur cum totidem praebendis, prout mox dicetur, quorum canonicatuum priores tres perpetuo tribus presbyteris addicentur, quos archipresbytero coadiutores in parochialibus muneribus adsignatos esse cautum superius est. Ceteri vero reliquos decem canonicatus adepti, sacris functionibus ad prae-

stitutam normam peragendis iisque exequendis quae recensentur in euchologio ex auctoritate Benedicti XIV. emendato et typis sacrae Congregationis de Propaganda Fide edito, iis exceptis, quae non sunt iuxta constitutionem Benedicti XIV. « *Et si pastoralis* », quae accurate religioseque omnino servanda erit, sedulam operam praestabunt, quod et de archipresbytero ac tribus canonicis coadiutoribus, nec non de cappellanis seu beneficiariis sancitum edicitur, prout in capituli statutis, de quibus infra agetur, distincte decretum adnotabitur. In id porro, accitis etiam, ubi opus fuerit, viris graecas literas ac disciplinas apprime edoctis, ven. frater, diligentissime inquires, ac sedulo assidueque pervigilabis. Sex quoque aderunt in hoc eodem capitulo sacerdotes inservientes, seu beneficiarii nuncupati, qui eisdem ac ceteri decem canonici obligationibus adstringentur, prout ipsorum gradus ratio postulat.

Dotatio mensae capitularis.

§ 7. Cum autem a communitate dicti oppidi *Planae Graecorum* annua cuique ex tribus parochis cappellanis olim dictis unciarum quindecim portio fuerit attributa, unde summa quadraginta quinque unciarum coalescit, et insuper census unciarum triginta pro archipresbytero, nec non alii proventus pro eleemosynis missarum et in divini cultus tuitionem ab eadem communitate sint assignati, ac praeterea ecclesia ipsa S. Demetrii aliis fructibus emolumentisque in praesens potiatur ac potiri in posterum possit, cumque ex regia munificentia pensio annua unciarum quadringentarum fuerit in novae collegiatae commodum decreta, quae deducendae erunt ex portione reddituum istius metropolit. ecclesiae patrimonii iuxta apostolicum privilegium in pios usus erogandorum; idcirco hanc annuam summam unciarum quadringentarum integram, et absque ullo onere, novo huic capitulo addicimus et adsignamus una cum reliquis memoratis fructibus, ut ipsa inter dignitatem aliosque canonicos et inservientes, eo quo a bullae exequutore, universis collegii circumstantiis inspectis, rite praefinietur modo, habita etiam ratione impensarum pro ecclesiae cultu, dividantur ea cum primis lege, ut integer perstet nullique oneri obnoxius census unciarum triginta pro archipresbytero et unciarum quindecim pro quolibet ex tribus primis canonicis ad curam animarum in archipresbyteri auxilium adscitis, praeter parochialia emolumenta *fructus stolae* nuncupata, quae integre ad eosdem pro veteri more spectabunt. Ius item ex sacrarum legum praescripto erit archipresbytero, ac tribus iis canonicis, prout sancitum erit, percipiendas.

Reservatio iuris nominandi canonicos et dignitates favore regis utriusque Siciliae.

§ 8. Ob hanc porro dotem liberaliter ab serenissimo rege constitutam, maiestati suae eiusque successoribus benigne impertimur ius nominandi ex constituta a iure canonum norma presbyteros idoneos, tum ad archipresbyteratus dignitatem, tum ad omnes canonicorum et inservientium praebendas non solum hac prima vice (uno excepto archipresbyteratu, et tribus primis canonicatibus, qui, ut supra decretum est, hodiernis archipresbytero, et tribus parochis cappellanis adiicientur), verum etiam in futuris quarumlibet earum praebendarum vacationibus. Decernimus autem, ut, nisi aliter ex peculiari quapiam causa maiestati suae aliquando visum fuerit, ii semper ad haec beneficia praeferantur, qui ex praescripto pro ordinandis in memorata Benedicti XIV. constitutione studiis theologiae sacrae, rituumque orientalis ecclesiae in Panormitano seu alio adprobato graecorum seminario, vacaverint, ac de iis diligenter peractis testimonio Archiepiscopi panormitani, vel ordinarii loci praesulis, ubi ille extet, sint commendati; itemque, ut, qui ad archipresbyteratum et ad tres primos canonicatus, quibus adiectum est onus adiuvandi archipresbyteri, erunt nominati, probentur examine a te tuisque successoribus, et si idonei ad munus, ad quod designati sunt, deprehendantur, canonicam a vobis institutionem suscipiant, quam et nominati ad alios canonicatus et beneficia secundum canonum statuta obtinebunt.

De admissione confessariorum.

§ 9. Mandamus autem distincte, ut neminem, et prima hac vice et perpetuis futuris temporibus, archipresbyteratus, canonicatuum aliarumque praebendarum possessionem inire, imo nec ad confessiones excipiendas admitti fas sit, nisi antea coram te, vel tuo vicario generali, professionem fidei ex formula a Gregorio XIII. praedecessore nostro pro orientalibus sancita ediderit, et, sacramenti religione interposita, profiteatur, toto se mentis animique assensu recipere apostolicas de orientalium disciplina ordinationes, ac praesertim eiusdem Benedicti XIV. constitutionem quae incipit « Et si pastoralis » qua providentissime de Italo-Graecis leges praescribuntur, seque iis noviter obtemperaturum fore, nihilque umquam admissurum, quod a de-

bita erga latinum ritum reverentia absonum sit, vel ad personas ab ipsius cultu retrahendas possit conferre.

Distinctio paroeciarum pro Christi fidelibus latini et graeci ritus.

§ 10. Cum vero eo in oppido complures degant e ritu latino, de apostolicae nostrae potestatis plenitudine ad omnes prorsus controversiarum causas praecidendas, habitaque ratione praestantiae latini ritus, eo quod uti in memorata constitutione « Et si pastoralis » adnotatur « *sit ritus Sanctae Romane Ecclesiae omnium ecclesiarum matris et magistrae* », ab qualibet dependentia et subiectione erga memoratam S. Demetrii ecclesiam quovis titulo habenda eosdem eximimus, et exemptos in perpetuum decernimus, ipsorumque ecclesiam S. Viti parochialem pro universis Christifidelibus latini ritus ibidem immorantibus constituimus cum omnibus iuribus et privilegiis et praerogativis parochialibus: mandamus idcirco, ut pro iis, qui graeco ritu utuntur, ecclesia S. Demetrii sit praecipua parochialis cum matricitatis, ut vocant, praerogativa in ceteras dumtaxat illius ritus ecclesias; illi autem, qui latino ritu divina operantur, uti praecipuam et pro se parochialem ecclesiam S. Viti agnoscant et colant, quin ulla perstet inter se alterutrius ex hisce ecclesiis praeeminentia matricitatis, titulo proinde praepositi parochum latinorum nuncupandum iubemus volumusque titulum archipresbyteri utriusque ritus, quo asserunt usum quandoque fuisse graecorum archipresbyterum, nullimode in posterum ullo in actu adhiberi. Statuta pro capitulo collegiatae ecclesiae S. Demetrii martyris, quae a sacra Congregatione de Propaganda Fide erunt adprobata, adamussim religioseque serventur, ut ex ipsorum praescripto disciplina chori, capitularium officia, onera, insignia et quotidianae distributiones ac stipendia, et bonorum procuratio aliaque capituli negotia, apte, rite sancteque gerantur.

Deputatio executoris apostolici.

§ 11. Ut autem, quae hisce literis statuimus, plenum nanciscantur effectum, te, ven. frater, montis regalis Archiepiscopum omnibus idcirco necessariis et opportunis facultatibus munitum volumus, quibus singula quae a nobis praescripta adamussim explenda cures, tibique potestatem facimus etiam alterum in id subdelegandi, nec non definitive et omni appellatione remota pronunciandi super quacumque oppositione in actu exequutionis huiusmodi forsan oritura.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 12. Decernimus demum hasce literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Derogatis primum consensibus interesse habentium, ac non obstantibus fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque omnibus etiam individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII. iunii MDCCCXXVII., pontificatus nostri anno V.

XXVIII.

Vicario Apostolico Siami concedit, iuxta modum praescriptum, coadiutoris electionem (1).

Ven, fratri Iosepho Florens Episcopo Sozopolitano Vicario Apostolico Siami in Sinis,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum, sicut nobis relatum est, tu aetate provectus et infirma etiam valetudine laborans coadiutore cum charactere episco-

---

(1) Ex Reg. Brevium vol. III., p. 368.

pali et futura successione in fungendo munere Vicarii Apostolici Siamensis in Sinis egeas, nos idcirco pro commissi nobis divinitus pastoralis officii cura, ne quid desit vicariatus praefati assistentiae spirituali, quantum nobis ex alto conceditur opportune consulere statuimus, et ne in eligenda persona idonea pro huiusmodi coadiutoris officio tibi grata et ad illud explendum munus apta, quae prius a nobis esset, uti par est, approbanda, tempus frustra decurrat, ob nimiam distantiam locorum extraordinario modo providendum esse decernimus, tibique, de cuius probata apud nos prudentia, fidelitate ac Religionis zelo indubia perhibentur testimonia, provisionem modo et forma infra dicendis committere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide praepositorum consilio, fraternitati tuae facultates necessarias et opportunas eligendi in tuum coadiutorem vicariatus apostolici praefati Siamensis cum charactere episcopali, et futura successione, quem in Domino satius duxeris eligendum, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, ita tamen ut coadiutor sic per te electus non nisi ea quae hac in re tu illa demandaveris, quaeque per te ipsum nequeas peragere, omnino praestare et adimplere teneatur; quando autem munus huiusmodi quod tu ad praesens geris, quomodolibet ex persona tua vacaverit, coadiutorem ut supra per te eligendum, loco tui, Vicarium Apostolicum Siamensem cum omnibus et singulis facultatibus, quae tibi ratione huiusmodi officii a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae et attributae fuerunt, ex nunc pro tunc auctoritate et tenore praedictis facimus et constituimus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Praeterea, ut memoratus coadiutor per te eligendus charactere et titulo episcopali insignitus evadat, ac nunc pariter pro tunc illum in Episcopum Ecclesiae Capsen. sub Archiepiscopo Cirten. quae in partibus infidelium consistit, actuque vacat, eadem auctoritate nostra apostolica renunties atque declares, illique ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta nostra auctoritate concedas et indulgeas, tibique pariter, ut eidem coadiutori per te eligendo ac postea in Episcopum Capsen. auctoritate et tenore praesentis renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a Sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis auctoritate nostra impendere licite valeas, accitis et in hoc tibi assistentibus duobus, loco Episcoporum, presbyteris saecularibus, seu cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti Regularibus praefatae sedis gratiam et communionem habentibus, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis ab illo per te ipsum iuramento et professione fidei huiusmodi, tu consecrationis munus dicto coadiutori impendere, et ille munus praefatum suscipere praesumpseritis, tu a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Mandamus propterea in virtute sactae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut illum per te eligendum ad officium coadiutoris, eiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, illique in omnibus quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint atque obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam in rebelles tulerit ipse, rite ac statuerit, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die v. febr. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno v.

XXIX.

Durante absentia Episcopi Philadelphiensis in foederatis Americae statibus, Vicarium Generalem Apostolicum dioecesis eiusdem constituit Gulielmum Matthews.

Dilecto filio Gulielmo Matthews presbytero Americano et parocho Washington,

LEO PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum ven. frater Henricus Conwell Episcopus Philadelphiensis per Congregationem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum invitatus Romam venturus quam primum sit, quumque ven. frater Ambrosius Marechal Archiepiscopus Baltimorensis, qui dioecesis praedictae Philadelphiensis Administrator auctoritate nostrâ apostolicâ fuerat designatus, ob gravissimam, qua afficitur, infirmitatem, illud munus suscipere omnino non possit; nos praedictae dioecesis necessitati, durante memorati Henrici Conwell Episcopi absentiâ a propriâ Ecclesiâ Philadelphiensi, et donec aliter ab hac S. Sede constituatur, consulere volentes, ac tuâ pietate, prudentiâ, doctrinâ confisi, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de eorumdem Cardinalium consilio, te, durante absentiâ praedicti Henrici Conwell a propriâ dioecesi Philadelphiensi, et ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, Vicarium Apostolicum Generalem eiusdem dioecesis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, deputamus, salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 2. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac pro tempore spectabit, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicarii Generalis Apostolici officium illiusque liberum exercitium, iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI. feb. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno v.

XXX.

Confirmat electionem Gregorii Petri Giarve in Patriarcham Antiochenum Syrorum palliumque ei concedit (1).

Venerabili fratri Ignatio Petro Giarve Archiepiscopo nuper Hierosolymitano in Patriarcham Antiochenum Syrorum electo,

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor ille caelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit uni-

(1) Cum propter renunciationem Patriarchatus Antiocheni nationis Syrorum catholicae ab R. P. D. electo Patriarchâ Ignatio Simone S. Congregationi de Prop. Fide oblatam, atque ab eadem S. C. die I. iunii an. MDCCCXVIII. acceptatam, sedes illa patriarchalis Antiochena vacasset, Episcopi memoratae nationis catholici die XXV. februarii anno MDCCCXX. in monasterio S. Mariae Liberatricis in Monte Libano, quae patriarchalis residentia est, congregati R. P. D. Gregorium Petrum Giarve Archiepiscopum Hierosolymitanum Patriarcham elegerunt, qui sibi reservans administrationem sedis archiepiscopalis Hierosolymitanae nomen assumpsit Ignatii Petri.

Etsi vero memoratae nationis Episcopi catholici continuo ad S. Congregationem literas scripserint, ut electionis a se factae apostolicam confirmationem impetrarent; ob excitatas tamen aliquas de eâdem re controversias absolvi negotium hoc nisi post longam deliberationem non potuit.

Referente tandem Emo ac Rmo D. Francisco Xa-

versis, sollicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam tunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accommode prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet ac bona ecclesiae sibi traditae non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis afferat incrementis. Sane Patriarchali ecclesia Antiochen. Syrorum, cui ven. frater noster Ignatius Simeon ultimus illius Patriarcha nuper praesidebat, per liberam dimissionem dicti Ignatii Simeonis Patriarchae de illa sponte factam, et per nos admissam, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem eiusdem Patriarchalis Ecclesiae Antiochen. Syrorum celerem atque felicem, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem patriarchali ecclesiae Antiochen. Syrorum personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te nuper Archiepiscopum Hierosolymitanum, quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi catholici et dilecti filii clerus nationis Syrorum ad praefatam patriarchalem ecclesiam pro eorum Patriarcha elegerunt, seu postularunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptam expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illa-

---

verio Castiglioni S. R. E. Cardinali Episcopo Tusculano ac Maiori Poenitentiario in generali Congregatione habitâ die XXX. iulii an. MDCCCXXVII., S. eadem Congregatio censuit ac decrevit SSmo Domino supplicandum esse pro sanatione quorumcumque defectuum etiamsi substantialium, qui occurrere potuerint in electione de qua sermo est, pro eiusdem electionis confirmatione, proque sacri Pallii concessione electo Patriarchae. Documenta enim eiusmodi obtulit idem electus Patriarcha, ut S. Congregatio omne gravissimum ab eo habeat argumentum, eum morum integritate, ingenio ac doctrinâ praestantem, Deo Opt. Max. iuvante, dignitatem patriarchalem ita esse gesturum, quemadmodum publicum illius gentis et ecclesiae bonum requirit; atque ita res omnes esse compositurum, ut non modo haereticorum conatus coerceantur, qui sedis patriarchalis catholicae vacatione abuti se velle ostenderant ad nationis Syrae catholicae detrimentum, verum etiam Syrorum, qui in haeresi ac schismate hactenus vivebant, ad fidem unitatemque catholicam conversio, quae iam feliciter caepit, latior ac stabilior evadat.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo D. N. Leoni PP. XII. relatam per R. P. D. Petrum Caprano Archiepiscopum Iconii S. Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et Patriarchae confirmationis praeconizationem ac sacri Pallii eidem concessionem in proximo consistorio fieri posse decrevit. Die vero XXVIII. feb. h. a. indicto de more consistorio secreto in eo sequenti allocutione confirmavit electionem.

VENERABILES FRATRES,

Postquam ven. frater Ignatius Simeon Antiochenum Syrae nationis Patriarchatum abdicavit, eiusdem nationis Episcopi de more convenerunt, ut in ipsius locum substituerent quem tanto munere dignum iudicavissent. Cum igitur ven. frater Gregorius Petrus Giarve Syrus Hierosolymitanae Ecclesiae Archiepiscopus pastoralium virtutum famâ plurimum commendaretur, eum conlatis suffragiis Patriarcham Syro-Antiochenum elegerunt. Superseminatis autem non multo post ab inimico homine zizaniis, in dubium revocari coepta est huiusmodi electio, eaque dubia et ortae inde dissensiones evaserunt, ut eamdem electionem vanam, irritam, nullam fuisse quidam pertractate contenderint. In hoc rerum statu Congregatio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium gravissimis de Propagandâ Fide negotiis a nobis praeposita expectandum esse censuit, dum dissensionum aestus defervesceret, et veritas, evanescentibus quibus tegebatur nebulis, caligantes quoque oculos illuminaret. Hinc petere a nobis distulit, ut sanatis, quae in novi Patriarchae electionem irrepere potuissent gravioris etiam momenti vitiis, ven. fratrem Ignatium Petrum Giarve Patriarcham Syro-Antiochenum auctoritate nostrâ renuntiaremus, illumque sacro Pallio de corpore Divi Petri, ut mos est, sumpto decoraremus. Ne quid interea detrimenti Ecclesia Syro-Antiochena caperet, eadem Congregatio nobis supplicavit, ut ipsam ven. fratri Dionysio Hadaja Archiepiscopo Aleppino vicariâ potestate administrandam traderemus. Id quidem nos libenter praestitimus, at casu plane tristi et infausto accidit, ut constitutus a nobis administrator non multo post supremum diem obierit, Ecclesia proinde Syro-Antiochena suo etiam administratore destituta fuerit. Quare, cum nemo illis in regionibus praesto sit, qui nunc nationi Syro-catholicae praesit, ad novas dissensiones tempestive emoliendas prudens laudatae Congregationis consilium amplectimur, et electionem ven. fratris Gregorii Petri Giarve ad Patriarchatum Syro-Antiochenum, sanato quocumque defectu, confirmamus, et sacri Pallii decus et insignia eidem una tribuimus. Id autem eo libentius facimus, quod novus Patriarcha morum integritate, ingenio ac doctrinâ praestans documenta nobis obtulerit, quae gravissimo argumento sunt ipsum patriarchali munere ita perfuncturum, ut catholica religio praeclara apud Syros incrementa, opitulante Deo, susceptura sit.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ confirmamus et approbamus electionem a venn. fr. Episcopis Syrorum factam de persona ven. fr. Ignatii Petri Giarve Patriarchae, quem absolvimus a vinculo quo tenetur ecclesiae Hierosol. ac transferimus ad patriarchalem ecclesiam Antiochenam Syrorum, praeficientes eum in Patriarcham et pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedula consistoriali exprimitur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

rum Largitor Altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu qui munere consecrationis suscepto ordinationes habuisti, confirmationis Sacramentum administrasti, et in reliquis ita bene te gessisti, ut praedictae Ecclesiae Patriarchali Antiochen. Syrorum praefici dignus censearis, dictam Patriarchalem Ecclesiam scies, voles, et poteris auctore Domino salubriter regere, et feliciter gubernare, direximus oculos mentis nostrae. Intendentes igitur tam dictae patriarchali ecclesiae Antiochen. Syrorum quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio, provisio et praefectio praefatae per nos ut infra faciendae praesentesque nostrae litterae suum debitum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ipsamque electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate approbantes et admittentes omnes et singulos etiam substantiales defectus si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum, te a vinculo quo dictae ecclesiae Hierosolymitan. cui hactenus praefuisti tenebaris de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine paribus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem dictae patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes quod dirigente Domino actus tuos praefata patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad praefatam patriarchalem ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter ac prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; nec non venerabilibus fratribus nostris suffraganeis Orthodoxis ac dilectis etiam filiis capitulo et vassallis dictae patriarchalis ecclesiae ac clero et populo eidem patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, ac clerus te pro nostra et eiusdem sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli vero praefati te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Nos enim te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, dictam ecclesiam Hierosolymitanam quam nos hodie per translationem ad patriarchalem ecclesiam Antiochensem Syrorum praefatam de tui persona ut praefertur factam huiusmodi vacare eo ipso voluimus tibi in administrationem ad tui vitam de fratrum eorumdem consilio ipsarum tenore praesentium et iuxta idem decretum Congregationis praefatae a nobis etiam ut praefertur approbatum concedimus et assignamus. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum anno in-

carnationis dominicae millesimo octingentesimo vigesimo octavo, die XXVIII. februarii, pontificatus nostri anno V.

XXXI.

Imperatorem Austriae plurimum obsecrat, ut auctoritate, qua pollet, obtinere curet ab aulâ Othomanâ cessationem persecutionis ex parte schismaticorum excitatae, vi cuius catholici praesertim Armeni Constantinopolis in discrimen vitae vel religionis amittendae adducuntur (1).

Carissimo in Christo filio nostro Francisco Austriae Imperatori, Hungariae Regi Apostolico, et Bohemiae Regi illustri,

LEO PP. XII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Delatis ad nos ingentium malorum, quibus catholici praesertim Armeni Constantinopolitanae urbis incolae nunc opprimuntur, nuntiis, tantâ illorum calamitate perculsi ante Redemptoris e cruce pendentis imaginem procubuimus, ipsum quantâ potuimus animi vi deprecantes, ut imperans ventis et mari, excitatam furentium schismaticorum perfidiâ tempestatem sedaret, et miseris illis omni molestiarum genere vexatis atque in vitae et, quod longe gravius est, in amittendae religionis discrimen adductis pro suâ misericordiâ succurreret.

Scientes autem, carissime in Christo fili noster, quo religionis amore ferveas, et quam libenter omnes avitae pietatis exercendae occasiones amplectaris; ad caesaream maiestatem tuam confugiendum opemque tuam nobis implorandam esse censuimus, ut eâ, qua polles apud supremum Turcarum principem, auctoritate et gratiâ ab eodem enixe petas ne, dum barbarus esse atque haberi non vult, indelebilem saevae barbariei labem nomini suo inurat. Tuus itaque internuntius catholicorum, te iubente, patrocinium suscipiat, ipsorum innocentiam, rectitudinem, fidem ostendat, schismaticorum, qui semper paratas in pharetrâ suâ sagittas habent ut configant in obscuro rectos corde, inveteratam execrandamque malignitatem patefaciat, nihil denique intentatum relinquat, ut Othomanam aulam a tyrannicis consiliis abducat, et catholicos exilio, carcere, bonorum spoliatione iniustissime ac teterrime multatos quiescere sinat.

Si haec officia prospere, ut in Domino confidimus, cesserint, tanti boni consecutionem tibi, carissime in Christo fili noster, acceptam referamus, easdem tibi gratias habituri, quas fel. rec. praedecessor noster Pius VII. caesareae maiestati tuae persolvit, cum vehemens persecutio in memoratâ urbe contra catholicos Melchitas anno MDCCCXVIII. schismaticorum similiter graecorum consuetis dolis commota tuis praecipue curis desaeviit intermissaque fuit. Age ergo, carissime in Christo fili noster, tuis erga religionem meritis novum cumulum adde, moerorem, quo sane maximo afficimur, a nobis et universâ Ecclesiâ quo citius fieri poterit exime, apostolicam denique benedictionem accipe, quam ex intimis praecordiis depromptam, et cum perpetuae felicitatis tuae voto coniunctam caesareae maiestati et imperiali familiae tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XI. martii MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXII.

Eximit a vectigalibus et tributis hospitia, domos et bona Orientalium in Urbe, nominatim Monachorum S. Basilii rutheni ritus SS. Sergii et Bacchi.

LEO PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Gravissimae calamitates, quae infelicissimis hisce temporibus Ecclesiam et civilem societatem afflixerunt; deinde vero magna, quam haec Apostolica Sedes passa est, proventuum imminutio; denique necessitas, quae maior evasit, subsidia mittendi ad indigentes catholici orbis ecclesias pro veteri instituto, quod a Rom. Pontificibus perpetuo custoditum est; vim quodammodo intulerunt, ut in locis temporali nostro ac Sanctae huius Sedis dominio subiectis exemptio illa a publicis vectigalibus — **Ratio concessionis.**

(1) Ex Reg. epist. ad principes etc.

atque tributis, quum iuxta sacros canones bona ecclesiastica habent, apostolica auctoritate suspenderetur. Sed quum in hac alma urbe, quae propter beati Petri cathedram catholici ipsius orbis caput est, multi etiam Orientales ab antiquissimis temporibus commorari consueverint, aequum nobis visum est, ut praefatae exemptionis usum pro istorum saltem bonis restitueremus.

Tenor concessionis.

§ 2. Quamobrem singulari gratia ac favore eos prosequi volentes, motu-proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostra decernimus et constituimus inter ecclesiastica bona, ex quibus ob memoratas causas in temporali ditione nostra percipi ad praesens tributa et vectigalia solent, minime esse in posterum accensenda sacra hospitia domosque ac caetera quaecumque bona ecclesiastica, quae in hac alma urbe Orientales possident. Quod quidem ipsum servatum etiam volumus pro bonis monachorum Ordinis S. Basilii ritus graeci-rutheni, qui in eadem hac urbe obtinent ecclesiam et hospitium SS. Sergii et Bacchi vulgo Sanctae Mariae de Pabulo ad montes. Hinc per hasce ipsas apostolicas literas thesaurario nostro generali mandamus, ut ipse ea deinde curet, quae sui officii sunt, ut voluntas haec nostra plenissime nanciscatur effectum.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Haec statuimus atque mandamus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque Orientalibus et monachis hospitii SS. Sergii et Bacchi, eorum causa quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus, sanctionibus et edictalibus legibus huius Apostolicae Sedis super ea re editis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXII. apr. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXIII.

Confirmat conventionem a S. C. de P. F. propositam super ordinatione dioecesis Cincinnaten. in America Septemtrionali et provinciam Ordinis Dominican. in Ohio.

Venerabili fratri Eduardo Episcopo Cincinnatensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Quum, sicut nobis relatum est, quibusdam rebus, quae regularem provinciam Sancti Iosephi in America Septemtrionali Ordinis Praedicatorum et istam dioecesim Cincinnatensem respiciunt, provide stabiliterque prospiciendum sit, nos in re tanti momenti sententiam Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, et dilecti filii Iosephi Mariae Velzi Vicarii generalis eiusdem Ordinis praedicti prius exquirere curavimus. Perpensis proinde utriusque rationibus per dilectum filium nostrum Maurum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum Cardinalem Cappellari nuncupatum Congregationis Propagandae Fidei generalem praefectum, et per secretarium eiusdem Congregationis, nec non per dilectum filium Iosephum Velzi Ordinis Praedicatorum Vicarium generalem, ea nobis proposita sunt approbanda, quae ad spirituale bonum constantemque provinciae et dioecesis praedictarum felicitatem conducere videntur, tenoris ut sequitur:

Progetto per regolare alcuni affari della provincia Domenicana di S. Giuseppe, e della diocesi di Cincinnati nell'America Settentrionale, che si sottopone alla suprema approvazione di Sua Santità (1).

Tenor articulorum propositorum a S. Congregatione.

L'eminentissimo Sig. Cardinale Gappellari prefetto generale della Sagra Congregazione di Propaganda,

L'Arcivescovo d'Iconio segretario della medesima Congregazione, ed

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., pag. 6 etc. transcribimus versionem latinam propositae conventionis:

Ratio componendi nonnulla negotia spectantia ad provinciam Ordinis PP. Praedicatorum S. Iosephi, et ad dioecesim Cincinnatensem in America

Il reverendissimo Padre Velzi Vicario generale dell'Ordine de' Predicatori radunati nel giorno 18 del corrente aprile nelle camere del prelodato eminentissimo, dopo la conveniente discussione convennero nei seguenti articoli.

De integritate provinciae servanda.

I. Si conserverà l'antica integrità ed unità della provincia di S. Giuseppe abrogando lo smembramento che ne fu stabilito alcuni anni indietro, e per conseguenza anche la divisione della medesima in due provincie denominate una di S. Giuseppe, e l'altra di S. Ludovico Bertrando.

De dignitate commissarii ab Ordinario retinenda.

II. Conoscendosi che nelle presenti circostanze sarebbe sommamente utile, che Monsignor Edoardo Fenvick dell'Ordine dei Predicatori, e Vescovo di Cincinnati riunisse in se stesso colla dignità di Vescovo anche l'incarico di commissario generale del suo Ordine nella conservata provincia di S. Giuseppe, il reverendissimo Padre Velzi conferirà al medesimo prelato, perchè la possieda sua vita naturale durante, la qualifica indicata con le facoltà, che le sono inerenti. Si supplicherà la Santità di Nostro Signore a volersi degnare di derogare espressamente alle costituzioni dell'Ordine in tutto ciò, in cui potessero essere contrarie a questa misura.

De annua pensione imponenda super bonis Ordinis Dominicani.

III. Sopra i fondi che attualmente possiede l'Ordine Domenicano nella detta provincia di S. Giuseppe s'imporrà coll'autorizzazione apostolica una pensione annua di scudi trecento americani (dollar) da pagarsi al Vescovo di Cincinnati, nel caso che il medesimo non appartenesse all'Ordine Domenicano.

De divisione bonorum a piis testatoribus relictorum.

IV. Tutto ciò, che in appresso sarà dato e lasciato da pii benefattori, e da altri sia in fondi stabili, sia in mobili ai Padri Domenicani considerati come tali, spetterà esclusivamente ai medesimi, come altresì spetterà esclusivamente al Vescovo tutto ciò che o da pii benefattori, o da altri sarà dato o lasciato o ad esso o alla cattedrale.

De iure proprietatis ecclesiae cathedralis ab Episcopo retinendo.

V. La cattedrale di Cincinnati con i suoi locali e case annesse restano in piena proprietà della sede vescovile.

De sacra suppellectili ecclesiae cathedrali tribuenda.

VI. Gli ornamenti poi e sacre suppellettili attualmente esistenti, escluse quelle che fossero precisamente dei Domenicani, spetteranno alla chiesa cattedrale.

A dì 20 aprile 1828.

D. Mauro Card. Cappellari Prefetto.
Pietro Caprano Arcivescovo d'Iconio Segretario di Propaganda.
Fr. Giuseppe Maria Velzi Vicario generale dell'Ordine de' Predicatori.

Septentrionali, quae Supremae Sanctitatis Suae approbationi proponitur.

Emus Dnus Card. Cappellari S. C. de Propaganda Fide Praefectus, Archiepiscopus Iconien. eiusdem Sacrae Congregationis Secretarius, et Rmus P. M. Velzi Ordinis Praedicatorum Vicarius Generalis simul collecti die XVIII. mensis aprilis a. MDCCCXXVIII. in aedibus memorati Emi, post debitam rei discussionem de sequentibus articulis convenerunt.

I. Conservabitur pristina integritas et unitas provinciae S. Iosephi, abrogata eiusdem divisione, quae nonnullis ab hinc annis decreta fuerat, atque idcirco abrogata partitione eiusdem in duas provincias S. Iosephi et S. Ludovici Bertrandi appellatas.

II. Cum appareat in praesentibus rerum adiunctis, utile in primis esse R. P. D. Eduardum Fenwick ex Ordine Praedicatorum et Episcopum Cincinnatensem in se ipso dignitatem episcopalem cum commissarii generalis Ordinis sui munere in conservata provincia S. Iosephi coniunctam habere, Rmus P. Velzi eidem Episcopo conferet memoratum commissarii generalis munus ab eo retinendum vita sua naturali durante cum facultatibus illi muneri inhaerentibus, SSmo Domino Nostro supplicabitur, ut annuat expresse constitutionibus ordinis in iis omnibus derogare, in quibus huic dispositioni contrariae esse possunt.

III. Ex fundis quos nunc possidet ordo PP. Praedicatorum in memorata provincia S. Iosephi, constituetur auctoritate apostolica pensio annua tercentum scutatorum Americanorum (dollars) Episcopo Cincinnatensi solvenda, si ille ad Ordinem PP. Praedicatorum non pertineat.

IV. Quidquid in posterum PP. Dominicanis, quo talibus a piis benefactoribus vel ab aliis dabitur aut relinquetur sive in fundis immobilibus, sive in rebus mobilibus, exclusive ad eosdem spectabit, quemadmodum etiam exclusive ad Episcopum pertinebit quidquid vel a piis benefactoribus, vel ab aliis eidem aut cathedrali, dabitur aut relinquetur.

V. Ecclesia cathedralis Cincinnatensis, cum locis et domibus adnexis, remanent in plena sedis episcopalis proprietate.

VI. Ornamenta vero, et sacra suppellex quae nunc existunt, exceptis iis, quae praecise sunt PP. Praedicatorum, ad ecclesiam cathedralem pertinebunt.

D. Maurus Card. Cappellari Praefectus — Petrus Caprano Archiepiscopus Iconien. S. C. Secretarius — Fr. Iosephus M. Velzi Vicarius generalis Ordinis PP. Praedicatorum — Die XX. aprilis MDCCCXXVIII. Approbatur et de re expediatur breve apostolicum — Leo PP. XII. —

Fidem facimus ac testamur latinum hoc documentum veram diligentissimamque continere versionem ex italico idiomate expositionis eorum quae decreta sunt ad componenda nonnulla negotia spectantia ad provinciam S. Iosephi Ordinis PP. Praedicatorum et dioecesim Cincinnatensem in America Septemtrionali, quae expositio a SSmo Domino Nostro PP. Leone XII. confirmata refertur tota italice secundum suum originale in literis apostolicis a Sanctitate Sua expeditis in forma brevis die II. maii MDCCCXXVIII. ad R. P. D. Eduardum Fenwick Episcopum Cincinnatensem.

Datum Romae die XV. maii MDCCCXXVIII.

D. Maurus Card. Cappellari Praefectus.

Petrus Caprano Archiepiscopus Iconien. Secretarius Sacrae Congregationis.

Fr. Ioseph M. Velzi Vicarius generalis Ordinis Praedicatorum.

Signatura gratiae.

Si approva, e se ne spedisca il breve apostolico.

LEO PP. XII.

Tenor apostolicae confirmationis.

§ 2. Ut autem praeinserta et inter Congregationem praedictam et Vicarium generalem memorati Ordinis constabilita et per nos approbata feliciter perficiantur ac firmiter in posterum extent accurateque observentur, apostolicis his nostris literis ea roborare, tibique patefacere decrevimus. Nos itaque, te ac singulares personas quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurserint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnia et singula, quae in praedictarum rerum serie per memoratos Praefectum et Secretarium Congregationis de Propaganda Fide, et Vicarium generalem Ordinis Praedicatorum sat egregie gestarum superius hic enarrata continentur, auctoritate apostolica tenore praesentium denuo confirmamus, rataque et valida habemus ac declaramus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos sive iuris sive facti defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus, ac constitutionibus Ordinis Praedicatorum et provinciae praedictae, quae huic dispositioni nostrae adversari possunt, expresse derogamus. Tibique, venerabilis frater, per praesentes iniungimus, ut omnia per nos approbata fideliter serves atque adimpleas, ac ab omnibus ad quos spectat, servari et adimpleri facias et cores.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos pertinet, ac in futurum spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae dioecesis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die II. maii MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXIV.

Erigit collegium missionariorum in provincia Interamnensi Lusitani regni Ordinis fratrum Minorum de Observantia.

LEO PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex quo aeternae mentis inaccessa consilia in hoc supremae potestatis fastigium nos immeritos evexere, ei semper studio incubuimus, ut animarum salutem, quantum in nobis situm esset, procuraremus.

Expositio precum.

§ 2. Quamobrem aequis omnino auribus preces excepimus dilecti filii Antonii a Iesu missionarii apostolici fr. Ordinis Minorum de Observantia, ut eos vocant, Excalceatorum, qui veniam construendi in Interamnensi Lusitani regni provincia collegium missionariorum eiusdem Ordinis enixe postulavit. Eo autem magis votis eius annuendum censuimus, quod, ut nobis exponere ipse haud omisit, quatuor eiusdem Ordinis collegia de Varatojo, de Bracannes, de Vinhaes, et de Mezaofrio antea in eodem Lusitaniae regno ad idem sacrarum missionum opus fundata, longe a provincia Interamnensi distent. Locus autem, quem novo huic extruendo collegio elegit, est Mons Sanctae Mariae Magdalenae prope Bracaram. Iam vero huiusmodi consilium, ut nobis quoque significavit, initum est, consentientibus venerabili fratre Archiepiscopo Bracarensi, nec non universa Bracarensi ipsa civitate, et dilecto filio hodierno ministro generali praefati Ordinis; praetereaque non consentiente solum, sed suam quoque protectionem spondente Ioanne dum viveret VI. tunc temporis Brasiliae Imperatore, et Portugalliae atque Algarbiorum rege fidelissimo. Post haec igitur praedictus dilectus filius Antonius a Iesu faculta-

tem a nobis petiit, ut collegium illud posset erigere.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos itaque eum et alios pariter, quibus hae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostra apostolica consilium erigendi novum collegium missionariorum Ordinis Minorum de Observantia Excalceatorum in Monte Sanctae Mariae Magdalenae prope Bracaram approbamus, illiusque erectionem nunc pro illo tempore, quo ipsum fuerit absolutum, habemus ratam et confirmamus. Praecipimus autem, ut, quae in apostolicis literis felicis recordationis Innocentii PP. XI. praedecessoris nostri, quarum initium *Ex iniuncto nobis,* sub annulo Piscatoris datis die vigesima tertia novembris anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni praescripta inveniuntur pro collegio de Varatojo, omnia in novo etiam collegio Montis Sanctae Mariae Magdalenae sedulo serventur. Nos enim collegio huic omnes illas singulasque leges et conditiones, quae in iisdem literis continentur, apostolica auctoritate applicamus. Atque omnia pariter et singula privilegia, quibus earumdem Innocentii XI. literarum vi utebatur, fruebatur collegium de Varatojo, posse etiam uti, frui collegio Montis Sanctae Mariae Magdalenae concedimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Haec autem statuimus atque mandamus, decernentes nostras has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et earum rerum, quae expressae sunt, causa illis, quos respiciunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, et ab iisdem inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, sanctionibus apostolicis, ac praedicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quamquam pro illorum derogatione specialis mentio facienda, aut alia exquisita formula servanda esset, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXIII. maii MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXV.

Suppressio et unio plurium episcopalium sedium in Dalmatia et Istria ad Adriatici maris oras.

LEO EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Locum beati Petri Apostolorum Principis cum vicaria ipsius Iesu Christi potestate meritis licet imparibus tenentes, ecclesiarum omnium spirituali regimini ita debemus assidue incumbere, ut vel novas per orbem dioeceses erigere vel erectas dividere, unire ac etiam abolere non abnuamus, quando commissi nobis dominici gregis pro tempore locorum et circumstantiarum ratione utilitas postulat, et ad magnum aliquod bonum assequendum, vel ad malum aliquando ab Ecclesia Dei propulsandum necessitas exigat, prout in Domino magis expedire iudicemus.

Hac sane mente ad episcopales sedes tam in Dalmatia, quam in Istria ad Adriatici maris oras sub carissimi in Christo filii nostri Francisci Austriae imperatoris, ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici, nec non regni Longobardi Veneti temporali dominatu actu existentes, cogitationes nostras intendimus, ut, sublatis superiorum temporum calamitatibus, rem sacram aptiori utilique forma ibidem componere atque ordinare conniteremur.

Expositio status ecclesiarum vel supprimendarum, vel uniendarum.

§ 2. Novimus equidem, eum esse episcopatuum et cathedralium capitulorum et seminariorum in illis partibus miserrimum statum, ut manifesto appareat, ad illorum numerum retinendum necessaria media nullo pacto suppetere; ex quo infeliciter successit diuturna multarum sedium episcopalium viduitas non sine maxima dioecesium calamitate. Gravissimis hisce ex causis felicis recordationis Pius VII. praedecessor noster curas cogitationesque suas iampridem converterat ad necessaria in tantam malo-

rum congeriem remedia consciscenda, probe noscens huiusmodi mala auferri non posse, si praesens earum ecclesiarum status servaretur, cum in summa rerum omnium inopia iisdem pro necessitate consuli omnino nequiret. Extant enim in praesentiarum sub Austriaca ditione in Dalmatia sedes archiepiscopales Iadrensis, Ragusina et Spalatensis, itemque episcopales sedes Sebenicensis, Pharensis, Cattarensis, Nonensis, Macharskensis, Scardonensis, Traguriensis, Stagnensis et Cursolensis. In provincia vero Istriae ad litus Adriaticum numerantur sedes episcopales Goritiensis seu Gradiscana, Tergestina, Parentina, Veglensis, Arbensis, Iustinopolitana, Polensis, Auxerensis et Amoniensis. Canonica idcirco in eam causam inquisitione suscepta idem Pius VII. Pontifex de sedibus imminuendis prudentissime cogitarat, ut pro minori ipsarum numero facilius in rei sacrae tuitionem prospici posset, spe fretus fore, ut saluti illorum populorum extremo hoc remedio ex temporum locorum ac personarum rationibus opportune succurreretur.

Tenor suppressionis.

§ 3. Nos quoque laudati praedecessoris nostri vestigiis insistentes, ubi primum traditam nobis divinitus dominici gregis custodiam suscepimus, parem in id curarum contentionem impendimus, et dolenti quidem sed benevolo animo, preces de iis sedibus imminuendis imperialis regiae maiestatis nomine nobis porrectas excipientes, attente curavimus, ut, maiora quae possent commoda, leviori cum iactura in rei sacrae utilitates conferrentur: in quem finem plura ad examen deducenda fuere, cuncta singillatim accurateque inspicienda, ipsa etiam locorum natura dignoscenda, impensa denique maiestatis suae pro catholica religione voluntas assidue compellenda, omnibus demum rebus prout necessitatis ratio afflagitavit conciliatis, gravissimis de causis animum nostrum moventibus, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine titulum, denominationem, naturam, essentiam, totumque praesentem statum episcopalium ecclesiarum et cathedralium capitulorum Cursolensis, Nonensis, Scardonensis, Stagnensis, Traguriensis in Dalmatia, pariterque Auxerensis, Arbensis, Amoniensis in litore Adriatico, perpetuo supprimimus et extinguimus, easque et illarum dioeceses a quorumlibet iurisdictione, iure ac praerogativa exemptas ac separatas edicimus, ut eaedem ecclesiis ac dioecesibus infrascripta nova circumscriptione constabiliendis adiungi possint: suspenso tamen effectu suppressionis ecclesiae Amoniensis usque dum ecclesiam ipsam ex persona moderni Episcopi quovis modo vacare contigerit, suppressis item, deletis et perpetuo extinctis metropoliticis iuribus ac titulis archiepiscopalium ecclesiarum Spalatensis et Ragusinae, easdem in mere episcopales ecclesias perpetuo referendas mandamus, ipsasque metropolitanae ecclesiae Jadrensi suffraganeas assignamus ea lege, ut ipsarum Antistites primum locum inter caeteros suffraganeos habere semper debeant, praecedentiam inter se adepturi a respectivae possessionis anterioritate, ut hoc modo aliqua pristini eorum gradus memoria servetur. Episcopales vero sedes Iustinopolitanam, Polensem et Macharskensem conservatas denunciantes, aliis episcopalibus ecclesiis uti concathedrales ab uno eodemque Antistite in posterum gubernandas perpetuo unimus et adiungimus, scilicet Iustinopolitanam concathedralem esse volumus Tergestinae, Polensem Parentinae, et Macharskensem Spalatensi; ac proinde Episcopus Tergestinus nomen quoque suscipiet Episcopi Iustinopolitani, et Parentinus Polensis, ac Spolatensis Macharskensis, adhibita tamen semper et in quolibet actu ac loco praenominatione Episcopi Tergestini, Parentini et Spalatensis. Extincto insuper quolibet metropolitico iure Antibarensis Archiepiscopi in Cattarensem ecclesiam, tam ipsam quam Spalatensem, Ragusinam, Pharensem, et Sebenicensem ecclesias iuri metropolitico Archiepiscopi Iadrensis perpetuo subiicimus, eidemque suffraganeas assignamus.

Enumeratio sedium servatarum.

§ 4. In memorata itaque provincia Dalmatiae numerabuntur in posterum archiepiscopalis Iadrensis, et eius suffraganeae episcopales ecclesiae Spalatensis cum sua concathedrali Macharskensi, Ragusina, Sebenicensis, Cattarensis et Pharensis. In provincia Istriae extabunt episcopales sedes Goritiensis seu Gradiscana, Tergestina cum sua concathedrali Iustinopolitana, Parentina cum concathedrali Polensi ac Veglensi. Ex enunciatis interea ecclesiis in provincia Istriae perstabunt Apostolicae Sedi, prout sunt in praesens, immediate subiectae Goritiensis ac Tergestina; Parentina vero ecclesiae patriarchali Venetiarum, et Veglensis metropolitanae Iadrensi suffraganeatus iure suberunt, donec aliter ab Apostolica Sede sancitum non fuerit; ecclesiae autem

Iustinopolitana et Polensis eodem ac respectivae concathedrales iure quoad suffraganeatum censebuntur, deleta qualibet erga diversum Metropolitanum earumdem praesenti subiectione.

Ordinatio capitulorum cathedralium.

§ 5. Porro de capitulorum cathedralium ordinatione sequentia decernimus. Metropolitanae ecclesiae Iadrensis capitulum ex tribus constabit dignitatibus, praeposito prima scilicet post pontificalem, secunda archidiaconatu ac decanatu tertia, simulque ex quinque canonicatibus: capitula vero episcopalium ecclesiarum Goritiensis ac Tergestinae tres pariter numerabunt dignitates, nempe praeposituram, archidiaconatum et decanatum, nec non quatuor cononicatus. Demum capitula ecclesiarum Ragusinae, Spalatensis, Sebenicensis, Cattarensis, Pharensis, Parentinae et Veglensis constituentur ex duabus dignitatibus, nimirum praepositura ac decanatu, et ex quatuor canonicatibus. Erunt pariter in memoratis capitulis Iadrensi, Gorintiensi ac Tergestino sex, in reliquis autem quatuor, vicarii seu praebendarii, qui praesto sint servitio chori et sacrorum procurationi. Quod si in aliqua ex praedictis ecclesiis aliqui dignitarii canonici et vicarii seu praebendarii legitime instituti adhuc in praesens reperiantur, qui numerum pro respectivo ipsorum ordine praesentibus praefinitum excedant, in hoc casu ii qui omnium postremi beneficii possessionem adepti fuerint, suis quidem sede, loco, suffragio aliisque iuribus et praerogativis frui, redditibusque in ea quantitate, quam nunc percipiunt, gaudere pergent, donec vixerint, sed ipsorum beneficia quandocumque vacaverint nulli alteri poterunt conferri; ut ita praestitus numerus in quolibet capitulo tandem habeatur. Quod si ipsorum aliquis maluerit loco cedere, seque a beneficio abdicare, congrua pensio pro actuali ipsius beneficii censu eidem persolvetur. Huiusmodi autem vel actualem beneficii redditum vel pensionem ammittent omnes illi, qui intra praefinitum numerum obtinebunt beneficium cuius statutum censum percipient.

Praeceptum de erigendis praebendis poenitentiaria, et theologali.

§ 6. Binos autem ex canonicis cuiusque cathedralis capituli adsciscent Episcopi, qui poenitentiarii ac theologi muneribus iuxta Sedis Apostolicae constitutiones fungantur, utque sacrorum splendidus apparatus augeri valeat, facultatem Episcopis impertimur ecclesiasticos viros in sacris ordinibus constitutos ex maiestatis suae consensu adsciscendi in canonicos honorarios, qui statutum canonicorum capitularium numerum non excedant, quique licet residentiae legibus non adstricti, chorali tamen habitu et stallo fruantur absque ullo emolumento, nullumque habeant suffragii ius, neque facultatem capitularibus conventibus comitiisque adstandi. Capitula demum Iustinopolitanae, Polensis et Macharskensis ecclesiarum, quae uti concathedrales conservabuntur, eodem numero capitularium constabunt, qui praefinitus est pro ecclesia cathedrali, cui ipsae erunt unitae.

Facultas condendi statuta capitulis tributa.

§ 7. Ad consulendum vero post enunciatas immutationes felici capitulorum statui ac regimini curabit quilibet Antistites peculiaria a singulis canonicorum collegiis ordinari statuta, quibus ex sacrorum canonum et synodalium dispositionum praescripto salubriter de recto divini cultus servitio ac de propriis muneribus rite obeundis cautum sit, eademque postea ab unoquoque Antistite sancienda ac probanda erunt, ac demum authentica eorum exempla ad Apostolicam Sedem transmittenda. Ex fidelium autem religione confidimus, utilia pietatis instituta et numerum etiam beneficiorum choralium auctum iri, accedente in ipsorum tuitionem pientissimi principis consensu.

Conversio in capitula canonicalia eorum quae ecclesiis suppressis inhaerebant.

§ 8. Capitula suppressarum cathedralium Traguriensis, Auxerensis et Amoniensis (cum haec locum ut supra habuerit) redigentur ad capitula ecclesiarum collegiatarum, et in earum singulis archipresbyter curam animarum parochianorum exercens et quinque canonici numerabuntur: statuta pro iisdem ab Episcopis conficientur, auditis interesse habentibus.

Distributio vicariorum generalium.

§ 9. Ne autem ex imminuto pastorum numero difficultas oriatur in dioecesium procuratione, ob maiorem episcopalis curiae longinquitatem, cautum erit, ut nedum in concathedralibus retineantur vicarii generales, sed insuper in civitatibus Cursolarum, Tragurii, Arbae, Amonitae et Auxerii pro-vicarii generales constituantur, qui amplioribus quam vicarii foranei facultatibus praediti, necessitatibus populorum praesto esse possint, quin oporteat longis eos itineribus ad curiam generalem accedere, ac licentias proinde de nubendo post rite probatam libertatem status concedere, facultates subdelegare pro absolutione a casibus reservatis, aliaque id genus agere valeant, quae longiorem moram haud patiantur, delata iisdem provicariis auctoritate ab Episcopis, prout satius expedire censuerint,

ad quos id etiam spectabit loca et paroecias definire, in quibus dicti pro-vicarii hac sibi communicata auctoritate uti poterunt. Pari insuper ex ratione inspecta dioecesis Spalatensis ob Macharskensis accessionem amplitudine ad sacramentorum administrationem, quae sunt ordinis episcopalis fidelibus ibidem degentibus facilius procurandam vicarius generalis in civitate Macharskae statuetur, qui aliquo titulo episcopali in partibus infidelium modo et forma consuetis ab Apostolica Sede exornatus Episcopi auxiliaris munus geret, gaudebitque prima cathedralis capituli dignitate, atque ulterius pensione in supplementum congruae ad dignitatem episcopalem tuendam eidem assignanda, edito in quovis peculiari casu per nostram congregationem consistorialem decreto.

Distributio novarum dioecesium.

§ 10. Volentes nunc ad novam dioecesium circumscriptionem procedere, ut singularum distinctis finibus quaestiones omnes auferantur circa spiritualis iurisdictionis exercitium, earum distributionem ac divisionem de apostolica potestatis plenitudine decernimus, praescribimus et constituimus iuxta eum, qui sequitur, modum, videlicet:

De dioecesi Jadrensi.

§ 11. Dioecesis metropolitanae ecclesiae Jadrensis constabit ex universa, qua in praesens gaudet, dioecesi, nec non ex integro territorio suppressae episcopalis ecclesiae ac dioecesis Nonensis.

De dioecesi Spalatensi.

§ 12. Dioecesis episcopalis ecclesiae Spalatensis praeter paroecias ipsius civitatis Spalati efformabitur ex locis in eadem dioecesi actu comprehensis, dempta tamen Kievensi paroecia alteri dioecesi adtribuenda, nec non ex novem paroeciis suppressae dioecesis Traguriensis, nimirum ipsius civitatis Tragurii ac locorum Seghetti, Okrug, Xedno, Castri Staphilei, Castrinovi, Castriveteris, Castri Vitturi et Zirona, ac demum ex dioecesi Macharskensis ecclesiae eidem ut concathedralis per praesentes unitae.

De dioecesi Sebenicensi.

§ 13. Dioecesis episcopalis ecclesiae Sebenicensis actualem suam dioecesim complectetur una cum Scardonensis dioecesis territorio, atque undecim paroeciis suppressae dioecesis Traguriensis, nimirum Bossiglino, Pargomet, Lechievizza, Berstranovo, Ogsye, Zoorglievo, Visoka, Luhidol, Gliubitorizzo, Bristirizza et Blisna, illisque accedet paroecia Ilievensis, ex dioecesi Spalatensi seiuncta.

De dioecesi Ragusina.

§ 14. Dioecesis ecclesiae episcopalis Ragusinae constituetur ex praesenti sua dioecesi una cum suppressae Cursolensis dioecesis territorio.

De dioecesi Pharensi.

§ 15. Dioecesis episcopalis ecclesiae Pharensis eodem ac in praesenti statu integre remanebit.

De dioecesi Cattarensi.

§ 16. Dioecesis ecclesiae episcopalis Cattarensis praeter paroecias, quibus nunc constat, complectetur etiam paroeciam Buduae, quam idcirco ex dioecesi Antibarensi seiunctam declaramus.

De dioecesi Goritiensi.

§ 17. Dioecesis episcopalis ecclesiae Goritiensis seu Gradiscanae efformabitur ex praesenti eiusdem dioecesano territorio, e quo demetur paroecia loci Prosecco, alteri dioecesi accensenda; nec non ex paroeciis iam antea ipsi adiectis iuxta dispositiones literarum apostolicarum recol. memoriae Pii PP. VII. praedecessoris nostri, quarum initium *De salute dominici gregis*, super nova Venetarum dioecesium ordinatione editarum.

De dioecesi Tergestina.

§ 18. Dioecesis ecclesiae episcopalis Tergestinae, praeter eam qua nunc gaudet, complectetur universam Iustinopolitanae ecclesiae dioecesim, quae eidem concathedrali est attributa, nec non dioecesis Amoniensis territorium (nunc pro tunc quando haec ecclesia vacaverit), nec non paroeciam Prosecco, a Goritiensi dioecesi segregatam, atque undecim paroecias a dioecesi Parentina disiunctas, nimirum Sanctae Mariae Maioris Pinguenti, Sancti Bartholomaei Retii, Sorignaii, Lanische, Bragush, Culmi, Razzize, Verh, Grinalde, Zamesci et Stridoniae.

De dioecesi Parentina.

§ 19. Dioecesis ecclesiae episcopalis Parentinae constituetur ex civitate ipsa et ex praesenti ipsius dioecesi, demptis enunciatis paroeciis in dioecesim Tergestinam collatis, nec non ex dioecesi episcopalis ecclesiae Polensis, quae concathedralis eidem Parentinae ecclesiae est renunciata.

De dioecesi Veglensi.

§ 20. Dioecesis demum episcopalis ecclesiae Veglensis constabit ex sua praesenti dioecesi, nec non adiecto suppressarum dioecesium Arbensis et Auxerensis territorio.

Exemptio novarum dioecesium a vet. iurisdictione earumque subiectio novo iuri metropolitico.

§ 21. Hisce nunc constabilitis, praevia disiunctione ac exemptione ecclesiarum, monasteriorum, paroeciarum, personarumque omnium ordinum (non tamen exemptarum) a respectiva ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate priorum Antistitum iuxta sancitas hucusque dioecesium immutationes, nos habitatores et incolas, nec non paroecias et monasteria, aliaque omnia in constitutione novarum dioecesium superius memorata (salvis exemptionibus cuilibet de iure legitime perti-

nentibus) Archiepiscopo Iadrensi ac Episcopis Spalatensi, Ragusino, Sebenicensi, Pharensi, Cattarensi, Goritiensi seu Gradiscano, Tergestino, Parentino et Veglensi pro suis respective civitate et territorio, dioecesi, clero ac populo perpetuo adsignamus, supponimus atque subiicimus.

Ordinatio seminarior. puerorum.

§ 22. Seminaria puerorum ecclesiastica idoneo censu ex eo quod in rei sacrae impensas imperialis et regia maiestas sua tributum voluit, opportune ditanda in metropolitana Iadrensi et in episcopali Spalatensi ecclesiis constituentur, ut ibidem iuxta Concilii Tridentini praescriptiones sacris disciplinis ad ecclesiastica ministeria rite erudiantur, nedum dioecesani alumni, sed etiam aliarum dioecesium adolescentes, quae seminario careant, iisdem, quoad vires suppetant, favoribus ac dioecesani pro impensarum imminutione protegendi, Goritiensis autem seu Gradiscana, Tergestina, Parentina, et Veglensis ecclesiae propria retinebunt seminaria, quorum redditus ex uniendis adiectarum ecclesiarum seminariis augebuntur. In huiusmodi seminariorum regimine, tum quoad rectam alumnorum instructionem ac disciplinam, tum quoad utilem census procurationem iura episcoporum ad formam Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum sarta tecta manebunt. Illarum insuper ecclesiarum Episcopi, quae seminariis carent, poterunt eadem erigere, si vires suppetant, haud abnuente pro suo pietatis studio serenissimo imperatore, ac religione in id connitente fidelium, quibus liberum erit quo lubeat actu seminariis vel erigendis vel censu augendis consulere.

Dotatio novarum sedium.

§ 23. Ex episcopatuum, capitulorum et cathedralium ecclesiarum patrimoniis actu existentibus, nec non ex redditibus, quos ad archiepiscopatus et episcopatuum, ecclesiarumque cathedralium et capitulorum tuitionem in supplementum necessarii census imperialis regia maiestas pro suo in religionem studio liberaliter est pollicita, congruae respectivae dotes assignabuntur, eaedemque ut in fundis stabilibus tradantur, cum primis curabitur. Census pro Archiepiscopo Iadrensi duodecim mille florenis, pro Ragusino et Spalatensi Episcopis octo mille florenis; pro Sebenicensi florenis sexmille, et quinque mille florenis pro Cattarensi respective constabit. Caeteris Episcopis Pharensi, Goritiensi seu Gradiscano, Tergestino, Parentino ac Veglensi iidem, quibus nunc fruuntur census absque ulla immutatione relinquuntur, qui, si sustinendis episcopatus oneribus impares sint, congruis supplementis augebuntur.

Dotatio capitulorum.

§ 24. De capitulorum vero censu haec cauta sunt: pro Iadrensis capituli praepositura prima dignitate floreni mille et quingenti, pro secunda archidiaconatus mille et quatuor centum, ac pro tertia decanatus dignitate mille et biscentum floreni, pro singulis vero quinque canonicatus floreni mille annuum redditum constituent. Capitulorum Ragusini et Spalatensis praeposituræ mille biscentum floreni, decanatui floreni mille, et cuilibet ex quatuor canonicatibus octingenti floreni annuatim respective assignantur; pro Sebenicensis praepositura, prima dignitate floreni mille, pro secunda nongenti floreni, et pro singulis ex quatuor canonicatibus annui floreni sexcenti decernuntur. Cattarensi capitulo pro praepositura octingenti, pro decanatu septingenti, et pro quolibet ex quatuor canonicatibus sexcenti floreni annuatim constituuntur. Pro caeteris vero capitulis Pharensi, Goritiensi seu Gradiscano, Tergestino, Parentino et Veglensi, inspecto actuali ipsorum patrimonio, infradicendus exequutor congruam iuxta superius praefinitum capitularium numerum distributionem reddituum pro respectivis praebendis decernet, quae distributio sensim pro rata executioni demandabitur, prout ex legitimo iure illorum beneficia vacare contigerit, qui ultra statutum capitularium numerum ex veteribus percensebuntur, suamque pristinam praebendam retinebunt. Ex memorato enim censu actuales praebendae desumendae erunt iuxta ea, quae superius fuerunt adnotata. Capitula vero, quae uti concathedralia perstabunt, et ea, quae in collegiatas ecclesias redigentur, pristino gaudebunt patrimonio, quod ab harum literarum exequutore collatis cum respectivo Ordinario consiliis in congruas praebendas pro statuto capitularium numero distribuetur. Pro vicariorum autem seu praebendatorum decenti congrua, pro aedium cathedralium tum perextantium, tum suppressarum tuitione, pro impensis in divinum cultum sacrorumque curationem, itemque pro episcopalium curiarum sumptibus dotes diligenter sancientur. Pro ecclesiis Istriae in Adriatici litore patrimonia, quibus actu potiuntur, in eas causas addicentur: quae patrimonia, ubi temporum ratio patiatur, ex pientissimi principis liberalitate auctum iri confidimus.

Dotatio paroeciarum.

§ 25. Feliciori insuper parochorum conditioni, ubi necessitas postulet, opportune prospiciendum iudicantes, pietatem imperialis regiae maiestatis suae in tantum opus compellamus, minime dubitantes, quin in id etiam apprime consultum exoptet: pro ampliori etenim, ubi opus sit, paroeciarum divisione facultates infradicendo exequutori impertimur, ut, re cum ordinariis conciliata, quod in populorum commoditatem vertat, opportune possit decernere.

Consulitur regimini ecclesiarum tempore vacationis.

§ 26. Quando sedes vacabunt, vicarius capitularis ecclesiarum, quibus aliae concathedrales sunt unitae, regimen tenebit etiam concathedralis, cuius proinde capitulum non poterit vicarium capitularem sibi eligere. Attamen novi Episcopi possessionem delati sibi muneris in iis quoque ecclesiis suscipient, curabuntque per aliquod anni tempus, ac praesertim in sanctorum titularium solemnitatibus, ibidem residere.

Designatio titularis in partibus infidelium.

§ 27. Designatio titularis in partibus infidelium Episcopi, qui uti auxiliaris in civitate Macharskae debeat residere, iis legibus conficietur, quibus caeteri in serenissimae Austriacae domus ditionibus auxiliares Episcopi ad pontificalia peragenda adsciscuntur.

De exportatione documentorum respicientium ecclesias dismembratas.

§ 28. Ad consulendum praeterea utilitati populorum sic ut supra respectivis Antistitibus subiectorum, praecipimus, ut omnia et singula documenta respicientia ecclesias, paroecias et loca, ut supra dismembrata, ac de novo applicata, a veteribus cancellariis extrahi, et cancellariis dioecesium quibus illa coniuncta erunt opportuna forma tradi, atque in his perpetuo debeant asservari.

De fructibus mensarum in libris camerae apostolicae inscribendis.

§ 29. Mandamus pariter, ut, habita ratione novi status ac reddituum mensarum archiepiscopalis et episcopalium, eaedem congruenter sint taxatae, earumque taxa in libris camerae apostolicae debeat de more describi.

Deputatio executoris apostolici.

§ 30. Ut autem cuncta a nobis ut supra disposita rite, feliciter ac celeriter ad optatum exitum perducantur, venerabilibus fratribus Iosepho Walland Episcopo Goritiensi seu Gradiscano, atque Antonio Aloisio Wolf Episcopo Labacensi, quos in praesentium literarum exequutores eligimus ac deputamus, omnes et singulas necessarias et opportunas concedimus facultates, ut etiam, ubi opus fuerit, per alios viros ecclesiastica dignitate praefulgentes ab iis specialiter subdelegandos cuncta superius ordinata peragere, statuere, disponere, decernere ac super quacumque oppositione adversus praemissa in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura agnoscere, ac definitive pronunciare libere ac licite possint et valeant.

De exemplari actorum in archivio sacri consistorii asservando.

§ 31. Eisdem quoque Iosepho et Antonio Aloisio Episcopis expresse iniungimus ac mandamus, ut exempla singulorum actorum tam per se, quam per ab iis subdelegatos in praesentium literarum exequutionem conficiendorum, intra quadrimestre ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem in authentica forma trasmittant, in archivio congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 32. Praesentes autem literas, et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiamsi expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine nostris factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere: et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse fore volumus atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 33. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis et concessionibus, quamvis individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis mentio seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime,

ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Fides habenda transumptis.

§ 34. Praeterea volumus ut harum literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notaii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 35. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, dismembrationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, unionis, erectionis, applicationis, circumscriptionis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae MDCCCXXVIII., pridie kalendas iulii, pontificatus nostri anno v.

XXXVI.

Gaspari Cieciszowski Episcopo Luceriensi nunciat translationem eius ad archiepiscopatum Mohiloviensem: eum consulit de personâ Coadiutoris eligendi: facultatibus munit, praeter illas quae ad Metropolitas in ecclesias suffraganeas spectant; sanandi quae contra disciplinam ecclesiasticam in Metropoliae dioecesibus gesta fuerant: excitat ad extirpandum abusum de nimiâ facilitate solvendi matrimonia (1).

Ven. fratri Gaspari Casimiro Cieciszowski Archiepiscopo Mohiloviensi,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil magis optantibus nobis, quam ut afflicta catholicorum, qui in isto imperio sunt, conditioni per pastorem secundum cor Domini subvenire possumus, nemo quidem fraternitate tuâ dignior obversabatur animo, cui tantum negotii committeremus: sed aetas tua nos dubios faciebat et infirmior valetudo. Cum vero ex tuis litteris datis die XI. iunii anni proximi, quae tamen non ante multos hos dies nobis redditae sunt, intellexerimus, te, divinae providentiae consilia venerantem, propositâ conditione Luceoriae manendi, unde profecto discedere tua te non sinerent incommoda, Metropolitae officii laborem non recusare, magis quam metus infirmitatis virium tuarum fiducia apud nos valuit in auxilio, quod humilis imploras, divini numinis, cuius est iis, quos ad aliquod munus elegerit, pares oneri vires suppeditare. Itaque eo etiam libentius propensae erga te voluntati clementissimi Imperatoris, quae nobis per eius in urbe administrum significata iam fuerat, obsecundavimus: teque in consistorio, quod habuimus die huius mensis XXIII., Archiepiscopum Mohiloviensem catholicarum latini ritus, quae in universo Russiae imperio sunt, ecclesiarum Metropolitanum constituimus. Cuius rei testes litteras apostolicas ad te mittimus, quibus canonica sancitur institutio fraternitatis tuae. Per alias autem nostras litteras in formâ brevis potestatem tibi facimus, ratione praesertim habitâ absentiae hodierni coadiutoris tui, vacantes coniunctas ecclesias Luceriensem ac Zitomeriensem ad tempus pro nostro et Sedis Apostolicae arbitrio, administratoris nomine officioque gubernandi.

§ 2. Quoniam vero plurimis urgentibusque de causis seduli ac solliciti pastoris praesentiâ ecclesia Mohiloviensis indiget, coadiutorem cum futura successione tibi omnino ducimus necessarium, qui Mohilovii vice fungatur tuâ. Quare velimus ut, pro eo quo flagras amore salutis redemptarum a Christo Iesu animarum, aliquem nobis indices ac proponas, quem tibi acceptum, huic muneri idoneum existimes. Huiusmodi esse nobis videtur ven. frater Michael Piwnickius Episcopus Ramatensis, pro quo alius quispiam a te proponendus muneri coadiutoris ad ecclesias Luceoriensem et Zitomeriensem praefici posset. Huic si consilio nostro, quemadmodum benevolentiâ freti, qua te clementissimus Princeps prosequitur, nobis videmur posse confidere, nihil obstiterit, rite instructum de utroque processum illico mittere ad nos pot-

---

(1) Ex Arch. S. Congr. de Prop. Fide.

eris, ut bullas sine morâ expedire possimus.

§ 3. Conditio autem miserrima, quae nobis versatur ante oculos, latinarum istius imperii dioecesium, earum praesertim, quae absente tot annis pastore in maximas coniectae sunt calamitates, quam nos anxios ac sollicitos habeat, satis explicare verbis non possumus. Quapropter auctores tibi sumus, teque etiam atque etiam hortamur in Domino, ut opem illis ac remedium afferas providentiae curarumque tuarum, facultates tibi, siquidem opus sit, iterum tribuentes, quas latini Metropolitani in suffraganeas ecclesias exercere solent; item, quatenus necessariae sint, facultates, rebus sedulo consideratis planeque cognitis, ea omnia sanandi et convalidandi, quae in illis dioecesibus contra regulas ecclesiasticae disciplinae admissa hucusque fuerint, in iisque legitimam ordinandi spiritualem iurisdictionem.

§ 4. At quod prae ceteris anxit cor nostrum, illud est, quod summo cum scandalo ac detrimento animarum, in aliquibus ex istis episcopalibus curiis, vinculi coniugalis solutio nimiâ facilitate permittitur, quae corruptela, licet a san. mem. praedecessore nostro Benedicto XIV. tribus constitutionibus oppugnata, grassari tamen istic non destitit, ac pergit decori S. huius Sedis officere, perinde ac si eam silentio suo ratam haberet. Una nobis fuit consolatio doloris huius nostri, sollicitudo pastoralis fraternitatis tuae, qua rescivimus factum esse, ut hactenus a te tam sapienter ac studiose administrata dioecesis tua, immunis ab eo malo fuerit. Eadem proinde tua virtus spe non dubiâ nos recreat, fore ut ceteris fratribus Episcopis metropoliticâ dignitate praepositus, ab eorum dioecesibus immane illud vitium eliminandum sis curaturus. Quod te per viscera hortantes Iesu Christi, ut omni ope connitaris efficere, quemadmodum in dioecesi tuâ ad tanti sacramenti asserendam tuendamque sanctitatem summa cum laude praestitisti, quacumque ad hoc etiam tibi opus esse possit facultate, eam tibi libentissime concedimus.

§ 5. Cadit vero peropportune quod maiestas ipsa sua conceptam ex eâdem corruptelâ indignationem expresserit, seque optare significaverit, ut malo remedium afferatur. Quare omnino expedire in Domino ducimus, ut eius patrocinium validamque operam implores. Immo, si quo te honore dignatur adeo benignae erga te voluntatis, videtur nobis, non solum ad hoc ei significandam esse necessitatem efficaciae patrocinii sui, sed ad alias quoque avertendas gravissimas calamitates, quibus istae laborant dioeceses. Quaenam illae sint, quae remedia opportuna tibi videantur, eidem indicabis; sed quae tibi sint impedimento, quominus tuo fungi possis officio, candidus aperies, ut ea sublata velle auctoritate suâ ne dedignetur.

§ 6. Quod superest et caput est, enixe rogamus Dominum, ut qui opus incepit ad salutem istarum ecclesiarum, ipse in te, quem elegit, omnem gratiam abundare faciens, dignetur perficere, dum tibi, ven. frater, et commisso curae tuae gregi apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXIII. iunii MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXVII.

Vacanti iam a quatuor annis Ecclesiae Berytensi Graecorum Melchitarum Patriarchae committit auctoritate apostolicâ Archiepiscopum praeficere Petrum Sciahaiat monachum Congregationis S. Ioannis in Soairo, dummodo ante peracta legitime non fuerit electio Praesulis iuxta instructionem S. Congregationis.

Venerabili fratri Ignatio Patriarchae Antiocheno Melchitarum,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divinâ dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, soliciti corde reddimus et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrinâ verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo

velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare feliciter.

Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium nunc vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quum sedes Archiepiscopalis Berytensis usque ab anno MDCCCXXIV. vacaverit ob mortem bo. me. Ignatii Daken Episcopi ritus Graeco-Melchitae, et nova semper orta fuerint impedimenta, ne sedes illa de novo Episcopo provideretur, attentis peculiaribus temporis circumstantiis, re mature perpensâ, ne quid in eâ dioecesi catholica Religio detrimenti capiat, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio decrevimus ob extraordinarias concurrentes circumstantias extraordinario modo providendum esse, ne Ecclesia Melchitarum Berytensis diutius remaneat suo viduata pastore, salvis tamen in futuris electionibus iuribus cuicumque et quomodocumque pertinentibus. Nos itaque te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tibi, ven. frater, per praesentes committimus, ut auctoritate nostra apostolicâ dilectum filium nostrum Petrum Sciahajat monachum Congregationis Sancti Ioannis in Soairo nuncupati in Archiepiscopum Berytensem eligas, ita tamen ut haec electio non habeat effectum, quatenus alia electio ad formam instructionis praedictae Congregationis de Propagandâ Fide iam fuerit pacifice et valide peracta ante adventum praesentium literarum, tibique pariter, ut eidem Petro, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis dicta nostra auctoritate impendere licite valeas, auctis et in hoc tibi assistentibus duobus sacerdotibus saecularibus loco Episcoporum, seu cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus praedictae huius Sanctae Sedis gratiam et communionem habentibus, eâdem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen eâdemque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis prius ab illo per te ipsum iuramento et professione fidei huiusmodi, tu consecrationis munus dicto Petro impendere licite valeas, illeque dictum munus suscipere praesumpserit, tu a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IV. iulii MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXVIII.

Commemoratis iis quae sub Pio VII. Philadelphiae in Americâ Septentrionali contigerant ob schisma Aedituorum, improbat Aedituorum Neo-Aurelianensium conatus petentium a Senatu potestatem reiiciendi parochos quos sine ipsorum et populi consensu Episcopus deputaret; et Administratorem Apostolicum illius dioecesis hortatur, ut eos omni nisu in officium reducere curet.

Venerabili fratri Iosepho Episcopo S. Ludovici et Apostolico Ecclesiae Neo-Aurelianensi Administratori,

LEO PP. XII.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Quo longius nostri et Ecclesiae catholicae filii a nobis absunt, eo paternus nostrae erga eos caritatis affectus intentior fit, et acrior, quam de aeternâ ipsorum salute gerimus, cura.

§ 1. Quare nos vehementer solicitos reddiderunt fraternitatis tuae literae, quibus nunciasti paroeciae Neo-Aurelianensis aedituos a supremo foederatarum Americae Septentrionalis provinciarum Senatu facultatem petivisse reiiciendi parochos, quos sine praevio eorumdem aedituorum et populi consensu Episcopus elegisset, quod idem est ac episcopalia iura sibi usurpare velle, et vigentem ubique terrarum Ecclesiae catholicae disciplinam ab imo turbare. Huius, ut nosti, temeritatis notam sibi haud

ita pridem inusserant Cathedralis ecclesiae Philadelphiensis aeditui, quos tamen fel. rec. praedecessor noster Pius VII., datis ad Archiepiscopum Baltimorensem literis, graviter increpavit, et ad bonam frugem, ut cito se reciperent, serio admonuit. Nihilo tamen minus aeditui Philadelphienses, neglectâ summi Pastoris voce, nimiâque Episcopi sui facilitate abusi, schismaticum, quod ingressi fuerant, iter insistere perrexerunt, eoque progressi sunt, ut conventionem cum Episcopo iniverint, eumque ad admittendam declarationem induxerint, qua multiplex Episcoporum auctoritati vulnus infligitur, et parochorum electio aedituorum quodammodo propria enunciatur. Quod ubi nostra de Propagandâ Fide Congregatio, ad ministerium suum incessanter excubans, rescivit, cum Episcopo Philadelphiensi, quod minus considerate egisset, plurimum questa est, et conventionem declarationemque, de quibus agitur, omnino improbandam esse cunctis suffragiis iudicavit, cui nos iudicio apostolicae auctoritatis nostrae robur illico addidimus. Quae autem literae nostro tunc nomine ad eumdem et reliquos Americae Septentrionalis Episcopos scriptae fuerunt, iudicii a nobis confirmati nunciae, catholicorum animos intime penetrarunt: eas Episcopus ipse Philadelphiensis coram populo ex altari legit, et in omnibus dioecesis suae paroeciis legi iussit. Publicis demum typis editae vulgo innotuerunt, et ex eo tempore conventio Philadelphiensis, ac si nunquam inita fuisset, habita est.

§ 2. Quae cum ita sint, quid de Neo-Aurelianensis Ecclesiae aedituis dicemus, qui audax Philadelphiensium facinus renovare student, quique apostolico iudicio nostro ipsis haud certe ignoto praefracte obnituntur? Aedituisne an Episcopis Ecclesiam suam Christus regendam dedit? Oves ne Pastori praeerunt, non Pastor ovibus? Nonne qui episcopalia iura extenuare, et universalem Ecclesiae disciplinam convellere moliuntur, plane digni sunt, in quos canonicis poenis districte animadvertatur? Sed quanto aedituorum Neo-Aurelianensium pertinacia cor nostrum sauciavit, tanto nobis solamini est tua, ven. frater, agendi ratio, qui omni ope omnique diligentiâ abnormes illorum conatus praecavere aut retundere adnisus es.

§ 3. Quoniam vero ad dubia a mentibus, ut scribis, imperitorum evellenda, optas, ven. frater, ut apostolicam auctoritatem nostram interponere et excitatas istic turbas compescere ac sedare velimus; nos morem tuis votis libentissime gerentes, propositum et petitionem aedituorum Neo-Aurelianensium apostolicis hisce literis plane altissimeque improbamus, et improbanda omnino esse decernimus. Postquam vero nostros huiusmodi sensus aedituis Neo-Aurelianensibus manifestaveris, confidimus eos facti sui poenitentes ad officium redituros, et suâ resipiscentiâ tantam nobis allaturos esse laetitiam, quantum aberrando moerorem attulerunt.

§ 4. Si autem obstinato, quod absit, animo dictis nostris non obtemperaverint, persuasum habemus, ne sapientes quidem istarum rerum publicarum legislatores, qui Religionis etiam catholicae cultum sartum tectum tueri debent ac volunt, petitioni aedituorum Neo-Aurelianensium esse auscultaturos. Interim, ven. frater, quos pateris in istâ dioecesi refractarios argue, increpa, obsecra in omni patientiâ et doctrinâ, Ecclesiae catholicae undique vexatae pacem ac tranquillitatem precare, gregem a noxiis pascuis retrahe, lupos arce, nostrique memor in tuis precibus esto. Quae omnia ut ferventius alacriusque facias, apostolicam tibi gregique tuo benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVI. aug. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XXXIX.

Principi hereditario regni Persarum gratias agit ob exemptionem ab exilio Ioanni Derderian Armenorum Praefecto concessam, ob veniam ipsi datam praedicandi Evangelium, et ob animum in Pontificem propensissimum; additisque muneribus, illi commendat missionarios et catholicos omnes.

Celsissimo Principi Abbas Mirsa Principi Haereditario Regni Persarum,

LEO PP. XII.

Celsissime Princeps salutem et apostolicam benedictionem.

Summos Ecclesiae catholicae Pontifices praedecessores nostros imitati, qui frequentes regibus ac principibus Persarum incly-

tis maioribus tuis literas pro re natâ scripserunt, has ad te, celsissime Princeps, eo libentius damus, quod eas fore tibi iucundissimas non dubitamus. Profecto muneri nostro deesse merito videremur, si gratos animi erga te nostri sensus tibi, qui tam praeclare de Ecclesiâ catholicâ et de nobis meritus es, expromere omitteremus. Dilectum enim filium Ioannem Derderian sacerdotem Armenum explorati zeli et spectatae pietatis virum, qui non aliam ob causam in Persidem venerat, nisi ut Evangelii praeco saluberrimum divini verbi semen ibi spargeret, nefariis tamen calumniis perfide appetitum, eoque a Perside exulare iussum, tu non modo a subeundâ exilii poenâ exemptum declarasti, sed ipsi licere decrevisti, ut ubi velit maneat, quo sibi videatur pergat, socios adsciscat, praedicandi Evangelii ministerio libere perfungatur. Iniectâ subinde de nobis mentione memorato sacerdoti perquam humaniter a te excepto iterum ac tertio commisisti, ut salutem nobis tuo nomine diceret, adderetque nostras te literas expectare, quorumcumque principum literis tibi cariores. His propensissimi animi erga Ecclesiam catholicam et nos tui significationibus difficile dictu est quantopere delectati simus, et quam arctis vinculis voluntatem tibi nostram, celsissime Princeps, obstrinxeris. Utinam opportunae se nobis occasiones offerrent demonstrandi tibi quo in pretio sublimem dignitatem tuam et praestantissima animi tui decora habeamus, et quanto vicem tibi referendi desiderio flagremus. Nostrorum huiusmodi sensuum quoddam veluti pignus esse volumus munuscula, quae nostro nomine ad te perferentur, et quae grata acceptaque tibi fore confidimus, non tam per se ipsa, quam quod eximiae benevolentiae in te nostrae documento futura tibi sint. Sed studiis erga te nostris primo loco annumerari abs te cupimus preces, quas Domino dominantium incessanter offerimus, ut celsitudinem tuam omni terrenae felicitatis genere compleat, et, quod momenti longe maximi est, aeternae assequendae viam ostendere tibi ac munire pro suâ bonitate velit. Has nobiscum preces una effundunt catholici universi istic degentes, praecipue vero missionarii, qui non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes, in Persidem se conferunt, quos omnes, in primis autem Ioannem Derderian missionis praefectum, gratiâ, quam apud te inivit, penitus dignum, patrocinio tuo, celsissime Princeps, quantâ possumus animi contentione commendamus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX. sept. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno V.

XL.

Erectio vicariatus apostolici in civitate Guajanensi in Indiis.

Dilecto filio Mariano Talavera electo Ep. Tricalensi in partibus infidelium,

LEO PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolici nostri muneris ratio postulat, ut ad ea potissimum sollicita vigilantia incumbere studeamus, quae opportunum uniuscuiusque ecclesiae ac dioecesis gubernium et animarum christifidelium respiciunt utilitatem. **Prooemium.**

§ 2. Quare, cum multos iam annos Guajanensis in Indiis Occidentalibus episcopalis ecclesia pastore careat summa cum christifidelium in dissitis illis asperrimisque regionibus degentium pernicie, nos huic tanto malo remedium adproperare cupientes, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, interdicto prius alteri cuilibet ordinariae iurisdictionis in Guaianensi dioecesi exercitio, te, de cuius fide, doctrina, prudentia, integritate ac rerum experientia plurimum in Domino confidimus, in Vicarium Apostolicum ipsius episcopalis ecclesiae Guajanensis in spiritualibus et temporalibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, donec alia ratione regimini eiusdem ecclesiae per hanc Sanctam Sedem consultum fuerit, tenore praesentium eligimus, constituimus ac deputamus, plenam tibi auctoritatem et facultatem tribuentes ea omnia et singula in administranda nostro et Sanctae Sedis nomine ecclesia, civitate ac dioecesi Guajanensi exercendi ac gerendi quae sunt ordinariae et delegatae iurisdictionis, et, post susceptum consecrationis munus, etiam illa quae sunt ordinis. **Tenor concessionis.**

§ 3. Iniungimus propterea dilectis filiis clero et populo praedictae Guajanensis ecclesiae ac dioecesis, ut in virtute sanctae obe- **Praeceptùm de obediendo clero et populo indictum.**

dientiae te debita cum reverentia et honore pertractent, tuisque pareant salubribus monitis ac mandatis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque licet speciali, expressa et individua mentione dignis: non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XXII. dec. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno VI.

XLI.

Erectio vicariatus apostolici in civitate Sancti Iacobi de Chile.

Dilecto filio Emmanueli Viçûna electo Ep. Ceramensi in partibus infidelium,

LEO PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Apostolici nostri muneris ratio postulat, ut ad ea potissimum sollicita vigilantia incumbere studeamus, quae opportunum uniuscuiusque ecclesiae ac dioecesis gubernium et animarum christifidelium respiciunt utilitatem.

Tenor concessionis.

§ 2. Quare, cum ob diuturnam gravissimas ob causas inductam continuamque absentiam venerabilis fratris Iosephi Iacobi Rodriguez Zorilla ab episcopali sua sede Sancti Iacobi de Chile summopere necessarium dignoverimus opportunum huic tanto malo afferre remedium, nos ad consulendum christifidelium spirituali bono ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, interdicto cuilibet alteri ordinariae iurisdictionis in Sancti Iacobi de Chile dioecesi exercitio, te, de cuius fide, doctrina, prudentia, integritate ac rerum experientia plurimum in Domino confidimus, in vicarium apostolicum ipsius episcopalis ecclesiae Sancti Iacobi de Chile in spiritualibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, donec alia ratione regimini eiusdem ecclesiae per hanc Sanctam Sedem consultum fuerit, tenore praesentium eligimus, constituimus ac deputamus, plenam tibi auctoritatem ac facultatem tribuentes ea omnia et singula in administranda nostro et Sanctae Sedis nomine ecclesia civitate ac dioecesi Sancti Iacobi de Chile exercendi ac gerendi quae sunt ordinariae ac delegatae iurisdictionis, et, post susceptum consecrationis munus, etiam illa quae sunt ordinis.

Praeceptum de parendo clero et populo indictum.

§ 3. Iniungimus propterea dilectis filiis clero et populo praedictae Sancti Iacobi de Chile ecclesiae ac dioecesis, ut in virtute sanctae obedientiae te debita cum reverentia et honore pertractent, tuisque pareant salubribus monitis ac mandatis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque licet speciali, expressa et individua mentione dignis: non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. dec. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno VI.

XLII.

Erectio vicariatus apostolici in civitate Emeritensi.

Ven. fratri Bonaventurae Arias Episcopo Hiericensi in partibus infidelium,

LEO PP. XII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Apostolici nostri muneris ratio postulat, ut ad ea potissimum sollicita vigilantia incumbere studeamus, quae opportunum uniuscuiusque ecclesiae ac dioecesis gubernium et animarum christifidelium respiciunt utilitatem.

Tenor concessionis.

§ 2. Quare, cum per translationem a nobis factam venerabilis fratris Raphaelis Laso de la Vega ad episcopalem ecclesiam de Quito ad praesens vacet episcopalis ecclesia Emeritensis, nos animarum christifidelium spirituali bono nulla interposita mora opportune consulere cupientes, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, de cuius fide, doctrina, prudentia, integritate ac rerum experientia plurimum in Domino confidimus, in Vicarium Apostolicum ipsius episcopalis ecclesiae Emeritensis in spiritualibus et temporalibus ad no-

strum et Sedis Apostolicae beneplacitum, donec alia ratione regimini eiusdem ecclesiae per hanc S. Sedem consultum fuerit, tenore praesentium eligimus, constituimus ac deputamus, plenam tibi auctoritatem et facultatem tribuentes ea omnia et singula in administranda nostro et Sanctae Sedis nomine ecclesia, civitate ac dioecesi Emeritensi exercendi ac gerendi quae sunt ordinis, quaeque ordinariae et delegatae sunt iurisdictionis.

Praeceptum de obediendo clero et populo datum.

§ 3. Iniungimus propterea dilectis filiis clero et populo praedictae Emeritensis ecclesiae ac dioecesis, ut in virtute sanctae obedientiae te debita cum reverentia et honore pertractent, tuisque pareant salubribus monitis ac mandatis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque licet speciali, expressa et individua mentione dignis: non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. dec. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno VI.

XLIII.

Erectio vicariatus apostolici in civitate Cordubensi in Indiis.

Dilecto filio Justo de Sancta Maria de Oro electo Episcopo Thaumacensi in partibus infidelium,

LEO PP. XII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Apostolici nostri muneris ratio postulat, ut ad ea potissimum sollicita vigilantia incumbere studeamus, quae opportunum uniuscuiusque ecclesiae ac dioecesis gubernium et animarum christifidelium respiciunt utilitatem.

Tenor concessionis.

§ 2. Quare, cum in praesentiarum vacet episcopalis ecclesia Cordubensis in Indiis, nobisque constiterit ad aeternam salutem fidelium commorantium in indica provincia de Cuyo nuncupata maxime necessarium esse, ut sacra ibidem res procuretur, ne longis asperrimisque itineribus adigantur Cordubam peregre sese conferre, nos tanto huic incommodo opportune occurrere cupientes, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, interdicto prius cuilibet alteri ordinariae iurisdictionis in supramemorata provincia exercitio, te, de cuius fide, pietate, doctrina, prudentia, integritate ac rerum experientia plurimum in Domino confidimus, in Vicarium Apostolicum pro eadem provincia de Cuyo dioecesis Cordubensis in spiritualibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, donec alia ratione per hanc Sanctam Sedem consultum fuerit, tenore praesentium eligimus, constituimus ac deputamus; plenam tibi auctoritatem et facultatem tribuentes ea omnia et singula in administranda nostro et Sanctae Sedis nomine antedicta provincia de Cuyo dioecesis Cordubensis exercendi ac gerendi quae sunt ordinariae ac delegatae iurisdictionis, et, post susceptum consecrationis munus, etiam illa quae sunt ordinis.

Praeceptum de obediendo clero et populo porrectum.

§ 3. Iniungimus propterea clero et populo in supra memorata provincia de Cuyo Cordubensis dioecesis commorantibus, ut in virtute sanctae obedientiae te debita cum reverentia et honore pertractent, tuisque pareant salubribus monitis ac mandatis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque licet speciali, expressa et individua mentione dignis: non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII. dec. MDCCCXXVIII., pontificatus nostri anno VI.

XLIV.

Laudatâ Societate Leopoldinâ in Austriâ ad opem Missionariis ferendam institutâ, plures sociis indulgentias largitur.

LEO PP. XII.

ad perpetuam rei memoriam.

Quamquam plura sint, quae in gravissimo nostro Apostolatus ministerio animum nostrum non leviter perturbent atque sollicitent: siquidem accepimus, nonnullos non catholicam modo Religionem aversari, sed et alios, si possent, in errorem inducere: ille tamen Deus totius consolationis

haud patitur angoris nostri solatia deesse, ut labores, curae atque solicitudines, quas continenter ferimus, aliquando leniantur.

§ 1. Quod accidit profecto nuper, ingentique sumus gaudio perfusi, ubi audiverimus in regno carissimi in Christo filii nostri Francisci I. Austriae Imperatoris et Hungariae regis illustris societatem esse institutam, quae dicitur, *Leopoldinen Stiftung,* quaeque presbyteris Evangelii causâ mittendis pro viribus consulendum curat. Quid enim christianae reipublicae utilius, quid praestabilius, quam verbi Dei praeconio iustos magis magisque confirmare, et devios a vitiorum in salutis semitam perducere? Et sane, ut inquit Apostolus, quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? Nos itaque huiusmodi Societati, quantum Deo propitio possumus, favere cupientes, preces eius nomine nobis allatas alacri libentique animo excipere statuimus, dum a nobis petitum est, ut sacris aliquibus Indulgentiis eamdem ipsam ditare velimus.

§ 2. Quapropter de omnipotentis Dei misericordiâ ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, singulis quibusque in eam Societatem cooptatis vere poenitentibus suaque peccata confessis et Dominici Corporis dape refectis, quo die in eamdem recepti societatem fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Plenariam illis aeque Indulgentiam post detersas sacrâ confessione vitae sordes acceptamque Eucharistiam die octavâ mensis decembris, nec non die quo festum agitur S. Leopoldi, ac semel quolibet mense, si per mensem superiorem in singulas dies orationem dominicam, salutationem Angelicam, ac verba *S. Leopoldo pregate per noi* dixerint, ac dummodo publico aliquo in templo pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, gloriâque sanctae matris Ecclesiae pias ad Deum preces effundant, impertimur.

§ 3. Has autem literas perpetua volumus efficaciâ pollere; earumque exemplis etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiasticâ dignitate virum sigillo munitis, eamdem fidem tribuendam statuimus, quae concessioni nostrae hoc ipso diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXX. ianuarii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno VI.



PIUS PP. VIII.

CONSTITUTIO I.

Erigit dioecesim Alabamae in America Septentrionali, eamque subiicit metropolitico iuri Archiepiscopi Baltimorensis.

PIUS PP. VIII.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum: siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est novos earum limites constituere, vel constitutos immutare, prout, habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Ratio concessionis. § 2. Quum per apostolicas literas fel. rec. Leonis PP. XII. decessoris nostri die XXVI. augusti MDCCCXXV. datas Alabamae et Floridarum status in septentrionalis Americae provinciis Vicariatum Apostolicum constituere decretum sit, donec rebus mature perpensis iidem status in unam peculiarem dioecesim definitive erigerentur; quumque venerabilis frater Michael Portior Episcopus Olensis in partibus infidelium, cui vicariatus ille apostolicus per memoratas decessoris literas gerendus commissus est, Romam veniens accuratam illorum statuum descriptionem et veram ad religionem in iis pertinentium expositionem exhibuerit, ex qua notitia plena eorum, quae ad religionis bonum ibi promovendum opportuna, ac necessaria sunt hauriri facile posset. Nos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eosdem status in veram et proprie dictam dioecesim, cuius limites sint statuum ipsorum limites, cuiusque sedes esse debeat civitas Mobiliae in statu Alabamae, quae denique quod ad ius metropoliticum subiecta esse debeat Archiepiscopo pro tempore Baltimorensi decrevimus.

Tenor concessionis. § 3. Nos itaque ad Dei omnipotentis gloriam, fideliumque spiritualem utilitatem, motu-proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, vi praesentium literarum apostolicarum, status Alabamae et Floridarum in septentrionalis Americae provinciis in veram et proprie dictam dioecesim, cuius limites sint statuum ipsorum fines, cuiusque sedes esse debeat civitas Mobiliae in statu Alabamae, quae denique quod ad ius metropoliticum subiecta esse debeat Archiepiscopo pro tempore Baltimorensi, erigimus et dioecesi sic per nos erectae iura consueta attribuimus. Mandantes propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus nostris se subiiciant, illasque accurate exequi teneantur.

Clausula sublata et decretum irritans. § 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV. maii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

II.

Scribens ad omnes Patriarchas, Primates et alios, damnat indifferentismum religiosum, societatem biblicam ceterasque societates, quae rei sacrae et civilis iacturam moliuntur.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

PIUS PP. VIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Traditi humilitati nostrae pontificatus possessionem hac ipsa die in Lateranensi basilica ex more institutoque maiorum adituri, dilatamus cum gaudio super vos cor nostrum, venerabiles fratres, quos in tanta procuratione gerenda, ille nobis adiutores dedit, in cuius manu et gradus officiorum et momenta sunt temporum. Nedum enim gratum est nobis ac iucundum, intimos voluntatis erga vos nostrae sensus testari, sed maxime etiam christianae rei salutare, in communicatione spiritus ea simul conferre, quibus maiora ipsius commoda in dies approperari dignoscamus. Hoc quidem nostri officii munus est, quibus in beati Petri persona non agnos dumtaxat, christianum scilicet populum, sed et oves, hoc est antistites, pascere, regere ac moderari, ab ipso ecclesiae auctore divina est dispensatione tributum.

Exultamus sane animo ac pastorum principi benedicimus, qui tales ad sui gregis custodiam pastores suscitavit, qui sedulo in ea cura et cogitatione versantur, ut omni amoto discrimine in vias iustitiae ipsum vigilanter deducant, neminem ex iis perdituri, quos sibi a patre datos exceperunt. Vestram enim apprime novimus, venerabiles fratres, fidem immobilem, intentum pro religione studium, miram vitae sanctitatem, prudentiam singularem. Laeta proinde nobis, laeta Ecclesiae, laeta huic Sanctae Sedi ab tali operariorum inconfusibilium corona fidenter praestolamur, iucundaque haec spes formidantibus nobis in maxima muneris gravitate animos addit, obrutosque asperrimarum sollicitudinum multitudine nos recreat ac reficit. Lubentes idcirco omittimus, ne ultro festinantibus admovere stimulos videamur, longa vos oratione detinere, ut et quae ad rem sacram bene gerendam haberi ob oculos debent et quae canonum lege praescribuntur, ne quispiam ab sua penes traditum sibi gregem statione vigiliaque discedat, et quae in divinarum rerum ministris tute cauteque adsciscendis attentio ac diligentia est praestanda, in mentem vobis revocemus: votaque potius Deo sospitatori nuncupamus, ut praesentissimo vos numine tueatur, secundoque exitu actiones conatusque vestros fortunet.

Verum, licet ex virtute hac vestra consoletur nos Deus in vobis, venerabiles fratres, tristes adhuc nos esse oportet, qui in pace ipsa persentimus, amaritudinem nobis amarissimam a filiis huius saeculi inferri. Loquimur, fratres, quae nota, quae manifesta sunt, quae communibus lacrimis ingemiscimus, quae idcirco communi sunt studio emendanda, convellenda, profliganda. Loquimur de innumeris errorum commentis, doctrinaeque perversae institutionibus, quibus non occulte et clanculum, sed aperte ut plurimum et acerrime catholica fides oppugnatur. Nostis, quo pacto scelesti homines per philosophiam, cuius se iactitant doctores, ac per inanes fallacias secundum mundi elementa invectas signa in religionem contulerint. Divexatur inde cum primis Romana haec nostra beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae suae firmamentum, et vincula unitatis in dies paulatim abrumpuntur. Infringitur qua late patet Ecclesiae auctoritas, praesidesque sacrorum in individua rapiuntur et in contemptionem. Sanctiora praecepta spernuntur, rerumque divinarum officia irridentur, factaque cultura Dei execratione peccatoris (1), omnia ea, quae religionem sapiunt, anilibus fabulis accensentur, et inanibus sacricolarum superstitionibus. Vere rugierunt super Israel leones (2), illacrymantes dicimus: vere convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius: vere inclamarunt impii: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea (3).

Huc spectat teterrima sophistarum huius aetatis machinatio, qui nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, omnibusque aeternae salutis portum ex religione qualibet patere arbitrantur, ac levitatis idcirco et stultitiae nota eos inurunt, qui religione, quam didicerant, abiecta, aliam qualemcumque, etiam catholicam, amplectantur. Horrendum sane impietatis monstrum, quo eadem veritati et errori, virtuti et vitio, honestati et turpitudini laus ac praerogativa iusti rectique adscribitur. Hoc nimirum lethale est de religio-

(1) Ecclesiastici 1, 32.
(2) Ierem. 2, 25.
(3) Psal. 136, 7.

num indifferentia systema vel ipso naturalis rationis lumine explosum, qua admonemur, ex religionibus, quae simul haud conveniant, si una vera sit, alteram necessario falsam esse, nullamque extare posse tenebrarum cum luce societatem. Adversus hosce veteratores edocendi sunt populi, venerabiles fratres, catholicae fidei professionem unice veram esse, adclamante Apostolo unum Dominum, unam fidem, unum baptisma (1): profanum ideo esse, uti inquiebat Hieronymus (2), qui extra hanc domum agnum comedat, et periturum regnante diluvio qui in arca Noe non fuerit. Neque enim praeter nomen Iesu aliud nomen hominibus datum est, in quo nos oporteat salvos fieri (3); et qui crediderit, salvus erit: qui non crediderit, condemnabitur (4).

Pervigilandum quoque est adversus eorum consilia, quibus bibliorum libri novis ac praeter saluberrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque ex privato spiritu callide in pravos sensus contortis, vernacula qualibet lingua pervulgantur et ubique maxima atque incredibili impensa populis etiam rudioribus gratuito impertiuntur, perversis quoque haud raro immissis scriptiunculis, ut lethale obbibant venenum, ubi aquas sese haurire cessent sapientiae salutaris. Alias iampridem Apostolica Sedes de ingenti hac fidei clade christianum populum monitum voluit, tantaeque perniciei auctores contudit. Hinc quod per regulas Indicis Tridentini Concilii iussu editas, et per ipsam Congregationem Indicis fuit cautum (5), omnium iterum memoriae mandatum, bibliorum versiones in vulgarem linguam non esse permittendas, nisi quae fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, et cum adnotationibus editae desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus. Sacra enim Tridentina synodus in eum finem decreverat (6), ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus detorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam Scripturam sanctam interpretetur. Quibus canonicis praescriptionibus licet manifeste pateat, huiusmodi adversus catholicam fidem machinationes longe ante fuisse protritas, postremi tamen felicis recordationis praedecessores nostri de christiani populi incolumitate solliciti nefarios hosce ausus, quos percrebescere undique animadverterunt, gravibus de ea re datis apostolicis literis, speciatim compescendos curarunt (7). His et vos, venerabiles fratres, armis praelia Domini in tanto sacrae doctrinae periculo praeliari conamini, ne vestro in grege exitiale id genus virus ad imperatorum praesertim necem diffundatur.

Hac vero sublata sacrarum literarum corruptione, vestrarum est partium, ven. fratres, adversus occultas illas hominum factiosorum societates curas convertere, qui in Deum et principes infensi toti in eo sunt, ut Ecclesiae labem, regnis perniciem, orbi universo perturbationem importent, viamque ad flagitia sternant, fraeno verae fidei confracto. Qui quidem cum tenebricosissimi arcani religione improbitatem suorum coetuum susceptaque in ipsis consilia celare adnitantur, gravem hac ipsa ex causa earum turpitudinum suspicionem iniecerunt, quae deinceps pro temporum asperitate, veluti e puteo abyssi, in summam rei sacrae et publicae iacturam eruperunt. Hinc iterato anathemate a summis Pontificibus praedecessoribus nostris Clemente XII. Benedicto XIV. Pio VII. Leone XII. (8) cui meritis longe imparibus suffecti sumus, occultae id genus sectae, quocumque demum nomine nuncuparentur, confixae fuerunt, datis in eam rem apostolicis literis, quarum ordinationes de apostolicae potestatis plenitudine confirmamus, et omnino servari mandamus; qua in re ne quid detrimenti a talium sectarum conspiratione Ecclesia et publica res capiant, omni studio advigilabimus, instantia vestra quotidiana in tantum operis advocata, ut, induti armaturam zeli, strenue in unitate spiritus communem nostram, imo verius Dei causam, agamus ad destructionem munitionum, quas putida hominum nequam opponit impietas.

---

(1) Ad Ephes. 4, 5.
(2) Ep. ad Damas. Pont. quae est 37.
(3) Act. 4, 12.
(4) Marci 16, 16.
(5) Reg. 4 indicis, et addit. in eamdem ex decr. ind. XIII. iuni MDCCXXXVII.
(6) Sess. 4 in dec. de sac. bibliis.
(7) Legantur inter caetera litt. apost. Pii VII. ad Archiep. Gnesnen. I. iunii MDCCCXVI. et ad Arch. Mokilovien. III. sept. MDCCCXVI.
(8) Clem. XII. const. *In eminenti*, Bened. XIV. const. *Providas*, Pii VII. const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, Leonis XII. const. *Quo graviora*.

Hic porro de alia ex occultis hisce societatibus haud ita pridem constituta scribere ad vos speciatim decrevimus, quae ad adolescentium animos corrumpendos coaluit, qui in gymnasiis ac lyceis instituuntur. Pravos et, qui discipulos in vias Baal deducant per doctrinas, quae secundum Deum non sunt, magistros adscisci, praecipua ipsorum ac veteratoria curatio est, cum probe noscant, ex doctorum praeceptis mentes moresque auditorum effingi. Quo fit, ut eo iam talium adolescentium licentiam pervasisse ingemiscamus, ut religionis metu proiecto, amota disciplina morum, doctrinae purioris sanctitate oppugnata, iuribus sacrae et civilis potestatis conculcatis, nullius eos neque flagitii, neque erroris, neque ausus pudeat, apud quos vere dicere possumus cum Leone magno (1) lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Haec vos mala a vestris dioecesibus propellite, fratres, et qua valetis, auctoritate et gratia contendite, ut viri non literarum scientia dumtaxat, sed vitae etiam ac pietatis commendatione spectati rectae iuvenum institutioni praeficiantur.

In id porro impensiori quadam sollicitudine advigiletis in seminariis, quorum omnis procuratio vobis peculiariter est a Tridentinis patribus adtributa (2). Inde enim educendi sunt, qui ad christianae et ecclesiasticae disciplinae cultum, atque ad sanioris doctrinae principia apprime instructi, eam in divinis officiis obeundis religionem, eam in populis instituendis scientiam, eam in suis moribus gravitatem praeseferant, ut ab illis etiam, qui foris sunt, commendetur traditum iisdem ministerium, ipsique possint verbo virtutis eos redarguere, qui ab iustitiae semitis recedant. Hoc sane a vestra in bonum Ecclesiae contentione exquirimus, ut in iis eligendis, quibus cura animarum committenda est, studium omne collocetis, cum ex optimo parochorum delectu salus populi in primis pendeat, nihilque magis in animarum ruinam contingat, quam ab iis regi, qui sua quaerunt, non quae Iesu Christi, vel qui rectam scientiam parum edocti omni vento circumferuntur, nec gregem ad salutaria pascua, quae ipsi vel ignorant, vel contemnunt, deducant.

Cum vero in immensum succrescant undequaque libri pestilentissimi, per quos impiorum sermo serpit ut cancer in corpore Ecclesiae universo (3), attendite gregi, atque in avertenda huiusmodi librorum peste, qua nulla capitalior est, nulli parcatis labori, commissasque vobis Christi oves verbis Pii VII. decessoris ac benefactoris nostri sanctissimi commonete (4), ut id solum pabuli genus salutare sibi ducant, id amplectantur, eo se alant, quo Petri illas vox et auctoritas immiserit: unde vero haec avocet ac deterreat, id noxium plane ac pestiferum existiment, ab eo vehementissime abhorreant, neque ulla se sinant capi specie, pervertique illecebra.

At pro temporum, quae nacti sumus, ratione id insuper quam maxime vestro de animarum salute studio commendandum ducimus, ut nimirum de matrimonii sanctitate solliciti eam erga ipsum gregi vestro iniiciatis religionem, ut nihil plane, quod magni huius sacramenti dignitati detrahat, nihil quod immaculatum thorum dedeceat, nihil demum quod de perpetuo connubii vinculo dubium inferat, patrari unquam contingat: id porro fiet unice, ut non humana tantum ex lege, sed ex divina regi ipsum debere, ac non terrenis sed sacris rebus ipsum accensendum esse, ideoque Ecclesiae omnino subiici, christianus populus accurate edoceatur. Quae etenim maritalis coniunctio antea non alio spectabat, quam ut stirpem ex se gigneret, in aevumque proferret, ea nunc a Christo Domino sacramenti dignitate aucta, et coelestibus ditata muneribus, gratia perficiente naturam, non tam procreare ex se sobolem gaudet, quam educare illam Deo et divinae religioni, atque ita veri numinis cultores propagare adnititur. Constat enim, matrimonii hac coniunctione, cuius Deus auctor est, perpetuam ac summam Christi Domini cum Ecclesia coniunctionem significari, et arctissimam hanc viri uxorisque societatem sacramentum esse, idest sacrum signum immortalis amoris Christi erga suam sponsam. Ita ergo populos instrui (5) opus est, et quae Ecclesiae regulis conciliorumque decretis sancita, quaeque damnata sunt, explicari iisdem, ut quae ad vim sacramenti pertinent, ea perficiant, nec quae Ecclesia

(1) In serm. 5 de ieiun. x. mensis cap. 4.
(2) Sess. 25, cap. 18 de reformat.
(3) 3 Tymoth. 2, 17.
(4) In litt. encyclicis ad universos Episcopos datis Venetiis.
(5) Legatur catechism. Rom. ad parochos de matrim.

detestata est, audeant ipsi attentare, idque qua estis pietate, doctrina ac diligentia praediti, ut praestetis, ab vestra religione quantum possumus vehementissime exposcimus.

Accepistis, fratres, quae prae caeteris in dolore in praesens esse nos iubent, quos super cathedram principis Apostolorum constitutos zelus universae domus Dei comedat oportet. Accedunt et alia complura, nec minus gravia, quae hic recensere longum foret, ac vos probe nostis. Numquid continebimus vocem in tanta christianae rei necessitate? Numquid humanis rationibus detenti vel desidia torpentes, silentio feremus, tunicam discindi Christi servatoris, quam nec crucifigentes milites dividere ausi sunt (1)? Absit, carissimi, ut gregi in ruinam divexato amantis sedulique desit cura pastoris. Nos quidem haud ambigimus, facturos vos plus etiam, quam scribimus, et quae ad avitam religionem fovendam, augendam ac protuendam conferant, praeceptionibus, consilio, opera, studiis curaturos esse.

Verum in tanta rerum acerbitate orandum nunc maxime in spiritu est, et ardentiori multaque prece postulandum, ut sanante Deo contritiones Israel, sancta ubique floreat religio, veraque populorum felicitas immobilis perseveret, utque misericordiarum pater tempora ministerii nostri propitius aspiciens, pastorem ovium suarum et custodire semper dignetur et pascere. Nostris vero curis studiisque faveant animo quo sunt magno et excelso potentissimi principes, et qui dedit ipsis cor docile ad faciendas iustificationes suas, nova eos sacrorum charismatum accessione confirmet, ut strenue peragant, quae Ecclesiae tot calamitatibus afflictae prospera sint ac salutaria.

Haec ab sanctissima Dei genitrice Maria supplices efflagitemus, quam solam interemisse cunctas haereses confitemur, et ob restitutum hoc die romanae urbi post omnis generis aerumnas decessorem sanctissimum Pium VII. titulo Auxili Christianorum gratulantes consalutamus. Haec ab Apostolorum principe Petro et ab eius coapostolo Paulo deposcamus, ut in Ecclesiae confessionis petra solidatos nullis nos sinant perturbationibus concuti, ipso dante pastorum principe, Iesu Christo Domino nostro, a quo cumulatissima gratiae, pacis et gaudii dona fraternitatibus vestris et gregibus vobis concreditis adprecamur, nostrique affectus pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV. maii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

III.

Damnatio et excommunicatio Mathiae Delgado parochi dioecesis Guatimalensis in schismate prolapsi.

Venerabili fratri Raymundo Archiepiscopo Guatimalensi,

PIUS PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor damnationis.

Literae fraternitatis tuae datae die XXVI. maii anni praeteriti ad praedecessorem nostrum felicis recordationis Leonem XII. serius nobis redditae sunt, quam urgens ipsa rei gravitas requirebat: acerbitate intima ac quasi gravissimo vulnere percelli cor nostrum persensimus, ubi ex his cognovimus, infandum schisma, quod a pluribus annis isthic conflatum est, adhuc perdurare, et forsan audacius diffundi enixis nonnullorum perditorum hominum conatibus. Retulisti enim parochum Mathiam Delgado tanti facinoris vel auctorem vel praecipuum patronum, quin pareret monitis et minis praefati praedecessoris nostri, cuius epistolam, in qua huiusmodi adhortationes et minae continebantur, iamdiu ipse accepit, ulterius in schismate fuisse progressum, et impedimenta etiam matrimonialia Sanctae Sedi reservata dispensare procacissime audere; ac propterea exposcebas, illum ab hac Sancta Sede, tamquam protervum schismaticum et schismatis auctorem, anathemate puniri, et excommunicatum toti ecclesiae denuntiari. Ut vero in re tanti momenti, qua par erat, circumspectione et maturitate procederemus, peculiari Congregationi aliquot venerabilium fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium negociis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae accuratum universae ipsius rei examen committendum iudica-

---

(1) S. Felix PP. in ep. syn. ad ep. Orient. apud Hard. t. 2.

vimus, qua audita, et iis omnibus attente perpensis, quae vel a te, ven. frater, relata sunt, vel ex missis documentis constabant, nec non mature consideratis actis omnibus super eadem re iam ante confectis, nobis visum est tuis postulationibus assentiri. Quamobrem una cum nostris hisce literis sententiam etiam nostram in ipsum parochum, eosque omnes, qui eius criminis participes sunt, accipies, eaque cures, ut ipsis quos respicit, innotescat, effectumque eo modo, quo praescripsimus, consequatur; atque fideles omnes pastorali tuae curae commissos prudentiori, qua iudicaveris, ratione certiores de ea facias, ut et ipsi nostris curis respondeant ac mandatis obtemperent. Caeterum hortamur te bono ac forti animo esse, in ea vocatione manere, in qua vocatus es, et crucem, quam humeris tuis imposuit Dominus, patienter baiulare; nam necesse est, ut per multas tribulationes ad coelestem patriam, quo tendimus, perducamur; nec deserenda est statio, in qua Dominus inscrutabili suo iudicio collocare nos voluit. Nos divinam interim bonitatem assidue precari non desinemus, ut pastoralibus tuis laboribus ac operibus fructum uberrimum largiri dignetur, in cuius auspicium apostolicam benedictionem tibi gregique tuo amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrnm sub annulo Piscatoris, die XXX. iunii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

IV.

Damnat erectionem novae sedis Guatimalensis nefario ausu decretam a potestate laicali in statu Sancti Salvatoris Americae Occidentalis.

Dilectis filiis universis catholicis in Americae Occidentalis partibus ac in dioecesi Guatimalensi et Sancti Salvatoris statu commorantibus,

PIUS PP. VIII.

**Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

§ 1. Coelestis agricola electam Christi vineam eius sanguine acquisitam, in qua unica et vera vitis ipse Christus est, cuius palmites tot sunt, quot in Christo radicati per eius gratiam vivificantur fideles, humilitati nostrae commendans, districte imposuit omnes palmites fructiferos ac feraces attente purgari, ut fructum plus afferant; non ferentes vero fructum, iusto iudicii rigore amputari, succidi et tolli. Servitutis igitur nostrae officio obsequentes, cum ad universam, qua late patet, Domini vineam oculos mentis nostrae converterimus, ut nulla locorum distantia quotquot sunt in toto terrarum orbe nationes a sollicitudine nostra disiungeret, novimus profecto non sine maxima animi nostri acerbitate perturbationibus sane gravissimis cum magno animarum detrimento, ecclesiastici regiminis rationem iamdudum subiacere in istis Occidentalis Americae regionibus, quas Sancti Salvatoris statum appellant et quae Guatimalensis dioecesis partem constituunt.

Exponitur quomodo nova erectio locum habuerit et fuerit illico interdicta.

§ 2. Constat enim, superioribus temporibus ex parte istarum regionum moderatorum praetextu spiritualibus S. Salvatoris status necessitatibus occurrendi, initum fuisse consilium de nova erigenda in eadem civitate Sancti Salvatoris episcopali sede, illudque eorum decreto confirmatum, atque eo etiam deventum, ut huiusmodi novae sedis Episcopus Mathias quidam Delgado, parochi munus in ista regione dudum exercens, renunciaretur. Quae quidem sacrilego ausu attentata cum silentio praeteriri ac dissimulari nullo modo possent, quippe quae non solum Apostolicae Sedis iura invadunt et universam pene ecclesiasticam subvertunt disciplinam, sed et foedum conflant schisma cum evidenti Christifidelium aeternae salutis dispendio; idcirco praedecessor noster felicis recordationis Leo PP. XII. Archiepiscopo Guatimalensi illico mandavit ut eidem parocho Mathiae Delgado et, si opus esset, ipsis etiam rerum civilium moderatoribus, Apostolicae Sedis nomine et auctoritate denuntiaret, ab ea huiusmodi nefaria acta omnino reprobari, intrusumque parochum admoneri, ut e barathro emergeret, quo se dederat praecipitem, atque ipsum adhortaretur ad scandalum reparandum, et Sanctae huius Sedis misericordiam implorandam, ne invita cogeretur in ipsum decernere, quae sacrorum canonum severitas ac supremi pastoris officium requireret. Re quidem vera praefatus Archiepiscopus ne pastorali debito munerique tuendi episcopalia iura, praesentique gregis sui periculo deesset, nullos sive obsecrationum, sive redargutionum, sive increpationum in omni patientia et

doctrina actus praetermiserat, alacriori tamen animo eos reassumpsit et Sanctae Sedis nomine ac auctoritate perfecit, praedictum parochum adhortans, ut resipisceret aliquando, et ad saniorem mentem rediret; sed qui proprii pastoris vocem audire recusavit, nec monitionibus, nec adhortationibus, nec minis cessit, quae Iesu Christi vicarii nomine et auctoritate factae ipsi sunt, indignis futilibusque cavillationibus usus, ut quod invaserat spirituale ministerium, in eo contumacius se obfirmaret. Porro res eo iam progressa fuerat, ut in tanta nefandi huius criminis notorietate, tantaque ipsius parochi pervicacia, cum hinc nulla emendationis et resipiscentiae spes appareret, illinc necessitas urgeret foedum schisma in ipsis primordiis comprimendi, ne eius scandalum ac virus latius diffunderetur; poenis per canonicas sanctiones in contumaces schismaticos statutis, iure quidem ac merito contra eumdem animadverti posset.

Admonitiones porrectae pseudo episcopo, ut a schismate resiliret.

§ 3. At praefatus praedecessor noster felicis record. Leo PP. XII. apprime considerans magnam Dei longanimitatem, qui peccatores in multa patientia sustinet, nec eos vult perire, sed ad poenitentiam duci, huius apostolicae Romanae Sedis inhaerens, quae laenitate magis, quam rigore uti solet ad ipsos pervicaces filios corripiendos, maluit diutius experiri, utrum contingeret novo longanimitatis et patientiae exemplo eum ad bonam frugem revocare. Itaque literis datis mense decembri anni millesimi octingentesimi vigesimi sexti, novum in eius manibus effusae suae paternae charitatis testimonium deponere voluit, atque ipsi serio et directe exposuit enormitatem peccati, quo se implicaverat, eumque ad poenitentiam peragendam et ad scandalum reparandum graviter adhortatus est, constituto eidem peremptorio quinquaginta dierum termino ab eo die, quo huiusmodi literae ipsi redditae fuerint, computandorum; quo elapso, nulla praestita Ecclesiae satisfactione, nullaque habita ab ipso tanti criminis poenitentia, neque agendi ratione immutata, sententiam excommunicationis est minatus in eumdem proferre, ipsumque declarare ab Ecclesiae communione segregatum et tamquam pervicacem schismaticum habendum, atque omnino vitandum.

Pertinacia pseudo ep. aucta in dies ad summum impudentiae gradum pervenit.

§ 4. Quis sanae mentis homo, sin minus ad paternas Iesu Christi vicarii admonitiones commotus, comminatione tamen adeo verendae poenae, terribilisque fulminis non horruisset? Attamen minime is se cohibuit, quem in scelere pertinaciter substituendo consummandoque, veluti diabolica quaedam furia, animi superbia et cordis obduratio confirmare videbatur: accepimus enim ex certo nuncio, documentis indubiis comprobato, parochum praedictum Mathiam Delgado nihil his commotum, contumaciorem se praebuisse in spirituali ministerio, quod usurpaverat, ut ea etiam attentaverit, quae supremae pontificiae auctoritati reservata sunt, quae omnia ab ipso audacissime perpetrata apud vos, dilecti filii, notoria sunt, quam ut in iis enarrandis explicandisque opus sit immorari. Quamobrem cum is obsurdescat quotidie magis in nefando schismate, nec desinat in praeceps ruere, ac novis in dies sceleribus se commaculare, cumque ecclesiasticae pacis atque unitatis inimicum se praebeat, et a supremo patrefamilias minitando rogandoque revocatus, vel a publica bonorum exsecratione deterritus a via iniquitatis non deflexerit, quin et ipsam, quam semel ingressus fuit, insistat pergatque pervicacius, Apostolicae Sedis moderationi, mansuetudini ac lenitati locus amplius esse non potest. Oportet enim ut evangelicum illud praeceptum adimpleatur: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus ». Nam et ipse Paulus Apostolus sciens modicum fermentum totam massam corrumpere, iudicavit Corinthium tolli de medio fidelium, eumque tradi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Iesu Christi; cuius criminis enormitas, qualis nec inter gentes, si tantum iudicii severitatem iure est merita, mitioremne accipiat sententiam, qui vel ipsam Christi inconsutilem tunicam scindere adnisus est? vel qui non intrans per ostium in Christi ovile, sed ascendens aliunde, ut oves furetur et mactet et perdat, ex divini magistri sententia tamquam fur habendus et latro, is nonne expellendus et longe ab ipso ovili profligandus? Atque utinam nobis liceret parcere virgae quae in persona beati Petri a pastorum principe ad correctionem punitionemque deviarum et contumacium ovium et ad aliorum exemplum salutaremque terrorem, una cum custodia universi Dominici gregis nobis commissa est! Utinam et haec ovis misere aberrans vocem pastoris auscultans ad Christi ovile reverti paratam se ostenderet! Nihil certe nobis laetius aut iucundius contingere posset, quam ad e-

xemplum divini pastoris ovem, quae perierat, in humeros nostros gaudentes imponere ipsique reconciliari. Sed, proh dolor! in tanta animi elatione obfirmataque contumacia, ut haec fausta eveniant, quaenam spes reliqua esse potest? Igitur secordiae potius et ignaviae notam incurreremus, veluti in Dominici gregis custodia sedulo non vigilantes, si ovem lue correptam a Christi ovili non arceremus; et iure verendum nobis esset, magis ne accusaremur, qui sero id nimis, quam quod aut temere aut praecipitanter fecerimus. Sollicitudo ergo nostra de incolumi vestra spirituali salute, dilecti filii, merito exigit ac requirit, ut ad avertendum venenatae fraudis periculum praesto simus, nihilque remittamus de assidua pascendi Dominici gregis cura, atque procul eiiciamus amandemusque perditum hominem, ne sub inducta pastoris larva oves Christi fallaciis suis decipiat, easque a Christi ovili separans mactet, et in perditionis barathrum demergat.

Excommunicatio pseudo episcopi, et omnium factorum ipsius.

§ 5. Hinc praedecessorum nostrorum sacrarumque legum morem atque exempla sequentes, erectionem episcopalis sedis in civitate Sancti Salvatoris dioecesis Guatimalensis in Americae Occidentalis partibus contra canonicas sanctiones attentatam Sanctae Sedis auctoritati iniuriosam, eiusque iuribus laesivam et repugnantem, tradita nobis e coelo potestate illegitimam, irritam et nullius roboris esse declaramus, eamque rescindimus, abrogamus, atque omnino vanam renuntiamus; electionem vero, seu nominationem parochi Mathiae Delgado in huiusmodi sedis Episcopum plane damnamus atque delemus, ac omnia iurisdictionis acta, si quae forte attentaverit, vel in posterum attentare praesumpserit, prorsus irrita nulliusque roboris ac momenti esse definimus ac pronunciamus. Deinde auctoritate omnipotentis Dei declaramus parochum Mathiam Delgado, qui nominationem de ipso factam in Episcopum praedictae sedis sacrilego ausu acceptare atque sese intrudere in administrationem ac iurisdictionem eius partis dioecesis Guatimalensis, invito omnino ac reluctante proprio Episcopo, contra sacrorum canonum sanctiones atque huius Sanctae Sedis iura praesumpsit, nec non eos omnes, qui huiusmodi nefaria attentata mandarunt, seu favorem, consilium, adhaesionem illis praestiterunt, sive executione vel per seipsos vel per alios procurarunt, maiorem excommunicationem aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a sacris canonibus, apostolicis constitutionibus, ac generalium conciliorum, Tridentini praesertim (sess. 22 cap. 11 de Refor.), decretis inflictas incurrisse, ac, si opus est, denuo ipsum parochum Mathiam Delgado, atque eos omnes, qui in huiusmodi execrabili facinore operam, consensum et auctoritatem praestiterunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatum, sive segregatos, ac prorsus schismaticum, seu schismaticos habendos ac vitandos esse constituimus, edicimus et pronuntiamus; nec non omnium et quorumcumque privilegiorum, gratiarum et indultorum sibi ab hac S. Sede quomodolibet concessorum, amissionis poenas pariter incurrisse, nec a censuris huiusmodi a quoquam, nisi a nobis seu successoribus nostris (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint), absolvi ac liberari posse; ac insuper inhabiles et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint et aboleverint, atque debitam et condignam Sanctae Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint.

Promittitur venia quoties resipiscant, debitamque Sanctae Sedi satisfactionem praestent.

§ 6. Cum vero ecclesiasticae serveritatis gladium evaginare cogimur, recordamur etiam, nos, licet meritis omnino imparibus, eius vices in terris gerere, qui calamum quassatum, praecinente propheta, non conteret, et qui professus est, se misericordiam velle, et non sacrificium, quia non venit vocare iustos sed peccatores; idcirco longanimitatem eius imitantes, novum nostrae patientiae testimonium ipsi parocho Mathiae Delgado, caeterisque, de quibus agitur, praebere decrevimus, ut effectum huiusmodi nostrae sententiae ad alios triginta dies omnino suspendamus, computandos a die, quo ea eisdem fuerit iniuncta vel eius notitiam ipsi habuerint: quapropter nemini liceat intra praefinitum tempus molestiam ullam eis, quos haec respiciunt, super praemissis afferre; mandantes tamen, ut elapso eo temporis spatio, nisi resipuerint omnimodamque satisfactionem dederint, plenarium effectum in ipsos et in eorum quemlibet habitura sit. Ex his profecto quisque intelliget, nos eo animo comparatos esse, ut in severitate poenarum, quibus in contumaces deviosque filios utimur, non alio spectemus, quam eorum resipiscentiam atque emendationem consequi, ut scilicet

gaudere possimus, inde eos contristatos fuisse ad poenitentiam: quapropter in humilitate cordis nostri levantes in coelum manus nostras, Deum indesinenter adprecamur, ut det illis intellectum et instruat in via, qua gradiuntur.

Catholici monentur ne pseudo episcopum agnoscant.

§ 7. Ceterum, dilecti filii, paterni cordis nostri curas cogitationesque ad vos conversas incessanter habemus, desiderantes, ut vobis aliquid gratiae spiritualis impertiamur ad confirmandos vos; ac primum sollicite vos monemus atque adhortamur, ut in ea vocatione maneatis, in qua vocati estis, repudiata illorum fraude, qui incautos pellicere ad se adnituntur; vobis enim graviter iniungimus ac vetamus, ne praefatum parochum Mathiam Delgado pro vero pastore habeatis et agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto, praesertim in divinis communicetis, aut ab ipso vel ab aliis per ipsum perperam et inaniter deputatis, sacramenta accipiatis. Nullum certe nuncium dolori nostro iucundius solatium afferre poterat, quam ut sciremus, satis vos adversus illius temeritatem ac subdolas artes habere praesidii in vestra invicta pietate ac religione, caute ambulare, vocem alienorum non audire, verum ac proprium pastorem sequi: deinde vos etiam, atque etiam in Domino nostro Iesu Christo adhortamur, ut quotidie magis operam detis, ex qua seductores intelligant, vos ad Christi Domini ovile et ad eius in terris Vicarium pertinere, ac domum aedificare supra firmam petram: « Deus enim, inquit Sanctus Irenaeus, iudicabit eos, qui schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiae, et propter modicas et quaslibet causas magnum et gloriosum Corpus Christi conscindunt et dividunt et, quantum in ipsis est, interficiunt ». Vos igitur induti catholicae lorica veritatis et galea salutis, adversus eos scutum fidei ac religionis opponite, ut vestra fortitudo et invicta constantia luculentior appareat. Quae ut felicius eveniant, apostolicam benedictionem cum uberrima coelestium charismatum copia coniunctam, vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VII. iulii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

V.

Officia poscit Imperatoris Austriae ut in tractationibus cum Turcarum Imperatore ineundis obtineat ut de iis, quae ad Armenos catholicos pertinent, illius ministri non agant cum Patriarcha schismatico, sed cum eorum legitimo superiore, et ut aliis quoque catholicis, sive Turcarum subditis sive graecae dominationi subiectis vel subiiciendis, liberum concedatur Religionis exercitium (1).

---

(1) Eadem die de eodem patrocinio praestando scripsit similem epistolam Carissimo in Christo filio Carolo Francorum regi christianissimo.

Vide infra *Quod iamdiu, Apostolatus officium* VI. iul. MDCCCXXX.

Carissimo in Christo filio nostro
Carolo Francorum regi christianissimo,

PIUS PAPA VIII.

Carissime in Christo fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Perpetuus christianissimorum Regum maiorum tuorum mos fuit catholicis Turcarum Imperio subiectis patrocinari, eosque a calamitatibus, quas perferrent aut sibi paratas scirent, eruere vel praeservare. Quocirca simul ac Leo XII. fel. rec. praedecessor noster commotam illic adversus catholicos dolo malo schismaticorum persecutionem novit, christianissimae maiestatis tuae opem e vestigio imploravit, enixeque petiit, ut catholicis, praesertim vero Armenis immani barbarie Constantinopoli vexatis, adesset, et, qua pollebat apud Othomanum Imperatorem, auctoritate et gratiâ tantae ac tam sevae crudelitatis cessationem impetraret. Cum vero persecutionis, de qua agitur, aestus nihil aut parum deferbuerit; novis te precibus, carissime in Christo fili noster, solicitandum duximus, ut opportunis et validissimis officiis tuis pristinam miseris illis catholicis tranquillitatem restitui cures, quo religionis, quam profitentur, cultui libere ac sine molestiâ vacare possint. Hoc autem bono Graecos quoque catholicos frui cum aequissimum sit, cristianissimam idcirco maiestatem tuam etiam atque etiam rogamus, ut si nova regiminis forma in Graeciam introducatur, civicâ ibi libertate liberoque religionis exercitio Graecos quoque catholicos donari contendat et velit. Ad Armenos vero reliquosque catholicos Turcico Imperio subditos quod attinet, facile ab Othomano Imperatore quod petimus obtinebis, si eidem persuaseris, non ipsi cum Patriarchâ schismatico catholicis infensissimo, sed cum eo, qui catholicis Constantinopoli praeest, de rebus ad catholicos pertinentibus agendum esse. Oblatam hanc de catholicis omnibus, nominatim Armenis, inter Turcas degentibus bene merendi occasionem te pro tuâ pietate tuoque religionis ubique servandae tuendaeque zelo alacriter suscepturum, additurumque hoc modo novam nec ullâ oblivione delendam nomini tuo gloriam plane confidimus, dum christianissimae maiestati tuae benedictionem apostolicam cum regiâ familiâ universâ communicandam amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. iulii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

Carissimo in Christo filio nostro Francisco Austriae Imperatori, Hungariae regi apostolico, et Bohemiae regi illustri,

PIUS PP. VIII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Afflictas Constantinopoli catholicorum res eorumque fidem saeviori persecutione tentatam cum cognovisset Leo XII. gloriosae memoriae praedecessor noster, imploratâ continuo pro miseris illis Dei O. M. misericordiâ, subinde convertit se ad caesaream maiestatem tuam, literisque anno superiore die XI. martii datis tuam pro iisdem opem ac patrocinium exposcere festinavit. Nos ergo cum probe sciamus huic nostri praedecessoris desiderio tuam non defuisse operam, et scilicet te, carissime in Christo fili noster, non destitisse a vexatis catholicis per Internuncium praesertim tuum Constantinopoli residentem opportuno quovis auxilio fovendis, maximas nos etiam gratias tibi agimus et habemus. Nec sane dubitamus, quin pro eo, quo ferves protegendae religionis ardore, illud ipsum maiori admodum studio ad praesens acturus sis; quum videlicet inter Turcarum dominatorem et praecipuos Europae principes novae de gravissimis rebus tractationes Constantinopoli instituendae sunt, in quibus Orator seu Internuncius maiestatis tuae idoneas certe inveniet occasiones, ut iura catholicorum asserat, eorumque causam, tuo nimirum nomine et auctoritate interpositâ, tueatur. Sed ea, qua premimur, solicitudo omnium ecclesiarum urget nos, ut in hac ipsâ temporis opportunitate impense iterum a maiestate tuâ flagitemus, ut, quod pro tuâ eximia pietate ultro facturus fuisses, id intuitu etiam novae huius commendationis nostrae alacrius validiusque praestes. Hac profecto, quam imploramus, ope tutelâque tuâ digni in primis sunt catholici Armeni, qui in novissimis Orientis turbis vehementiore, quam ceteri, persecutione agitati, praeclarissimum, toto spectante orbe, praebuerunt christianae fortitudinis exemplum. Novit autem maiestas tua, Armenos ipsos ideo potissimum fuisse vexatos, quod Turcarum dominator fraude schismaticorum incitatus Armenum Patriarcham schismaticum pro unico cunctorum Armenorum Antistite agnoscat. Quare ab imperiali maiestate tuâ omni opere curandum censemus, ut dominator idem ab eo demum consilio desistat, ac de rebus ad catholicos Armenos pertinentibus non iam cum schismatico patriarchâ catholicis ipsis infenso, sed cum eo agat qui catholicis Armenis Constantinopoli praeest. At vero non Armenos solum, sed reliquos etiam tum Constantinopolitanae urbis, tum aliarum Orientalium regionum catholicos, illos etiam qui in locis degunt graecae dominationi subiectis vel subiiciendis, apostolicâ, ut debemus, solicitudine nostrâ complectimur; atque idcirco eos omnes potentissimo maiestatis tuae patrocinio commendamus. Nostra nempe vota eo tendunt, ut in tuto ibi ponatur liberum prorsus catholicae Religionis exercitium, et nemo in posterum vexari seu aliquo suorum temporalium iurium detrimento affici propterea possit, quod catholicam profiteri fidem, et sanctissima Dei Ecclesiaeque praecepta custodire velit. Insignis, carissime in Christo fili noster, pietas tua et fervens ille, quo religionem prosequeris, amor certam in spem nos adducunt, commendationes has nostras maximum pondus habituras apud caesaream maiestatem tuam, cui benedictionem apostolicam cum perpetuae felicitatis tuae voto coniunctam, et cum imperiali familiâ tuâ universâ communicandam, amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. iulii MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

VI.

Ad petitionem Episcopi S. Ludovici interim administrantis dioecesim Novae Aureliae, proprium Episcopum concedit, ad eam dignitatem eligens presbyterum Leonem de Nekere.

Dilecto filio presbytero Leoni de Nekere Belgae,

PIUS PP. VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiu-

vante Domino, cupientes, solliciti corde reddimus et solertes, ut, cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare feliciter. Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium nunc vacantium et in posterum vacaturarum ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quum ven. frater Ioseph Rosati Episcopus S. Ludovici in statu Missouriano in Americâ Septentrionali et Administrator apostolicâ auctoritate deputatus Novae Aureliae, nobis exposuerit, sibi valde difficile esse utriusque diaecesis curam diutius regere, quumque ostenderit ad Religionis incrementum in diaecesi Novae Aureliae procurandum, in primis opportunum esse, proprium illius diaecesis Episcopum eligere, qui ibi residens et alterius diaecesis negotiis non distractus, commodius atque utilius ecclesiam illam gubernare possit, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Episcopum Novae Aureliae eligere et instituere statuimus, ad te, dilecte fili, oculos mentis nostrae dirigentes, de cuius pietate, doctrinâ, prudentiâ, morum integritate, ac Religionis amplificandae studio, nec non de legitimâ aetate et origine praeclara accepimus testimonia; quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Novae Aureliae, revocatâ quacumque facultate memorato Administratori alias concessâ, de personâ tuâ nobis et praedictis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolicâ tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem etc.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. augusti MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

VII.

Reductio festorum pro catholicis ad utramque Rheni ripam intra limites regni Borussiae convenientibus.

Venerabili fratri Ferdinando Augusto Archiepiscopo Coloniensi,

PIUS PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Serenissimi Borussiae regis vota vix dum fel. rec. Leoni XII. praedecessori nostro patefacta ex precibus tuis, quae praeseferebant, omnino oportere, ut singulae quaeque catholicae ecclesiae ad utramque Rheni ripam intra limites Borussiae regni in dierum festorum ordine convenirent, eorumque vigeret ratio, quae in provinciis Orientalibus eiusdem regni servatur, omnem dedit operam, ut illis obsequeretur. Narrabas enim alicubi dies festos esse numero paucos, alicubi frequentissimos; ac ne in urbibus tuae Coloniensis dioeceseos, in quibus acatholici plerumque divites ac opificiorum domini sunt, catholicorum conditio auctis diebus festis durior evaderet, censebas catholicis indulgendum esse, ut iisdem diebus ab obligatione adstandi sacris nequaquam soluti, operibus servilibus vacarent. Quibus de rebus opportunas facultates ipse pontifex suis apostolicis literis annulo piscatoris obsignatis, ac datis die II. decembris anno MDCCCXXVIII., tibi impertivit, tibique commisit, ut aliis etiam sacrorum antistitibus caeterisque ad quos pertinet, huiusmodi pontificiam voluntatem significares. Ratio concessionis.

§ 2. Ad arcendum vero omne dubium, quod in illis exequendis literis possit oriri, per hasce nostras decernimus ac declaramus, ut in qualibet ex dioecesibus, quas commemoravimus, idem ipse festorum ordo habeatur, qui in provinciis Orientalibus Borussiae regni ex Clementis XIV. et Pii VI. praedecessorum nostrorum apostolicis literis viget. Praeterea, ut catholici quique in urbibus vel pagis tuae Coloniensis dioe- Tenor concessionis.

cesis ad utramque Rheni ripam, quibus acatholicis mixti diurna mercede vitam sustentant, festis diebus, exceptis dominicis festivitatibusque Nativitatis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi et Omnium Sanctorum, nec non Assumptionis B. Mariae Virginis Immaculatae (quod tamen festum in proximam dominicam, prout asseritur, translatum est), sacro audito operibus servilibus possint vacare, atque ita in dioecesi ac in aliis metropolitico iure eidem subiectis hanc disciplinam uniformem futuram declaramus.

Derogatio contrariorum. § 3. Haec volumus atque mandamus, non obstantibus omnibus iis, quae in commemoratis literis Leonis XII. praedecessoris nostri possent obstare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VII. augusti MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Erigit novam dioecesim in insula principis Eduardi, in Nova Brunopoli in urbe Carolinopolitana.

PIUS PP. VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem respicit statum; siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout, habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati convenire dignoscimus.

Expositio precum. § 2. Quum siquidem nobis expositum sit, ad religionis bonum in insula principis Eduardi in Nova Brunopoli et insulis Magdalenae utilius atque expeditiori ratione procurandum, opportunum esse eas regiones e dioecesi Quebecensi separare, atque in peculiarem episcopatum erigere, nos rem tanti momenti Congregationi venerabilium fratrum nostrorum negociis Propagandae Fidei praepositorum examinandam commisimus; rebus proinde omnibus mature perpensis et praecipue ratione habita literarum, quibus ven. frater Bernardus Claudius Panet Archiepiscopus Quebecensis libere ac luculenter manifestavit consensum suum de memoratarum regionum a sede sua separatione, de eorumdem fratrum consilio, eiusdem episcopatus erectionem perutilem cognovimus.

Tenor concessionis. § 3. Motu igitur proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, insulam principis Eduardi, Novam Brunopolim et insulas Magdalenae a dioecesi Quebecensi perpetuo separantes, eas regiones in peculiarem episcopatum, qui ceteroquin huic S. Sedi debeat esse immediate subiectus, donec aliter ab ipsa Sancta Sede statuatur, cuiusque episcopalis sedes sit in insula principis Epuardi urbs Carolinopolitana, ex qua derivetur episcopatus eiusdem titulus, et qui denique comprehendat in dioecesi sua, praeter insulam principis Eduardi, Novam Brunopolim et insulas Magdalenae, vi praesentium literarum erigimus atque statuimus.

Clausula sublata et decretum irritans. § 4. Decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et omnia iuxta praemissa accurate adimpleri; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae Quebecensis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XI. augusti MDCCCXXIX., pontificatus nostri anno I.

IX.

Erigit novam dioecesim in promontorio Britanno in America Septemtrionali.

PIUS PP. VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum; supremae siquidem potestatis iudiciique nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout, habita tem-

porum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus.

Ratio concessionis.

§ 2. Quum itaque ad religionis negotia commodius et expeditius in promontorio Britanno in America Septemtrionali procuranda, et ad fidei catholicae propagationem ibi facilius consequendam, nobis relatum fuerit, in primis opportunum esse, memoratum promontorium e dioecesi Quebecensi separare, et iurisdictioni subiicere vicarii apostolici Novae Scotiae, quae ipsi promontorio valde proxima est, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, huiusmodi separationem probavimus.

Constutio novae dioecesis.

§ 3. Ut autem huiusce deliberationis perpetuum extet testimonium, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium Britannum promontorium a dioecesi Quebecensi separantes, illud vicariatui apostolico Novae Scotiae adiungimus ac iurisdictioni illius vicarii apostolici pro tempore subiicimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae Quebecensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. sept. MDCCCXXIX., pontificatus nostri an. I.

X.

Respondet gratulationibus de suscepto pontificatu factis a Patriarchâ Maronita proprio et totius nationis nomine, ei exponit difficultates quae opponuntur instaurationi Collegii Maronitarum, quod Romae iam erat, monet tamen huius Collegii defectui suppletum iri, recipiendo nonnullos adolescentes Maronitas in Collegio Urbano (1).

Venerabili fratri Iosepho Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

PIUS PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Magno semper in pretio habuimus inclytam istam Maronitarum gentem, quae ob veterem atque in tot rerum ac temporum vicibus invictam in catholicâ fide constantiam sincerumque erga S. hanc Sedem obsequium apud bonos omnes celebratur. Quapropter mirifice delectati sumus literis fraternitatis tuae die XXIII. maii superioris anni datis, quibus tuo pariter et totius nationis nomine delatam tenuitati nostrae principatus apostolici dignitatem officiosissime gratulatus es, simulque confirmasti, te Maronitamque clerum ac populum universum in eodem illo custodiendae fidei ac Sedis Apostolicae colendae studio fortiter firmiterque perseverare. Egregiam vero in personam humilitatis nostrae voluntatem agnovimus in splendidis illis auspiciis, quae ex nostrâ ipsâ ad pontificium solium exaltatione desumitis. Atque utinam iis praediti essemus animi dotibus, quas praeclaro nimis de nobis iudicio laudatis! Verum etsi infirmitatis nostrae plane conscii virtutem viresque nostras gravissimo totius Ecclesiae regendae oneri longe minores sentiamus, non tamen animo concidimus, sed omnem spem in eo constituimus, qui confidentes in ipso confundi non patitur. Quocirca et vehementer a filiali vestra pietate expetimus ut, quemadmodum ultro polliciti estis, nunquam omnino desistatis Patrem misericordiarum coniunctis nobiscum precibus assidue ac sedulo exorare, quo consilia actusque nostros ad crediti nobis gregis salutem dirigat, eosque bono exitu fortunet.

Porro quod attinet ad petitionem vestram de Maronitarum collegio in hac almâ urbe instaurando, respondere cogimur, res collegii eiusdem in eâ conditione esse, ut restitui illud in praesentia non valeat. Siquidem in novissimâ temporalis nostri Status occupatione ipsae quoque eius collegii aedes divenditae fuerunt, et ab emptore in alium usum ac formam immutatae. Ceterum nosti, ven. frater, Maronitas adolescentes nonnullos ali nunc, atque ad bonos mores et ad ecclesiasticas disciplinas institui in alio nostro Collegio, quod a Propagandâ Fide appellatur: et deinceps quoque eadem ratio servabitur, donec scilicet collegium illud vestrum non fuerit restitutum.

Speramus autem non defuturas in posterum occasiones idoneas, quibus et educationi clericorum istius gentis plenius consulere, et aliis etiam in rebus quae ad vestra commoda, praesertim vero ad spiritua-

(1) Ex Reg. epist. ad principes viros etc.

lem vestram utilitatem pertineant, gratificari votis possimus. Enimvero nationem vestram praecipuo paternae caritatis sensu complectimur, illumque, ubi opportunius fuerit factis ipsis demonstrare, Deo bene adiuvante non omittemus. Eiusdem interea pignus damus apostolicam benedictionem, quam cuncto quidem clero populoque fidelium Maronitarum communem esse volumus, sed singularem in modum fraternitati tuae caeterisque venn. fratribus Archiepiscopis et Episcopis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. ianuarii MDCCCXXX., pontificatus nostri anno I.

XI.

Latâ lege in Borussiâ de educatione prolis in matrimoniis mixtis patris arbitrio committendâ, et qua prohibebatur etiam parochis catholicis ullam exigere conditionem de prolis religione, cum ea matrimonia contraherentur, Episcopos Rheni, quibus antea commemorat leges et praxim Ecclesiae circa eadem matrimonia, instruit de modo, quo se gerere parochi debeant cum agitur de huiusmodi matrimoniis (1).

PIUS PP. VIII.

Venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Literis altero abhinc anno ad Leonem XII. glor. mem. praedecessorem nostrum datis diligenter, ven. fratres, exposuistis, arduum in quo versamini discrimen, propterea quod civili lege, istic ante paucos annos latâ, praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium, educentur, simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosâ nasciturae prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob augustias has vestras, quas eae literae plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestiâ nunc angimur, cum humilitati nostrae inscrutabili Dei iudicio reservatum est ea vobis responsa reddere, quae praedecessor noster morte praeventus non potuit. Siquidem S. huic Sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis. Verum duo sunt quae haud parum nos recreant, videlicet vestrum pariter et sacerdotum, qui sub vobis sunt, pro doctrinâ Ecclesiae tuendâ servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII. literis demonstrastis; ac serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo vobis fuit, ut Apostolicae huic Sedi integrum rerum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus vestris consuleretis. Hinc enim merito confidimus non modo vos rescriptis hisce nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque serenissimi Regis maiestatem vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus sed ipsam attingunt matrimonii eiusdem sanctitatem et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras Religionis catholicae regulas custodiatis.

§ 2. Itaque ad rem propius venientes, haud nobis opus est, ut fraternitates vestras sacrâ omni doctrinâ peritissimas edoceamus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere, atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quod si Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnumquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, ven. fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut

(1) Ex Roskovani Matr. mixt. t. 2, p. 234, collat. etc.

hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur; quandoquidem exploratum est, catholicas personas, seu viros seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesiâ criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas illa a vobis aut a parochis vestrarum dioecesium fieri assentiremur, per quae, si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare nos, summopere commendantes zelum illum vestrum quo catholicos vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus allaborastis, enixe vos in Domino exhortamur ut posthac pariter in id ipsum sedulo incumbatis in omni patientiâ et doctrinâ: horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi.

§ 3. Iuxta haec igitur, quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab Episcopo seu a parocho edocenda erit, quaenam circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat; et maxime opportunum erit eamdem adhortari ut meminerit firmissimum illud Religionis nostrae dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: proindeque agnoscat, se in filios, quos a Deo expectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda eo praesertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur, utrum alia sint quae illis obstent impedimenta canonica. Quod si nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholicâ eâdem personâ censuris in illam nominatim expressis corripiendâ, ne tumultus aliquis excitetur et graviora rei catholicae mala obveniant; sed aliâ ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum), ut, audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo.

§ 4. Sequitur iam ut de illorum causâ respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint, catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita nos censuimus statuendum, ut avertantur quoad fieri poterit scandala quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis; itemque ut catholici illi, qui in coniunctione vivant eo modo initâ, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum; denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Iam vero ad coniunctiones quod attinet, quae istic usque ad praesens tempus sine parochi praesentiâ initae sunt, nos brevi delegabimus fraternitatibus vestris necessarias facultates quarum vi malis exinde ortis magnâ saltem ex parte mederi valeatis.

§ 5. Nunc autem per nostras has literas volumus et mandamus, ut matrimonia mixta quae posthac (a die videlicet XXV. martii MDCCCXXX.) in vestris dioecesibus contrahi contingat non servatâ formâ a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstat canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur; prout nos auctoritate nostrâ apostolicâ matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsos verum et ratum coniugium inivisse.

§ 6. Insuper pastorum officium erit catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem sed tamen illicitas nuptias contra-

xerint, opportuno tempore admonere in caritate Dei et patientiâ Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Post haec supervacaneum ducimus, venn. fratres, vos excitare, ut attendatis quantâ prudentiâ hisce in casibus agendum sit, ne catholicae Religioni creetur invidia, quandoquidem fraternitates vestras id probe nosse compertum nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant, catholicos sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi, spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges, non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant. Nobis quidem vehementer dolet, quod vos ab his, in quibus estis, angustiis penitus eximere non potuerimus, sed nolite deficere animo. Ipse serenissimus Rex qui propensam in catholicos sibi subditos voluntatem solemniter patefecit, factoque ipso aliis occasionibus comprobavit, non patietur (ut plane confidimus) in hoc negotio, quod religiosa vestra officia directe afficit, vos diutius exagitari, sed anxietatibus vestris pro suâ clementiâ commotus, et nostris pariter votis obsecundans, vobis remittet ut Religionis catholicae regulas hac etiam in re servare ac exequi libere valeatis. Quod ut feliciter eveniat a Deo, in cuius manibus corda sunt regum, suppliciter implorandum est: quemadmodum assiduis precibus nos facimus, et vos pariter enixe facturos non dubitamus. Interea precipuae, qua vos amplectimur, caritatis testem esse volumus apostolicam benedictionem quam fraternitatibus vestris nec non omni clero ac fideli populo vestris curis concredito peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV. martii MDCCCXXX., pontificatus nostri anno I.

XII.

Dimissâ a Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli et Barnabae missione Avae et Pegù, ob operariorum inopiam, constituit Vicarium Apostolicum in iis terris cum charactere episcopali Fridericum Cao Congregationis Matris Dei Scholarum Piarum.

Dilecto filio Friderico Cao presbytero Congregationis Clericorum Regularium Matri Dei Scholarum Piarum nuncupatorum,

PIUS PP. VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum Missio in regnis Avae et Pegù constituta ab anno MDCCXCIII. viduata iaceat non solum Vicario Apostolico episcopali charactere insignito ob mortem bo. me. Caietani Mantigazza Episcopi Maximianopolitani ultimi illius Vicarii Apostolici, verum etiam sacrorum ministrorum inopiâ ad eas angustias redacta sit, ut unicus dumtaxat senex missionarius ex Congregationis S. Pauli presbyteris in eâ reperiatur, nec praesto sint ex eâdem Congregatione alii subrogandi, Congregatio particularis de Propagandâ Fide censuit ac decrevit, auditâ relatione dilecti filii nostri Mauri Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Card. Cappellari nuncupati eiusdem Congregationis praefecti, ratam habendam esse renuntiationem huius missionis emissam nomine Congregationis praedictae, atque aliorum sacrorum ministrorum ope missionis Avae et Pegù bono consulendum.

§ 2. Quum autem inter sacerdotes, qui missionem illam adire parati sunt, unus eligendus sit, qui ceteris praeficiatur eoque mittatur charactere episcopali insignitus, et dicto Episcopo Maximianopolitano in Vicariatu Apost. subrogandus; nos, omnibus mature perpensis ac habitâ ratione meritorum tuorum, de eiusdem Congreg. Prop. Fidei consilio te a quibusvis etc. censentes, te quem per alias nostras in simili formâ Brevis hodie datas literas Episcopum Zamen. in part. infid. renuntiavimus, in Vicarium Apostolicum missionis Avae et Pegù cum iisdem facultatibus quibus ultimus Vicarius Episcopus Maximianopolitanus fruebatur, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolicâ tenore praesentium eligimus et deputamus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium de Propagandâ Fide.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. iunii MDCCCXXX., pontificatus nostri anno II. (1).

XIII.

Post plures vacationis annos eligit Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum Ioannem Hormez Archiepiscopum Mosulensem, eum solvens a vinculo Ecclesiae Mosulensis, eique imponens consuetam fidei professionem et iuramentum fidelitatis.

Venerabili fratri Ioanni Hormez Archiepiscopo Mosulensi in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum electo,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum Patriarchalis Ecclesia Babylonensis Chaldaeorum, cui bo. me. Iosephus denominatus IV., ultimus illius Patriarcha, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Iosephi Patriarchae, qui pluribus ab hinc annis extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, atque ob locorum et temporum vicissitudines, et ob gravia simulque diuturna in eâ natione excitata dissidia, Sedes illa Patriarchalis huc usque vacaverit; et fel. rec. Leo PP. XII. praedecessor noster ad religionis bonum apud illas gentes procurandum, ex voto Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis de Propagandâ Fide praepositorum, post maturam hac super re deliberationem Sedem Patriarchalem praedictam de novo Patriarchâ providere statuerit; qui morte proventus id exequi non potuerit; nos ad provisionem eiusdem patriarchalis ecclesiae paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem patriarchali ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum eisdem fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Mosulensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et gravissimis testimoniis acceptis, te probatissimam vitae rationem agere, et constantiae argumenta praebere, te perpetuo iuxta nostram et Sedis Apostolicae expectationem esse gesturum, ita ut praedictae patriarchali ecclesiae Babylonensi Chaldaeorum praefici dignus censearis, dictam patriarchalem ecclesiam scies, voles et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis.

§ 2. Intendentes igitur tam dictae patriarchali ecclesiae, quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis etc. ad hoc dumtaxat, ut translatio, provisio et praefectio per nos ut infra facienda, praesentesque nostrae literae suum debitum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, iuxta decretum a Congregatione eorumdem fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propagandâ Fide praedictâ praepositorum emanatum et per nos approbatum, te, licet absentem, a vinculo, quo archiepiscopali ecclesiae Mosulensi, cui hactenus, ut praefertur, praefuisti, tenebaris, de fratrum eorumdem consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem patriarchalem ecclesiam Babylonensem Chaldaeorum de consilio et potestatis plenitudine similibus eâdem apostolicâ auctoritate transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem dictae patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo: in illo, qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

§ 3. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem patriarchalem ecclesiam cum gratiâ nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas solicite, fideliter ac prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, et tuae

---

(1) Sub hoc mense die XXX. iunii adest lit. *Provida solersque* ad Archiepiscopum Friburgensem et suffraganeos, quam usque adhuc non invenimus; ipsam commemorat Conventus Episcoporum Herbipolensis an. MDCCCXLVIII. habitus, apud *Collect. Lacensem* vol. V., p. 994.

bonae famae odor etc. diffundatur etc., tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benevolentiam et gratiam exinde uberius consequi merearis: nec non venn. fratribus nostris, universis Archiepiscopis et Episcopis Suffraganeis orthodoxis, ac dilectis filiis vassallis etc. mandamus etc.

§ 4. Volumus autem, quod tu, antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum venn. pariter fratrum nostrorum Archiepicoporum vel Episcoporum, gratiam et communionem Sedis Apostolicae praedictae habentium et in istis partibus degentium, seu alterius eorum, fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta unam, ac fidei professionem Orientalibus a Sede Apostolicâ praescriptum iuxta alteram, formas praesentibus adnotatas emittas, et sic a te praestiti iuramenti et professionis Fidei formas ad eamdem Congregationem de Propagandâ Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes mandamus, ut ipsi vel etc. iuramentum et professionem huiusmodi iuxta easdem formas recipiant seu recipiat. Forma autem iuramenti quod praestabis talis est: – Ego Ioannes Hormez Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum ab hac hora etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCCXXX., tertio nonas iulii, pontificatus nostri an. II.

XIV.

Concedit pallium Ioanni Hormez Archiepiscopo Mosulensi, electo in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum (1).

Venerabili fratri Ioanni Hormez nuper Archiepiscopo Mosulensi, in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum electo, salutem et apostolicam benedictionem,

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ratio et tenor concessionis.

§ 1. Cum nos hodie patriarchali ecclesiae Babylonensi Chaldaeorum certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negociis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum, et per nos approbatum de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in Patriarcham praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur; ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pastoralis officii pro parte tua fuerit nobis hodie per dilectum filium Caesarem Lippi nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit reverentia

---

(1) Allocutio habita in consistorio secreto hac die.

Venerabiles fratres,

Quae in venerabilem fratrem Ioannem d'Hormez Mosulensem Archiepiscopum conflatae invidioso animo accusationes fuerant, cum sedulo exanimi subiectae, aut penitus falsae, aut plus nimio exaggeratae compertae fuissent; Leo XII. fel. rec. praedecessor noster, voto Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae annuens, memoratum Archiepiscopum Sedi Apostolicae reconciliavit, Babylonensem Patriarchatum ipsi administrandum dedit, et Patriarcham certe renunciasset, nisi praepropera mors humanis optimum Pontificem rebus exemisset. At irrequietum et audax illorum ingenium, quos Musulensis Archiepiscopus adversarios patitur, accusationes merito explosas refricare non destitit, quo factum est, ut novas indagines instruere, novaque decreta sancire opus fuerit, quibus tamen et Archiepiscopi innocentia confirmata est, et virtus splendidiorem in modum eluxit.

Perpensis itaque testimoniis virorum fide dignorum, praesertim vero venerabilis fratris Petri Alexandrini Coupperie Latini Babylonensium Episcopi, qui literis suis inculpatum vitae genus, exemplarem pietatem, sincerum Archiepiscopi Musulensis in Apostolicam Sedem obsequium perpetuo testatus est ac testatur; decretum a Congregatione de Propaganda Fide die vigesima nona martii nuper elapsi editum approbamus, venerabilem fratrem Ioannem d'Hormez, qui Musulensem archiepiscopatum administrare perget, catholicae Chaldaeorum nationis Patriarcham constituimus, et sacro insuper pallio e corpore divi Petri, ut moris est, sumpto insignimus. Vobis autem pro re nata notum quoque facimus, venerabiles fratres, nos honorifico duorum episcoporum nationis Chaldaeae statui, ac rebus ad monasterium S. Hormisdae in patriarchatu situm pertinentibus quantum fieri potuit consuluisse, ut turbata intestinis dissentionibus catholicorum Chaldaeorum tranquillitas tandem, iuvante Deo, iisdem restituatur.

Id vero promptius pleniusque nos assequuturos confidimus, si novus Patriarcha expectationi de se nostrae respondens discordiarum semina in agrum illum Dominicum ab inimico homine iacta, revellere omni, ut instanter ab eo petimus, contentione studeat.

postulatum, nos tuis postulationibus annuentes pallium ipsum de corpore B. Petri sumptum, et per duos ven. fratres Archiepiscopos vel Episcopos in illis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum per dilectum quoque filium Paulum Giamala monachum Caldaeum nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi, aut eorum alter, illud tibi sub infrascripta forma assignent, vel assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat.

Praefinitur modus utendi pallio.

§ 2. Tu autem pallio eodem intra dictam patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Babylonensem Caldaeorum sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augere.

Deputatio eorum qui pallium tradent.

§ 3. Quocirca praedictis Archiepiscopis vel Episcopis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, dictum pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent, seu curet, assignari, et a te nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant, seu alter eorum recipiat, iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures.

Forma in eo tradendo servanda.

§ 4. Forma autem qua praedicti Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi dicto pallio utentur, haec est: « Ad honorem omnipotentis Dei ac Beatae Mariae Virginis ac sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Domini nostri Pii PP. VIII., et S. R. E. nec non patriarchalis ecclesiae Babylonensis Caldaeorum tibi commissae tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut utaris eo intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. »

Iuramentum a pallium recipiente praestandum.

§ 5. Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est:

« Ego Ioannes Hormez Archiepiscopus Musulensis in Patriarcham Babylonensem Caldaeorum electus ab hac hora in antea etc. evangelia. »

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo, tertio nonas iulii, pontificatus nostri anno secundo.

XV.

Constantinopoli instituit archiepiscopalem ecclesiam primatialem armeni ritus catholici, cui subsint omnes Armeni in Imperio Othomano degentes, qui subdebantur Vicario ap. patriarchali ritus latini, cui erunt subiiciendae ecclesiae episcopales eiusdem ritus quae in definito territorii ambitu erigentur.

PIUS PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

Exponitur quae a Turcarum imperatore concessa fuerint in solamen catholicor. Armenorum in toto eius imperio degentium.

§ 1. Quod iamdiu a patre misericordiarum communia omnium vota impense efflagitabant, id tandem datum fuisse gratulamur, faciente ipso tranquillitatem quando validior tempestas efferbuerat. Vere enim mutatio haec fuit opus dexterae excelsi, qui dans vocem virtutis inclytis christianorum principum legatis in re catholica apud potentissimum Turcarum imperatorem iuvanda eam insuper mentem eidem summo imperanti iniecit, ut animo quo est magno et excelso catholicos Armenos, quos praeter virtutes caeteras fides etiam in principem commendaverat, illustribus favoris praecipui ac benevolentiae testimoniis cumulaverit. Liberum quippe iisdem nunc est sacras aedes dedicare, publice ibidem divinis officiis operari, supplicationes, conventus, solemniaque omnis generis habere, quin exterior isthaec catholicae religionis procuratio vel afflicta vel praepedita interceptaque ullo modo sit. Sancitum praeterea est, ipsos a schismaticis separatos prorsus ac seiunctos esse, sublatisque idcirco statutis, quibus subdebantur schismaticis, eorumque Patriarchae ab omni erga ipsos subiectione, obedientia, parendique obligatione, vel sacris vel civilibus in rebus soluti prorsus exemptique perpetuo sunt. Quae quidem omnia nemo non videt in ingentem utilitatum cumulum ad catholi-

cam fidem in illustri Armenorum natione favendam augendamque fore feliciter redundatura: sed maiora adhuc ac certe praeter expectationem assequi insuper potuerunt ab summa imperatoris benignitate iidem christianorum principum legati, quorum sane maxima in religionem merita volumus honoris causa nostro hoc testimonio commendata. Quod enim tantopere ad catholicae disciplinae incolumitatem, et ad aptiorem sacrorum procurationem, nec non ad feliciorem totius ecclesiastici ordinis statum conferre palam est, peculiarem scilicet episcopatus constitutionem, quo antistes in gregis bonum adscitus impensiori pro muneris officio instantia ac sollicitudine eidem regendo, informando iuvandoque speciatim adlaboret, id etiam conciliatum edicimus: ut nimirum Archiepiscopi et Primatis Armenorum catholicorum sedes Constantinopoli ad canonum regulas rite constituatur. Magnificantes igitur miserationes auctoris consummatorisque fidei laetificantis animam nostram secundum multitudinem dolorum, quibus ob sollicitudinem omnium ecclesiarum in tanta temporum difficultate conficimur, nostras illico curas cogitationesque convertimus ad uberrimos harum dispositionum fructus catholicis Armenis adproperandos, quos ob studium orthodoxae fidei, ob animi magnitudinem, et ob constantem in imperatorem observantiam conspicimus divinae providentiae liberalitate e maxima tribulatione recreatos. Rei itaque universae ratione per ven. fratres nostros S. R. E. Cardinales Propagandae Fidei praepositos diligenter perpensa, haec quae sequuntur de apostolicae potestatis plenitudine ac de matura deliberatione nostris decernimus et mandamus atque sancimus. Placuit siquidem Constatinopolitanam urbem, quae tot tantisque nominibus vel a priscis temporibus illustris praefulsit, archiepiscopalis ac primatialis sedis honore insigniri, ut catholici Armeni iis legibus exsoluti, quibus sub schismatici Patriarchae potestatem erant ibidem subiuncti, proprii ritus ea ipsa in civitate antistitem habeant, qui pleno legitimae iurisdictionis et auctoritatis iure eosdem moderetur, pascat regatque. Inde siquidem fiet, ut quo praeexcellentior splendeat catholicae Armenorum ecclesiae conditio, maior in eam populorum veneratio invalescat, firmiorem sacrorum praesidum potestatem in ecclesiastica disciplina servanda exerceant, faciliusque in ipsius professionem se tradant christianae legis cultores.

Tenor concessionis.

§ 2. Quare pro impenso nostrae affectionis studio, quo catholicos Armenos complectimur, certaque spe freti maiora inde spiritualium bonorum incrementa pro ea Dominici gregis parte esse promanatura, exorato ad tanti momenti negocium definiendum divini luminis praesidio, ad laudem et honorem omnipotentis Dei et sanctissimae Genitricis Dei Mariae, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in catholicae fidei exaltationem, sede marchiepiscopalem et primatialem in urbe Constantinopolitana pro Armenis catholicis ibidem et in reliquo Othomanico imperio degentibus, qui in praesens subsunt spirituali regimini ac iurisdictioni vicarii nostri apostolici patriarchalis Constantinopolitani, perpetuo erigimus et instituimus, ecclesiamque pro ipsis Armenis catholici ritus Constantinopoli aedificandam, vel quae prae caeteris praecipuo hoc honore magis ibidem digna existimabitur, in archiepiscopalem et metropolitanam ac primatialem ecclesiam Constantinopolitanam nuncupandam, et Archiepiscopi Primatisque Constantinopolitani Armenorum sedem, ecclesiaeque provinciae eidem addicendae caput, qui quidem Archiepiscopus et Primas pallii de corpore beati Petri sumpti more solito conferendi, et crucis usum, prout caeteri Metropolitani ac Primates, habeat, caeterisque privilegiis, honoribus et praerogativis archiepiscopis et primatibus debitis et concessis ac iuribus, praeeminentiis, indultis realibus et personalibus et mixtis, quibus aliae metropolitanae ac primatiales ecclesiae earumq. praesules legitimo iure fruuntur, uti, frui possit et valeat similiter, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo et honore archiepiscopali metropolitano et primatiali decoramus, nec non pro tempore existentem catholicae huiusce Armenorum ecclesiae Constantinopolis praesulem in Archiepiscopum metropolitanum et primatem declaramus, eique, ut ipse ibidem et in sibi commissa provincia quidquid Metropolitanis ac Primatibus in suis dioecesibus ac provinciis a iure attributum est, facere et administrare possit, eadem apostolica auctoritate concedimus et indulgemus. Quocirca ecclesias olim episcopales seu archiepiscopales Armenas iamdiu suis pastoribus viduatas, ideoque nostri Vicarii Apostolici Patriarchalis Constantinopolitani regimini commissas, uti etiam ecclesias apostolica

auctoritate in eis provinciis de novo erigendas cum suis clero et populo Armeno catholico, ecclesiis, beneficiis et officiis ecclesiasticis cum cura et sine cura animarum clero saeculari seu regulari Armeno catholico addictis (extincto prius quolibet metropolitico episcopali, alterove, si quod forte in iis extet, speciali etiam mentione indicando iure), in nova ecclesiastica provincia Armena Constantinopolitana esse et consistere, neque in alia ecclesiastica provincia censendas et numerandas esse decernimus et declaramus, easque et illarum singularum praesules, ut Archiepiscopo metropolitano Armeno catholici ritus subsint, eique obedientiam, reverentiam, tamquam proprio Metropolitano et Primati, prorsus exhibeant, eidem perpetuo subiicimus, ac pro eiusdem ecclesiae et metropolitani primatis provincialibus perpetuo concedimus et assignamus, reservantes nobis ac successoribus nostris ea in posterum sancire, quae in hac sic constituta ecclesiastica provincia pro temporum, locorum personarumque rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Haec volumus atque mandamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Quae autem fidenti animo praesentique confisi patris luminum ope lubenter decrevimus, ea ut fausta, felicia ac salutaria catholicis Armenis contingant, humili a Deo prece efflagitamus. Ipsi vero in tantum bonorum cumulum quando nulla pene spes effulgebat mire evocati, hostiam laudis eorumdem largitori Deo offerant laetabundi, adnitanturque aemulari in dies charismata meliora, constanti imprimis ad religionem tuendam studio, sanctitate morum, purioris disciplinae cultu, integritate doctrinae fideque in Apostolicam Sedem immobili. Id vero se se assequuturos haud sperent, nisi quae sanctissimus praedecessor noster S. Leo pontifex monuit, ob oculos habeant assidue, eaque sibi apprime servanda proponant: « Connexio scilicet totius corporis unam sanitatem unamque pulchritudinem facit; et haec connexio unius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordia sacerdotum. »

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VI. iulii MDCCCXXX., pontificatus nostri anno II.

XVI.

Primum Archiepiscopum Primatem Armenorum Constantinopolis eligit Antonium Nurigian, venia ei data consecrationem recipiendi a quocumque catholico Episcopo etiam ritus latini cum assistentiâ duorum Episcoporum ritus etiam latini vel duorum presbyterorum.

Dilecto filio Antonio Nurigian presbytero Armeno,

PIUS PP. VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo in Ecclesiâ Dei universâ divinâ dispositione fungimur, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut nova Constantinopolitana Sedes Armena archiepiscopalis metropolitana et primatialis, quam Armenis catholicis a schismaticorum servitute Legatorum christianorum principum officiis et potentis Othomanorum Imperatoris iussu liberatis, auctoritate apostolicâ ereximus, eum habeat pastorem, qui sciat, velit et valeat, auctore Domino, non solum doctrinâ, sed etiam morum integritate ac boni operis exemplo, populum sibi creditum informare, et sibi commissum gregem in statu pacifico et tranquillo salubriter regere et feliciter gubernare.

§ 2. Cum itaque novo Constantinopolitano Archiepiscopo Metropolitano primate Armeni ritus consulendum sit ecclesiastico regimini Armenorum catholicorum, qui in ipsâ sunt urbe Constantinopolitanâ, et in iis potentis Othomanorum Imperii provinciis, in quibus schismatici Episcopos Armenos catholicos esse non patiebantur, quique proinde Vicarii Apostolici latini ritus Constantinopoli degentis curae commissi fuerant, cumque strenuâ fidei catholicae professione iidem Armeni catholici promeriti fuerint, ut eum habeant pastorem, quem iis commendatum esse constaret: nos, audito venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, ad te, qui alumnus Congregationis praedictae de Propagandâ Fide, et ex legitimo matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitimâ constitutus

existis, cuiusque apud nos de morum integritate, doctrinâ et religione ac spiritualium providentiâ et temporalium circumspectione fide digna testimonia perhibentur, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo ac quacumque de causâ latis, si quas forte incurristi, huius tantum indulti assequendi gratia absolventes et absolutum fore censentes, te in Constantinopolitanum Archiepiscopum Metropolitanum Primatem praefatarum provinciarum cum usu Pallii de corpore B. Petri sumpti, et Crucis Metropolitanorum Primatum more, et cum facultatibus ea, quae ad Archiepiscopos Metropolitanos Primates spectant, gerendi et exercendi, cum suffraganeae dioeceses vel restitutae vel de novo auctoritate apostolicâ erectae et circumscriptae fuerint, et praeterea cum privilegiis, honoribus et praerogativis omnibus Metropolitanis Primatibus debitis et concessis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eligimus et nominamus, curam, regimen et administrationem illius metropolitanae et primatialis ecclesiae plenarie tibi committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi quod, dirigente Domino actus tuos, archiepiscopalis ecclesia praedicta per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet.

§ 3. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris promptâ devotione animi amplectens, curam et administrationem praedictas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut Constantinopolitana archiepiscopalis ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

§ 4. Ceterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque, quem tu malueris, catholico Antistite etiam latini ritus S. nostrae Sedis gratiam et communionem habente, accitis et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis etiam pariter latini ritus, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris secularibus, seu cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, ac eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sede nostrâ propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi auctoritate nostrâ impendere licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus autem et eâdem auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud suscipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. iulii MDCCCXXX. pontificatus nostri anno II.

XVII.

Episcopum Dromorensem commis. apostol. deputat, ut petens Galviam in provincia Connaciensi in Hibernia ibi pacem componere curet, et difficultates removeat, quae intercedere solent in electione guardiani et vicariorum (1).

Ven. fratri Thomae Kelly Episcopo Dromorensi Armacani Archiepiscopo coadiutori,

PIUS PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quod est vel maxime optandum et quod unum ad animarum salutem ac bonum vel maxime pertineat, id profecto est, ut pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, a cunctis christifidelibus singulari cura et studio exquiratur, eaque vel diligentissime servetur. Prooemium.

(1) Vide infra Greg. XVI.

Ratio concessionis.

§ 2. Nos igitur licet immerito quum arcano divinae providentiae consilio in apostolatus culmine constituti Christi Iesu hic in terris vicariam geramus operam, qui nostra pax est, et dedit nobis ministerium reconciliationis, vehementer cupimus, ut Christi pax, qua nihil dulcius nihilque pulcrius esse potest, exaltet in cordibus omnium in qua et vocati sumus in uno corpore. Quum itaque in florentissima Galviae civitate, quae in provincia Connaciensi in Hibernia sita, saepenumero non omnia ex ordine fiant, quae guardiani et vicariorum electionem respiciunt, atque hac ex causa non levia in ecclesiasticum regimen damna et detrimenta redundare accepimus, nos huic rei occurrere volentes, venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationi, quae christiano nomini propagando studet, commisimus, ut huiusmodi negotium cognosceret, nobisque referret, quanam ratione incommodis mederi posset, quae ea in electione proficiscuntur. Quae sacra Congregatio posteaquam ea omnia maturo examine animadvertit, quae ad hanc rem pertinere posse videbantur, te, ven. frater, in Galviae civitatem mittendum esse censuit, tranquillum pacis opus cunctis nectere.

Tenor deputationis.

§ 3. Quamobrem nos huiusmodi s. Congregationis consilium probantes, quum compertum exploratumque sit, quanta sane doctrina, prudentia ac sapientia praestes, nostris hisce literis tibi committimus, ut Galviam petas et vehementer in Domino hortamur, ut ibi conciliatoris munere fungens, quantum in te est, apostolico zelo iaceas fundamenta pacis et in id potissimum omnem industriam, curam, mentem cogitationemque conferas, ut dissidentium animos componas, eosque ad concordiam tranquillitatemque excites atque inflammes. Quo quidem in munere obeundo ex peculiaribus mandatis, quae tibi ab eadem s. Congregatione erunt mittenda, tuae curae erit omnia singulari diligentia cognoscere, quae illius civitatis ac ditionis populis recte administrandis opportune esse possunt et prudenti consilio explorare quosnam effectus quaelibet immutatio possit afferre. Nulli autem rei manum admovens, omnibus de rebus sacram Congregationem Fidei Propagandae praepositam certiorem accuratissime facias, eiusque monitis praeceptisque noviter obsequens, quidquid ab ea tibi agendum commissum fuerit, id unum omni studio ac diligentia conficies. Tuis porro animi dotibus confisi non dubitamus quin tuus ad Galviam adventus cuique civium ordini gratus acceptusque sit, atque omnia ex voto succedant. Interea temporis singularis benevolentiae testimonium tibi edere volentes, apostolicam nostram benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVI. iulii anno MDCCCXXX., pontificatus nostri anno II.

XVIII.

Reintegratio sedis Goritiensis ad honorem archiepiscopatus.

PIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. In supereminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, illa quoque nobis incumbit causa, ut cathedrales ecclesiae a praedecessoribus nostris iam antea in metropolitanas erectae, ac progressu temporum metropolitico iure iam destitutae, catholicorum principum postulationibus annuendo, ad metropolitanarum ecclesiarum gradum et honorem denuo ab Apostolica Sede extollantur.

Exponitur quomodo Goritiensis ecclesia nunc episcopalis, nunc archiepiscop. fuerit.

§ 2. Posteaquam fel. rec. Benedic. XIV. praedecessor noster cathedralem ecclesiam Goritiensem ad gradum sedis archiepiscopalis evexerat, ita graves obvenerunt temporum vicissitudines, ut sanctae memoriae Pius VI. itidem praedecessor noster illam denuo inter episcopales sedes tantummodo adscripserit.

Memoratur inquisitio commissa Episcopo Goritiensi instituenda pro recta dioecesium distributione in regno Veneto Longobardo.

§ 3. Subinde vero nomine carissimi in Christo filii nostri Francisci Austriae imperatoris ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici, nec non regni Longobardi Veneti pariter regis preces fuerunt oblatae, quod rem sacram in Illyricis regionibus Austriaco dominatui subiectis ea, qua poterat, ratione pro locorum ac temporum conditione magis accommoda ordinandam eum praesertim in finem, ut aptior ecclesiarum ac dioecesium divisio ibidem decerneretur. Placuit rec. mem. Pio VII. praedecessori similiter nostro canonicam super hac re inquisitionem ven. fratri Iosepho Episcopo Goritiensi committere, in qua etiam quaesitum fuit, quod ad ecclesiasti-

cam Illyricianam provinciam eiusque metropolitanam designandam ecclesiam requirebatur.

Declaratur quomodo nova divisio dioecesium probata fuerit a Sancta Sede.

§ 4. Accepto igitur canonico huiusmodi processu fel. rec. Leo XII. mentem sequutus pontificis sui praedecessoris per apostolicas literas incipientes *Locum beati Petri* sub datum pridie kalendas iulii anni millesimi octingentesimi vigesimi octavi, pontificatus sui anno quinto, novam illam dioecesium divisionem opportune sancivit, atque idcirco unum supererat apostolica auctoritate firmandum, quod memoratam Illyriae provinciam spectabat; idque feliciter adproperarunt vota praelaudati Francisci imperatoris et regis, qui per dilectum filium nobilem virum Rodulphum comitem Lutzowium suum apud nos et Apostolicam Sedem extraordinarium oratorem a nobis humiliter postulavit, ut quod ex ipsis inquisitionis tabulis et ex praedecessoris nostri sententia opportunius fore conspicitur, id nunc apostolica auctoritate constabiliatur.

Reintegratio sedis archiepiscopalis.

§ 5. Nos itaque in hoc rerum statu imperialis ac regiae maiestatis suae postulationibus, quantum in Domino possumus, annuere cupientes et defectui consensus quorumcumque interesse habentium plenarie supplentes, cathedralem Ecclesiam Deo sacram sub invocatione sanctorum martyrum Hilarii ac Tatiani erectam in civitate Goritiensi, quae est provinciae caput, quaeque sacrarum aedium splendore, civium frequentia et magistratuum dignitate praefulget, ad archiepiscopalis ecclesiae una cum sede metropolitana et capitulo ex tribus dignitatibus, quatuor canonicis et sex mansionariis efformato gradum denuo extollimus ac restituimus pro uno deinceps Archiepiscopo Goritiensi, qui pallii et crucis usum, arcam, mensam et sigillum ex aliorum Archiepiscoporum more habeat, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, iuribus, privilegiis et honoribus, quibus aliae metropolitanae ecclesiae fruuntur, valeat perpetuis futuris temporibus gaudere.

Explicatur quae sedes subsint metropolitico iuri novi Archiepiscopi.

§ 6. Praevia autem immutatione hodierni status episcopalium ecclesiarum Labacensis, Tergestinae una cum concathedrali Iustinopolitana huic Sanctae Sedi immediate subiectarum, itemque Parentinae cum Polensi concathedrali hucusque patriarchalis Venetiarum suffraganearum, ac insuper Polensis suffraganeae archiepiscopatus Iadrensis, eas omnes episcopales ecclesias metropolitico iuri Archiepiscopi Goritiensis ad praestitutas a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus regulas perpetuo subiicimus atque supponimus.

Assignatio paroeciarum.

§ 7. Cumque laudatus Pius VII. praedecessor noster assensum praebuerit votis antedicti imperatoris ac regis pro seiunctione a dioecesi Goritiensi ac Tergestina nonnullarum paroeciarum Labacensi dioecesi tribuendarum, nos idcirco sexdecim paroecias denominatas Happ, Dudaine, Erzell, Gozha, Losizza, Oberfeld, Palanina, Podrago, Poelkrai, Schwarzenberg, Sturia, S. Veit, Urabitske, Ustia, Wippach, Zoll, a Goritiensi dioecesi; pariterque unam super viginti paroecias vocitatas Adelsberg, Cosana, Born, Harsi, Mantersdorf, Nadanafella, Nussdorf, Posteine, Prevald, s. Peter, Sagurie, Senosetsih, Stavina, Studeno, Senhovie, Ternora, Ubelsko, Urem, Urenovicz, Knesback, Prem, cum locis De Zhell, Janesoruberda et Prelosche, iam paroeciae de Krusza spectantibus, ex Tergestina dioecesi respective disiungimus et abstrahimus, illasque dioecesi Labacensi perpetuo tribuimus et adsignamus ac ordinariae Labacensis Episcopi auctoritati ac iurisdictioni omnino subiectas declaramus; praecipientes, ut omnia et singula documentata respicientia paroecias, ut supra, dismembratas a cancellariis Goritiensi et Tergestina extrahantur et opportuna forma tradantur episcopali cancellariae Labacensi, ibique perpetuo serventur.

Deputatio executoris apostolici.

§ 8. Harum nostrarum literarum exequutorem eligimus ac deputamus venerabilem fratrem Franciscum Xaverium De Luschin Episcopum Tridentinum, cui omnes et singulas necessarias et opportunas concedimus facultates, etiamsi opus fuerit ecclesiasticum virum in dignitate constitutum pro sua prudentia specialiter subdelegare, ut cuncta superius disposita peragere ac statuere et super quacumque oppositione adversus praemissa in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura agnoscere ac definitive pronunciare libere et licite possit et valeat: mandantes expresse eidem Francisco Xaverio Episcopo, ut exempla singulorum actorum in praesentium literarum exequutionem conficiendorum infra quadrimestre ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem authentica forma transmittat, in archivio congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservanda.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 9. Praesentes vero literas, et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes auditi non fuerint, ac

praemissis non consenserint, etiamsi expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere: et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis, eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 11. Praeterea volumus, ut harum literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extincionis, annullationis, dismembrationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, unionis, erectionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subiectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis aut voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCCXXX., sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anno II.

XIX.

EPISTOLA

Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iussu ac nomine Sanctissimi Domini Pii Papae VIII. ad clerum et populum nationis Armeno-catholicae,

Armenorum clero et populo, nomine S. Pontificis, gratulatur de cessata schismaticorum persecutione, eosque hortatur ut in fidei constantia perseverent.

Gratia vobis et pax multiplicetur.

Benedictus Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui teterrimam tempestatem adversus catholicam Armenorum nationem novissime excitatam, ineffabili sua clementia non modo compescere dignatus est, sed eos etiam beneficiis maximis cumulare. Mirabilis haec atque insperata rerum conversio non aliud profecto est, quam opus dexterae Excelsi, qui vulnerat et medetur, percutit caesumque vivificat; qui vos per aerumnas et adversitates tamquam in fusorio vasculo probare voluit, atque purgare, purgatis autem dare praemium constantiae ac fortitudinis, qua strenue perstitistis in fide; qui proinde luctum non minus vestrum, quam etiam nostrum in maximam convertit laetitiam.

Dici revera vix potest, quanto et quam vehementi animi maerore et summus Pontifex et nos omnes afficeremur audientes, innoxios fidelesque Armenos Catholicos calumniosis malignantium impulsibus patria domibusque suis eiectos, cunctis vitae praesidiis destitutos, errantesque in longinquas regiones, saeviente hyeme, iter facere debuisse, plorantibus ac deficientibus pueris aliisque, quorum plures fame, frigore ac laboribus perierunt; haec inquam, et

alia plura intelligens Beatissimus Pater, nosque omnes, tam acerbo dolore pressi fuimus, ut vestris lacrymis nostrae etiam quodammodo miscerentur.

Quid vero? Dum catholicis extremum veluti exitium impendere videbatur, misertus Dominus populi sui, cor et mentem magnanimi ac potentissimi vestri Imperatoris, accedente consilio atque intercessione meritissimorum virorum, qui christianorum Principum legatione fungebantur, movit atque excitavit, ut vos non modo ab exilio revocaret, sed etiam ab intolerabili *dissidentium,* nempe schismaticorum, iugo subtraheret, vobisque plenam atque independentem exercendi catholici cultus libertatem sub proprio constituendo Antistite impertiret. In quo quidem non leve pondus ac vim facile habuit tum perspecta atque probata Armenorum catholicorum fidelitas erga ipsum Imperatorem, tum aequitas et clementia eiusdem generosissimi Principis, cui proinde maximae a vobis agendae sunt gratiae, tum denique Legatorum vota: at quod maximum est, omnis plane eventus a divina voluntate, quae hominum corda movet, est repetendus, in praemium fortasse constantiae, qua, spretis quibuscumque periculis atque cruciatibus, orthodoxae fidei strenue adhaesistis.

Itaque cum tot gravissima damna, divina opitulante gratia, in bonum conversa sint, aequum sane est, ut qui tristitiae participes fuimus, partem quoque habeamus in gaudio iuxta illud Psalmi 93.: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Ac primum Beatissimus Pater Pius VIII., qui, ut visibile Ecclesiae Caput perpessa a vobis damna vehementius senserat, maiori etiam laetitia affectus est, mihique expresse mandavit, ut suo nomine vobis significarem, quanta animi iucunditate et gratulatione faustissimum hoc eventum acceperit, quantoque studio operam dare paratus sit, ut opus a Deo inceptum felicem sortiatur, quantum ad se attinet, exitum et complementum. Iubilemus igitur Deo in voce exultationis, eique iuges agamus pro tanto beneficio gratias; quoniam sicut abundaverunt passiones Christi in vobis, ita et per Christum abundat consolatio vestra.

Prior autem Summi Pastoris cura ea fuit, ut Constantinopolitanum Archiepiscopum et Primatem eligeret atque institueret. Inter plures ex Clero Armeno, qui episcopatu digni videri poterant, visus est Sanctitati Suae aptissimus Dominus Antonius Nurigian Urbani nostri Collegii Alumnus, vir pietate, prudentia, doctrina caeterisque dotibus praeditus, quae ad gerenda Ecclesiae gubernacula sunt necessariae; eoque magis in hanc abiit sententiam, quia compertum sibi erat, illum vobis gratum acceptumque futurum.

Quare Sanctissimus tamquam Christi Vicarius et beati Petri Principis Apostolorum successor eumdem R̃mum D. Antonium Nurigian in Constantinopolitanum catholicorum Armenorum Archiepiscopum (1), nec non Primatem omnium Ecclesiarum, quas in Othomana ditione designandas esse contigerit, Constantinopolitanae Primatialis Ecclesiae Suffraganeas, sive omnium locorum, ubi catholici Armeni commorantur, qui antea Latino Patriarchali Vicario subiecti erant, elegit, instituit atque praefecit; eumque Romae iam consecratum et sacro Pallio de Corpore beati Petri desumpto, quo pastoralis officii plenitudo significatur, exornatum ad vos mittimus certa spe freti, futurum, ut ipse vos dilectissimum suum gregem omni caritate et studio amplectatur, et ducat in viam aeternae salutis, omnemque det operam, ut, quod destructum erat, reaedificetur; quod inordinatum, iterum componatur; quod denique corruptum, ab omni labe purgetur, noxiaque zizania, quae inimicus homo superseminavit in medio tritici, penitus evellantur.

Quoniam igitur omnipotentis Dei auxilio factum est, ut, qui antea veluti membra sine Capite, grex sine Pastore eratis, nunc proprio capite et pastore donati sitis, atque e *dissidentium* iugo exsoluti, congruum sane est et consentaneum, ut tam insigne beneficium servare ac tueri, eoque vos digniores in dies praebere studeatis. Quod profecto vobis continget, si omni studio caveritis, ne veteres contentiones, simultates ac perniciosissima discordiarum semina, quae furore persecutionis iam sopita, eradicata et absumta arbitramur, iterum inter vos appareant; atque in charitate invicem manentes tamquam in Deo, quoniam, ut ait Apostolus, *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet,* solliciti eritis servare unita-

(1) Vide supra.

tem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unum spiritum praeseferentes, sicuti vocati estis in una spe vocationis vestrae.

Hic sane maximus esse debet passae procellae fructus, haec potissima et uber nactae libertatis merces, sincera scilicet ac perfecta inter vos et cum vestro Pastore animorum consensio; neque sit aliquis inter vos, qui dicat: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae;* omnes enim estis Iesu Christi, invicem dilectione non ficta unicuique exhibentes honorem, nulla habita nationis vel studiosarum partium ratione. Ingenua haec animorum concordia pacatam vobis afferet tranquillitatem; haec vobis pariet caeleste praesidium, haec hominum gratiam et existimationem; haec denique vobis augebit vim ac firmamentum. Contra vero si dissensionum semina, contentiones ac simultates iterum germinaverint, quid vobis proderit emancipatio? verendum esset, ne opus hoc dexterae Dei protegentis auxilio tam feliciter inchoatum auctumque brevi concideret, atque dilaberetur: molestiae enim illae, quae vobis antea inferebantur extrinsecus, domesticae fieri possent atque intestinae, sensimque nationem vestram ad exitium deducere, iuxta illud Apostoli ad Galatas: *si invicem mordetis et comeditis, videte, ne ab invicem consumemini.*

Quapropter id unum in praesens agite, in id sedulo incumbite, ut quem Divinae Providentiae auxilio et Sanctae huius Apostolicae Sedis gratia pastorem nacti estis, eumdem observetis et colatis, atque ad eum, tamquam dilectissimi obedientes filii ad amantissimum animarum vestrarum patrem, vos vestraque referre non desinatis. Sic enim agentes, et a caritate nunquam excidetis et sanctam inter vos pacem servabitis et vestra talis futura erit ecclesia, qualis a Cypriano describitur, nempe: *plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens.*

Tantum autem unitatis charitatisque bonum, super quod unum vestrae emancipationis securitas ac perduratio solidatur, vestrum est praecipue opportunis monitis et exemplo fovere ac persequi, qui in populo duces estis, magistri ac pastores, quorumque vocis ministerio plebs christiana in fide et moribus informatur, illius memores effati, *Sic populus sicut sacerdos.* Quod vos pro viribus praestituros esse non dubitamus. Quos enim vidimus tanto studio, tantaque constantia auctores suasoresque factos plebi Armenorum ad omnia perpatienda atque sustinenda, ut fidem Christi et debitam apostolicae huic Sancti Petri Cathedrae, Catholicae Unitatis centro, reverentiam ac devotionem, quae ab ipso S. Gregorio Illuminatore, constituto a beato Silvestro Papa Armenae Ecclesiae Primate, ad eos promanavit, intemeratam firmamque servaret; dubitare certe non possumus, quin ipsi quoque curaturi sint, ut eidem plebi verbo et factis vivum praeclarumque se praebeant eiusdem fidei ac devotionis exemplum, eamque ad pacis et charitatis semitam tenendam adducant. Saeculares vero meminerint, se in Christi Ecclesia oves esse non Pastores, seque proinde pro singulorum statu adiutores quidem esse cleri in eo iuvando, non autem rerum ecclesiasticarum rectores. Caveant igitur ne contra sacros Canones se Clero miscere, eique imperare contendant in negotiis ecclesiasticis pertractandis, scientes, quae Ecclesiae sunt, non sibi, sed pastoribus a Deo esse concredita. Sic enim omnia sicuti in suo ordine consistent, sic et pariter in caritate fient; alias, ordine perturbato, ipsum tandem unitatis ac caritatis vinculum dissolvetur.

Gaudete igitur de accepto beneficio et gratulamini. Subditi omnes ex animo estote sublimiori quae vos gubernat Potestati, atque obedientia ac fidelitate vestra potentissimi ac beneficentissimi Imperantis gratiam ac benevolentiam semper maiorem promereri satagite. Videte praeterea, ut quos nec spolium bonorum, neque dirum exilium, neque fames, aut ulla pericula, sive cruciatus a catholica tuenda fide minime deterruerunt, non vos in adversarios vestros, tantorum malorum promotores, commoveat praeteritorum memoria, sed eis reddite bona pro malis. Et licet Armeni dissidentes vobiscum non conveniant, non ideo tamen averso ab eis animo esse debetis; sed effundite preces, ut Deus et Dominus noster cunctis eos purget erroribus, et ad Sanctam Matrem Ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur, sperantes fore, ut in aeternae salutis viam, auxiliante Domino, aliquando reversi, sicut cum catholicis una sunt natio, ita cum iis in uno eodemque spiritu coalescant.

Sed iam longior processit epistola, hicque tandem faciendus est finis. Agite ergo, dilectissimi, perfecti estote, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis

erit vobiscum. Obsecro etiam vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.

Atque haec sunt, quae vobis Beatissimus Pater Pius PP. VIII. per me scribenda mandavit, quaeque sedulo a vobis custodienda commendat; ac dum ipse in paternae suae dilectionis significationem, apostolicam vobis benedictionem peramanter in Domino impertitur, nos Deum ac Dominum nostrum enixe precamur, ut gratia, pax et salus sit cum omnibus vobis, ac vos omnes diutissime servet ac sospitet.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die x. augusti MDCCCXXX.

XX.

Imminutio festorum in dioecesibus Hildesiensi et Osnaburgensi.

Venerabili fratri Godehardo Iosepho Episcopo Hildesiensi et ecclesiae Osnaburgensis administratori,

PIUS PP. VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Praeceptum de observatione sabathi frequenter in lege reperitur, ut homo id diligenter observet, et veram requiem adipisci laboret. Quapropter nos, qui vicariam Christi hic in terris gerimus operam, nihil praetermittere pro viribus conamur, ut catholici quique sabatha Domini sanctificent; interdum tamen hac in re novum praescribimus ordinem, vel iamdiu susceptum moderamur, ut pro re et tempore, pro locorum ac populorum conditione, quantum fieri potest, eorum bono consulamus.

Expositio precum. § 2. Ex precibus tuis, quas nobis nuper offerendas curasti, satis superque constat, in dioecesi tua Hildesiensi aeque ac in alia Osnaburgensi, quam tibi administrandam commisimus, ob immutatos progressu temporis earum limites, magnum vigere de celebrandis festis discrimen. Ex quo fit, ut in una eademque dioecesi dum alicubi festus dies solemniter celebratur, alicubi profestus habetur, et dum oppidanis compluribus operi tribuere concessum est, vicinis interdictum. Verum quum plura incommoda, plura etiam scandala populis istarum dioecesium inde proficiscantur, in tuis regiique supremi regiminis votis esset, ut isthic idem institueretur festorum ordo et numerus, aeque ac in dioecesibus Borussiae regni. Suppliciter ergo a nobis petiisti, ut in utraque dioecesi, de quibus agitur, plures dies festos ad proximam dominicam transferamus, in nonnullis autem aliis festis diebus, ad pauperum inopiam sublevandam, sacro audito et divinis antemeridianis absolutis, servilia opera permittamus.

Tenor concessionis. § 3. Nos igitur catholicorum Hildesiensium et Osnaburgensium usui et conscientiae prospicere statuimus, tuasque postulationes maturo consilio ac perpensis omnibus benigne excipientes, auctoritate nostra apostolica tibi, venerabilis frater, concedimus atque mandamus, ut singulis quibusque locis utriusque dioecesis unum eumdemque festorum ordinem enuncies atque edicas; scilicet ut festa immobilia Circumcisionis Domini, Epiphaniae, Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, Assumptionis beatae Mariae virginis, Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi ac S. Stephani protomartyris, praefinitis ab Ecclesia diebus celebrentur; caetera vero, Purificationis nempe, Annuntiationis, Nativitatis et Conceptionis beatae Mariae virginis, nativitatis S. Ioannis Baptistae, ac dedicationis S. Michaelis Archangeli, nec non festa sanctorum patronorum ecclesiarum, quibus in locis huc usque celebrata sunt, in dominicam vel proxime superiorem vel insequentem transferre valeas. Praeterea festa mobilia, videlicet resurrectionis Domini, et feria secunda quae proxime sequitur, itemque Ascensionis, Pentecostes ac feria secunda, quae pariter proxime sequitur, nec non sanctissimi Corporis Christi, diebus, quibus occurrunt, celebrentur. Quoniam vero mos est in diversis istarum regionum locis non eodem die habendi supplicationes ad propitiandum Deum, uti segetes bene eveniant, eadem auctoritate nostra apostolica tibi facultatem facimus transferendi hanc celebritatem vel festum illis in locis, quibus adhuc celebratum est, ad feriam secundam post dominicam Pentescostes. Ad haec indulgemus, ut in festo S. Stephani

protomartyris, feria secunda Paschatis ac feria secunda Pentecostes, numquam tamen in dominicis ac festis diebus nativitatis Domini et Ascensionis, Assumptionis beatae Mariae virginis, beatorum Petri et Pauli, Apostolorum, atque Omnium Sanctorum, catholici pauperes, qui diurno labore victum cultumque sibi comparant, postquam missae sacrificio interfuerint, et divina antemeridiana absoluta, operibus servilibus possint vacare.

Monitum speciale.

§ 4. Haec ergo sunt quae pro maiori utriusque dioecesis bono tibi edicenda praecipimus, plane rati, te nihil non aggressurum, ut dies festi, qui divino cultui dicati sunt, sacramentorum usu, coelestium rerum commentatione, omni denique pietatis ac religionis sensu colantur, huiusmodi spe allecti tibi ac utrique gregi tibi concredito apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. augusti MDCCCXXX., pontificatus nostri anno II.

XXI.

Confirmat electionem superioris Collegii Sancti Ferdinandi fratrum Ordinis Sancti Francisci de observantia provinciae Mexicanae.

PIUS PP. VIII.

ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Quum, sicut nobis expositum est, ob notissimas Mexicanae provinciae rerum vicissitudines tam exiguus sit fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum missionibus addictorum numerus, ut opus fuerit, elapso anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo die septima decembris, huic necessitati apostolica auctoritate consulere facultatem eligendi superiorem Collegii S. Ferdinandi eorumdem fratrum Minorum ex quocumque alio collegio libere tribuendo; quumque vi huius facultatis dilectus filius Ioseph Maria Gusman collegii missionariorum de Zapopan in custodem seu superiorem praefati collegii S. Ferdinandi fuerit electus, petitum suppliciter a nobis fuit, ut electionem praefatam confirmantes, facultatem in posterum, cum necessitas postulaverit, renuntiandi superiorem memorati collegii Sancti Ferdinandi Mexicanae provinciae quemcumque religiosum virum ad alia collegia missionum Americae pertinentem tribuamus, ac spirituali beneficio fratres laicos nuncupatos eiusdem ordinis in collegio praedicto Sancti Ferdinandi Mexicanae provinciae et in alio de Zacatecas nuncupato degentes prosequamur, indulgendo, ut ipsi in prima missa nocte nativitatis D. N. I. C. celebranda iuxta ritum S. R. E. sacram communionem de manu sacerdotis celebrantis sumere valeant.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur praefatum Iosephum Mariam Gusman, ac omnes quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, electionem praedicti Gusman in superiorem collegii S. Ferdinandi Mexicanae provinciae, dummodo rite sit facta, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, ac eidem collegio Sancti Ferdinandi durante necessitate praedicta facultatem ad quinquennium tantum nominandi et eligendi in eiusdem superiorem quemcumque religiosum virum ad alia collegia missionum Americae pertinentem dicta nostra auctoritate pariter tribuimus, ac praeterea ut fratres laici nuncupati tum in collegio praefato S. Ferdinandi, tum in alia de Zacatecas nuncupato degentes, sacram communionem de manu sacerdotis primam missam nocte Nativitatis D. N. I. C. celebrantis servatis servandis sumere libere ac licite possint et valeant, dicta auctoritate in perpetuum concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die VII. septembris MDCCCXXX., pontificatus nostri anno II.

INDICES

HUIUS QUARTI VOLUMINIS

INDEX

ROMANORUM PONTIFICUM QUORUM ACTA
IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR



INDEX INITIALIS

CLEMENS PP. XIII.

CLEMENS PP. XIV.

PIUS PP. VI.

PIUS PP. VII.

LEO PP. XII.

PIUS PP. VIII.



INDEX RUBRICARUM

CLEMENS PP. XIII.

CLEMENS PP. XIV.

PIUS PP. VI.

PIUS PP. VII.

**

LEO PP. XII.

PIUS PP. VIII.



INDEX

DOCUMENTORUM QUAE IN NOTIS HUIUS VOLUMINIS INVENIUNTUR

CLEMENS PP. XIII.

CLEMENS PP. XIV.

PIUS PP. VI.

PIUS PP. VII.

LEO PP. XII.

PIUS PP. VIII.

ERRATA	CORRIGENDA
Pag. 227, col. I, § 1. *Militantis Ecclesiae regimini licet*	*Militantis Ecclesiae regimini meritis licet imparibus*
» 228, col. II, § 1. *Ex qua*	*Ex quo*
» 545, in arg. *Fchao*	*Tchao*
» 569, in arg. *Confratribus S. M.*	*Confratribus confraternitatis S. M.*
» 614, in arg. *In Urbem*	*In Urbem, vicarium autem eius in provincia*
» 679, in arg. *Occidentalibus*	*Orientalibus*

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.



